METAPHYSICA IUXTA MENTEM D. THOMAE ET DOCTRINAM NOSTRORUM COMPLUTENSIUM...

Alexander : a Jesu, Giovanni Pietro : da#Roma frate


Digitized by Google



Tomi 2: in Vol: 1

XIV D 2

14-7-G-16

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

METAPHYSICA
IVXTA MENTEM
D. THOMÆ,
Et doctrinam nostrorum
COMPLVTENSIVM:
AVTHORE
R. P. F. ALEXANDRO A IESV
POLONO
CARMELITA DISCALCEATO.

Reimpressa per Reu. Patrem Prouincialem, Prouinciæ Matris Dei Neapolis.

Ad usum P. F. Io: Pauli à Imm.ta Trinitate — Pro Conventu Scte. Mrae de Victoria

TOMVS PRIMVS.






BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

NEAPOLI, Ex Typographia Michaelis Monaco
M. DC. LXXXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google



PERILLVSTRI,

AC ADM. REV. DOMINO

D. IOSEPHO CORTESIO

NEAPOLITANO

Ex Dominis Verzini salutem.





Vſpicatiſſima nobis optata euenient, ſi Metaphyſicæ volumen iſtud Dominationis Veſtræ Adm. Reu., & perilluſtris nomen, tanquam virtutis vniuerſæ fulcrum quoddam, & aduerſus cunctos hoſtes clypeum tutiſſimum inſcriptum deinceps feret. Libri, quaſi liberi cùm vagantur Protectore indigent ſuo, ne beſtiarum morſibus feriantur, nè latronum incurſibus ſpolientur,

Digitized by Google

nè ignorantiæ ruderibus miserrimè obeant . Et licèt Opus, quòd amplitudini tuæ libentissimè nuncupamus, illius sit Generis, quod Deum Optimum, Maximum, intelligentias, substantiasque separatas eleganter, eruditèque, vti obiectum formale respiciat; non desunt hisce temporibus morbidæ farinæ Nebulones, qui Motori ipsi, & Angelis doctrinaliter detrahere virtutem primam esse mordicùs arbitrentur. Clypeo ergo benignitatis tuæ studia nostra defende; nec certè minimum aucupaberis gloriæ, si Alexandri Sarmatæ exuuias tutas per Orbem inire consentias. Theologum Sacerdotem decet quidquid magnum in Alexandro inueniet, custodire. Ad Iosephum namque spectat, eius, qui trino sensu Sanctissimi Ioseph Historiam composuerat hasce locubrationes esteras, aduenas, peregrinas ingenio fouere, perhumanitèr memoriâ deuincire, & clementissimo patrocinio comitari. Hæc à te adimplenda flagitant, qui, te excellenti benignitate, vt omnium est sensus, ac eximia doctrina præditum ducunt. Ex nomine benignus es, nempè Ioseph, ex cognomine benignior, vti Cortesius, ex caractere benignissimus, nam Sacerdos. Sacerdoti ergò Diuinæ hunc litamus scientiæ Librum. Cortesio nostræ seruitutis tesseram dedicamus: Iosepho mittimus Alexandrum, Ioseph etenim accrescens dicitur, Alexandri huius Magni, si quæ post funera fama superest, viribus per Iosephum inuidæ crescat eundo, non secus, ac gemma illa Arabica, cuius candor cre-

scente

ſcente Luna accreſcit: Vale Sacerdos Religioſiſſime in annos innumeros ſaluus, atque felix. Kal. Februarij M. DC. LXXXVIII.

D. T. Adm. Ill. ac Reu.

Additiſſimus Seruus
Frater Dyoniſius à S. Andrea Prouincialis nomine totius Collegij Matris Dei Neapolis.

a 2 AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.



E mireris Lector Beneuole, si in progressu huius Operis aliquas Quæstiones in stylo, & Methodo à prioribus aliquantulum diuersas, & cursim quasi absolutas aduerteris. Non Authori, sed post obitum ipsius Opus istud in lucem edenti, defectus hic adscribendus. Author enim non tàm placuisse, quàm prodesse omnibus studens, integrum hoc opus Metaphysicæ, uniformi stylo, & Methodo, (non quidem ad typum, sed solùm pro priuato Studiosorum suæ Prouinciæ usu) conscripserat, & feliciter in viuis perfecerat, prout Testes omni exceptione maiores non solùm è nostra minima, sed etiam ex Illustrissima D. Dominici Familia fidem præbuerunt. Sed quia iniuria temporum, & non adeò diligenti Originalium scriptorum Authoris custodia, ob continuos bellorum in Polonia motus, aliquæ Chartæ, seù potius sexterniones ex manuscripto Originali Metaphisicæ nescitur, quo casu deperierint, nec facta diligentia ampliùs reperiri potuerint; (dum iussu Superiorum, reuisione & approbatione facta Opus hoc in lucem ederetur,) rudior cuiusdam ex amicis calamus stylo diuerso suppleuit quæ ad finem Tract: Metaphysicæ deesse videbantur. De vno tantum te candide lector præmonitum volo quia scil. originale multis mendis scatebat, si quæ irrepserint aliqua ad voluminis finem subÿciam; ut ea percurrere, ac corrigere valeas, reliqua verò minoris momenti Ingenÿ tui aciei, ac feliciori Mineruæ relinquo. Sin autem in hoc opere natura sua verè operoso, vel minimum plausibile repereris, eo vtere. & Deo, à quo bona cuncta procedunt, hos quoque nouos primę Philosophiæ partus refer acceptos in cuius gloriam hæc omnia nostra, & tua cedant. Vale.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

IL Prouinciale de' Carmelitani Scalzi in questo Regno di Napoli desidera dare alle Stampe di nuouo la Metafisica del P. F. Alessandro di Giesù del suo Ordine, supplica però V. E. di commettere la reuisione à chi li parerà, e poi concederli la licenza, che il tutto &c.

Reu. P. D. Franciscus de Aste videat, & in scriptis referat.

Carrillo Reg. Soria Reg. Moles Reg. Miroballus Reg.
Iacca Reg. Prouenzalis Reg.

Prouisum per S.E. Neap. 30. Iulij 1687.

Mastellonus.

EXCELLENTISSIME DOMINE

IVssu Excellentiæ Tuæ elaboratum opus inscriptum Metaphysica in duos Tomos distributas Authore Reu. P.F. Alexandro à Iesu Carmelita Discalceato Opus posthumum attentè perlegi, & cum nihil prorsus Regiæ Iurisdictioni repugnans attingat, dignumque proptereà est, vt pro communi bono prælo tradatur. Datum Neapoli in Æde S. Mariæ Angelorum Kalendis Septembris 1687.

Excell. Tuæ

Additissimus Seruus
D. Franciscus Maria de Aste ex Cl. Reg.
Regij Collateralis Theologus.

Visa supradicta relatione imprimatur, & in publicatione seruetur Regia Pragmatica.

Soria Reg. Moles Reg. Miroballus Reg. Iacca Reg.

Prouisum per S. E. Neap. die 5. Nouembris 1687.

Mastellonus.

FA-

FACVLTAS *Adm: Reueren. Patris Nostri Præp: Generalis.*

TEnore præsentium concedo licentiam imprimendi Metaphysicam per P.F. ALEXANDRVM à IESV Carmel: Discalc: pro vsu studentium Fratrum conscriptam, dummodò P. F. Cælestinus à Spiritu S. & P. F. Irenęus ab Ascensione Domini reuideant, & approbent. Concedo quoq; seorsim Poëmata quædam de S. THOMA AQVINATE Doctore Angelico à nostris Fratribus studiosis conscripta imprimi. *D*at.Romæ in Scala.6.Maij 1671.

F. Alexander à IESV MARIA Præpositus Generalis Carmelitarum Discalceatorum.

Fr. Faustus à S. Basilio Secretarius.

Censura ex Commissione Adm: Reueren. P. N. Præp: Generalis.

VIdi & legi manuscriptum Metaphysicæ R. P. F. Alexandri à IESV. Prouinciæ nostræ S. Spiritus, Theologiæ Professoris, dignum existimo vt pro vtilitate Fratrum Studiosorum nostræ Prouinciæ typis mandetur, postquam aliqua folia post obitum ipsius deperdita, inuenta vel suppleta fuerint. *D*atum Cracouiæ in Conuentu nostro SS. Michaelis, & Ioseph. 18. Septembris 1671.

Fr. Cælestinus à Spiritu S. Carm: Discal.

EX commissione Adm. R. P. N. Præpositi Generalis legi Tractatus Metaphysicos à R. P. F. Alexandro à IESV, pro vsu F.F. Studiosorum nostræ Prouinciæ *Polonæ* conscriptos. Cumq; in illis nihil dissonum Fidei aut bonis moribus inuenerim, expediēs iudico (saluo meliori aliorum iudicio) vt excudantur. Dat. Crac: in Conuentu nostro SS. Michaelis & Ioseph. 20. Decembris. 1671.

Fr. Irenaus ab Ascensione Domini *Carm: Discal.*

IN

Digitized by Google

INDEX
DISPVTATIONVM;
AC QVAESTIONVM
in hoc opere contentarum.



DISPVTATIO PROAEMIALIS.

De Obiecto, & alijs Prolegumenis Metaphysicæ absoluitur Quæstionibus sex.

TRACTATVS PRIMVS.

De Ente in Communi eiusq; Passionibus ac varijs diuisionibus. Absoluitur Disputationibus septem.

DI-

DISPVTATIO I.

De Conceptu quidditatiuo Entis secundùm se.

DISPVTATIO II.

De Conceptu Entis secundùm quod cognoscibilis est.

DI-

DISPVTATIO III.

De varijs Diuisionibus Entis.

DISPVTATIO IV.

De Proprietatibus Entis in Communi.

DISPVTATIO V.

De Vno.

Quæst.

Digitized by Google

DISPVTATIO VI.

De Vero.

DISPVTATIO VII.

De Bono.

META-

Digitized by Google



IESVS, MARIA, IOSEPH.

METAPHYSICA IN TRES TRACTATVS DISTRIBVTA.

PROOEMIVM.



Oris est aliquam ſcientiam tractaturis, ea inprimis pertractare, quæ inuolutam eiuſmodi ſcientiæ naturam euoluunt. Qui naturam ſcientiæ neſcit, fruſtra ſcire ſe iactat. Natura non cognita, vel res non cognoſcuntur, vel obſcurè nimis: vt ſol à noctua ſolet. Ideoque, & ego, dum Metaphyſicas, Deo auſpice, aggredior Diſputationes, tritam Metaphyſicorum metam non egredior, Aethymon, & naturam Metaphyſicæ euoluendo, ſic enim faciliùs propoſiti mei metam in Metahyſica mea attingam. Aethymon Metaphyſicæ clariſſimum eſt, dum Metaphyſica nominatur, quaſi

angustior, ut in naturæ angustijs metam haberet, metas Physicæ egreditur, ut in ultranaturali scientia conquiescat. Eo namque celsitudinis deuenit, ut Physicas transcendens speculationes, abstractas ab omni materia res attingat. Hinc est, quod tam illustri gaudeat titulorum apparatu. Prima enim Philosophia nominatur, quia primis scientiam principijs anteit. Sapientiæ nomen sibi vendicat, nimirùm sapienter dirigens scientias, sapientis enim est dirigere, iuxta Angelicum Doctorem. Theologia Naturalis dicitur, nempè suis Conclusionibus, quantùm natura permittit, ipsum includens DEVM. Serenissimo denique Reginæ, Dominæque sciẽtiarum titulo decoratur. Tam splendido digna nomine, propter congenitã sibi dignitatem. Præmissa igitur hac nominis Metaphysicæ notitia, ut feliciter Metaphysicas difficultates aggressus, felicissimè metam premam, ab Obiecto Metaphysicæ exordior, quod, sicut est scientiæ specificatiuum, ita ad eius naturam cognoscendã, facilè manuducit.



DISPV-

Digitized by Google




DISPVTATIO PROOEMIALIS

De Natura, & Proprietatibus Metaphysicæ.

QVAESTIO I.

Quodnam est Metaphysicæ Obiectum?



Ec libet, nec licet, ea hic repetere, quæ circa naturam Obiecti, variasque eius diuisiones, in Logica docent Philosophica rudimenta, ideoq; ab instituto nostro (qui ea tractamus, quæ ad primã Philosophiã spectant) aliena. Qui tamen ea videre desiderat, inueniet fusè, & eruditè explicata apud Nostros Complutenses in Logica disp. 1. q. 2. n. 8. & sequentibus, his ergo omissis, ad nostrã difficultatem accedamus.

§. I. *Referuntur, & refellũtur Oppositæ Doct. sententiæ.*

Mirum est, quantùm in assignãdo Metaphysicæ obiecto Auctores differant, etsi alicubi, hic certè verum est illud, quod vulgò dicitur: Quot Capita, tot sẽsus. Omissis autẽ alijs parũ difficultatis præseferentibus opinionibus, quas omnes recitat, & refutat Suarez disp. 1. Metaph. Sect. 1.

Tres sunt nobiliores, & probabiliores Auctorum sententiæ, duæ extremæ, & tertia media.

Est ergo. Prima sententia, quæ amplissimũ Metaphysicæ assignat obiectum, docetque illud esse Ens secũdùm totam Analogiæ suæ amplitudinem; prout scilicet abstrahit, non solùm ab Ente per se, & per accidẽs, verùm ab Ente reali, & rationis: ità aliqui ex antiquis.

Probantque suam sententiam tali argumento. Ens in sua amplitudine potest esse obiectum alicuius scientiæ speculatiuæ, sed non alterius quã Metaphysicæ: cũ hæc sit prima Philosophia, & inter speculatiuas Princeps. Ergò &c.

Maior probatur. Ens est Obiectum intellectus. Ergo etiam potest esse obiectũ alicuius scientiæ, quæ est habitus intellectus, per paritatem rationis.

Confirmant. Ideò Ens claudens Entia per se, & per accidens, Realia, & Rationis, est Obiectum intellectus, quia hic ad omnia illa se extendit, sed etiam ad hæc omnia Metaphysica se extendit, cùm tractet de Entibus realibus, & rationis per se, & per accidens. Ergo &c.

Hæc tamen sententia subsistere nequit. Nã inprimis Entia per accidens arcẽtur ab Obiectis scientiarum per Philosophum 6. Metaph: Textu 4. Et D. Thomas ibidem lect. 4. Quod etiã probatur. Obiectum cuiuslibet scientiæ debet esse vnum per se. Sed Ens per accidens non est per se Vnũ. Quia constat ex pluribus Entibus in actu, quæ ad constituendum vnũ per se concurrere non possunt. Ergo &c. Minor patet. Probatur Maior. Obiectum cuiuslibet scientiæ debet esse definibile: habereque passiones; quæ de illo demostrentur, alias enim scibile non esset: Vtpotè nec per definitionem, nec per demonstrationem explicabile. Sed quod vnum per se non est, nec potest esse definibile, nec potest habere passiones, quæ de illo demõstrentur. Sicut enim vna essentia, naturaque caret, itá definitione explicante naturam rei, passionibusque essentiam consequentibus carere debet. Ergo &c.

Similiter Entia rationis sub obiecto Metaphysicæ nequeunt contineri.

Probatur primò. Substantiæ separatæ, videlicet DEVS, & Angeli sunt causæ effectiuæ Entis, de quo tractat Metaphysica, vt docet Sãctus Thomas in proœmio Metaphysicæ. Sed substantiæ separatæ non sunt causæ effectiuæ Entium rationis. Tùm quia Deus illa non potest formare. Tùm etiam, quia Ens rationis non potest habere veram causam efficientem, vt in Logica diximus. Ergo &c.

Probatur secundò. Obiectum Metaphys. debet participare de abstractione debita Metaphysicæ, sicut generaliter Obiectum cuiuslibet scientiæ debet esse eiusdem àbstractionis cum ipsa scientia. Sed Ens rationis non participat de abstractione propria Metaphysicæ. Ergo &c. Probatur Minor. Nam Ens rationis, licet ab omni materia abstrahat, sicut & obiectum Metaphysicæ. Ens tamen rationis solùm abstrahit ab omni materia negatiuè, non verò positiuè. Sed obiectum Metaphysicæ debet abstrahere positiuè à materia. Aliàs, si ad hoc, vt aliquid spectet ad obiectum Metaphysicæ, sufficeret abstractio negatiua, sequeretur, quod etiam nõ Entia spectarent ad obiectum Metaphysicæ, cùm & illa negatiuè abstrahant ab omni materia, quia scilicet non sunt in Materia. Ergo &c. Hic tamen Notandum est. Quòd licet Ens rationis excludamus ab obiecto Metaphysicæ, non ideò illud excludemus

ab

Digitized by Google

ab hoc, quod sit scibile per se à Logica, verumque obiectum ipsius. Quia vel obiectum Logicæ non continetur essentialitèr sub obiecto Metaphysicæ, ac per cōsequens, nec Logica subalternatur eo modo Metaphysicæ, quo aliæ scientiæ subalternantur, addendo scilicet ipsius obiecto differentiam essentialem. Ens enim rationis, seù illud figmentum, quod obiectum Logicæ addit Enti, vt sic, non potest esse differentia essentialis respectu Entis, vt patet. Ergo &c. Vel si dicere malis, Logicam subalternari Metaphysicæ, sicut & cæteras scientias, ac per consequens illius obiectū, sub obiecto Metaphysicæ essentialitèr contineri, quod videntur sentire Nostri Complutenses, in sua Logica, Disput. 19. Quæst. 1. art. 10. Tunc dico illam subalternari impropriè, & imperfecto modo. Quia sicut ob suam imperfectionem nō continentur per se sub aliqua abstractione propria scientijs, vt docent nostri Complut: in Logica, Disput. 9. Quæst. 6. num. 38. Neque est pars principalis scientiæ speculatiuæ, vt docet S. Thomas Opusc. 70. Quæst. 5. Art. 1. ad 2. Ità neque subalternatur ipsa Metaphysicæ eo modo, quo aliæ scientiæ, nequè obiectum eius continebitur propriè sub obiecto Metaphysicæ, sicut aliarum scientiarum obiecta continentur; sed tantùm impropriè, in quantum Ens rationis, quod est obiectum Logicæ, habet essentialitèr esse; & scibilitatem, ad modum Entis realis.

Secūda sentētia præcedēti extremè opposita. Restringit, & coarctat Obiectum Metaphysicæ intra limites Entis creati denario prædicamentorum numero clausi, dicitque Ens diuisum in decem prædicamenta, esse obiectum Metaphysicæ; ita Flandria in 1. Metaphysicæ, Quæst. 1. art 8. quem sequūtur plurimi ex recētioribus Thomistis, qui scripta sua prælo non vulgarunt. Probantque suā sentētiā authoritate Philosophi, qui postea quā quarto Metaphysicæ: Ens statuit esse obiectū huius scientiæ, statim quinto Metaphysicæ, diuisit illud, in decem Prædicamenta. Ergo sentit, Ens diuisum in decem Prædicamenta esse obiectum huius scientię; Sunt & alia argumenta petita pro hac sententia, sed quia directè probant Deum non intrare obiectum Metaphysicę, ideò commodius inter obiectiones contra nostrā sententiam referentur.

Verum hæc sententia displicet primò, quia DEVM à ratione obiecti Metaphysicæ excludit. Si enim obiectum Metaphysicæ est Ens diuisum in decem Prædicamenta, cùm Deus in nullo Prędicamento collocetur, vt docent omnes Philosophi, de quo videre poteris nostros Complutenses in Logica Disput. 12. Quæst. 4. Num. 30. Sequitur ex illorum Sententia, Deum non spectare ad Obiectum Metaphsicæ, quod tamen falsum est, vt ex rationibus pro nostra sententia afferendis patebit.

Dis-

Digitized by Google

Displicet secundò. Quia directè contrariatur menti S. Thomæ, quod in Proœmio Metaphysicæ non solum Angelos, sed etiā DEVM ipsum ad considerationē Metaphysicæ docet pertinere. Probans enim ibi Metapysicam esse scientiā maximè intellectualem, dum inquit. *Ea uerò sunt maximè à materia separata, quæ non tantùm à signata materia abstrahūt (sicut omnes formæ naturales in Vniuersali acceptæ, de quibus tractat Scientia naturalis) sed omninò à materia sensibili. Et non solùm secundùm rationem, sicut Mathematica, sed etiā secūdū esse, sicut Deus, & intelligentia, unde scientia, quæ de istis considerat, maximè uidetur esse intellectualis, & aliarum Princeps, & Domina &c.* Ergo ex mēte S. Thomæ, Deus ab obiecto Metaphysicæ excludi non debet. *Respondebit aliquis iuxta mentem S. Thomæ.* Deus spectat ad considerationem Metaphysicam, non vt obiectum, sed vt Principium, quod claris verbis expressit Angelicus Doctor ibidem, dum inquit. *Quamuis ista scientia prædicta consideret tria, non tamen quodlibet eorum cōsiderat, vt subiectum, sed ipsum solùm Ens commune. Hoc enim est subiectum in scientia, cuius causas, & passiones quærimus, non autem ipsæ causæ alicuius generis quæsiti.*

Sed cōtra est. S. Thomas æqualiter de Deo, & de substantijs separatis dixit. Quod sint causæ Entis vt sic, & quod ad considerationem Metaphysicam pertineant, vt causæ. Ergo si Diuus Thomas sentiret hoc, quod pertinet ad Metaphysicam considerationem, vt causa obiecti, non posse pertinere ad illam, vt obiectū, sentiret, intelligentias scilicet Angelos, ad obiectum Metaphysicæ non spectare. Ergo cum hoc de intelligentijs non senserit (quod & ipsi aduersarij fateri debent, alias etiam illorum opinio esset falsa; Si quidem Angeli reponuntur in prædicamentis) etiam Deum non exclusit ab obiecto Metaphysicæ. Vnde cum dixit, quòd non pertinent substantiæ separatæ ad cōsiderationem Metaphysicæ, vt subiectum, sed vt principium subiecti: intelligendus est sic, non pertinent, vt subiectū tantùm, sed pertinent, vt subiectum, & principium simul. Quod, vt faciliùs capias, hancq; verborum S. Doctoris expositionem, ab eius mente alienam non esse, cognoscas.

Scito dupliciter aliquid posse esse principium, & causam alicuius sciētiæ, Primò. Ità vt nullo modo participet rationē formalem obiecti: & tale principium spectat ad sciētiam, vt principiū tantùm, nō autem, vt obiectum. Sicut in Logica considerantur actus intellectus, vt principia, & causæ Entis rationis, quod est obiectum Logicæ. Quia tamen prædicti actus, ità sunt principium Entis rationis, vt ipsis ratio eius non cōpetat: (falsa enim esset hæc prædicatio. Actus intellectus est Ens rationis) ideò non attinguntur à Logica,

Digitized by Google

vt obiectum, sed tantùm, vt principium obiecti. Et similiter Mathematica agit de puncto tantū, vt de principio obiecti, non autem, vt de obiecto, quia punctum, ità est principium obiecti Mathematici, nempè quantitatis continuæ, vt eius rationem formalem non participet.

Secundò potest aliquid esse principium obiecti alicuius sciētiæ, ità quòd simul participet rationem formalem eiusdem obiecti, sicut v. g. Materia, & forma, ità sunt principium Entis mobilis, quod est obiectum Physicæ, vt ipsis etiam mobilitas radicalis competat. Et tale principium spectat ad considerationem sciētię, non solùm, vt principium, sed etiam, vt obiectum participans rationem formalem obiectiuam scientiæ. Sic ergò Deus, cùm ità sit principium Entis vt sic, quod est obiectum Metaphysicæ, vt ei simul ratio Entis realis conueniat. (Hæc enim est vera, Deus est Ens reale,) spectabit ad considerationem Metaphysicam, non tantùm, vt principium, verùm etiam, vt obiectum ipsius.

Vel poteris respondere ad auctoritatem S. Thomæ à contrarijs citatam secundò cum Soncinate 4. Metaph. Quæst. 10. ad 1. Quod cùm S. Thomas, tàm in Proœmio Metaphysicæ, quàm super Boetium dixit, Metaphysicam non agere de Deo, vt de subiecto, sed tanquam de principio. Hoc ideò dixit, quia quidquid de Deo scimus, vel scire naturalitèr possumus, ex effectibus id totū cognoscimus. Ac per consequens, quandocunque Deus obijcitur lumini naturali intellectus nostri, obijcitur, vt principium, non quasi hanc tantùm in eo rationem cognoscamus, quod sit principium Creaturarum, plura enim de Deo naturalitèr sciri possunt: sed quia quidquid de eo scimus, ex effectibus scimus. Iam autem omnis notitia, quæ habetur de causa ex effectu, est notitia causæ, vt est principium.

Neque argumenta, quæ pro se prima sentētia adducit valēt. Negamus enim antecedens argumēti pro prima sententia adducti, cuius probationis negatur consequentia. Cum enim potentia vniuersalior sit habitu. (Habitus enim sunt determinationes potētiarum.) Vniuersalius etiā obiectum habere debet; Vndè etiam si Ens in tota sua amplitudine concederemus esse obiectum intellectus (de quo tamen adhuc nobilissimi disputāt Philosophi) non ideò dictum Ens posset esse obiectum alicuius scientiæ, quæ est habitus intellectualis.

Ad Confirmationem, Resp. Distinguendo antecedens. Ideò Ens, quod ambit entia realia, & rationis per se, & per accidens, est obiectum intellectus nostri, quia hic ad omnia ista se extendit vtcunque, Nego, tanquam ad ea, quæ participant rationem formalem eius obiecti, Concedo. Metaphysica autem, licet ad ista omnia explicanda descendat, non

ta-

Digitized by Google

tamen de illis tractat, vt de partibus sui obiecti, quia verè ad eius obiectum non pertinent, vt supra diximus. Sed tractat de illis per occasionem, in quantum ad explicandum eius obiectum, aliquo modo conducunt.

Ad Auctoritatem etiã Philosophi. Quam secunda sententia pro se adduxit. ℞. Quod cùm Philosophus Ens, quod est obiectum Metaphysicæ, diuisit in decem Prædicamenta, noluit hac diuisione claudere ea tantùm, quæ directè in prædicamentis reponuntur; alias transcendentia, & Analoga omnia, v. g. Accidens, formam, &c. imò & ipsas differentias essentiales rerum ab obiecto Metaphysicæ reiecisset, quia hæ in recta prædicamentali linea non ponuntur. Sed diuidendo Ens in decem Prędicamenta sub hac diuisione, compræhendit nõ solùm ea, quæ per se, sed etiam ea, quæ reductiuè, quocunque modo ad prædicamenta spectant. Vndè intrà limites obiecti Metaphysicæ clausit Deum, qui aliquo modo ad Cathegorias Entis reducitur, tanquàm principium Entis, continens ipsa Prædicamenta, non verò contentum ab ipsis, vt loquuntur nostri Complutenses loco nuper citato ex Logica n. 21.

§. 2. *Statuitur vera Sententia.*

TErtia sententia inter præcedentes media, vera est, cum qua Dicimus. Obiectum Metaphysicæ esse ens reale, prout abstrahit à creato, & increato, seù, quod idẽ est, ens reale naturalitèr cognoscibile in suo ambitu. Ità Arist. & D. Thom. quos sequuntur cõmuniter Metaphysici, Soncinnas lib. 4. Metaphys. Quæst. 10. Noster Blasius à Conceptione in sua Metaphysica, Disput. 1. Quæst. 2. Sect. 2. Fonseca 4. Metaph. Cap. 1. Quæst. 1. Suarez in Metaph. Disput. 1. Sect. 1. & vlt. & plures ex recentioribus.

Probatur primò hæc sententia Authoritate Aristotelis 4. Metaphys. Textu 1. vbi dicit. *Est quædam scientia, qua speculatur Ens, prout Ens est, & quæ ei per se insunt. Hæc autem, nulli earum, quæ in parte dicuntur, eadem est: nullæ namque cæterarum vniuersaliter de Ente, prout Ens est, considerant, sed eius aliquam partem abscindentes, quod ei accidit, speculantur.* Ecce quàm clarè Philosophus suam mentem aperuit, nostramque sententiam docuit, quod sequentibus instantijs verba Philosophi ponderando deduco.

Primò dicit Philosophus. Quod *quædam scientia* (intellige Metaphysicam, de hac enim ibi agit) *speculatur Ens in quantùm Ens, & quæ ei per se insunt.* Ergò non tale Ens, quod v. g. est determinatum ad decem Prædicamenta. Ens enim prædicamentale nõ est Ens in quantum Ens, cùm ex mẽte Philosophi Metaphysica speculatur Ens in quantùm Ens, non speculabitur Ens diuisum in decẽ

Præ-

Prædicamenta, vel aliquid aliud, quod non erit Ens, vt Ens, sed tale ens. Ergò neque Ens commune enti per se, & per accidēs, reali,& rationis speculabitur Metaphysica, quia Enti per accidens, Entique rationis, per se nō insunt proprietates Entis; quidquid enim sit de alijs, Enti per accidens nō competit vnitas per se, quæ est vna ex passionibus,seù accidentibus, (vt ibidem docuit D.Thomas Lect. 1.) quæ per se enti insunt. Nam ens per accidens, sicut non est per se ens, ità non est per se vnum, talitèr enim aliquid est vnum, qualitèr est ens; Et enti rationis non possunt per se proprietates entis competere, quia illud,vtpotè vmbra entis, illas sibi per se vendicare nequit.

Secūdò dicit idē Philosophus, quòd Metaphysica distinguitur ab alijs scientijs per hoc, quòd illa speculatur ens in quantum ens, cæteræ verò scientiæ non, sed eius partem aliquam abscindentes, quod ei accidit, speculantur. Sed si Metaphysica haberet pro obiecto ens diuisum in decē Prædicamenta,aliquam partem entis abscinderet, idque, quòd enti accideret,specularetur, quia & ens diuisum in decem Prædicamenta est aliqua pars entis vt sic, & enti,in quantum ens, accidit diuidi in decem Prædicamenta, sicut cuilibet superiori accidit determinari ad aliquam speciem,vel quasi speciē, v.g.animali accidit,quod determinetur per rationale ad esse hominē.Ergò &c.

Dices. Ex hoc loco Philosophi sequitur, primam sententiam esse veram, quæ ens abstractissimè sumptū assignabat pro obiecto Metaphysicæ: Quia etiam Ens abstrahens à Deo, & Creaturis, est pars, vt sic dicam, abscissa ab ente, vt sic.

Respondetur negando, hoc sequi ex mente Philosophi,quia etsi ex aliquibus verbis hoc inferri possit, tamèn quādo Philosophus dixit de hoc ente tractare Metaphysicam,cui per se passiones insunt, manifeste tàm entia rationis, quàm entia per accidens ab obiecto Metaphysicæ excludit,vt suprà probatum est.

Probatur nostra sententia rationibus.

PRima Ratio.Metaphysica dicitur prima Philosophia secūdū S. Thomā 1.Metaphysicæ. Ergò obiectum eius erit ens abstrahens à Deo,& Creaturis. Probatur Consequentia. Si obiectum Metaphysicæ non esset ens abstrahens à Deo, & Creaturis,Metaphysica non esset prima Philosophia. Ergò si est, vt ex Diuo Thoma diximus,eius obiectū erit ens abstrahens à Deo, & Creaturis. Probatur Maior huius Argumenti. Si Metaphysicæ obiectum non esset ens abstrahens à Deo, & Creaturis, daretur alia scientia,cuius tale ens obiectum esset: Cùm enim tale ens sit scibile,vtpotè habens passiones, quæ de illo demonstrentur,habebit scientiam, per quam sit scibile: quia

scibile, & scientia, cùm sint relatiua, necessè est, posito vno, poni aliud; relatiua enim sunt simul natura, & intellectu, vt docet Philosophus Capite de Relatione. Sed talis scientia esset superior Metaphysica, quia haberet superius, & vniuersalius obiectum, quam illa: Metaphysica enim haberet v. g. pro obiecto ens diuisum in decem Prædicamenta, hæc autem sciẽtia haberet ens cõmune creato, & increato. Ergò haberet prius, & vniuersalius obiectum, quàm Metaphysica. Ergò & ipsa esset prior, & vniuersalior, Ergò de primo ad vltimum, Metaphysica non esset prima Philosophia, si nõ haberet pro obiecto ens abstrahens à Deo, & Creaturis.

Dices. Ex hac ratione sequi obiectum Metaphysicæ non esse ens abstrahẽs à Deo, & Creaturis, sed ens abstrahens à reali, & rationis, per se, & per accidens: quia cùm hoc ens sit vniuersalius illo, debet potiùs quàm illud assignari pro obiecto primæ, & vniuersalissimæ scientiæ, qualis est Metaphysica.

Resp. negando sequelã, & ad probationem respõdetur cùm distinctione. Ens abstrahens à reali, & rationis, per se, & per accidẽs, est vniuersalius ente abstrahente à Deo, & Creaturis, in ordine rerum. Conc: In ordine scibilium. Nego. Quia, cùm scibilitatem non habeat, vtpotè carens passionibus, quæ de illo demonstrentur, vt supra dictũ est in ponderatione Auctoritatis Aristotelis pro nostra sententia adductæ, non poterit esse vniuersalius in genere scibilium, ente abstrahente à Deo, & Creaturis, quod, sicut est primum scibile, primumque demonstrabile, ità est vniuersalissimum in genere scibilium.

Secũda Ratio. Illud est obiectũ adæquatum alicuius scientiæ, cui primò, & per se competunt passiones, quæ considerantur in tali scientia. Sed vnum, verum, bonum, & alia huiusmodi, de quibus tractatur in Metaphysica, per se, & primò competunt enti abstrahenti à Deo, & Creaturis. Ergò erit obiectum Metaphysicæ. Maior est Aristotel. primo Posteriorum text. 25. Et probatur Minor Nàm enti abstractissimè sumpto, quale ponebat prima sententia pro obiecto Metaphysicæ, non competunt passiones entis per se, vt supra ostensum est, enti verò diuiso in decem Prædicamenta non competunt primò, cùm vnũ, verum, & bonum, priùs competant enti, prout est cõmune Deo, & Creaturis, quàm enti diuiso in decem Prædicamenta. Tùm quia ens commune Deo, & Creaturis, est superius, & vniuersalius ente diuiso in decẽ Prædicamẽta, quãdo autem prædicatũ aliquod cõpetit superiori, & inferiori, ità vt de vtroque per se, & directè prædicetur, priùs conuenit superiori quam inferiori, vt patet in sensibili, quod competit animali, & homini, priùs tamèn Animali, quã homini, non enim ideò est animal sẽsibile, quia homo sẽsibilis,

sed

sed è contrà. Similiter visibile cõpetit Petro, & homini, priùs tamen homini, quam Petro, propter rationem dictam. Tum etiam si per potiùs bonitas, veritas, vnitas, competerent enti creato diuiso in decem Prædicamenta, quàm enti abstrahenti à Creato, & Increato, sequeretur per priùs creaturas esse bonas, & veras, quàm Deum, quod tamen falsum esse constat, cùm Deus sit prima veritas. Ergò &c.

Tertia Ratio fundata supra author. D. Th. quæ habetur 4. Metaphys. lectione 5. vbi S.Th. dicit. *Nullus intendens primò tradere scientiam alicuius particularis entis, conatus est aliquid dicere de primis principijs.* Sed in hac sciẽtia disputatur de primis principijs, vt docet Aristot. & D. Thom. 4. Metaph. Lect. 2. Ergò hæc scientia non est scientia alicuius particularis entis. Sed si haberet pro obiecto ens diuisum in 10. Prædicamenta, vel solum Deum, vel solam substantiam, esset scientia particularis entis. Ergò hæc non possunt esse eius obiectum. Et cùm alia ex parte, ens commune reali, & rationis, per se, & per accidens eius obiectum esse non possit, cùm scibile non sit, restat, obiectum Metaphysicæ esse ens commune Deo, & Creaturis.

Quarta Ratio. Illud est obiectum adæquatum alicuius scientiæ, quod ità commensuratur cũ illa, vt nec excedat illam, nec excedatur ab ipsa. Sed respectu Metaphysicæ nil potest esse, cui hoc competat, præter ens commune Deo, & Creaturis. Ergò illud erit obiectum Metaphysicæ. Maior ex ipsis terminis patet; sic enim à Logicis explicatur obiectum adæquatum, vt videri potest apud Nostros Complutenses in Logica Disp. 1. Proemiali Quæst. 2. n. 11. Et probatur Minor discurrendo per singula, de quibus potest esse difficultas. Nam inprimis ens communissimè sumptum, abstrahens à Reali, & Rationis, per se, & per accidens, excedit Metaphysicam, plura enim continet sub se, de quibus Metaphysica non agit, nisi fortè per accidens, in quantùm ad eius obiecti notitiam spectant, qualia sunt entia rationis, & entia per accidẽs. Deindè ens diuisum in decem Prædicamenta non continet omnia, de quibus tractat Metaphysica, Metaphysica enim tractat de Deo, qui non clauditur in Prædicamentis. Deniquè aliqua particularia entia, quæ aliqui Philosophi statuunt pro obiecto Metaphysicæ, vt Deus, substantia, &c. multò minùs possunt adæquare amplitudinem huius scientiæ. Ergò &c.

Respondebis, Ens diuisum in decem Prædicamenta commensurari Metaphysicæ, quia illa etsi agat de Deo, non tamen vt de obiecto, sed vt de principio obiecti. Sed hæc solutio iam explosa est per impugnationem secundæ sententiæ. Iterumque contra illã sic arguitur.

Primò. Deus enim est cognoscibilis naturali lumine, non tantùm vt principium, sed etiàm vt obiectum, quia non tantùm de Deo scire viribus naturę possum, quòd sit causa Creaturarum: sed etiàm quòd sit bonus, quòd sit vnus, & plura alia, quæ de illo tractat Philosophus in 12. Metaphysicæ. Ergò, cùm non detur aliqua scientia prior ista, per quam hæc de Deo cognoscã, sequitur ad obiectum illius Deum pertinere.

Secundò. Quia Philosophus 4. Metaph. Text. 7. indè probat, Metaphysicam distingui à Philosophia Naturali, quia Metaphysica de substantia prima, non verò naturalis Philosophia tractat. Quæro enim ex aduersarijs, quomodo intelligũt Philosophũ, Metaphysicam nõ verò Philosophiam Naturalem esse de substantia prima, vel tanquàm de obiecto, vel tanquàm de principio obiecti? Si de obiecto, habeo intentum, Deum ad obiectum Metaphysicæ pertinere. Si de principio, falsum erit, quod dixit Philosophus, Philosophiam non agere de prima substantia, agit enim de illa tanquàm de principio, vt patet ex 8. Physic. Explicatur magis hæc instantia. Eodem sensu debuit negare Philosophus, Philosophiam Naturalem tractare de Deo, quo affirmauit de Metaphysica. Ergò cùm non negarit Phylosophiã tractare de Deo, vt de principio obiecti, verè enim de illo tractatur taliter 8. Metaphys. sed tantùm negauit, eã tractare de Deo, vt de obiecto, sequitur eodem sẽsu de Metaphysica affirmasse, proindeque iuxtà Philosophi mentẽ Deus ad obiectum Metaphysicæ spectabit.

Tertiò. Quia S. Thomas in Proœm. Metaphys. dixit, istam sciẽtiam vocari Theologiam, quia substantias separatas, nempè Deũ, & Angelos (de vtroque enim ibi loquitur, vt ex contextu patet) considerat. Ergò ex mente S. Doct. Deus ad obiectum Metaphysicæ pertinet, alias si ideò tantùm vocaretur Theologia, quia tantùm tractat de Deo, tanquàm de principio obiecti, etiam Philosophiæ consideranti Deum, vt sui obiecti principium, nomen Theologię cum Metaphysica deberet esse commune. Tenẽdum ergò est, ens, vt ens, seù ens commune Deo, & Creaturis esse obiectum Metaphysicæ.

§. III. *Proponuntur, & soluuntur Obiectiones.*

OBijcies primò contra nostrã assertionem. Obiectum cuiuslibet scientiæ, debet habere principia, & causas, per quas de illo concludantur passiones, sed ens, vt sic nullas potest habere causas, vel principia; Si enim entis abstrahentis à Creato, & Increato aliquæ causæ, vel principia assignari possent, etiam entis primi causa assignari deberet: Quod enim competit alicui rationi vniuersali, & communi in quantùm

Digitized by Google

talis est, competit omni participanti ipsam. Ergò cùm Deus participet rationem entis, vt sic, si illius possit assignari causa, vel principium, etiam Deus haberet causam, vel principium sui, quod blasphemium est.

Respondeo primò concessa Maiori negando Minorem, intellectam de causis, tàm formalibus, quàm virtualibus, secundùm distributionem accommodam, enti Creato, & Increato conuenientibus, ità vt enti Creato conueniãt formales, Increato verò virtuales, ipse verò conceptus entis, sicut ab vtroque ente, ita & à modo habendi tales, vel tales causas abstrahit.

Ad probationem dicimus cõcedendo, quòd & ipsi enti Increato aliquæ causæ, siuè rationes à priori assignari debent, non quidem formales causæ, sed virtuales, quæ adhùc non competunt illi secundùm primam, & fontalem omnis entitatis radicem, scilicèt secundùm essentiam, sed secundùm Attributa, ab ipsius natura nullo modo realitèr, sed tantummodò virtualitèr distincta, benè enim potest esse essentia attributorum, vel vnum attributum alterius (sicut v. g. immutabilitas æternitatis) causa virtualis, seù ratio à priori. Sufficit autèm ad rationem obiecti sciẽtiæ, quòd habeat causas virtuales, quia ad demonstrationes non semper sũt necessariæ causæ formales, sed sufficiunt virtuales, aliàs de Deo nihil posset demonstrari, quia nullas habet causas formales. Quod tamen falsum esse cõuincunt plurimæ demonstrationes Theologicæ de Deo factæ.

Respondeo secundò cum Soncinnate 4. Metaph. Quæst. 10. negando Maiorem, intellectam de causis, & Principiis productiuis, de quibus videtur procedere argumentum, vt consideranti patebit: Falsum est enim, obiectum cuiuslibet scientiæ, debere habere Principia, & Causas productiuas sui; aliàs, si hoc ad omne obiectũ desideraretur, etiã Deitas, quæ est obiectũ Theologiæ Sacræ, ipseq; Deus, deberet habere Causas productiuas sui, quod est falso falsius.

Respondeo tertiò cum eodem Soncinnate ibidem. Duplicia sũt Principia, alia Complexa, alia incomplexa, & vtraque in scientiis quæruntur. Principia Complexa sunt propositiones, quibus demõstrantur de subiecto passiones. Principia verò Incomplexa possunt dici ipsi conceptus simplices formati de subiectis, quibus vtimur pro medio ad concludendas à priori passiones de dictis subiectis, & vtraque Principia habet obiectum Metaphysicæ; Cõplexa, nempè Propositiones quasdam vniuersales, quales sũt illæ; Quodlibet est, vel non est; Omne totum est maius sua parte. Et Incõplexa, nempè ipsum conceptum Analogum entis, quod est medium ad concludendas de ente passiones.

Obijcies secundò. Obiectum scientiæ debet abstrahere à Ma-

ge:

teria abstractione formali. Sed ens reale, vt sic non potest abstrahere à materia abstractione formali. Ergò non potest esse obiectum alicuius scientiæ. Maior patet. Nàm cùm obiectum scientiæ debeat esse necessariũ, quia sciẽtiæ sunt de necessariis, vt dicitur secũdò Posteriorũ necessariò debet esse separatum à Materia, quæ est prima radix contingentiæ, & mutabilitatis. Minor verò probatur. Abstractio formalis tunc est, quando forma separatur à Materia, vt docet S.Thomas 1.p. q.3. art.3. v.g. quando in circulo æreo forma circuli abstrahitur ab ære. Sed non potest sic ratio entis abstrahere à Materia: cùm enim etiã ipsa Materia secũdũ vltimam sui rationẽ sit ens, nõ poterit ab illa ens separari, aliàs enim separaretur, & abstraheretur ens à seipso, quod est impossibile.

Respondeo negando Minorem primi Argumenti; ad cuius probationem dicimus, eam implicare in adiecto, cùm arguit ex eo, Ens non posse abstrahere à Materia abstractione formali, quia Materia est ens secundùm vltimam differentiam sui. Hic enim processus, & arguit non intelligentiam terminorum, & repugnantiã dicit. Quia quãdo concipio Materiam vt ens, concipio illam, vt inferius entis participans rationem ipsius; per consequens ens abstrahit ab illa, non sicut forma à Materia, sed sicùt superius ab inferiori, adeoque abstractione, non formali, sed totali: Quia illa est abstractio totalis, quæ abstrahit superius à suis inferioribus participantibus naturam ipsius, v.g. Animal ab Homine, Equo, Leone, &c: poterit enim ens abstrahere à Materia abstractione formali, ex eo quia Materia non includitur in cõceptu entis: aliàs enim vel Deus non esset ens, vel in eius conceptum intraret Materia.

Instabis. Etiàm abstractio totalis est de ratione obiecti scientiæ, quia scientiæ non sunt de singularibus, sed de vniuersalibus. Ergò si ens non poterit abstrahere à suis inferioribus abstractione totali ex eo, quod est de essentia ipsorum, non poterit esse obiectum scientiæ.

Respondeo, admisso Antecedenti distinguo cõsequens. Si non poterit abstrahere à suis inferioribus abstractione, siuè perfecta, siuè imperfecta, non poterit esse obiectum scientiæ. Conc. Abstractione perfecta tantùm, Nego. Pro cuius solutionis intelligentia. Sciendum est, vtramq; abstractionem, nempè formalem, & totalem esse de ratione obiecti scibilis, alitèr tamẽ & alitèr, nàm abstractio totalis est de eius ratione, in quantùm illud separat à conditionibus indiuidualibus, ita tamen, vt relinquat illud confusum, & potentiale; separatis enim per hanc abstractionem principiis distinguẽtibus, remanet in obiecto potentialitas & confusio, minorq; intelligibilitas, vt loquitur Caietanus de ente, & essentia Cap.1.q.1. Cæterùm abstractio formalis, quia

se-

separat formam à Materia, quæ est prima radix potentialitatis, & confusionis, relinquit obiectum actuale distinctum, magisq; intelligibile, vt loquitur Caietanus ibidem. Ex quo sequitur, quod etsi obiectum alicuius scientiæ quò erit abstractius abstractione formali, eò erit magis scibile, quia etiam erit magis actuale, actualitatem enim scibilitas sequitur, nõ tamẽ obiectum, ad hoc vt sit magis scibile, debet esse abstractius abstractione totali, quia cùm hæc non inducat in obiectum actualitatem, non tribuit illi scibilitatẽ: Vnde abstractio totalis, non requiritur ad obiectum sciẽtiæ formaliter, quasi constituat illud in esse scibilis, sed tantùm præsuppositiuè per modum conditionis necessariò præsuppositæ, remouẽtisque prohibens, in quantùm singularitatem remouet, quæ impediebat obiecti scibilitatem. Hinc sequitur vlteriùs, posse ens, esse perfectè, & simpliciter scibile, etsi tantùm secundùm quid, & imperfectè abstrahat abstractione totali, quia, vt iam dixi, ad scibilitatem absolutè requiritur abstractio totalis absolutè per modum remouentis prohibens, non tamen ad maiorem scibilitatem requiritur maior abstractio totalis, sed maior tantùm abstractio formalis, quam ens perfectè habet, ex eo quòd in suo conceptu nihil materialitatis includit, quia aliàs conceptus entis Deo, qui est summè immaterialis, competere non posset. Videnda sunt omninò ea pro meliori huius solutionis intelligẽtia, quæ de hac vtraq; abstractione Nostri Complutenses in Logica docent Disp. 19. Quæst. 4. num. 49. Nobis enim his occupari, ab illisque dicta repetere non vacat.

Obijcies Tertiò. Obiectum Metaphysicæ debet esse eiusdem abstractionis cum illa. Sed Deus non est eiusdem abstractionis cũ Metaphysica. Ergò non poterit ad eius obiectum pertinere. Maior ex dictis contra primam sententiam patet. Et probatur Minor, Ideò, vt diximus ibidem, Ens Rationis non est eiusdẽ abstractionis cum Metaphysica, quia tãtùm abstrahit à Materia negatiuè, Metaphysica autẽ positiuè. Sed etiã Deus nõ abstrahit positiuè à materia, quia positiuè non separatur ab illa, vt patet, sed tãtũ negatiuè abstrahit, in quantùm ex se neque habet principium, per quod contrahatur ad Materiam, neque habere potest; Ergò, &c.

Respondeo negando Minorẽ primi argumenti, ad cuius probationem dico, Deum positiuè abstrahere à materia, quia Deus positiuè est ens, & non est in materia. Ergò positiuè abstrahet, seù separabitur, vt sic dicam, à materia.

Dices. Si ad hoc, vt Deus positiuè abstraheret, sufficeret, quòd esset positiuè, & non in materia, sequeretur, quòd etiam materia esset positiuè vna secundùm se, quia est ens positiuè secundùm se, & est vna.

Resp.

Resp. neg. sequelam, & ratio disparitatis est, cùr hoc Argumentum currat in Deo circà abstractionem, non autem in materia circà vnitatem. Quia abstractio à materia est per separationem ab illa, & ideò quod est positiuè, & non est in materia, est positiuè separatum ab illa, non enim videtur aliud requiri ad istam positiuam separationem, nisi quòd sit ens positiuum extrà materiam, immò nō est intelligibile, quid aliud desideretur. Cæterùm vnitas positiua est per receptionem alicuius formalitatis, (de qua infrà) vndè sine tali additione, vnitas intelligi non potest, etiam si illud, cui debetur, positiuè existat, & tantò minùs debebitur materiæ, quæ secundùm se omni eo, quod actualitatem sapit, est spoliata.

Obijcies quartò. Obiectum cuiuslibet scientiæ debet esse definibile, sed ens non est definibile. Ergò &c. Maior patet. Quia definitio subiecti est medium ad demonstrandā passionem de subiecto secundùm S. Thomam, 1. Poster. lect. 10. Minor verò probatur. Tùm quia nō habet aliquid prius se; omnis autem definitio datur per priora, vt docet S. Thom. 2. Poster. lect. 15. Tùm etiàm; quod definitur debet esse vnum: Ens autem non est vnum, cùm non sit vniuocum, vt dictum est in Logica. Ergò.

Resp. negando Minorem. Ad cuius probationem respondetur, quod definitio rigorosa, quæ datur per verum genus, & differentiam, datur per causas intrinsecas definito, ac per consequens per priora illo, & tali definitione non potest definiri ens, quia, vtpotè conceptus simplex, caret genere, & differentia; Cæterùm definitio, quæ datur per modos intrinsecos definito, qui non sunt causæ eius, non datur per priora; & talem definitionem potest habere ens, vt si dicas. Cuius actus est esse. Ad secundam verò probationem dicimus, Ens esse vnum non quidèm vniuocè, sed analogicè, quæ vnitas sufficit ad hoc, vt possit aliquo modo definiri. Sed de his sermo inferiùs redibit, & ideò hic eam sufficiat innuisse.

Obijcies quintò. Ens in quantū ens, non potest vllo modo abstrahere à materia. Ergò cùm obiectum Metaphysicæ debeat abstrahere à materia, ens in quantùm ens, non poterit esse obiectum Metaphysicæ. Consequentia patet, & probatur antecedens. Si ens in quantùm ens esset abstractum, seù separatum à materia, sequeretur, omne ens esse ab eadem separatum, quòd enim alicui competit, vt tali, competit omni tali. Ergò cùm multa sint entia concreta materiæ, sequitur ens in quantùm tale, non abstrahere à materia.

Resp. negando antecedens, ad probationem eius negamus sequelam; & ad probationem respondetur, distinguendo illam propositionem: quod competit alicui vt tali, competit omni tali, si illi vt tale est, reduplicatiuè cō-

petat, conceditur: si specificatiuè tantùm, negatur, quia ens quando dicitur ens in quantū ens abstractum à materia, Ly in quantum, nō sumitur reduplicatiuè, sed specificatiuè, ideo nō est necesse, quòd abstrahere à materia conueniat omni enti.

Pro cuius vberiori intelligentia. Notandum est ex nostris Complutensibus Lib. 2. Summul. cap. vlt: illas particulas, in quantū, quatenus, &c: dupliciter posse sumi, reduplicatiuè, & specificatiuè. Tunc sumuntur reduplicatiuè, quando reduplicant causam, cur prædicatum conueniat subiecto. v.g. Petrus, in quantùm albus, est disgregatiuus visus: tunc verò sumuntur specificatiuè, quando reduplicant rationem formalem, cui adæquatè cōuenit prædicatū, v.g. ens, in quantū ens, est obiectū Metaphysicæ, quia enim posita causa sequitur effectus, inde est, quòd cùm reduplicatio adducat causā, quod competit alicui vt tale est, reduplicatiuè competit omni tali: Quia ōnis specificatiua propositio non assignat causam, propter quam conueniat prædicatum subiecto, sed tantùm determinat rationem formalem, cui conuenit, inde est, quòd non est necesse conuenire omni tali, quod conuenit alicui vt tali, & specificatiuè: Sicut enim illa ratio formalis, quæ secundùm suam abstractam rationē specificabatur, & determinabatur ad participandum hoc prædicatum, quando contrahitur ad aliquam speciem, mutatur de communi ad non commune, de abstracto ad non abstractum, ita non competet illi sic contractè prædicatum illud, quod specificatiuè, & determinatiuè, vt abstractè erat natum aptum competere. v.g. in exemplo adducto, Ens in quantū ens est obiectum Metaphysicæ, quia hic sumitur Ly in quantùm specificatiuè, ideò nō poterit omni enti competere esse obiectum Metaphysicæ. Quis enim non videat vitiosum esse hunc processū, si quis arguat. Ens, in quantùm ens, est obiectum Metaphysicæ, Lapis est ens. Ergo lapis est obiectum adæquatum Metaphysicæ. Similitèr in præsenti philosophādum est, quòd cùm ista propositio, ens in quantum ens est separatum à Materia, sumatur specificatiuè, vt ex ipsis terminis patet, non sequitur, omne Ens esse separatum à materia.

QVAESTIO II.

An Metaphysica sit perfectissima inter Scientias Speculatiuas, verèque Sapientia?

IN titulo aliquid, vt certum supponimus, & aliquid in dubium vocamus: Suppono enim Metaphysicam esse Scientiam speculatiuā. Tùm, quia id expressè docuit Aristoteles 1. Metaph: Cap. 12. & 2. Metaph: Cap. 1. Tùm etiam, quia id ratio conuincit. Nam in primis Metaphysica

est habitus præbens certã,ac euidentem rerum necessariarum cognitionem per propria earum principia,& causas. Ergò est sciẽtia: Per illa enim, quæ in Antecedenti retulimus, definiuit Philosophus scientiam 6. Ethic. cap.3. Sicq;est argumentum à definitione ad definitum. Deinde per Metaphysicã scimus,vt sciamus, non autem,vt operemur, quia obiectũ Metaphysicæ non est operabile, vt patet. Ergò erit scientia speculatiua, quia vt dicit Commentator Commento 8. per speculatiuam scimus,vt sciamus, per practicam verò sumus scientes, vt operemur.

Immò,& hoc certum est, Metaphysicam esse perfectissimam inter scientias speculatiuas ordinis naturalis; Tum, quia habet vniuersalius,simplicius,& abstractius obiectum,quàm omnes aliæ. Tum etiam,quia per altiores,sublimiores, certioresq; causas demonstrat: Quod autem in dubium vocamus, est, An Metaphysica eam perfectionem inter scientias speculatiuas obtineat, vt sapientia esse, & dici mereatur: Quia verò circa hoc nulla est lis inter Doctores, ideò communem secutus Metaphysicorum Sententiam.

Dico, Metaphysicam esse sapientiam ordinis naturalis. Ita S. Thomas, & Aristoteles pluribus locis, quos sequuntur communiter Metaphysici,ideòq;ab illis recensendis abstinemus. Antequàm tamen hæc Conclusio probetur, aliquæ notationes pro eius intelligentia sunt præmittendæ, scilicet.

Notandũ est primò, sapientiam dupliciter accipi posse. Primò lato vocabulo, pro aggregatione multorum habituum, quibus multa perfectè in diuersis materijs scimus,& in hac acceptione definita est sapientia à Cicerone in Officijs, quòd nimirum sit rerum diuinarum, humanarumque, & causarum,in quibus hæ res continentur,scientia. Secundò modo sumitur sapiẽtia pro singulari habitu,seù virtute intellectuali. Quod vt intelligas.

Notandum est secundò,ex Aristotele 6. Ethycorum quòd virtus in suo conceptu essentiali dicit bonum,& ex se facit opus bonum: Vnde virtus intellectualis debet facere bonum opus intellectuale; Opus autem bonũ intellectuale est verũ assequi, quot ergò erunt vera, tot erunt virtutes intellectuales; Et quia quinque tantùm modis dicitur verum,ideò quinque tantùm erunt virtutes intellectuales; videlicèt *Sapientia*, quæ assequitur verum per altissimas causas, *Scientia*, quæ attingit verum per causas inferiores, *Intellectus*, qui est de vero in primis principijs indemõstrabilibus clauso, *Prudentia*, quæ est de vero agibili, Et *Ars*, quæ est de vero factibili. Ex qua diuisione virtutis intellectualis,habes,sapientiam illã esse,quæ versatur circa altissimas causas: Quod etiã 1. Metaphysicorum clarè docuit Philosophus, cùm dixit, sapientiam circa pri-

Digitized by Google

mas causas, omnes arbitramur, versari: Adhuc tamèn.

Notãdum est tertiò, Sapientiã hoc modo acceptam duplicitèr accipi posse, vel absolutè, vel in aliquo genere tantùm, de quo D. Thomæ accipe doctrinam, quam habet 1.p.q.1. a. 6. in C. *Ille Sapiens dicitur in vnoquoque genere, qui cõsiderat causam altissimã illius generis, vt in genere ædificij, artifex, qui disponit formam domus, dicitur Sapiens, & Architecton respectu aliorum artificum, qui dolant ligna, vel lapides, vel qui parãt cæmentũ: Vnde dicitur* 1. Corinth. 3. *Sapiẽs Architectus ego fundamentũ posui. Et rursùs in genere totius humanæ vitæ, Prudens Sapiens dicitur, in quantùm ordinat humanos actus ad debitum finem, Vnde dicitur.* Prouerbiorum 10. *sapientia est viro Prudentia; iste igitur, qui simpliciter considerat altissimam causam totius Vniuersi, quæ est Deus, Sapiens dicitur, vnde, & sapientia dicitur esse diuinorum cognitio.* Hucusque S. Thomas. Quando ergò dixi in conclusione, Metaphysicam esse sapientiam, intellexi de sapientia simplicitèr, non verò in aliquo genere tãtùm. His ergo suppositis.

Probatur Cõclusio primò. Sciẽtia, quæ versatur circà altissimas causas, est sapiẽtia. Sed Metaphysica versatur circà altissimas causas, ergò est sapientia. Maior patet ex notationibus. Et probatur Minor. Metaphysica considerat ens, verum, bonum, & alia transcendentia; Similitèr considerat substãtias separatas, nempè Deũ, & Angelos, sed istæ sunt vniuersalissimæ causæ rerum in essendo, & cognoscendo. Ergò &c.

Probatur secundò. Scientia certissima est sapientia. Sed Metaphysica est scientia certissima. Ergò est sapientia. Maior est Aristotelis 6. Ethyc; vbi dicit Lect. 5. *Manifestum est, quoniam certissima vtique scientiarum erit sapientia.* Et probatur Minor. Scientia, quæ est de maximè vniuersalibus, est certissima. Sed Metaphysica est de vniuersalissimis, vt ex eius obiecto constat. Ergò est certissima. Minor, & consequentia patet. Maior verò probatur: Scientiæ, quò sunt de vniuersalioribus, eò sunt certiores, quia eo ipso, quòd erunt de vniuersalioribus, erunt de simplicioribus; simplicia autèm sunt certiora cõpositis, quia composita multa inuoluunt, vndè circa illa est facilis deceptio. Ergò scientia illa erit certissima, quæ erit de vniuersalissimis.

Probatur Tertiò. Metaphysicæ cõpetunt omnes conditiones sex Sapientiæ ab Aristot. 7. Metaph. lect. 2. apud D. Thomam enumeratæ. Metaphysica enim est inprimis circa omnia, quia cũ sit circa vniuersalissima principia, erit circa omnia, sub vniuersalibus enim particularia continentur. Secundò est circa difficilia, quia est circa abstractissima à materia, quæ etsi sint notiora quò ad se, tamèn quò ad nos difficiliora sunt. Tertiò, quia de scitis est certissima, vt ex secũda ratione patet. Quartò docet perfectè: Docere enim est, sciẽ-

tiam in alio causare, quæ per causam acquiritur, vt dicitur 1. Posteriorum. Sed hæc scientia considerat altissimas causas, atque perfectissimas. Ergò erit maximè Doctrix. Quintò quęritur propter se, seù (vt alia versio legit) sui gratia, nam illæ scientiæ sui gratia desiderantur, quæ sunt de maximè scibilibus: Cùm enim omnis homo scire desideret, vt infra dicetur, magis desiderabit magis scire, & maximè desiderabit maximè scire, iuxtà illud, sicùt se habet simplicitèr ad simplicitèr, ità magis ad magis, & maximè ad maximè. Sed Metaphysica est de maximè scibilibus, quia est de vniuersalissimis, & abstractissimis. Ergò maximè desiderabitur; Sed quod desideratur maximè, desideratur propter se, quia maximè desideratum, non est desideratum propter aliud, vt dicitur 1. Ethyc. lect. 9. Ergo &c.

Sextò tandem. Metaphysica est Princeps, Domina, & Rectrix aliarum scientiarum, non autem famula, & ancilla: Nàm, vt dicit Angel. Doctor in Proœmio Metaphysicæ, sicut homines intellectu vigentes, naturalitèr aliorum Rectores, & Domini sunt, homines verò, qui sunt robusti corpore, intellectu verò deficientes, sunt naturalitèr serui; ità sciētia debet esse naturalitèr aliorum Regulatrix, quæ maximè intellectualis est: Sed Metaphysica est scientia maximè intellectualis, vt probat Doctor Angelicus ibidē; ergò &c. Fusè hāc rationem prosequuntur Authores, pluresque alias ad probandam hanc Conclusionem adducūt rationes. Hæc tamèn breuiter dixisse sufficiat; pudet enim, pigetq; ea hìc adducere, quæ Authores, vnus ex alio transcribendo, totiès repetunt.

Obijcies cōtra dicta primò. Sapientia debet esse perfectior alijs scientijs. Sed Metaphysica non est perfectior reliquis sciētijs. Ergò Metaphysica non est sapientia. Maior est expressa Aristotelis 2. Metaphys. Cap. 1. & S. Thomæ 1. 2. q. 57. art. 2. ad 2. communiterque admittitur ab omnibus, immò plures Doctores tenent, eā esse perfectiorem ipso habitu primorum principiorum, de quo statìm. *Minor* verò probatur. Obiectum Metaphysicæ est imperfectius obiectis aliarum scientiarū, ergò, & ipsa est imperfectior. Cōsequētia patet, quia perfectio sciētiæ, sicut & eius species, desumitur ab obiecto, vt expressè docet S. Thomas 1. p. q. 1. a. 5. & 1. de Anima Lect. 1. & q. 66. a. 5. ad 3. Et probatur antecedens. Obiectū Metaphysicæ est ens vt sic, obiectum verò aliarum scientiarum sunt talia entia. Sed ens, vt sic, est imperfectius ente tali, quia illud est potentiale, & confusum, hoc verò actuale, & distinctum ratione differentiæ contrahentis ens, vt sic ad talem gradum entis. Ergò &c.

Resp. negādo *M*inorē. Ad cuius probationem, Negatur antecedens, & ad probationem dico, Ens vt sic, esse perfectius entibus

par-

Digitized by Google

particularibus; Quod ex eo patet, quia ratio entis, vt sic, eiusque proprietatum, de quibus tractat Metaphysica, est perfectio simpliciter simplex, nihil imperfectionis habens admixtum, vnde etiā formaliter in Deo reperitur, Deus enim est formalitèr ens, verus, bonus, vnus, entia autèm talia sunt perfectiones inuolutæ imperfectionibus, vnde formaliter in Deo reperiri nequeunt: Quis enim dicet, Deum formalitèr ens esse mobile, quod cōsiderat Philosophus naturalis, vel ens quantum, quod considerat Mathematicus; Ac proinde ens vt sic, quod est obiectum Metaphysicæ, est perfectius entibus particularibus, quæ sunt obiecta aliarum scientiarum. Neque illud conuincit, quod in vltima probatione hæc obiectio innuit, esse scilicèt ens vt sic ex eo imperfectius, quia est confusum, & potentiale. Nam confusio, & potentialitas competit quidem enti, secundum quòd est abstractū abstractione totali, non verò secūdùm quòd est abstractū abstractione formali, quia indè potiùs oritur ab illo distinctio, & actualitas, vt quæstione præcedenti diximus. Hinc collige cum Gonzalez. 1. p. disp. 6. n. 95. quantùm à veritate aberrauerit Franciscus Suarez, cum in sua Metaphysica Disp. 1. Sect. 4. dixit, ens in quantum ens, etsi entibus particularibus sit perfectius in esse scibilis, non tamen in esse rei; Falsū enim hoc est: quia ens, vt ens pertinens ad ordinem rerum, vt distinctum ab ordine scibilium, reperitur formaliter in Deo. Ergò sic sumptum debet esse liberum ab omni imperfectione, cum aliqua imperfectio in Deū vt cadere possit, hoc dicere sit impium. Ergò cùm alia entia particularia, secundùm quòd talia, habeāt sēper admixtum aliquid imperfectionis, à qua nisi depurentur, in Deo splēdere non possunt, ens, vt ens non tantùm in esse scibilis, sed etiam in esse rei, erit perfectius quocūque particulari ente.

Obijcies 2. Sapientia est perfectior intellectu, seù habitu primorum principiorum, sed Metaphysica non est perfectior habitu primorum principiorum. Ergò Metaphysica nō est sapientia. Maior est S. Thomæ 1. 2. q. 57. a. 1. ad 2. vbi dicit: *Scientia pendet ab intellectu, sicut à principaliori, & vtrūque pendet à sapientia, sicut principalissima*. Minor verò probatur. Tùm quia Metaphysica est producta ab habitu primorum principiorum, cùm nō sit innata, aliàs omnes homines essent Metaphysici. Ergò est imperfectior habitu primorum principiorum: Impossibile enim est, quòd productū excedat perfectionem suæ causæ productiuæ, cùm quidquid habet, illud emendicet ab ista: Tùm etiam, quia habitus principiorum respicit obiectum suum sub abstractione magis illimitata, quā Metaphysica suum, cùm habitus primorum principiorum respiciat principia, quæ abstrahunt tantùm à Materia singulari, vt sunt prin-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

mili: Licèt Theologia explicet fidem, & ab impugnantibus defendat, vt docet Augustinus lib. 14. de Trinitate Cap. 1. Vbi de Theologia loquens dicit. *Hac scientia fides saluberrima gignitur, nutritur, roboratur, ac defenditur : qua quidē scientia non pollent fideles omnes, quamuis fide polleant, aliud est enim scire tantùmmodo, quid credere debeat homo, propter adipiscendam beatitudinem, & aliud est scire, quomodo hoc ipsum pijs opituletur, & contra impios defendatur.* Et tamē quis dicet, Theologiam esse simplicitèr perfectiorem fide?

Obijcies tertiò. Per Metaphysicam non possunt omnia sciri. Ergo non est sapientia. Patet Consequentia ex prima probatione sapientiæ à Philosopho assignata. Et probatur Antecedens. Si per Metaphysicam scirentur omnia, deberent per illam sciri singularia, sed hæc per illam non possunt sciri, quia sunt infinita, infinita autèm intellectu creato comprehendi non possunt. Ergò &c.

Resp. Per Metaphysicam quidem non sciri omnia in particulari, benè tamē in vniuersali: Quæ solutio non potest benè percipi, nisi sciatur, an Metaphysica descendat ad cognitionem omnium rerum in particulari; de quo infrà.

Obijcies quartò. Metaphys. est verè, & propriè scientia. Ergò non potest esse sapiētia. Probatur Cōsequētia; Quia sapientia, & sciētia condistinguuntur in ratione virtutum intellectualium, vt dictū est suprà, & docet Aristoteles 4. Ethycorum cap. 4, & 8. Ergo &c.

Vt huic obiectioni respondeamus, explicandum est, in quo ratio sapientiæ consistat, quod cùm vna solutione contineri nequeat, quia de hoc non mediocris est inter Doctores differentia, ideò huic difficultati sapiendæ sequētem quæstionem destinamus.

QVAESTIO III.

In quo consistat ratio formalis Sapientiæ, & quomodo hæc à Scientia distinguatur.

PRima sentētia asserit, sapientiam non esse vnum habitū, sed aggregatum quoddam ex habitu primorum principiorum, & scientia. Ità Molina in Proœmio Theologiæ super quæstionem primam summæ Theologiæ Angelici Doctoris. Nititur duabus auctoritatibus: Prima est Philosofophi libro 1. Moralium Magnorum; vbi docet, Sapientiam ex scientia, & intellectu constituī. Altera est S. Thomæ 1. 2. q. 2. art. 2. ad 2. vbi hæc habet. *Scientia pendet ab intellectu, sicut à principaliori, & vtrumque pendet à Sapientia, sicut à principalissima, quæ sub se continet intellectum, & scientiam.*

Secūda sententia tenet, Sapientiam esse habitum simplicissimū, & perfectissimum, quod sub vnica ratione formali eminentissimè

se excédat ad cognitionem principiorum, & conclusionum, ita tamèn, vt dictus habitus, nec sit intellectus, nec sapientia formalitèr, sed vtrumque formalitèr eminentèr. Ità Nazarius 1. p.q.1. ar. 8. citans pro hac sententia Conradum, & Medinam, atque Caietanum, quem etsi 1. Poster. cap. 10. in secunda solutione dubij contrarium docuisse dicat, tamen asserit 1.2. q.57. sententiam mutasse.

Fundamentum huius opinionis est. Sapientia non tantùm iudicat de Conclusionibus, sed etiam de principijs, vt expresse docet Aristot. 6. Ethyc. c. 7. cuius verba hæc sunt. *Sapientem ergò non solùm est scire, quæ ex principijs cognoscuntur, sed etiam circa principia dicere vera oportet*. Ergò Sapientia in se continet tàm habitum scientiæ, qui versatur circa conclusiones, quàm habitum primorum principiorum, qui versatur circa principia. Ergò cùm non contineat vtrumque formalitèr, vt patebit ex impugnatione primæ sentētię, cōtinebit eminentèr.

Vtraque tamen sententia non subsistit. Prima quidem. Tùm, quia est directè contra Aristotelem, qui, vt optimè notauit Gonzalez 1. p.q. 1. ar. 6. Disput. 6. n. 89. nullam aliam cognouit sapientiam præter Metaphysicam, quia hæc sola est sapientia naturalis; Aristot. autèm vtpotè lumine fidei destitutus, supernaturalia non cognouit: & tamèn de eadem Metaphysica 1. Metaph. Cap. 2. dicit, *eam esse simpliciter vnam scientiam, ab alijs omnibus distinctam*. Ergò sensit illam non esse aggregatum ex habitu principiorum, & scientia, aliàs non esset simplicitèr vna: Cùm ergo hæc, vt diximus, sola sit, secundùm Aristotelem, Sapientia, sequitur, quòd iuxta mentem Philosophi Sapientia non sit aggregatum ex scientia, & habitu principiorum.

Tùm etiàm, quia sapientia connumeratur alijs habitibus intellectualibus, sed alij omnes sunt qualitates simplices. Ergo & illa. Tùm denique, quia Sapientia est perfectior omnibus scientijs, vt docet S. Thomas: Ergò etiam est melior, seù magis bona. Ergò etiā magis vna, hæc enim conuertuntur, seque inuicem consequuntur, sed si Sapientia consisteret in illo aggregato, quælibet scientia magis esset vna, quam Sapientia, quia quælibet est qualitas simplex, vt communitèr docēt Thomistæ, & Nostri Complutenses eruditè demōstrant Lib. 1. de Generat. & Corrupt. Disp. 4. Quæst. 11. n. 153. Ergo &c.

Similitèr cōtra secundam sententiam arguitur primò. Dantur in intellectu habitus primorum principiorum, & scientiæ. Ergò Sapientia non poterit in se continere eminentèr formalitèr sciētiam, & habitum principiorum. Antecedēs communitèr admittitur à Theologis, & Philosophis. Consequentia verò probatur. Si sapientia in se contineret prædictos habitus eminentèr forma-

litèr, superfluerent in intellectu, neque in illo esse possent; Sicut, quià anima vegetatiua, & sensitiua, similitèr continentur in anima rationali, ideò in homine habente animam rationalem, non dantur aliæ animæ à rationali distinctæ.

Arguitur secūdò contra eandē sententiam. Quod continet aliquid eminentèr formalitèr, debet esse perfectius illo; vt optimè aduertunt Nostri Complutenses in lib. de Anima Disput: 4. Quæst. 3. n. 43. Sed sapientia est simpliciter imperfectior habitu primorum principiorum, vt Quæstione præcedenti dictum est. Ergò.

Dicendum est ergo, sapiētiā esse perfectissimam speciem scientiæ. Ita S. Thomas super Boetium de Trinitate Quæst. 2. vbi dicit: *Quòd sapientia non diuiditur à scientia, sicut oppositum, sed sicùt perfectissima species ab aliis.* Sequuntur S. Doctorem Gonzalez. 1. p. q. 1. d. 6. n. 90. Bannez. 1. p. q. 1. a. 6. d. 1. Flandria 1. Metaph. q. 1. a. 1. ad 1. Suarez. Disput: 1. Metaphys. Sect. 5. 5. vltimo, & plures alij.

Explicatur assertio, supponēdo Nomen sciētiæ prima sui impositione significare certitudinem iudicij; Ille enim propriè aliquid scire dicitur, qui de scito est certus; Cum ergo de effectibus certificemur per causas, inde est, quòd sciētia sit cognitio rei per causam: Causæ autem duplices sunt: Aliæ Superiores, aliæ Inferiores; Vnde per vtrasque, sicùt certitudo, sic, & scientia generatur. Cæterùm quia cognitio rei per altissimas causas nomen sapientiæ sortita est, scientiæ nomē, penes speciem imperfectiorem remansit; quæ scilicèt cognoscit res per causas inferiores. Hoc enim communis Philosophorum vsus tenet, vt speciei imperfectiori sæpiùs ab illis nomen generis donetur. Sic ergo dicimus in Conclusione, sapientiā esse scientiam contradistinctā ab illa alia specie scientiæ, quæ sibi nomē genericū sciētiæ, vt sic, vsurpauit. Sic ergo explicata Cōclusio.

Probatur primò. Cognitio rei per causam est scientia, vt patet ex eius definitione. Sed sapientia cognoscit res per causas, vti dictum est supra. Ergo sapientia est scentia.

Probatur secūdo. Sapientia est habitus intellectualis speculatiuus ab habitu primorum principiorū distinctus, non à natura inditus, sed acquisitus. Ergo est scientia. Antecedens, quantùm ad omnes partes, patet; Nàm in primis cōmunitèr sapientia inter habitus intellectuales speculatiuos à D. Thoma, Aristotele, & cæteris Philosophis numeratur. Et insupèr sapientia est habitus acquisitus, aliàs, si connaturalis esset; omnes homines essent sapientes, quod tamen vel ipse sensus falsum esse iudicat; Denique est sapientia distincta ab habitu primorum principiorum, cùm vtriq; oppositæ rationes competant: Nam habitus primorum principiorum versatur circa principia tantùm, sapientia verò non tantùm circa

principia,sed etiam circa Conclusiones : Habitus principiorum est nobis à natura inditus, vt docent Nostri Complut. in Log. Disput: vlt: Quæst.1. Sapientia autèm est acquisita, vt modo dixi. Conseq. verò probatur. Nàm loquẽdo de habitibus naturalibus, vt distinguuntur à supernaturalibus,habitus intellectus speculatiuus, & acquisitus, aùt est scientia, aùt Opinio: si enim acquiratur ex principijs certis,& necessarijs,erit scientia; si autem ex probabilibus, erit opinio. Sed sapientia non est opinio,vt patet. Ergò erit scientia, per modum speciei scientiæ,vt sic, sub illa contenta , tanquam sub proprio genere , distincta verò ab illa scientia , quæ per inferiores causas procedit.

Satisfit argumentis oppositarum sententiarum.

ET primò quidẽ ad vtrãq; authoritatẽ tã Philosophi,quã S.Thom:dico.Quòd cum asserũt, sapientiam continere, tàm scientiam,quàm intellectum , loquuntur non formalitèr,sed materialitèr , in quantùm sapientia attingit, tàm Conclusiones, de quibus est scientia, quàm principia, de quibus est intellectus.Quæ adhuc attingit , non formalitèr,vt obijciuntur scientiæ, vel habitui primorum principiorum , sed materialitèr:Nam Conclusiones,proùt formalitèr obijciuntur scientiæ, debent attingi per causas inferiores, principia verò,vt obijciuntur intellectui, seu habitui principiorum,tanquam cognoscenti sine discursu:Cæterùm hæc eadem sub alia ratione formali obiiciuntur sapientiæ,nam conclusiones obijciuntur illi,vt attingibiles per altissimas causas, principia verò,vt cognoscibilia cum discursu.

Et similiter resp. ad Argumentum factum in fauorem secundæ sententiæ , concedendo scilicèt, sapientiam considerare, non tantum conclusiones , de quibus est scientia, sed etiam principia,de quibus est intellectus , vtrumque materialiter sumptum ; negando verò ea considerare formalitèr, secundùm quòd attinguntur à scientia, & intellectu, vt iam explicatum est.

Ex quibus solutum manet vltimum argumentum ex Quæst: præcedẽti relictum,propter quod hæc omnia sunt adducta . Dico enim Metaphysicã esse verè scientiam , prout scientia est cognitio rei per causam,abstrahendo,an illa causa sit superior , an inferior. Ex quo tamèn non sequitur,illã non esse sapientiam, quia sapientia non contradistinguitur scientiæ vt sic,cùm sit eius species,sed scientiæ, quæ est cognitio rei per causas inferiores,vt iam dictũ est.



QVÆ-

QVAESTIO IV.

Vtrùm inter scientias naturales Metaphysica sit ab homine maximè appetibilis? Vbi illud Axioma explicatur. Omnis homo naturalitèr scire desiderat.

QVia Philosophus, vt ostenderet, Metaphysicam esse summè appetibilem; hanc maximam præmisit: *Omnis homo naturaliter scire desiderat*, ideò inhærendo vestigijs Philosophi, de veritate huius axiomatis, priùs disserendum est, vt sic ad resoluendam difficultatem pleniùs procedamus.

§. I. *An, & quomodo verum sit quod dicitur: Omnis homo naturalitèr scire desiderat.*

PRo intelligentia huius Axiomatis, tres Termini in ipso sunt explicandi. Primus, naturalitèr. Secundus, scire. Tertius, desiderat; Quare.

Supponendum est primò. Ly naturaliter, multiplicitèr sumi posse. Primò enim sumitur pro eo, quod est à natura datum alicui, nec effectum, per aliquem recipientis influxum, vel quod fluit à principijs intrinsecis naturæ, sicut risibile est naturale homini. Secundò modo sumitur naturale, prout opponitur libero, & est idem, quod necessarium, & hoc modo quidquid non procedit à voluntate liberè operante, dicitur esse naturale. Tertiò modo, aliquid naturale dicitur, prout opponitur violento, sicut graui est naturale ferri deorsum, non verò sursum.

Supponendū est secūdò. Quod Ly scire, aliquando sumitur pro quacunque cognitione, sicùt cùm dicitur; Scio Cracouiam esse. Aliquandò verò, & magis propriè, sumitur pro notitia alicuius habitus per demonstrationem, quæ à Philosopho 1. Poster. vocatur Syllogismus Episthemonicon, seù faciens scire: quo sensu definiuit Philosophus ibidem scientiam, quòd sit habitus per demonstrationem acquisitus.

Supponendum est tertiò. Quòd desiderium nihil aliud est, quàm tendentia rei in aliquem finem, consequens formam illius rei; & quia triplex est forma in genere, ideò triplex est appetitus. Alia enim est forma purè naturalis, quę nullo modo est eleuata supra cōditionem materiæ; & appetitus consequens hanc formam vocatur naturalis, sicut est inclinatio grauis ad locum deorsum; Qui tamen appetitus vocatur metaphysicè talis, vt rectè notauit Suarez, quia non est quid distinctum ab ipsa entitate rei, sicùt appetitus naturalis materiæ primæ

ad formam non est distinctus ab entitate ipsius, vt docent Nostri Complut. Lib. 1. Physic. Disp. 3. Neq; potest distingui in eo actus primus, & secundus, quia hoc modo appetere, non est aliquid elicere, sed solùm habere innatam propensionem, qualem habet grauitas deorsum, etiã si nihil agat. Alia est forma, quæ licet sit eleuata aliquo modo supra materiam, tamen etiã est aliquo modo immersa illi, in quantùm in omnibus suis operationibus dependet ab organo corporeo, qualis est anima sensitiua; & appetitus consequens talem formam, vocatur sensitiuus, qui diuiditur in Concupiscibilem, & Irascibilem, de quo in libris de Anima tractant Philosophi. Alia denique est forma, quæ est simpliciter eleuata super materiam, ita quòd non est affixa in suis operationibus proprijs organo corporeo, qualis est anima rationalis; & appetitus cõsequens talem formam dicitur rationalis, & hæc est voluntas. Quia verò duo posteriores appetitus, sensitiuus scilicèt, & rationalis, possunt distingui in actum primũ, & secundum, ideò distinctionis gràtia isti appetitus sumpti in actu primo vocantur eliciti ui, sumpti verò in actu secundo dicuntur eliciti.

Supponendũ est quartò; Quod cùm in anima rationali, quæ est forma hominis, cõtineantur aliæ formæ imperfectiores eminenter formaliter, dat enim esse, viuere, sentire, etiàm in homine omnes illi appetitus, dictas formas consequentes, inueniri debent. His ergò suppositis.

Duo in præsenti examinanda sunt. Primò, de quo appetitu, seù de quo scire, & de quali naturalitate, locutus Philosophus, quandò dixit, quòd omnis homo naturaliter scire desiderat. Secundò, de veritate ipsius propositionis.

Quantum ad primum: Dico primò. Philosophum in dicta propositione de vtroque appetitu locutum fuisse, Naturali scilicet, & Elicito, comprehendendo sub appetitu naturali etiam sensitiuum, qui dicitur talis, eò quòd liber non sit. Et quidem, quod Philosophus locutus fuerit de appetitu innato, seù propensione naturali ad scientias, nullus ambigit: Quod autem axioma Philosophi etiam ad appetitũ elicitum extendatur, dubitauit Scotus, sed immeritò. Clarè enim mentem suam explicuit in sequentibus Philosophus, cùm probans, quòd omnis homo naturaliter scire desiderat, statim subiunxit: *Signum autem sensuum est dilectio, nam, & absque vsu propter seipsos amantur, præ cæteris autem, qui per oculos fit. Non enim, vt agamus solùm, verùm etiàm nihil acturi, ipsum videre præ omnibus alijs (vt sic dicam) eligimus;* Vbi, vt vides, vtitur Philos. terminis dilectionis, amoris, electionis, quos constat esse actus elicitos. Ergò &c.

Dico 2. Philos. in illo Axiomate, omnis homo naturaliter scire desiderat, locutus est de sci-

re communissimè sumpto. Probatur. Quia ex hoc generali appetitu sciētiæ, seù cognitionis, vt sic, voluit inferre appetitum ad sciētias propriè dictas, & præcipuè ad Metaphysicam; Vnde etiam ad probandum, assumpsit desideriū cognitionis sensitiuæ, quæ tamen nonnisi lato vocabulo, scientia dici potest.

Dico 3. respondendo secundæ parti difficultatis, verissimam esse propositionē Aristotelicā: Omnis homo naturalitèr scire desiderat, desiderio, tàm innato, quā elicito.

Probatur ratione Arist. ex amore, quo vnusquisque fertur in sensus, & maximè in sensum Visus; Quia hic maximè sensus nos cognoscere facit, multasque differentias demonstrat, vt idem ibidem dicit Philo. Ergò proportionabiliter feretur appetitus noster in alias cognitiones, siue sensitiuas, siue intellectiuas, magis, vel minùs, secundùm diuersitatem ipsarum; Quia tamen præcipuè Philo. intendebat ostendere, quòd desideret omnis homo, tàm appetitu innato, quàm elicito scientias propriè dictas, ideò de istis scientijs loquendo.

Probatur triplici ratione D. Thom. tale desiderium inesse homini: Vt autem dulciùs ex ipso fonte potentur aquæ; Accipe verba ipsius Ang. Doct. quæ habet 1. Metaph. lect. 1. *Proponit igitur primò, quod omnibus hominibus naturalitèr desiderium inest ad sciendū, cuius ratio potest esse triplex* (prosequuntur verba S. Doctoris) *Primò quidem. Quia vnaquæque res naturalitèr appetit perfectionem sui. Vnde, & materia dicitur appetere formam, sicut imperfectum appetit suam perfectionem: Cùm igitur intellectus, à quo homo est id, quod est, in se consideratus, sit in potentia omnia, nec in actum eorum reducatur, nisi per scientiam, quia nihil est eorum quæ sunt, ante intelligere, vt dicitur in 3. de Anima, sic naturaliter vnusquisque desiderat scientiam, sicut materia formam.*

Secundò. Quia qualibet res naturalem inclinationem habet ad suam propriam operationem, sicut calidū ad calefaciendum, & graue, vt deorsum moueatur. Propria autem operatio hominis, in quantum homo, est intelligere, per hoc enim ab omnibus alijs differt. Vnde naturalitèr desiderium hominis inclinatur ad intelligendum, & per consequens ad sciendum.

Tertiò. Quia vnicuique rei desiderabile est, vt suo principio coniungatur; in hoc enim vniuscuiusque perfectio consistit. Vnde & motus circularis est perfectissimus, vt probatur 8. Physic. quia finem coniūgit principio. Substantijs autem separatis, quę sunt principia intellectus humani, & ad quæ intellectus humanus se habet, vt imperfectū ad perfectum, non coniungitur homo, nisi per intellectum: Vndè, & in hoc vltima hominis felicitas consistit: Et ideò naturaliter homo desiderat scientiam. Hucusque S. Thomas. Quæ rationes de vtroque appetitu procedunt, innatò scilicet, & elicito, vt optimè aduertis

tit Suarez Disp.1. Metaph. sect.6. n.8., vt consideranti patebit; atque ita secundùm Philosophum, & S. Tho., Omnis homo naturalitèr scientias vtroque appetitu desiderabit: Ex quo rectè infertur cum eodem D.Thom.1.contr. gentes Cap.4., Quòd penitùs à natura humana degenerat, qui scire non affectat.

§.2. *Determinatur. Quid de Metaphysica sentiendum sit.*

SIc ergò mente Philosophi explicata, veritateque ipsius effati cõprobata, de Metaphysica determinamus, &

Dicimus. Quòd inter õnes Scientias speculatiuas, est maximè appetibilis.

Probatur Conclusio. Quia omnis scientia est naturaliter appetibilis, vt diximus. Ergò magis scientia est magis appetibilis, & maxima maximè; Sicut enim se habet simplicitèr ad simplicitèr, ita magis ad magis, Sed Metaphysica est suprema omniũ scientiarum, quia est sapientia, vt diximus. Ergò erit maximè appetibilis. Confirmatur. Omnis homo naturaliter scire desiderat. Ergò illud magis desiderabit, quod faciet maximè scire. Sed Metaphysica facit maximè scire, cùm sit de maximè scibilibus, vt dictum est, Ergo, &c.

Probatur secundò. Maximus hominis appetitus est ad suã felicitatem; Sed maxima felicitas naturalis hominis est in possessione Metaphysicæ. Ergò in illam feretur maximè appetitus naturalis. Maior patet. Et probatur minor. Felicitas naturalis hominis consistit in cognitione Dei, & substantiarum separatarum, Sed per hanc scientiam, Deus, & substantiæ separatæ cognoscuntur perfectè, quantùm naturalitèr cognoscibiles sunt. Ergo &c.

§.3. *Proponuntur & soluuntur Obiectiones.*

OBijcies primò. Contra tertiã Conclusionem §.1. Philosophus sub appetitu naturali comprehendit appetitum sensitiuum, & per appetitum elicitum solùm rationalem intellexit. Ergò falsum est dictum eiusdem, Quòd omnis homo naturaliter scire desiderat. Antecedens patet ex dictis §.1. Concl. 1. Et probatur Consequentia. Appetere aliquid naturalitèr appetitu rationali, seu voluntate, est appetere necessariò, Sed falsum est, quòd omnis homo necessariò appetat scire. Ergò &c. Maior patet. Quia naturale in voluntate idem est, quod necessarium: quod enim voluntas naturalitèr facit, non liberè, sed necessariò facit. Et probatur minor. Si omnis homo necessariò appeteret scire, vel hæc necessitas esset quò ad specificationem, vel quò ad exercitium. Sed neutro modo potest appetere. Ergò &c.

Digitized by Google

Maior patet. Sic enim communiter à Philosophis diuiditur necessarium: Et probatur minor in primis quò ad secundam partem; Quia necessitas quò ad exercitiũ consistit in hoc, quòd non possit suspendi actus, seù quòd non possit cessari ab actu, sicut Beati in Patria necessitantur ad amandum Deum necessitate quò ad exercitium, quià sunt sempèr in actuali amore Dei, ita vt ab hoc exercitio amoris nunquam possint cessare. Sed nullus est homo, qui sit sempèr in exercitio actuali amoris, vel desiderio scientiæ. Tùm quia id experientia docet. Tùm etiam, quia voluntas fertur in bonum sibi ab intellectu propositum, sed non sempèr est in actuali cogitatione de scientia. Ergo nõ semper est in actuali desiderio ipsius. Ergò neque necessitatur quò ad exercitium, circa amandam, vel desiderandam ipsam. Quòd autem neque quòad specificationem necessitatur (quæ erat prima pars minoris) probatur. Necessitas quò ad specificationem tùnc est, quandò aliquid non potest habere hunc actum, vel oppositũ, sed determinatè hunc, itá quòd, etsi possit intermittere aliquando actum, tamen, si semel illum debet exercere, non poterit non esse actus hic v.g. amoris; Quà necessitate necessitatur voluntas ad amandum bonum, seu beatitudinem in Communi. Sed sic est, quòd voluntas non est determinata ad eliciendum semper actum amoris, vel desiderij circa scientias, quia plurimi sunt homines; qui eliciunt actus oppositos. v.g. fugæ, vel odij. Ergo &c.

Confirmatur. Sola beatitudo in Communi potest necessitare voluntatem, quantùm ad specificationem, ita quidèm, vt nec ipsa visio beatifica tali modo illam necessitet, vt docent Nostri Cõplut. in lib. de An. Disput. vlt. qu. 2. Ergò neque circa scientias necessitabitur quantùm ad specificationem, & multò magis quantùm ad exercitium.

Ad hanc obiectionem Resp. negando Consequ., ad cuius probat. negamus, scientiam, vt sic non esse necessariò appetibilem à volũtate: Et ad probationem in contràrium, eligimus primam partem dilemmatis, dicimusque scientiã, vt sic appeti ab homine per volũtatem necessariò, necessitate quò ad specificationem, Quia verè homo non potest elicere actum contrarium, vel amori, vel desiderio Scientiæ, sed sempèr debet desiderare illam saltìm desiderio inefficaci; Licèt enim homo possit nolle scientiam, vel non desiderare illam desiderio efficaci; Hoc tamèn est propter aliquas causas extrinsecas, vel impedimenta aliqua, quæ per accidens sunt scientiæ adiuncta, v.g. propter laboris difficultatem, propter pigritiam, vel quia scientiæ studium excludit alias occupationes, quibus homo est addictus, vt sunt militaria, vel Oeconomica exercitia, vel alia similia, Vnde rudiores ingenio, minùs appetunt scientiam, prop-

ter

ter maiorem in acquisitione illius difficultatem. Cæterùm scientia secundùm se non potest displicere, quia secundùm se, & præcisis istis difficultatibus extrinsecis, nihil mali importat; Cùm enim sit perfectio simpliciter simplex, in Deo etiàm formalitèr inuenta, vt docent nostri Salmant: Tom. 1. tract. 3. dub. 3. num. 43., debet esse ab omni imperfectionis malique specie depurata; Vndè etiàm necessariò amatur necessitate quò ad specificationem. Odio enim haberi non potest, quia malum non est, odij autem Obiectum est malum, S. Thoma docente 1. 2. qu. 29. art. 1. in C. Nullus enim est adeò barbarus, qui scire nolit, præcipuè si scientiam citra laborem acquirere posset. Quæ solutio desumitur ex S. Thoma 1. Metaph. lect. 1. vbi sic habet. *Nec obstat quòd aliqui homines scientiæ huic studium non impendant, cùm frequenter, qui finem aliquem desiderant, à prosecutione finis ex aliqua causa retrahantur, uel propter difficultatem perueniendi, uel propter alias occupationes. Sic etiam licet omnes homines scientiam desiderent, non tamen omnes scientiæ studium impendunt, quia ab alijs detinentur, uel à uoluptatibus, uel à necessitatibus uitæ præsentis, uel etiã propter pigritiã uitant laborem addiscendi.* Hucusque S. Doctor.

Ad Confirmationem, concedimus quidem solam beatitudinem in communi necessitate voluntatẽ nostram quantùm ad specificationem: Negamus tamen indè sequi, quòd scientia illam similitèr non necessitet, quia scientia in communi est ipsa beatitudo in communi. Pro quo

Sciendum est ex S. Thom. 1. 2. qu. 3. ar. 4. Essentiam beatitudinis humanæ in actu intellectus consistere. Quòd multis probat S. Tho., & sequaces ipsius, quæ tamen, quia aliena sunt à nostro instituto, hic referre non licet. Ex quo necessariò sequetur, Quòd beatitudo, vt sic consistat in cognitione intellectiua vt sic, prout ambit cognitionem totius entis creati & increati, etiàm clarè visi. Cùm ergò nomen scientiæ vt sic, prout comprehendit scientias naturales omnes, & scientias supernaturales, Theologiam, scilicèt viatorum, & Beatorum, extendatur ad omnem cognitionem intellectiuam, etiàm ad ipsam primam apprehensionẽ, tanquàm ad principium sciendi, euidenter sequitur, ipsam scientiam vt sic, esse beatitudinem vt sic: Vnde cùm voluntas nostra necessitetur à beatitudine vt sic, necessitate quò ad specificationem, vt docent nostri Complut. in lib. de An. Dispu. vlt. qu. 2, Eodem etiam modo necessitabitur circa scientiam in communi: Nec valet instantia de visione beatifica: illa enim sicut est pars subiectiua beatitudinis vt sic, ita etiàm est pars subiectiua scientiæ vt sic, ac proindè, sicut malè argueret, qui exinde probaret, non necessariò amari beatitudinem vt sic, quia non necessariò amatur visio beatifica, ita & in

præ-

Digitized by Google

præsenti non currit argumentũ: Visio beatifica non necessario amatur, Ergo & scientia in cõmuni. A negatione enim speciei malè arguitur ad negationem generis. Vt si quis dixerit. Non est homo. Ergò neque animal.

Obiicies 2. Scire vt sic, non potest esse præcognitum homini. Ergò non potest appetitu rationali, seu voluntate appeti ab homine. Antecedens patet. Quia scire vt sic, ambit omnem cognitionem humanam, etiam sensitiuam, vt supra dictũ est. Ergò non potest præcognosci, alias omnem cognitionem, seu cognitionem, vt sic, præcederet aliqua cognitio, quod implicat, quia illa cognitio esset omnis, & non omnis. Consequentia verò probatur. Nihil volitum, quin præcognitum, vt dicit D. August. qu. de Trin. Ergò si scientia, vt sic, est volita, debet esse præcognita. Ergò si scire, vt sic præcognosci nequit, (quia etiam illud præcognosci, cùm sit aliquod Scire, clauditur sub Scire, vt sic) non poterit per voluntatem, seu per appetitum naturalem ab homine appeti. Ergò, &c.

Resp. supponendo, Quòd Ly scire, potest sumi tripliciter. Primò, prout ambit omnem cognitionem, tàm sensitiuam, quàm intellectiuam. Secundò, prout claudit cognitionem intellectiuã tantùm. Tertiò, prout est genus ad omnes scientias, quæ sunt cognitiones rerum per causas; quod adhuc est duplex. Aliud Perfectum. Aliud imperfectum: Etsi ergò scire communissimè sumptum, secundùm primam acceptionem non possit appeti appetitu rationali, qui cognitionẽ præsupponit, nam præcognosci non potest, quia omnem cognitionẽ, tam sensitiuam, quàm intellectiuam ambit, vnde tantùm desiderabitur ab homine appetitu naturali, seu illo pondere naturæ, quo vnaquæque res etiam insensibilis, & inanimata in suam fertur perfectionem, Quòd idem de scire, vt sic, in secunda acceptione, dicendum est; Cùm enim hoc ambiat omnem actum intellectus, non potest in illud ferri voluntas per desiderium ipsius, cùm hæc, vtpotè cæca, non præcedat, sed sequatur intellectum, actusque intellectus priores sint sempèr actibus voluntatis, vt cõmuniter docent Theologi in materia de Prædestinatione: Cæterum scire, vt sic, in tertia acceptione sumptum, sicut præcognosci, ita etiam à voluntate desiderari potest: Vnde, etsi prima cognitio sensitiua, vel intellectiua non possit desiderari appetitu rationali, sed tantùm appetitu purè naturali: tamèn semèl habita alicuius notitia imperfecta, poterit homo optimè desiderare desiderio rationali habere circa illud notitiam, seu scientiam perfectã: Vnde, ad argumentum dicimus, Quod licèt scire, nullam ante se cognitionem præsupponens, à voluntate desiderari nequeat, vt

optimè probat argumentum, benè tamèn scire illud, quod aliqua cognitio præcesſit, quale est scire in tertia acceptione, vt iam explicatum est.

Obijcies tertiò. Quod à tota specie naturalitèr desideratur, à maiori parte saltèm indiuiduorũ talis speciei debet acquiri, sed scientiæ non acquiruntur à maiori parte hominũ, cùm plures sint homines rudes, quàm docti, vt experientia constat. Ergò non ab omnibus hominibus scire naturalitèr desideratur.

Resp. distinguendo maiorem, quod à tota specie naturalitèr desideratur, saltem à maiori parte indiuiduorum talis naturæ debet acquiri, per se loquendo, Concedo; Per accidens, Nego: Per accidens autem est, quòd plures homines refugiunt scientias, vt ex S. Thoma dixi in respõsione ad primam obiectionem.

Obijcies quartò. Si omnis homo naturalitèr scire desideraret, vel desideraret aliquam scientiã, vel omnes. Non primum, quia non est maior ratio de hac, quam de illa. Non secundum, quia, vel desideraret cum ordine, priùs appetendo hanc, vel illam, vel sine ordine. Nõ cũ ordine, quia nõ est ratio, cùr vna priùs desideretur, quàm alia. Nec sine ordine, quia appetitus fertur in scientias, secundùm quòd sunt acquisibiles. Sed non sunt acquisibiles sine ordine. Ergò &c.

Resp. Quòd si loquamur de appetitu, seù desiderio voluntatis inefficaci, quo diximus, hominẽ necessariò necessitate quòad specificationem appetere scientias; Dico, quòd tali appetitu appetit homo scientiam, vt sic, præscindendo ab ordine: Appetitus enim inefficax, seù illa velleitas, quia non est practicum desiderium, quod in exercitio ponatur, sed, vt ità dicam, speculatiuum tantũ, non est necesse, quòd respiciat finem cum omnibus medijs, quibus acquisibilis est, sicut illum finem desiderium efficax debet respicere: Ideoque etiamsi scientiæ, ordine quodam sint acquisibiles, & vna sit medium respectu alterius, omnes autem respectu ipsius scire, vt sic: tamen quamdiù voluntas illas desiderat inefficacitèr; non attendit aliquem ordinem in ipsis, sed cæco impetu fertur in ipsum scire, vt sic: quod illi proponitur ab intellectu, vt pulchrum, & bonum. Quando verò desiderio efficaci desiderat, tùnc desiderat cum ordine, priùs desiderando vnam, quàm aliam. Cuius ordinis est duplex causa. Prima ex parte scientiarum, quia scilicèt sunt ita inter se concatenatæ, vt vna deseruiat cognitioni alterius, ideoque priùs est addiscenda, sicut Logica priùs, quam Physica, vel Metaphysica. Secunda est ex parte ipsius hominis, in quantùm respectu diuersarum cõplexionum, diuersas appetunt scientias. Vnde etsi quilibet appetat scire, vt sic appetitu inefficaci, tamen ratione talis, vel talis complexionis, in hanc potiùs,

quàm

Digitized by Google

quàm in illam appetitu efficaci fertur. De quo pulchram Alberti Magni accipe doctrinam, quam affert Flandria 1. Metaph. quæst. 2. a. 1. vbi hæc ex Alberto Magno habet. *Quidam sunt, qui violentia passionum omninò abducuntur à sciendi studio. Quidam verò magis sequuntur bonum naturæ, & sic ad acquisitionem scientiæ perueniunt. Et hi sunt in multiplici differentia. Nam quidam sunt, quorum intellectus impermistus, & purus est, & complexio subtilis spiritus, & coloris, & humoris luminosi, non constantis propter frigidum congelans, nec propter calidum commiscens, & tales student benè, & libentèr Metaphysicis, Diuinis, magnis, & subtilibus rebus. Quidam verò sunt, qui habent Organum imaginationis optimum, ad tenendum figuras, quorum intellectus est reflexus ad seipsum; & tales Mathematicis doctrinalibus gaudent studijs. Quidam verò sunt, quorum medullosum, & purum est organum sensus, cum spiritu lucido non commisto, & non pigro per frigidum congelans, & quorum organum imaginationis cõsequitur, non benè tenens figuras, & eorum intellectus non est reflexus ad sensum, & tales gratas habent speculationes naturales. Sed quidã sunt, quorum spiritus sunt congelati; & non benè clari propter frigus congelans, & conspissans, & tales libentèr occupãtur circa signa Rethorica, & detinentur in ijs, nec profũdantur in aliqua veri speculatione.*

Obijcies 5. Contra rationem Philosophi, in qua dicit. Nos sensum Visùs plurimùm diligere; Sic: Illum sensum plùs diligit homo, sine quo conseruari in suo esse nequit. Sed sine sensu tactus non potest conseruari in suo esse, vt docet Arist. lib. 3. de Anima cap. 12. sine visu autem potest, multos enim cæcos videmus viuos. Ergo &c.

Resp. Dupliciter amari sensus, vno modo propter vtilitatẽ, alio modò propter cognitionem; Sub vtilitate autem comprehenduntur omnes commoditates corporis, pertinentes, vel ad conseruationem vitæ, vel ad delectationẽ, vel ad alia vitæ nostræ adiuncta. Etsi ergò tactus, quò ad vtilitatẽ magis ametur, tamèn quantùm ad cognitionem, visus non solùm tactum, sed omnes etiàm alios sensus longè superat. Primò quia latius habet Obiectum, pluresque rerum differentias attingit, quàm alij sensus, percipit enim motus, actiones, figuras, diuersasque diuersarum substantiarum immutationes, quæ sunt veluti indicia quædam, & signa, per quæ ad res cognoscendas peruenitur. Secundò, quia propter excessum in immaterialitate suprà alios sensus, citiùs percipit suum Obiectum, quod ipsa experientia testatur: Cùm enim à longè rusticus v.g. scindit ligna, priùs securis video motum, quàm audiam ictum. Tertiò. Quia tenaciùs imprimit phãtasiæ, quæ percipit, quòd & ipsi experimur; Nihil enim ita menti hæret, nihil ita citò occurrit cogitationibus,

quàm quod, oculo duce, arcem mentis intrauit.

Dices. Aptior est auditus ad cognitionem, siue scientiã, quàm Visus; Quia auditu verba docentis Magistri percipiuntur, non autem Visu. Ergò falsum est, quod diximus, Visum inter omnes sẽsus esse ad cognitionem vtilissimum.

Resp. Auditus est aptior ad cognitionem, seu scientiam: via inuentionis habendam, Nego: Via disciplinæ, Concedo. Verũ quidem est, quod via disciplinæ per præceptum Magistri est aptissimus auditus ad scientias acquirendas: & in hoc excedit quodammodo Visum; Quia licèt ille possit in scripto præcepta Magistri percipere, illã tamèn energiam, quam habet viua vox non potest sicut potest auditus: Cæterum hic excessus est per accidẽs, Supponit enim alium perfectiorẽ Visum, loquendo secundùm naturas rerum, & solùm est necessarius ad supplendam imperfectionem, vel negligentiam hominum in scientijs inueniendis, in quantùm illi, quia, vel propter tarditatem ingenij non possunt, vel propter pigritiam nolunt scientias propria inuentione assequi, faciliorem viam acquirendæ scientiæ assumunt per præcepta Magistri.



QVAESTIO V.

De vnitate specifica Metaphysicæ. Vbi explicatur. An Metaphysica descendat ad cognitionem rerum in particulari.

PRiùs quidèm hæc Quæstio tractari debuit, quàm præcedens secundùm methodum ordinariam. Quia cognita natura Metaph., quod fecimus tribus primis Quæstionibus, statim de vnitate illius disputandum erat, cùm vnitas entitatem cuiuslibet rei sequatur: Cæterùm methodũ arbitrariam secuti (quam Nostri Compl. disp. Proœmiali Logices, Quæstione vltima in tradendis disciplinis plurimùm commendant) præmisimus quæstionem præcedentem, de appetibilitate Metaphysicæ, vt sic ex omni parte constaret, illam esse sapientiã, inter cuius conditiones etiàm hanc Aristo. numerauit, quòd sit appetibilis propter se. His ergo, quæ tàm directè, quàm indirectè ad naturam Metaphysicæ spectabant explicatis, hic de illius disseremus Vnitate.

§. 1. *Resolutio Questionis.*

PAuca circa hanc quæstionem occurrunt dicenda, supposita generali doctrina de specificatione

ne

ne scientiarum, quam tradunt Dialectici in libris Posteriorum, eamque non minùs fusè, quàm eruditè explicant Nostri Cōplutenses Disput.19.qu.4.per totū, ex quorum doctrina, quam ibi habent, pro decisione quæstionis.

Notandum est, Specificationē scientiarum sumi ex principijs, seu medijs demonstrationis, quæ gerunt vices luminis, per quod illuminatur, & cognoscitur Cōclusio: Quamuis enim secundùm commune Philosophorum dictū, Scientiæ,& habitus specificentur ab Obiectis,hæc tamen non possunt tribuere speciem scientiæ in esse rei consideratę, aliàs tot essent scientiæ, quot sunt res specie distinctæ, aliaque esset scientia de homine, & alia de boue, & alia de leone &c. quòd absurdum est: Debet ergò aliquid assignari in obiectis scientiarum, in quò diuersæ illæ entitates conueniant ad constituendum vnum Obiectū specificatiuum scientiæ; Et hæc est ipsa Scibilitas Obiecti: Cùm autèm scibilitatem habeat Obiectum, vel per abstractionem formalem à materia, per quam redditur actuale, & intelligibile, vel per media,seu principia demonstrationis, quæ habent vicem luminis illuminantis Obiectum,faciuntque illud actu scibile, sicut lux corporalis facit colores actu visibiles; & insupèr abstractio à Materia constituat scientiarum vnitatem genericā,restat, vt specificatio ipsarum reducatur in principia, per quæ illuminatur Obiectum. Illæ ergò scientiæ erunt diuersæ speciei, quæ per diuersa principia diuersum lumen habentia, ad cognitionem sui Obiecti procedunt; Sicut si daretur visus, qui colores per hoc lumen corporale videre non posset, sed aliud lumen specie diuersum requireret, non posset non esse specie distinctus à nostro visu: Principia autèm tùnc sunt specie distincta in ratione luminis,quādo non deriuantur ex alijs, vel alterutris intra eandem abstractionē; Si enim deriuarentur, mutuarent deriuata lumen ab illis, à quibus deriuarentur, & sic conuenirent in ratione luminis; Per consequens, sicut non haberent vim illuminatricem distinctam, ita etiàm non possent esse principia distinctionis specificæ scientiarū. Hoc ergò supposito,Quia cōstat Metaphysicam esse distinctam genere ab alijs scientijs naturalibus, habet enim distinctam abstractionem à materia: abstrahit enim ab omni materia, singulari nimirum,sensibili,& intelligibili; Nec de vnitate numerica aliquid singulare occurrit dicēdum, supposita generali doctrina de indiuiduatione accidentium, de qua agunt nostri Salmanticenses in tractatu de principio indiuiduationis; Ad cognoscendam igitur vnitatem specificam Metaphysicæ.

Dicendum est. Metaphysicam esse vnam in specie athoma. Ita Ari-

Aristoteles, & D. Thomas, communiterq; eorum discipuli, & præcipuè Flandria 1. Metaph. quæst. 1. a. 6. Complutenses loco nuper citato; Pater Blasius disputatione Proœmiali, Quæst.3.sect. vltima. Probatur breuitèr Conclusio ex dictis. Illa scientia est vna in specie athoma, cuius principia deriuantur, ex alijs, vel alteruturis intra eandem abstractionem. Sed Metaphysicæ principia sunt talia, Quia omnia deriuantur ex vniuersalissimis principijs entis. Ergò Metaphysica est vna in specie athoma.

§. 2. *Obiectiones contra dicta, & solutiones earum.*

OBijcies primò. Scientiæ sumunt suam vnitatẽ ex obiectis. Sed obiectum Metaphysicæ non est vnum, quia ens, quod est obiectum ipsius, non habet vnitatem, nisi fortè analogicam. Ergò, & ipsa non poterit esse vna, nisi fortè analogicè. Sed esse analogicè vnum, non est esse vnum in specie athoma. Ergò &c.

Resp. Aliqui huic argumento, concedendo, Metaphysicam esse vnam vnitate analogiæ tantùm; hæc tamen solutio in via Aristotelis sustineri non potest. Quia secundum illum, analoga reiiciuntur à Prædicamentis, vt patet ex ijs, quæ docent Nostri Complutenses in Logica disput. 11. quæst. vlt. num. 59. Sed Metaphysica nõ excluditur à Prædicamentis; reponitur enim in prima specie qualitatis, vt docent Nostri Complutenses in Logica disput. 15. quæst. 8. n. 28. Ergo &c. Hac ergo solutione reiecta:

Alitèr ad Argumentum Resp: ex dictis, concedendo scientias sumere suam vnitatem ex obiectis, non in esse rei, sed in esse scibilis. Cùm ergo obiectum Metaphysicæ, etsi non sit vnum quid simplicitèr in esse entis, est tamen vnum in esse scibilis, quia sub vno lumine procedit, vt iam explicatum est, etiam Metaphysicæ poterit tribuere vnitatem specificã. Neque mirùm alicui videri debet, si aliquid in vno genere sit vnum, & in alio non, plura enim huius rei suppetunt exempla. Ecce enim sol in genere entis est vniuocum, & tamèn in genere causæ est æquiuocum; Medicina verò est analogum in genere causæ sanitatis, cùm tamèn in genere entis possit vniuocationem habere. Adde, quod ens, quod est obiectum Metaphysicæ, si consideretur in ratione subiecti passionum, quæ de illo demonstrantur, habet longè maiorem vnitatem, quàm quoduis aliud obiectum aliarum sciẽtiarum; Quia passiones ipsius sunt identificatæ cum illo realitèr, vt infra dicetur: quod tamen nulli alteri obiecto competere potest, loquendo de obiectis sciẽtiarum naturalium, vt discurrenti patebit.

Objicies secundò. Verum, & bonum ab vno habitu in specie considerari non possunt. Sed ve-

rum,

rum,& bonum considerantur in Metaphysica. Ergò Metaphysica non est vnus habitus in specie. Minor, & Consequentia patent. Maior verò probatur, quæ ad diuersas potentias pertinent, non possunt ab vno habitu cõsiderari. Cùm enim latiùs pateat potentia, quàm habitus, quæ ad diuersas potentias pertinent, ab vno habitu considerari nequeunt. Sed verum,& bonum pertinẽt ad diuersas potentias, Cùm verũ sit obiectum intellectus, bonum verò voluntatis. Ergò &c.

Resp. Negando maiorem, & ad probationem dicimus, falsum esse, ea, quæ ad diuersas potentias spectant, ad eundem habitum pertinere non posse: Sicut enim non omnia, quæ petunt distinctos habitus, petunt distinctas potentias, vt patet in ente mobili, ente quanto, ente rationis &c: Quæ licet distinctos habitus petãt, Physicam, Mathematicam, Logicam, tamèn ab vna potẽtia intellectiua comprehenduntur, Ita etiam non omnia causant distinctionem habituum, quæ causant distinctionẽ potentiarum; Et ratio est vtriusque. Quia ex diuerso capite sumitur distinctio potentiarum, & ex diuerso distinctio habituum: obiectum enim (à quo tàm potentia quàm habitus specificantur) diuersificat potentias penes diuersum modum immutandi, habitus verò penes diuersam attingibilitatem: Quia ergo bonum, & verũ diuersum habent immutandi modum: nàm verum immutat potentiam, in quantum est receptum ab illa, Bonum verò immutat, in quãtùm illam trahit ad se, secundùm illud commune effatum Philosophorum. *Intellectus trahit ad se res: Voluntas verò ab ipsis rebus trahitur*: Inde est, quòd verum, & bonum diuersificant potentias. Quia verò è contra; bonum, & verum eandem habent attingibilitatem. (Vtrumque enim consideratur in Metaphysica, vt scibile per principia communia entis realis.) Inde est, quòd non diuersificãt habitum Metaphysicæ.

Illustratur magis hæc solutio. Quando bonum attingitur à Metaphysica, non attingitur sub ratione boni, sed sub ratione veri, Quia non attingitur, vt est in actu exercito, seu cum existentia, sed tantùm, vt est in actu signato, secundùm sua essentialia, quæ, vt talia, non dicunt bonitatem appetibilem; nam bonum, vt appetibile est, concretiuè se habet, importatque, vel existentiam, vel saltem ordinem ad ipsam, de quo infra: Sicut ergo verum, quod est obiectũ intellectus, potest attingi à voluntate, non formalitèr, vt verum, sed in quantum bonum quoddam est, ità etiam bonum, quod est obiectum voluntatis, secundùm quòd induit rationem veri, poterit obijci intellectui: Imò etiam poterit esse pars obiecti adæquati alicuius habitus intellectualis, si conueniat in scibilitate, seu in lumine principiorum cum alijs obiectis inadæquatis talis scientiæ: Cuius radix est, quia potentiæ non respi-

Digitized by Google

ciunt sua obiecta secundùm esse materiale illorum, sed secundùm rationem formalem obiectiuam. Quando ergo obiectum vnius potentiæ induit rationem formalem alterius, poterit alteri potentiæ obijci: Vnde etiam si participet rationem formalē obiecti alicuius habitus, poterit ad illum pertinere, etiamsi secundùm aliam considerationem ad diuersam potentiā spectet, vt patet in vero, & bono, secundùm quod vnum alterius rationem induere potest.

Obijcies tertiò. Illa scientia non est vna, quæ tractat de pluribus, quæ sub vna ratione cōtineri non possunt. Sed Metaphysica est talis. Ergò non est vna. Maior, & Consequentia constant. Et probatur Minor. Si omnia, de quibus tractat Metaphysica possent sub vna ratione contineri, maximè continerentur sub ratione entis realis, vt sic, quod est obiectum Metaphysicæ. Sed sub ratione entis realis, vt sic, non possunt cōtineri omnia, de quibus tractat Metaphysica; hæc enim tractat de Deo, vt patet ex dictis in quæstione prima huius disputationis, qui tamèn non potest contineri sub ratione entis, vt sic, aliàs daretur quid superius, & prius Deo, quod est impossibile. Ergò &c.

Resp. Negando minorē, ad cuius probationem, dicimus Deum contineri quidèm sub ente, vt sic, tanquam partem, vel quasi partē subiectiuam entis, vt sic, & simul, tanquam principium eius; Ex hoc tamèn non sequitur, rationem entis, vt sic, esse priorem, vel superiorem Deo, quia tantùm illis partibus subiectiuis totum est prius, & superius, quæ tantùm sunt partes, non autèm illis, quæ sunt partes, & principia simùl, cùm principium semper sit prius suo principiato. Cùm ergo Deus, ita sit ens, vt simùl sit principium, & fons totius entitatis; inde est, quòd ipsū ens, nèc prius, nèc superius sit Deo.

Obijcies 4. Scientiæ naturales differūt specie, sed omnes scientiæ sunt partes Metaphysicæ, quia illa tractat in indiuiduo de earum obiectis, Cum enim sapientia sit, debet de omnibus rebus tractare, vt patet ex conditionibus sapientiæ supra recensitis. Ergò Metaphysica non est vna specie. *Nec valet, si dicas*, Metaphysicam tractare de omnibus in vniuersali, non autèm in particulari, vt suprà diximus quęst: 2. Contra est: scire aliquid in vniuersali, est scire imperfectè, Sed Metaphysica, quæ scit, perfectè scit; est enim perfectissima scientiarum, vt ex supra dictis patet. Ergò &c. Hæc obiectio petit, vt explicemus, an Metaphysica descendat ad cognitionem rerum in particulari, quod sequenti Paragrapho explicabitur, quia longiorem, accuratamque petit disquisitionem.



§. 3.

Digitized by Google

§. 3. *In quo determinatur, An Metaphyſica deſcendat ad cognitionem rerum in particulari.*

PRo quo ſciendum eſt, res illas, quæ in ſuo cõceptu materiam non includunt, vel quia eſſe poſſunt ſine illa, vel quia illis repugnat eſſe in materia, pertinere ad conſideratione Metaphyſicã ſecundùm ſuas athomas rationes, qualia ſunt Deus, Angeli, Ratio, Subſtantiæ, Qualitates, Actus, Potentiæ, &c. Et ratio huius eſt, quia iſta omnia gaudent abſtractione propria Metaphyſicæ ſecundùm ſuas athomas rationes, participantque rationem formalem Obiecti ipſius. Ergò ſub eius conſideratione cadere poſſunt. Difficultas ergò tantùm eſt de illis, quæ licet ſecundùm communes rationes, & gradus, v.g. ſubſtantiæ, Entis &c: abſtrahant à materia, tamen ſecundùm ſuas rationes athomas includunt illam, vt ſunt: Homo, Leo, bos, &c: an ſcilicèt pertineant ad conſiderationem Metaphyſicam, non quidèm ſecundũ rationes indiuiduales; certum eſt enim ſingularia ſub conſiderationem ſcientiarum cadere non poſſe, ſed ſecundùm rationes genericas, vel ſpecificas.

In quo Ægidius 1. Metaphy. qu. 22. ſect. 2. Antonius Mirandulanus lib. 13. de Euerſione ſingularis certaminis, Sect. 6. & 7. tenent, Metaphyſicam res omnes vſque ad vltimas earum differentias conſiderare, conſequenterq; aſſerunt, alias ſcientias à Metaphyſica non diſtingui totaliter, ſed eſſe partes ipsius. Numerantur autèm, vt diſtinctæ propter commoditatem in addiſcendo, vt diſtinctio tollat confuſionem.

Probatur primò hæc Sententia Auctoritate Ariſt. 4. Metaph. Cap. 1. vbi dicit. *Omnis autem generis, & ſenſus vnus vnius: & ſcientia, velut Grammatica vna exiſtens omnes voces ſpeculatur. Quare quoque Entis quot ſpecies ſunt, & ſpecies ſpecierum vnius ſcientiæ genere eſt.* Ergò ex mente Ariſtotelis, ſcientia, quæ contemplatur Ens, contemplabitur ſpecies eius, & ſpecies ſpecierũ. Sed Metaphyſica contemplatur Ens, cùm hoc pro eius Obiecto aſſignauerimus. Ergò & eius ſpecies contemplabitur, ac per conſequens, deſcendet ad cognitionem rerum in particulari.

Secũdò probari poteſt hæc sẽtentia ratione. Scientia, quæ ſpeculatur Ens, in quantùm Ens, deſcendit ad cognitionem rerum in particulari. Sed Metaphyſica conſiderat Ens, in quantùm Ens, vt dicitur 4. Metaphyſ. Tex. 1. Ergò Metaphyſica deſcendit ad cognitionem rerum in particulari. Minor, & Cõſequentia patent. Maior verò probatur. Ratio Entis imbibitur in vltimis differẽtijs rerum, vt infrà probabitur. Ergò conſiderando rationẽ Entis, conſiderabit vltimas rerum

differentias, ac per consequens descendet ad cognitionem rerũ in particulari: Quia, vt ex præsuppositione constat, non ideò dicimus, scientiam aliquam descendere ad cognitionem rerum in particulari, quia res in indiuiduo cognoscat, sed quia vltimas rerum differentias contemplatur.

Nec refert si dicas, Metaphysicam contemplari quidem vltimas rerum differentias, secũdùm rationem entis in eis inclusam, non tamèn secundùm rationem differentialem ipsarum.

Contra hoc enim arguitur sic. Ratio enim differentialis, quà talis, nihil addit supra rationem Entis; illud enim quòd addi fingitur, si non est nihil, est Ens, cũ Ens, & nihil opponantur contradictoriè: inter opposita autèm contradictoriè non datur mediũ: Ergò qui cognoscit Ens secundũ rationem Entis, cognoscet etiam ipsas rationes differentiales rerum.

Nec iterum valet, si dicas, rationem differentialem addere supra Ens, vt sic, rationem Entis contractam, & determinatam ad hunc gradum Entis, ac per consequens, qui cognoscit Ens secundùm rationem communem Entis, non ideò cognoscit rationes differentiales rerum, quia illæ vltra communem rationem Entis, addunt rationem contractiuam, seu determinatiuam Entis.

Contra enim est: Quia etiam ipsa ratio contractiua, seu determinatiua Entis non est aliquid ex æquo distinctum ab ente, cùm ratio Entis, vt sic, in illa intimè imbibatur, ita quòd nihil sit accipere illius formalitatis contractiuæ, quæ rationem Entis non sapiat, hoc enim petit transcendentia Entis, vt infra dicetur: Ergò qui cognoscit rationem Entis, etiam cognoscet illam formalitatem contractiuam ipsius.

Hæc tamen Sententia nõ placet Sequacibus Arist. & D. Tho. ideòque contra illam.

Concluditur, Metaphysicam non descendere ad cognitionem rerum in particulari, illarum scilicèt, quæ in suo conceptu materiam claudunt. Ita Arist., & D. Tho., vt ex auctoritatibus vtriusque infra citandis patebit. Sequuntur Soncin, 4. Metaph. qu. 11. Fland. lib. 1. Metaph. qu. 7. ar. 5. Noster Blas. Disput. 1. Proœ. Metaph. qu. 3, nu. 39. Suarez Disp. 1. Metaph. Sect. 2. & alij plures.

Probatur primò auctoritate Arist. 1. Metaph. cap. 2. Vbi dicit, Sapientem scire omnia, vt possibile est scire, non habentem singularitèr eorum scientiam. Ergò, cùm Metaphysica sit sapientia, ita per illam sciuntur omnia, vt tamèn ex hac sciẽtia, non habeatur singulariter eorum scientia, ac per consequens, ex mẽte Philosophi, Metaphysica non descẽdet ad cognitionem rerum in particulari.

Confirmatur auctoritate D. Tho. lib. Metaph. lect. 2: vbi illã conditionem sapiẽtiæ, quòd per

illam

illam ſciantur omnia, explicans, tali argumento probat conuenire Metaphyſicæ. *Quicunque ſcit vniuerſalia, aliquo modo ſcit ea, quæ ſunt ſubiecta vniuerſalibus, quia ſcit ea in primis: Sed his, quæ ſunt maximè vniuerſalia, ſunt omnia ſubiecta. Ergò ille, qui ſcit maximè vniuerſalia, ſcit quodammodo omnia.*

Vbi, vt vides, Metaphyſicam, quæ de vniuerſaliſſimis, & abſtractiſſimis tractat, in tantùm dicit ſcire omnia, in quantùm illa ſcit in vniuerſalibus. Ergo ex mente eius Metaphyſica non deſcendit ad cognoſcendas res in ſua propria ſpecie: & ideò addidit illã particulam reſtrictiuam (quodammodo) ſeu (aliquomodo) dùm dicit: *Quicunque ſcit vniuerſalia aliquo modo ſcit ea, quæ ſunt ſubiecta vniuerſalibus*. Vt innueret, non eſſe abſolutè concedendum Metaphyſicæ res omnes ſecundùm ſuas proprias differentias cognoſcere, ſed tantùm quodammodo, ſcilicèt ſecundùm quòd omnia in vniuerſalibus continentur, ac per conſequens in iiſdem cognitis cognoſcuntur.

Probatur 2. Ratione. Nulla ſcientia conſiderat per ſe, & directè ea, quæ non participant eandem abſtractionem cum ipſa, aliàs limites ſcibilitatis proprij Obiecti excederet, quod eſt impoſſibile. Sed multæ res non participant eandem abſtractionẽ cum Metaphyſica, quia multæ ſunt, quæ materiam ſecundùm ſuam rationem concernunt. Ergò &c.

Probatur tertiò. Nullus habitus cognoſcit aliquid, niſi ad eius notitiam ducatur per rationem formalem ſui Obiecti adæquati. Sed per rationem formalem Entis, in quantùm Ens, quod eſt Obiectum adæquatum Metaphyſicæ, non poteſt intellectus duci ad cognitionem quidditatũ particularium. Ergò &c. Maior patet, quia formalis ratio Obiecti eſt illa, per quam attingitur, quidquid per habitum, ſiue potentiam eſt attingibile. Minor verò probatur. Illud, quod eſt commune multis, non ducit in cognitionem diſtinctam particularium, eo enim modo in cognitionem illorum ducit, quomodo illa continet: cùm ergo non cõtineat diſtinctè, ſed confusè, nõ ducit in cognitionem diſtinctã, ſed confuſam tantum.

Probatur quartò. Si Metaphyſica deſcenderet ad cognitionem rerum in particulari, ſuperfluerẽt aliæ ſcientiæ. Sed hoc eſt manifeſtè falſum, & contra omnium Philoſophorum ſenſum. Ergò, &c. Sequela probatur. Nàm Philoſophia v.g. naturalis, ideò eſt præcisè neceſſaria, vt per illã habeatur notitia Entis naturalis. Ergò, ſi hæc poterit haberi per Metaphyſicam, ſuperfluet Philoſophia naturalis, idemque de alijs ſcientijs concludendum eſt.

Quæ omnia confirmantur inſigni auctorit. S. Thom. in Prolo-

Google

go 1. Sent. ar. 2. vbi nostram Sententiam disertis verbis probat, cùm inquit. *Notandum est, Quòd aliqua cognitio, quantò altior est, tantò est magis vnica, & ad plura se extendit: Vnde intellectus Dei, qui est altissimus, per lumen, quod est ipse Deus, omnium rerum habet cognitionem distinctè; ita & cùm ista Scientia sit altissima, & per ipsum lumen inspirationis diuinæ efficaciã habens, ipsa vnica manens non multiplicata, diuersarum rerum considerationem habet, non tantùm in communi, sicut Metaphysica, quæ considerat omnia, in quantum sunt entia, non descendendo ad propriam cognitionem moralium, & naturalium: Ratio enim entis, cùm sit diuersificata in diuersis, non est sufficiens ad specialem rerum cognitionem, ad quarum manifestationem, diuinum lumẽ in se vnum manens, secundùm B. Dionysium, in principio cœlestis Hierarchiæ, efficaciam habet.* Quid pro nostra sententia clariùs dici potuit?

Argumenta opposita sententiæ facilè soluuntur.

AD primum ex Philosophi auctoritate desumptũ Resp. Sensum verborum Aristotelis hũc esse, quòd scientia, vt sic, seù in communi, considerat genus scibilis, vt sic. Scientiæ verò particulares particularia scibilia, quod verissimum est: Vt autèm videas, hanc nostrã expositionẽ esse iuxta mentẽ Philosophi, non autèm illam, quã in argumento adducit aduersarij, loquatur pro Philosopho lingua Philosophi, D. Thomas, quo tacente manet Aristoteles mutus; Qui 4. Metaph. Lect. 1. propè finẽ prædicta verba Philosophi explicans, sic inquit. *Hic ostendit, quod primi Philosophi est considerare de omnibus substantijs tali ratione. Omnium eorum quæ sunt vnius generis est vnus sensus, & vna scientia, sicut visus est de omnibus coloribus, & Grammatica considerat omnes voces. Si igitur omnia entia sint vnius generis, aliquo modo oportet, quòd omnes species eius pertineant ad considerationem vnius scientiæ, quę est generalis: & species entium diuersæ pertineant ad species illius scientiæ diuersas.* Hoc autem dicit, quia non oportet, quòd vna scientia consideret de omnibus speciebus vnius generis secundùm proprias rationes singularum specierum, sed secundùm quòd conueniunt in genere. Secundùm autem proprias rationes pertinent ad scientias speciales, sicut est in proposito. Nã omnes substantiæ, in quantùm sunt entia, vel substantiæ, pertinent ad considerationem huius scientiæ; in quantùm autèm sunt talis, vel talis substãtia, vt Leo, vel Bos, pertinent ad scientias speciales.

Ad secundum Resp. admittendo solutionem inter arguendum datam, & ad instantiam, qua solutio argumenti contra primam distinctionem datã impugnatur, dicimus, quòd licèt ipsa taleitas, seù contractio entis, non sit quid ex ęquo distinctum ab ente: tamèn di-

diſtinguitur aliquo modo, videlicèt penès rationem impliciti, & expliciti, in quantùm, quod erat in ente, vt ſic implicitè, eſt in ente tali expricitè, eo modo, quo in papyro inuoluta continentur omnia, quæ in explicata videntur: Sicut ergo quis papyrum complicatã videns, etſi aduertat intus eſſe ſcriptam, tamen nõ poteſt diſtinctè videre, quid eſt ſcriptum, niſi carta explicetur, ita etiam in ratione communi entis cognita, cognoſcuntur plurimæ entitates implicitè, quæ tamen explicitè cognoſci non poſſunt, niſi ratio cõmunis entis per differentias explicetur. Et ſicut explicatio papyri non fit per additionem alicuius, ſed per ſolam eius, quod inuolutum fuit, explicationem, ita explicatio entis per differentias non fit per additionem alicuius formalitatis, quæ non ſit ens, ſed per ſolam inuolutę entitatis explicationem. Vnde benè poterit per ſcientiã cognoſci ens, non cognita directè, & per ſe taleitate entis, quia non eſt neceſſe, aliquid explicitè cognoſci ex eo, quod cognoſcitur implicitè. Sed hoc magis patebit ex dicendis de cõceptu quidditatiuo entis.

Ex quibus omnibus manet ſolutum argumentum illud, propter quod hæc difficultas excitata fuit; Reſp. enim approbando ſolutionem inter arguendum relatam, ad cuius impugnationem Reſp. diſtinguendo maiorẽ propoſitionem: Scire aliquid in vniuerſali, eſt ſcire imperfectè, ſi loquamur abſolutè, eſt vera. Si comparatiuè, falſa; Sicut enim perfectio, ita, & imperfectio eſt duplex. Alia abſoluta, alia reſpectiua. Nã ſcientia v. g. quantum ad alias concluſiones acquiſita, abſolutè loquendo, eſt perfectio, tamen comparatiuè ad aliam iam complete acquiſitam, eſt imperfectio. Sic ergò, ſi abſolutè loquamur, ſcire aliquid in vniuerſali eſt imperfectio, tamen cõparando ſcientem vniuerſalia ad ſcientem particularia, ſcire aliquid in vniuerſali eſt perfectio; perfectior enim eſt ſciẽtia circa vniuerſalia, quàm circa particularia. Tùm quia vniuerſalia ſunt abſtractiora; puriora, & per conſequens perfectiora. Tùm etiã quia particularia clauduntur in vniuerſalibus. Vnde etiam illis cognitis quodammodo cognoſcuntur. Quamuis autẽ ſcire vniuerſalia, & particularia ſimul ſit perfectius, quam ſcire vniuerſalia tantũ, hic tamen modus vni ſcientiæ competere nequit, quæ ſicut eſt determinata ad vnum obiectum adæquatum, ita extra illud vagari non poteſt; ac proinde etiam Metaphyſica non deſcendet ad cognitionem rerum in particulari, quamuis vtpotè ſapientia gaudeat perfectione ſciẽdi, quia hæc perfectio, abundè ſaluatur in hoc, quod ſit de vniuerſaliſſimis, abſtractiſſimis, ſimpliciſſimis, ac per conſequens perfectiſſimis.

Inſtabis. Per Metaphyſicam cognoſcitur diuerſitas, quæ eſt inter Leonem, & Angelum. Ergò

Me-

Metaphysica cognoscit differentias proprias Leonis, & Angeli, quia per proprias differẽtias differunt. Ergò descendet ad cognitionem rerum in particulari.

Resp. 1. Cognoscit earum differentias, de materiali, & indirectè. Concedo; formalitèr, & directè. Nego. Eo proportionali modo, quo sensus communis, quando versatur circa obiecta sensuũ externorum, eorumque differentias, versatur circa illa de materiali per rationes eleuatiores, magisq; immateriales, illas cognoscendo.

Resp. 2. quòd etsi scientia cognoscens positiuam diuersitatem duorum, debeat vtrumq; cognoscere secundùm proprias rationes illorum, non tamen debet cognoscere dictas rationes, quando cognoscit positiuam diuersitatẽ vnius, & negatiuam alterius. Sic ergò Metaphysica cognoscit directè, & per se id, quo differt Angelus à Leone, quia potest Angelicam differẽtiam directè cognoscere, cùm Angelus, vtpotè immaterialis, pertineat ad abstractionem propriam Metaphysicæ. Cæterum non cognoscit directè id, quo è conuerso Leo ab Angelo differt, illa enim differentia vtpotè materialis, distat plurimũ à puritate abstractionis Metaphysicæ, ac per consequens Metaphysica, etsi directè cognoscat per quod positiuè Angelus non sit Leo, tamen ex parte Leonis, non potest directè cognoscere, quò positiuè Leo non sit Angelus, sed præcisè cognoscit Leonẽ non esse Angelum, non descendendo ad cognitionem eius, per quod Leo diuersificatur ab illo.

QVAESTIO VI.

Quis sit finis Metaphysicæ, & quomodo est diuidenda?

EXplicata essẽtia, cæterisq; attributis Metaphysicæ, oportet nõ nihil dicere de causis eius; sed quoniam de Materiali, Formali, & efficiente, nihil peculiare dicendum occurrit; Materialis enim causa huius scientiæ non est aliud, quàm subiectum eius, intellectus scilicet; deinde cùm ipsa scientia forma quædam sit, non habet aliam causam formalem propriam, sed habet essentiã suam, seù rationem formalem ab obiecto, tanquam à causa extrinseca. Denique cùm hæc scientia sit acquisita per proprios actus, tanquàm per propriam causam efficientem, fit inde, vt nihil habeat speciale, præter ea, quæ communia sunt cæteris habitibus acquisitis. Tantùm ergò de causa finali dicendum restat.


Finis igitur huius scientiæ est contemplatio sui obiecti. Cùm enim inter habitus purè speculatiuos, & non alijs deseruientes connumeretur, vnus tantùm ei finis, Contemplatio scilicet veritatis, assignari debet.

Diuiditur autem ab Arist. Me-

ta-

Digitized by Google

taphysica in 12.libros, ſecundùm communiorem ſententiam. Quorum librorum ordo multipliciter poſſet accipi, communiſſimè tamen deſumitur ex muneribus ſapientiæ. Ad ſapientiam enim ſpectant ſeptem. Primò, reprobare omnes aliorum errores, & hoc facit Philoſ. l. 1. Secundò conuenit ſapientiæ tradere modum generalem perueniendi ad veritatē, & hoc facit Philoſophus lib. 2. Tertiò diſputare de quæſtionibus difficilioribus arguendo pro vtraque parte, & hoc facit libro 3. Quartò defendere prima principia, & hoc facit lib. 4. Quintò, explicare generalia ſignificata terminorum, & hoc facit libro 5. Sextò, excludere à ſcientia veritates indemonſtrabiles, & excludere à ſcientia, quæ ad eandem non pertinent, & veritates vniuerſaliſſimas, quæ ſunt demonſtrabiles demonſtrare, hoc facit à libro 6. vſque ad vndecimum. Nā libro 6. excludit ens per accidens, & ens rationis; In 7. & 8. agit de ſubſtantijs. In 9. de actu, & potentia. In 10. de vno, & multis. In 11. autem non facit ſpecialem tractatum, ſed epilogat ſuperiùs dicta. Septimò conuenit Sapienti tractare de Subſtantijs ſeparatis, & hoc facit libro 12. vbi agit de primo principio, & intelligētijs. Hic eſt ordo Philoſophi, quo in tractanda Metaphyſica proceſſit, quem ſequuntur, quicunque commentatorum ipſius officio funguntur. Cæterum nobis cùm alia longè mens ſit: (neque enim Philoſophum commentarijs illuſtrare, ſed celebriores Metaphyſicas difficultates, ad normam modernorum Philoſophorum per Diſputationes, & Quæſtiones examinādas ſuſcepimus) alius quoque nobis in hac Metaphyſica tenendus eſt ordo. Quare tribus Tractat. totū abſoluetur Opus. In primo agetur de ente in communi, eiuſque paſſionibus, variiſque diuiſionibus. In ſecundo de ente creato parte ſcilicet ignobiliore entis, quod eſt obiectum Metaphyſicæ. Ac tandem in tertio, de ente increato, nēpè Deo, vt idem ſit noſtrarum ſpeculationum terminus, qui eſt deſideriorum Meta.



TRA-



TRACTATVS PRIMVS.

De Ente in Communi, eiusque Passionibus, ac varijs Diuisionibus.

ETSI priùs ordine doctrinæ tractandũ esset de Deo, tanquã de primo, simplicissimoque ente, vt sic iuxta methodum compositionis, quæ in tractandis disciplinis est perfectissima, à simplicioribus ad cõpositiora procederemus; quia tamen ab eadem methodo, nec ille deuiat, qui ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia progreditur, vt docent Nostri Complut. in Log. Disput: vlt. Procem. quæst: vlt. num. 87. Ideò nos in vltimum vsque Tractatum de ente increato reiecimus, vt per notitiam tùm communiorum rationum, passionumque entis in communi, tùm etiam entis Creati, eiusque affectionum, velut per gradus quosdam, ad summi primique entis cognitionem ascendamus.

Absoluetur Tractatus iste primus Disputationibus septem.

Prima Disputatio erit de conceptu quidditatiuo entis secundùm se.

II. De conceptu entis secundùm, quod cognoscibilis est.

III. De varijs diuisionibus entis.

IV. De proprietatibus entis.

V. De Vno. VI. De Vero.

VII. De Bono.

DISPVTATIO I.

De Conceptu quidditatiuo entis secundùm se.

COnceptus quidditatiuus rei primus est, qui occurrit intellectui alicuius notitiam inquirenti. Quidditates enim rerum fõtes sunt, radicesq; omnium, quæ in illis possunt inueniri. Ideoq; in hoc Tractatu, acturi de ente, passionibus, ac diuisionibus eius, priùs ipsam eius quidditatem, naturamq; cognoscamus.

QVÆ:

Digitized by Google

QVAESTIO I.

In quo consistat ratio Entis, in quantum Ens, & quomodo inferioribus conueniat.

PRætermittimus Quæstionem de An est Entis, quia ille tantùm esse Ens negaret, qui se esse nesciret: in titulo autem quæstionis duo simul quæruntur. Primò de quidditate conceptus Entis,inquantùm Ens. Secundò de modo,quo Ens conuenit suis inferioribus, seu quasi inferioribus. Sit ergò pro resolutione primæ difficultatis.

§.I. Vbi determinatur in quonam ratio Entis in quantùm Ens consistat.

RAtionem Entis esse ipsam existentiam tenuit Auicenna, Alpharabius, Algazer, vt testatur Albertus in Postprædicamentis cap. 9. Vnde inferebant, Ens non dici quidditatiuè de rebus, primo Ente excepto, de cuius essentia est esse. A' quorum sententia non longè differt Soto, qui in Anteprædicam. Cap. 4. q. 1. circa finem docet: quòd Ens de formali significat esse,seu existentiam, de materiali verò id, quod habet esse,seu essentiam.

Fundamentum suæ Opinionis sumunt ex ipsa significatione verbi Ens, quod deriuatur à verbo sum, estque participium eius, cũ autem verbum sum absolutè sũptum significet actum essendi, siue existendi; inde est,quòd & ipsum Ens existentiam sonet, vt idem valeat Ens, quòd existens. Confirmantque suam Sententiã auctoritate Philos. qui 1. Phys. tex. 7. & alibi sæpè loco Entis posuit id, quod est.

Cæterum pace horum Doctorum dixerim. Falluntur plurimũ, non distinguentes inter id, à quo nomina deriuantur,& inter id,ad quod significandum imponũtur. Quod tamen distinguẽdum erat, nam lapis à lædendo pede deriuatur,& tamen longè aliud significat, quàm læsionem pedis. Sic ergò & Ens, quamuis deriuetur à verbo sũ, immò & ab ipsa existentia, ipsam tamen existentiam secũdùm suum primariũ,& quidditatiuum Conceptum non significat, quamuis, secundùm acceptionem secundariam,illam significet. Quod vt faciliùs capias.

Nota ex Nostris Complut. in Log. Disp. 11. Quæst. 4. n.37. duas esse Entis acceptiones; Aliquando enim sumitur nominaliter, & aliquando participialiter. Primo modo sumptum significat illam potentiam, vel quasi potẽtiam,quæ actuatur per esse, ipsam nimirum essentiam rei,& hic eius est primarius Con-

ceptus, secundùm quem transcendentia, primitas, vniuersalitas, & similia prædicata ipsi competunt, vt infrà patebit. Secundo modo significat existentiam, quomodo neque transcendens est, neque primùm prædicatum in rebus inuentum, quia existentia cùm se habeat per additionem ad essentiam, supponet illam, ac per consequens primum prædicatum esse non poterit.

Ex quo facilè intelligere poteris, conceptum quidditatiuum Entis esse rationem essentiæ, ita, vt Ens conceptu primario essentiam significet. Quod facilè probatur. Quia Conceptus quidditatiuus rei est id, quod primò apprehēditur in re. Sed audito Entis nomine, priùs apprehendo essentiam, quàm existentiam, quia essentia est potentia ad existentiam, & existentia est actus essētiæ. Prior autem est potentia quàm actus. Ergò, &c. Vndè S. Thomas describens Ens, Opusc. 42. cap. 1. dicit. *Ens est cuius actus est esse*. Et quodlibeto 2. q. 2. ar. 3. dicit. *Quòd Ens est id, cui competit esse*, vt innueret nomine Entis non significari esse ipsum, sed id, cui competit esse, tanquā actus eius, nempè essentiam. Ac proindè quando Philosophus loco pro opinione contraria citato dicit, *Ens esse id, quod est*, locutus est de Ente non nominaliter, sed participialiter sumpto, attendens ad existentiam, seu ad esse, à quo licet nomen Entis deriuetur, tamen illud secundariò significat.

Obijcies contra dicta. Ens diuiditur in Ens nominalitèr, & in Ens participialitèr sumptum. Ergò significatum per Ens neque est Ens nominaliter, neque est Ens participialiter, sed aliquid commune vtrique. Probatur cōsequentia. Quia in qualibet diuisione, vox significans diuisum, non supponit immediatè prò aliquo membro diuidente, sed pro gradu communi, qui per membra diuidentia diuiditur, vt v.g. quando diuido animal per rationale, & irrationale, Ly animal neque significat rationale, neque irrationale, sed gradum vitæ sēsitiuæ, quē rationalitas & irrationalitas distinguunt.

Resp. negando Consequentiam: Ad cuius probationem dicimus, verum quidem esse in diuisionibus, quibus vniuocum diuiditur in sua vniuocata, v.g. genus in species, significari aliquē gradum primò, qui diuisi rationem habet, estque communis membris diuidentibus. Cæterū in diuisione, qua vel Analogum in sua Analogata, vel æquiuocū in sua æquiuocata diuiditur, hoc non currit, quia tàm Analogis, quàm æqiuocis, talis communitas conceptus repugnat, vt infrà declarabitur. Quia ergò dicta diuisio, qua Ens partimur in Ens nominaliter, & participialiter, vel est æquiuoca, vel ad summum ratione alicuius proportionis analoga, ideò nomen Entis non significat aliquem gradum communem Enti nominaliter, & par-

tici-

ticipialiter sumpto, sed primariò, & immediatè significat Ens nominaliter, seu essentiam, & secũdariò Ens participialiter, seu existentiam, qui duo Conceptus Entis, distinguuntur penes formalitatem maioris, vel minoris præcisionis, inquantùm Ens nominaliter sumptum præscindit ab actuali existentia, à qua Ens participialiter non præscindit. Quæ doctrina potest apposito exemplo illustrari, sicut enim alteratio, prout genus ad alterationẽ particulariter acceptam, intensionẽ, & remissionem, non significat aliquem gradum cõmmunẽ alterationi, vt sic, & alterationi particulariter acceptæ (hoc enim est impossibile, cùm generi, & speciei nullus gradus sit communis, præter ipsum gradum genericum) sed significat immediatis conceptibus genus Alterationis, & speciem eius, quæ distinguũtur penes limitatum & illimitatum, contractum & non contractum; Ita & Ens non significat aliquid commune Enti nominaliter, & participialiter, sed vtrũque; cum aliquo tamen ordine, ita vt primariò significet Ens nominaliter, & secundariò Ens participialiter, vt iam dictum est.

Hic autem diligenter aduerte. (Nam ex his vocum significationibus, vera rerum conceptio pẽdet) non idem esse Ens in potentia, & Ens nominalitèr sumptum: Aliàs, sicut Ens in potentia non potest prædicari de Deo, qui est purissimus, & simplicissimus actus, ita neque posset de illo dici Ens nominaliter sumptũ; quod tamen est falsissimum, nam hæc propositio est vera, Deus est Ens, etiamsi hæc propositio in vi nominis sumatur, secundũ quòd Ens significat essentiam. Nam in rigore sermonis Deus est sua essentia. Immò si idẽ esset Ens nominaliter, & Ens in potentia, neque de Creaturis iam existentibus posset dici Ens nominaliter, vt consideranti patebit. Distinguuntur autem inter se Ens nominaliter, & Ens in potentia, quia etsi vtrumque in suo conceptu non claudat existentiam, alitèr tamen, & alitèr. Nam Ens nominaliter non dicit existentiam, nõ quòd neget illam, sed quia præscindit ab ipsa. Ens verò in potentia, ex vi sui conceptus, negat existentiã, quia eius ratio, seù id quod est esse in potentia tolleretur, si in eo existentia poneretur.

§.2. *In quo disputatur: An Ens competat Inferioribus per modum prædicati quidditatiui, an verò per modum prædicati extranei?*

EXpedita prima parte difficultatis, ad secundam accedimus, in qua determinandum est, quomodo Ens inferioribus conueniat, an tanquam prædicatum quidditatiuum, an verò tanquã

prædicatum extraneum. In quo omnes illi, qui credebant nomine Entis significari existentiam, cōsequenter asserere debent, Ens esse quidem prædicatū essentiale respectu Dei, quia de illius essentia est esse: Cæterùm respectu Creaturarum esse prædicatum extraneum, quia existentia de nullius creaturæ essentia esse potest, vt infrà tractatu secundo, agentes de existentia, declarabimus. Nos tamen, quia nomine Entis non existentiam, sed essentiam immediatè, & per se primò significari diximus, consequēter.

Asserimus, Ens quidditatiuè dici de Creaturis. Probatur facilè: Quia habere essentiam realē, est essentiale omni creaturæ; Si enim essentiam realem non haberet, realiter esset nihil. Ergò cùm Ens essentiam significet, vt iam probatum est, erit prædicatum essentiale respectu Creaturarum.

Probatur 2. Esse ens, siue habere essentiam competit homini, sed non competit illi per se secūdò, tanquàm ab alio priori dimanans; quià nihil est in rebus prius essentia ipsa. Ergò illi cōpetet per se primò. Ergò erit prædicatum essentiale, quia sola prædicata essentialia competunt rebus in primo modo dicēdi per se, vt dicitur in libro Posteriorum.

Obijcies contrà dictā primò. Prædicata essentialia possunt poni in definitione. Sed ens nullius rei definitionem intrat, vt docet Aristoteles 8. Metaph. tex. 16. Ergò ens non est prædicatum essentiale.

Resp. distinguendo Maiorem. Prædicata essentialia possunt poni in definitione, illa, quæ explicant nouum aliquem gradū cōpetentem definito. Concedo. illa, quæ non explicāt nouum aliquē gradum. Nego. ens autem sicut, & cætera prædicata transcendētia, non explicant aliquem nouū gradum distinctum à gradibus, quibus apponūtur: nā ens homo, verus homo, vnus homo, bonus homo, nihil aliud ab humanitate ipsa significant, sed ipsā humanitatē diuersis modis. Ly enim ens significat humanitatem, secundū quod est potentia receptiua esse: Ly vnum significat humanitatē, secundùm quod est indiuisa in se. Ly verùm significat humanitatem secundùm quod est perfectiua intellectus, ac tandem Ly bonum significat eandem humanitatem, secundùm quod est perfectiua appetitus. Inde est, quòd licèt prædicata hæc sint essentialia, non tamen sunt ponenda in definitione, aliàs definitio & superflua, & nugatoria esset.

Obijcies 2. Prædicata essentialia competunt naturæ absolutè sumptæ, vt præscindit ab omni statu, vt docet S. Thomas de ente, & essentia cap. 4. Sed ens non competit naturæ præscindēti ab omni statu, ergò nō est prædicatum essentiale. Maior, & cōsequentia patent. Minor verò probatur. Vnum non competit

naturæ præscindenti, Ergò non est prædicatum essentiale. Ergò neque ens. Consequentia patet. Quia passiones entis conuertuntur cum ente, & cui ens competit, & illæ competere debent. Antecedens verò est expressum D. Thomæ, loco citato ex cap. 4. de ente, & essentia, vbi loquens de natura, seù essentia secundùm se sumpta, vt ab omni statu abstrahit, sic inquit. *Si quæratur: Vtrũ ista natura dici possit vna, vel plures, neutrum concedendum est, quia vtrumque est extra intellectum humanitatis, & vtrumque potest sibi accidere.* Ergò, &c,

Resp. negando maiorem primi argumenti. Ad cuius probationem negatur Antecedens. Nam etiam naturæ secundùm se sumptæ, sicut entitas,ità & vnitas competit. Ad locum autem S. Thomæ dicimus, S. Doctorem non negare in natura secundùm se considerata vnitatem formalem transcendentalem, secundùm quam natura humana, vtpotè indiuisa in principijs essentialibus, dicitur vna essentia, sed vnitatẽ numericam, quæ inducitur in naturam per diuersas sigillationes à quantitate, & materia procedẽtes, secundùm quas dicitur vnã esse naturã in Socrate, in Platone verò, & Socrate duas. Hanc autem esse genuinam mentem Angelici Doctoris collige ex ratione, quam ad probãdam in argumento contrariorum citatam Sententiam subtexuit. Verba sunt eius. *Si enim pluralitas esset de ratione eius, nunquàm posset esse vna, cùm tamen sit vna, & eadem natura Socratis, & Platonis, nec posset in pluribus plurificari.* Ecce ergò clarè vides, qualem vnitatem remouet S. Thomas à natura secundùm se considerata, illam videlicet, qua Socrates est vnus, Plato verò, & Socrates plures.

QVAESTIO II.
Vtrum Ens sit transcendens respectu suorum inferiorum.

Explicato iàm, quid nomine entis significetur, & insuper quomodo inferioribus competat, videndum restat, an ita essentialiter ens de inferioribus dicatur, vt non tantùm de ipsis rebus, sed etiam de vltimis differentijs rerum essentialiter prædicetur, & ad hoc explicandum instituitur quæstio de transcendentia entis. Transcendens enim illud est, quod ita intimè imbibitur in rebus, quòd nihil sit accipere in quacunque re, de qua formaliter non prædicetur, & in hoc transcendens distinguitur à generibus, quæ in differentijs non clauduntur, ideoq; de illis non prædicantur formaliter, sicut animal non prædicatur formaliter de rationali, sed tantùm identicè, vt docẽt nostri Complut. in Log. Disp. 2. qu. 4.

Scotus ergò in primo Distinct. 3. Quæst. 3. negat transcenden-

Digitized by Google

tiam entis; quia credit, non includi illud formaliter in vltimis rerum differentijs, & modis constitutiuis prædicamentorum, ac per consequens dicit, illas prædicationes, in quibus ens prædicatur, vel de vltimis rerum differẽtijs, vel de modis constitutiuis prædicamentorum, non esse formales, sed identicas. Loquitur autem Scotus, vt seipsum multis in locis explicat, in sensu formali de differentijs vltimis formaliter, & præcisè, secundum quod vltimæ sunt, in quantùm scilicet sumuntur ab illa vltima formalitate formæ, per quam vltimatè, & cõpletè res constituitur in esse talis, & distinguitur ab omnibus alijs rebus, quæ tales non sunt. Argumenta, quibus Scotus probat suã sententiam simul cum solutionibus, vide apud Nostros Complut. in Log. Disp. 2. q. 4. Modo verò.

Probatur breuitèr opinio Scoti. Conceptus determinabilis nõ includitur quidditatiuè in determinante, sed ens determinatur per differentias, & modos constitutiuos prædicamentorum. Ergò non includitur in illis quidditatiuè, per consequens transcendens esse non poterit.

Hæc tamen opinio Scoti displicet. Ideòque contra eam.

Dicimus, ens claudi formaliter in vltimis differentijs, & modis rerum, atque ideò verè, & propriè transcedens esse. Ita S. Thom. 1. contr. gentes. C. 25. & Quęst. 31. de verit. Art. 1. & Quodlibeto 2. a. 3. 1. p. a. 3. ad 1. & pluribus alijs locis, quem sequuntur Caiet. de ente, & essentia Cap. primo, Flandria 3. Metaph. 6. a. 3. Soncinnas 4. Metaph. Quæst. 19. Soto in Anteprædicamentis Capite 4. Nostri Complut. in Log. Disput. 2. Quæst. 4. Fonseca 4. Metaph. Quæst. 4. Cap. 2. Suarez in Metaph. Disp. 2. Sect. 5. & alij plures.

Probatur primò Conclusio tali ratione. Quidquid habet suam propriam essentiam realem, claudit in se rationem entis intrinsecè, & formaliter, quia, vt ex præcedenti quæstione constat, Ly ens primariò, & per se significat essentiam realem. Sed non tantùm omnes res, verùm etiam omnes differentiæ, quantumuis vltimæ, omnesq; modi rerum habent suã essentiam realem. Ergò claudunt in se rationem entis formalitèr, & intrinsecè. Maior, & Consequenquentia patent. Minor verò probatur. Omnes res, omnesq; differẽtiæ, & modi rerum, cùm non sint nihil realiter, sunt aliquid realitèr. Ergò habent suam quidditatem, cum à quidditate reali dicatur aliquid reale. Aliquid enim, vt ex nominis Etymologia patet, est aliqua quidditas. Ergò etiam habent essentiam realem, quia essentia, & quidditas idem apud Philosophos sonant.

Confirmatur. Ens, & nihil opponuntur contradictoriè. Ergò quod non erit intrinsece ens, erit intrinsecè nihil, quia inter opposita contradictoriè non datur medium. Sed differentiæ, & modi constitutiui prædicamentorum

non

non sunt intrinsecè nihil. Ergò sunt intrinsecè entia. Ergò &c.

Probatur secundò. Nulla potentia cognoscitiua fertur in aliquod obiectum, nisi illud apprehendat sub formali ratione proprij, & adæquati obiecti sui. Sed obiectum adæquatum intellectus nostri est ens. Ergò nihil cognoscit intellectus, nisi in eo apprehēdat rationem entis. Sed cognoscit differentias, quantumuis vltimas, cùm ex eis formet definitiones. Ergò illas apprehendet sub Conceptu entis, ac per consequens nè apprehensio intellectus sit falsa, in illis differentijs claudetur ratio entis intrinsecè.

Respondebis, satis esse, quod differentiæ participent rationem entis identicè ad hoc, vt ab intellectu cognosci possint, nō autem, vt participent illam formaliter.

Contra est primò. Intellectus cognoscit differentias secundum formale ipsarum, quia secundùm hoc esse formale intrāt definitionem. Ergò secundum suum esse formale erunt entia formaliter.

Secundò, si differentiæ nō essēt entia formaliter, non possent etiā esse idēticè entia. Ergò si sūt idēticè entia, vt dicitur in responsione, erunt etiam entia formaliter. Consequentia patet. Antedens probatur. Si differentiæ non essent formaliter entia, essent nihil formaliter. Sed nihil nō potest esse identicè ens, quia ideò aliquid est identicè ens, quia identificatur cum aliquo ente; repugnat autem ens, & nihil identificari. Ergò &c.

Probatur tertiò arguendo contra Scotum ad hominem sic. Differentiæ subalternæ v. g. sensibile, & similes includunt formaliter rationem entis, vt concedit Scotus, & ratio euidēs conuincit. Quia si neque subalternæ, neque infimæ differētiæ includerent ens formaliter, nullæ essent differentiæ reales, per consequens nō possent per illas res constitui, & distingui realiter. Ergò etiam debebit fateri Scotus, quòd etiam differentiæ infimæ includant ens. Probatur Consequentia. Tùm quia differentiæ infimæ sunt perfectiores, quàm subalternæ, cùm à perfectiori formalitate formæ physicæ sumantur, vt patet in sēsibili, & rationali. Tùm etiam quia non minus differentiæ subalternæ se totis differunt, suntq; conceptus simplices, quàm infimæ; aliàs si in differentijs subalternis admitteretur compositio gradus communis, seù determinabilis, & differentiæ determinantis ipsum, differentia subalterna, non erit propriè differentia, sed species. Ergò si in subalternis simplicitas conceptus non impedit, quò minùs in eis includatur ratio entis intrinsecè, neque in infimis impedier, ob paritatem rationis.

Confirmatur. Differentijs vltimis competunt proprietates entis. Ergò & ipsa ratio entis, patet Consequentia. Quia, vt infra dicetur, proprietates entis sunt conuertibiles cum ente. Antecedens verò probatur. Nam rationale v. g. est verum, quia cognos-

modum prædicati transcendentis includi.

Ad argumentum pro sententia Scoti, Resp. distinguendo maiorem. Conceptus determinabilis non includitur in determinante, per additionem nouæ entitatis. Conceditur. Per additionem maioris expressionis. Negatur. Dupliciter enim potest aliquid ad inferiora determinari, vel per additionem alicuius gradus contrahentis, qui ex æquo à contrahibili distinguitur, sicut genus determinatur per differentias, & talis gradus determinabilis potest includi in determinante, Vel per maiorem expressionem, in quantùm per additionem alicuius priuationis, vel negationis, vel alterius *similis*, id quod gradus determinabilis dicebat implicitè, dicit postea explicitè, & talis gradus determinabilis, potest includi in determinante. Sic ergo; Quia ens determinatur per modos, & differentias, per maiorem expressionem ratione alicuius priuationis additæ. Ens enim substantia, nihil aliud est, quàm ens, habens negationem essendi in alio, ens homo est idem, ens habens negationem essendi leonem, vel bouem, & sic de alijs. Ideò benè poterit ens includi in differentijs, & modis rerùm. Sed hoc magis declarabitur, quando agemus de modo, quo ens ad inferiora contrahitur.



QVAESTIO III.

Vtrum ens habeat Contradictorium?

QVia, & in præcedenti quæstione ferè omnia argumenta in hoc resoluebantu principiū, ens, & nihil opponuntur contradictoriè; Vnde quòd non est ens, est nihil, & in processu Metaphysicæ sæpiùs eodem principio vtemur, ideò pro meliori ipsius intelligentia, hanc Quæstionem de Contradictorio entis excitamus.

§. I. *Resolutio Quæstionis.*

PRo resolutione istius difficultatis supponēdum est, oppositionem contradictoriam esse duplicem. Aliam rerum, Aliam propositionū; Oppositio contradictoria propositionum est inter propositionem vniuersalem affirmatiuam, & particularem negatiuam, de qua fusè agunt Dialectici in libro Priorum, eamq; fusè explicant Nostri Complutenses libro secundo suarum Institutionum Cap. 5. & 6. Oppositio verò Contradictoria rerum sic potest ex Doctrna Aristotelis, quā habet in libro Cathegoriarum Cap. 10. explicari, Quòd nimirum sit illa, quæ versatur inter res, quarum vna explicatur per terminum affirmatiuum, & alia per terminū negatiuum, & hoc habet speciale vltra alias oppositiones, quod semper enunciationes factæ de

cōtradictoriè oppositis, simul veræ, vel simul falsæ esse nō possūt, sed vna illarū debet esse vera, alia verò falsa. Ista est expressa doctrina Aristotelis in post prædicamētis de oppositis, vbi, vt probet oppositionem cōtradictoriā ab alijs omnibus oppositionibus distingui, sic inquit. *Quæcumque verò tanquam affirmatio, & negatio opposita sūt, palàm est, quòd nullo prædictorum modorum opposita sunt, in solis enim istis necessariū est aliquid quidē eorū verum, aliud autem falsū esse: neque enim in cōtrarijs necessarium est semper alterū verum esse, alterum verò falsum, neque in his quæ sunt, ad aliquid, neque in habitu, & priuatione.* Et postquā Philosophus, discurrendo per alia genera oppositionum, fusè ostendisset, non esse in illis necessariū, vt vnum sit verum, & aliud falsum, Concludit. *In affirmatione autem & negatione siuè sit, siuè non sit, aliud quidem verum erit, aliud falsum: Languere namq; Socratem, & non languere Socratem, cùm ipse sit, palam est, quia vnum eorū verum, alterum falsum est, & cū nō sit similitèr. Languere enim cū non sit, falsum est. Non languere autem, verum: Quare in his solis proprium erit semper alterum eorum verum, alterum falsū esse, quæcunq; tāquam affirmatio, & negatio opposita sunt.* Hæc fusius de oppositione contradictoria rerum adduximus, quia hæc est, quam in præsenti quæstione inquirimus, de oppositione enim propositionum agere, ad Dialecticos spectat. Hoc ergo supposito.

Dicendum est, ens habere Cōtradictorium, nempè non ens. Ita communiter Philosophi. Probatur hæc Cōclusio primo. Istæ propositiones opponuntur, Petrus est ens, Petrus non est ens. Sed non opponuntur oppositione contraria; Tum, quia hæc est inter duo entia, ista autem est inter ens, & non ens; Tùm etiam, quia substātiæ nihil est contrarium, vt docet Philos. in Cathegorijs, Petrus autem est substantia. Neque opponuntur relatiuè; quia ens, vel Petrus non sunt relatiui termini, vt patet. Neq; tandèm priuatiuè, quia hæc verlatur inter habitum, & priuationem. Ergò opponuntur cōtradictoriè: Tùnc sic subsumo: Sed hæc contradictio non est ex parte subiecti, cùm subiectum vtriusq; propositionis sit affirmatiuum. Ergò erit ex parte prædicati, seu copulæ; Sed per copulā, & prædicatum significatur in affirmatiua ens, in negatiua verò non ens. Ergò ens, & non ens opponuntur contradictoriè. Ergò &c.

Probatur Secundo. Terminus disiunctiuè significans aliqua, si sit affirmatiuus, contradictoriè opponitur termino neganti copulatiuè: Eodem enim modo opponuntur extrema disiuncta, quo opponuntur ipsæ propositiones disiunctiuæ; iam autèm propositio affirmatiua, si per, *vel*, disiungatur, opponitur propositioni negatiuæ copulatæ per, *&*; Quia, *&*, &, *vel*, contradictoriè opponuntur, vt docent nostri Complut.

lib.

lib. 2. Institutionũ c. 5. Sed, *Ly, ens*, est terminus affirmatiuus aliquo modo disiunctiuè significans: Ens enim, vt infrà dicetur, significat substantiam, vel accidens, vt proportionabiliter similia. Ergò non ens, qui est terminus negãs copulatiuè substantiam, & accidens, opponitur ei cõtradictoriè. Cùr autẽ in ista ratione non dixerim absolutè, ens esse terminum disiũctiuè significantem, sed quodammodo disiunctiuè, patebit ex dicendis Disputatione sequenti, quando agetur de Conceptu cõmuni entis.

Probatur Tertio. Termini, qui ita inter se opponuntur, vt nunquàm possint simul verè enunciari de aliquo, opponuntur contradictoriè; Quia, vt ex Doctrina Philos. in Suppositione adducta, constat, hoc speciale habet oppositio cõtradictoria, quod propositiones, circa contradictorie opposita formatæ, nunquàm possint esse simul falsæ: Sed ens, & non ens, ita inter se opponuntur, quòd nunquam possint verificari de eodem, vt consideranti ipsos terminos patet. Ergò opponuntur contradictoriè.

§. 2. *Proponuntur, & soluuntur Obiectiones.*

OBijcies contra dicta primò. In termino habẽte multiplex significatum, non potest esse contradictio, Sed ens habet multiplex significatum, Ergò in ente non potest esse contradictio. Minor est Aristot. 4. Metaph. Tex. 2. vbi dicit. *Ens autèm multipliciter quidem dicitur.* Maior, verò probatur. Ad contradictionem requiritur, vt sit affirmatio, & negatio eiusdem de eodem; & secundùm idem, Sed in termino habente multiplex significatum, non potest esse affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, & secundùm idem, quia poterit pro diuersis significatis supponere, vt cùm dico, canis est animal, canis nõ est animal, non est contradictio, quia in affirmatiua suppono pro cane terrestri, in negatiua, pro cælesti Ergò &c.

Resp. distinguendo Maiorem. In termino habente multiplex significatum, sine vlla similitudine, vel proportione, nõ potest fieri contradictio, conceditur. In termino habente multiplex significatum, cum aliqua similitudine, vel proportione, quòd non possit fieri contradictio, nego: Dupliciter enim aliquis terminus potest habere multiplex significatum, vel ita, vt immediatè plura significet sine vlla similitudine, proportione, vel proportionalitate, sicut nomina æquiuoca sua æquiuocata significant; Et in talibus terminis contradictio esse non potest, quia significata per illud nomen nullam habent vnitatem requisitam ad fundandam contradictionem, quæ debet esse affirmatio, & negatio eiusdem de eodem secundùm idem; vel secundò modo potest aliquis ter-

minus significare plura, cum aliqua similitudine, vel proportione, quia, etsi immediatè significet rationes particulares eorum, non tamen absolutè sumptas, sed vt proportionabilitèr similes; & talis terminus potest fundare cōtradictionem, quia habet vnitatem, non quidem perfectam, sed imperfectam, vt sequenti quæstione declarabitur. Ens ergò, quia plura significat hoc secundo modo, est enim analogum, vt statim dicetur, poterit fundare contradictionem.

Obijcies secundò. Si esset aliquod, quod opponeretur enti cōtradictoriè, illud esset non ens, sicut nos determinauimus, Sed non ens non potest opponi enti, contradictoriè. Ergò, &c. Probàtur minor. Ratio vnius extremi contradictionis nullo modo conuenit alteri extremo; aliàs à cōtradictorijs posset abstrahi aliquid commune, & sic inter cōtradictoriè opposita daretur medium, quod est contra omnes Philosophos, Sed ràtio entis cōpetit non enti, quia non ens est apprehensibile ab intellectum, vt cùm apprehendimus negationes, vel priuationes; quod autē ab intellectu apprehenditur, debet participare aliquomodo rationem entis, cùm ens sit obiectum adæquatum intellectus nostri. Ergò &c.

Resp. negando minorem. Ad cuius probationem, dicimus, Nō ens, quà tale, seu, quod idem est, non ens, sub cōceptu non entis, numquam participare rationem entis, & nunquam ab intellectu apprehendi posse: Quando verò apprehenditur ab intellectu vestitum ratione entis, perdit conceptum non entis, & ens rationis esse incipit, aliud esse non habens, nisi obiectiuè in intellectu, vt cùm apprehendimus priuationes, vel negationes, admodum formarum aliquarum positiuarum.

Obijcies tertiò. Extremis cōtradictionis, nihil potest esse commune, aliàs inter contradictoriè opposita daretur medium; Sed enti, & non enti potest esse aliquid commune. Ergò ens, & non ens non sunt opposita contradictoriè. Probatur minor. Nomen infinitum est commune enti, & non enti; hęc enim vera est: Lapis est non homo, & similitèr ista, Nihil est non homo. Ergò, &c.

Resp. distinguendo maiorem. Enti, & non enti, nihil potest esse commune, Communitate rei, concedo, Communitate nominis, Nego. Quamuis ergò terminùs infinitus, v.g. non homo, sit communis enti, & non enti, ista tamen communitas non tollit contradictionem, quia est sola communitas nominis. Cùm per Ly, non homo, non significetur aliquis gradus, seu conceptus realis, in quo ens, & non ens conueniant.



§. 3.

Digitized by Google

§. 3. In quo determinatur. An non Entibus aliqualis oppositio competat; & insuper: An unum non ens possit per aliud tolli?

QVamuis de nõ entibus agere sit extra Institutum Metaphysicæ, cuius Obiectũ adæquatum est ens, quia tamen iam de non ente in hac quæstione tractare cæpimus, vt ostenderemus oppositionem, quæ inter ens, ex vna, & non ens ex alia parte intercedit, ideò, pro completa oppositionis notitia, hoc dubiolum excitamus de oppositione non entium, vt statim explicemus, quod aliquibus in intelligibile videtur, quomodo vnum non ens possit tolli per aliud.

Prò quo statuendum est, tanquam certum, quod, si in rigore de oppositionibus loquamur, nulla poterit competere nõ entibus. Oppositio enim est quædam affectio entis consequens rationem ipsius, ac proindè non entibus competere non potest: Si tamen loquamur de Oppositione largè sumpta, prout dicit repugnantiã duorum, vel quasi duorum, oppositas rationes, vel quasi rationes habentium, abstrahendo, an illa entia sint, vel non sint.

Dicendùm est, etiàm inter nõ entia suam Oppositionem inueniri, illamque secundùm aliquid imitari oppositionem contrariã entium, & secundùm aliquid, cõtradictoriam.

Probatur cõclusio, quoad primam partem primò. Negatio, & priuatio sunt non entia; Sed inter negationem, & priuationem inuenitur Oppositio. Ergò inter non entia inuenitur Oppositio. Maior, & consequentia patet, & probatur minor. Inter illa, quæ important rationes sibi inuicem repugnantes, ita vt vnum dicat essẽtialitèr negationem alterius, inuenitur oppositio; Sed negatio, & priuatio important rationes sibi inuicem repugnantes, ita vt vna dicat essentialitèr negationem alterius: Ergò inter negationem, & priuationem inuenitur oppositio. Probatur minor. Nam priuatio propriè dicta, est carentia formæ in subiecto apto, negatio verò similiter propriè dicta, est carentia formæ in subiecto inepto; ex quo rursus sequitur, quòd negatio potest necessariò competere subiecto, sicut necessarium est, Angelum carere materialitate, & Lapidem, vita. Priuatio autem nunquàm potest necessariò subiecto conuenire, quia subiectum sempèr dicit aptitudinem ad formam illam, quam priuatio tollit, cum priuatio sit carentia formæ in subiecto apto; Sed carentia formæ in subiecto apto, & carentiã formæ in subiecto inepto, necessariò cõueniens, & non conueniens necessariò, sunt rationes repugnantes, & vna claudit negationem alterius. Ergò, &c.

Pro-

Probatur secundò. Si propter aliquam rationem inter non entia oppositio non posset inueniri, maxime, quia est prædicatum solis entibus competens. Vndè etiam Aristot. agit de ipsa in post prædicamentis, tanquàm de affectione consequente rationes entium realium in prædicamentis contentorum; Sed hæc ratio non conuincit. Ergò, &c. Probatur minor, quia multa prædicata solis entibus competētia, ampliata illorum significatione, possunt etiam non entibus competere. Nam vnum, & multa sūt proprietates solis entibus conuenientes, & tamen ista competunt non entibus, verè enim dicitur vna priuatio esse duplex, vel triplex: nam in homine, qui tantùm est cæcus, est vna priuatio, in homine verò cæco, surdo, & muto, sunt tres. Similitèr intensio, & remissio est passio qualitatis realis, & tamèn priuatio, quæ est non ens, potest intendi, & remitti. Tùm quia, quando forma habet latitudinem, quò pluribus gradibus virtualibus priuatur subiectum, eò priuatio est maior, quò paucioribus, minor. Tùm etiam, quia, quò forma est magis debita, eò priuatio ipsam tollens, maior est. Insupèr distinctio, vel identitas entibus conueniunt, & tamen etiam in non entibus inueniuntur, quia etiam non entia inter se differunt, nam vnum de alio verè negari potest. sunt enim veræ istæ negatiuæ propositiones: Priuatio non est negatio, vel e contra: & priuatio visus non est priuatio auditus. Ergò, etiamsi oppositio, propriè, & presè sumpta, solis entibus competat, sumpta tamen secundùm improprium significatum, etiam non entibus poterit conuenire.

Ex quo facilè ostenditur id, quod in secunda parte nostræ Conclusionis dictum fuit, scilicèt, oppositionem inter non entia inuentam, secundùm aliquid, imitari oppositionem contrariā, & secundùm aliquid, contradictoriam. Nàm contrariam inprimis imitantur oppositiones intercedentes inter negationem ex vna, & priuationem ex alia parte: Quia, sicut contraria sub eodem genere maximè distant, ita etiam negatio, & priuatio sub eodem quasi genere carentiæ, vt sic, plurimùm distant, &, sicut contrarietas attenditur per respectum ad subiectum, vndè etiā contraria ab eodem subiecto se expellunt, ita etiam negatio, & priuatio per ordinem ad subiectum opponuntur, vnde etiam vni subiecto formalitèr, in quantùm scilicet est subiectum vnius formæ, non possunt simul competere: Licet enim successiuè possint, sicut contraria realia; ita priuatiò, & negatio, vni subiecto competere, nàm, sicut idem subiectum potest esse nunc calidum, & postea frigidum, ita potest carentia formæ, quam habet, nunc esse negatio, & postmodùm, priuatio, v.g. carentia visus in cane

ante

Digitized by Google

ante nonum diem est negatio, & post nonum diem est priuatio; Tamèn, sicut implicat idem subiectum pro eodem tempore dicere, & non dicere aptitudinem ad eandem formam, ita repugnat simul, & semel, carentiam formæ, quam dicit subiectum, dici negationem, & priuationem.

Contradictoriam autem oppositionem imitantur, tàm hæ, quàm omnes aliæ oppositiones inter non entia intercedentes, quia ordinariè fundatur in negatione, & affirmatione. Iam autem oppositio fundata in affirmatione, & negatione est contradictoria: patet per Philos. cap. de Opposit. qui contradictoriam oppositionem per affirmationem, & negationem explicuit.

Sic autem explicato, quomodo non entia inter se opponantur, restat, vt explicemus, an per se ad inuicem tollantur: Videtur enim esse implicantia in adiecto, quòd non-ens tollatur; Quod enim non est, tolli non potest. Sed non ens, non est. Ergò tolli non potest. Tamen, quia certum est per positionem entis non ens tolli, non per destructionem alicuius entitatis, hæc enim nulla fuit, sed per remotionem alicuius denominationis, sicut per visum tollitur cæcitas, ideò & nos proportionabilitèr quærimus.



An per positionem (vt ita dicam) vnius non entis, & denominationis ab illo prouenientis remoueatur aliud non ens, & denominatio ab illo proueniens?

Dicimus breuiter. Benè posse non ens per non ens tolli. Probatur primò. Tàm priuatio, quàm negatio est nō ens, sed per negationem potest tolli priuatio. Ergò non ens tolli potest per non ens. Maior patet, & probatur minor. Lapis non dicitur esse non videns priuatiuè, sed negatiuè, non aliam ob rationem, nisi quia lapis non est subiectum aptum visus. Ergò negatio aptitudinis tollit rationem priuationis in lapide, ac per consequens non ens tollitur per non ens, priuatio scilicèt per negationem.

Confirmatur. Post extinctam in loco obscuro candelam, remanentes tenebræ, formaliter, non sunt priuatio luminis Solis, sed luminis candelæ; & hoc non ob aliam rationem, nisi, quia in illo loco non præcessit lucens Sol, sed lucens candela. Ergò negatio lucentis Solis tollit priuationem luminis Solis. Ergò priuatio tollitur per negationem.

Probatur secundò. Si repugnaret, non ens per non ens tolli, vel hæc repugnatia esset ex parte termini tollendi, quia scilicet nō enti repugnat tolli, vel ex parte principij tollentis, quia non ens non potest aliquid tollere, vel tā-

dem

Digitized by Google

dem ex parte coniuncti, quia scilicet, etsi non ens, & tolli, & tollere potest, non tamen nō ens, per non ens. Sed nullo istorum modorum repugnat. Ergò absolutè non ens potest tolli per non ens. Maior à sufficienti enumeratione est certa. Minor quantùm ad primam, & secundam partem non indiget probatione. Videmus enim, non ens & tolli posse; nam tollitur per ens, v.g. quando per visum tollitur cæcitas: & tollere, tollit enim ens, sicut mors tollit vitam, & cæcitas visum. Quantùm verò ad tertiam partē, eadem minor probatur sic. Si ratione coniuncti repugnaret non enti per non ens, tolli, ideò maximè, quia non enti non contrariatur non ens, sed ens; Iàm autem nihil tollitur, nisi à suo contrario; Sed hæc ratio non subsistit; supponit enim duo falsa. Ergò, &c. Minor proxima probatur. Nam in primis falsum est, non enti non contrariari nō ens, vt in præcedenti conclusione vidimus. Deinde falsum est, quod nihil possit tolli, nisi à suo contrario, vt enim docet S. Thomas Tract. de Virtutibus qu. 2. ar. 12. & nostri Complut. ex eodem in lib. de Generat. disput. 3. q. vltima, quatuor modis potest aliquid corrumpi. Primò, per absentiam suæ causæ conseruantis, sicut lumen per absentiam Solis tollitur. Secundò per destructionem subiecti, sicut sensus corrūpuntur per destructionem suorū organorum. Tertiò, per actionē contrarij, sicut frigidum definit per actionem calidi. Quartò ad desitionem termini, sicut relatio tollitur per ablationem sui termini. Si ergò in entibus ipsis potest aliquid tolli, & non per contrarium, multò magis in non entibùs, etiamsi inter illa nulla esset contrarietas, vel oppositio, (quod falsum esse ostendimus) potest vnum tolli per aliud. Ex nullo ergo capite repugnat, non ens tolli à non ente, ac per consequens, non entia, sicut oppositionem habent, vt vidimus, ita vnum per aliud tolli, est possibile.

Ad obiectiunculam supra insinuatam Resp. primò negando, esse implicantiam in adiecto: & cùm dicitur: Quod non est, tolli non potest. Distinguo: Quod nō est, nec in se, nec in aliqua denominatione à se prouenienté, tolli non potest, Concedo. Quod non est in se, est tamen in denominatione à se prouenientè, tolli non potest, Nego. Sed non ens non est, Distinguo: in se, Concedo, in denominatione à se prouenientè: Nego.

Resp. secundò. Quod non est, tolli non potest, Distinguo, quātùm ad entitatem, concedo: quātùm ad denominationem relictā in subiecto: Nego. Et sic, licet non ens, non possit tolli, quantū ad entitatem, potest tamen tolli, quantùm ad denominationem, sicut quando per formam tollitur priuatio, non tollitur aliqua entitas, quia priuatio entitatem

nul-

nullam habet, cùm sit non ens, sed tollitur aliqua denominatio, quam priuatio formæ induxerat in subiectum.

QVAESTIO IV.

An, & quà Analogia Ens sit analogum respectu suorum inferiorum.

DEterminato in præcedentibus, quòd ens essentialitèr de rebus omnibus prædicetur, determinandum est, qualis est ista prædicatio; an scilicèt vniuoca, seu generis de speciebus, an æquiuoca, an tandem analoga, & hoc est, quod in præsenti quæstione quærimus; Priusquam tamen ad resoluendum difficultatis nodum accedamus, compendiosè censuimus præmittenda ea, quæ fusè Authores, & præcipuè Caietanus, & nostri Complutenses de nominum analogia tradiderunt. Pro quo sit.

§. I. *In quo Ratio analogiæ, & diuisio eius explicatur.*

QVia *Analogia* Græca vox; apud Latinos proportionē, vel proportionalitatem significat, ideò inæqualitatem cū æqualitate, conuenientiam, cum disconuenientia mixtam importare debet: ita tamen, vt in analogis inueniatur inæqualitas simpliciter, & æqualitas tantùm secundùm quid, vt optimè aduertunt nostri Complut. in Log. disput. 10. q. 6. Vnde, analoga sūt illa, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen significata simpliciter est diuersa, & secundum quid eadem. Hinc aduerte, quàm impropriè nomen analogiæ tribuatur illis gradibus, qui etsi inferioribus, quantùm est de se, æqualiter competant, habent tamen inæqualem perfectionem in ipsis ratione inæqualium differētiarum contrahentium, v.g. animal licet æqualitèr participetur ab homine, & equo, perfectius tamen esse habet in homine, quā in equo, quia ibi cum perfectiori differentia coniungitur. Cùm enim in analogis ratio significata per nomen analogum, debeat esse simpliciter diuersa, quis hæc dicet esse analoga; in quibus ratio significata per nomē est simpliciter eadem? Vnde etiam talia analoga vocantur, & sunt logicè loquendo vniuoca, quia hæc inæqualitas in perfectione physica, ratione perfectioris formæ, non obstat vniuocationi, vtpote quæ in omnibus generibus inuenitur: Nam hæc in aliquibus speciebus ratione perfectiorum differentiarum, sunt perfectiora physicè loquendo, & in aliquibus ratione imperfectiorum, im-

perfectiora, vt in exemplo allato patet. Vnde Aristoteles 7. Physs. tex. 31. dixit: *iuxta genus latere æquiuocationes, &c.* Hanc physicam inæqualitatẽ nomine æquiuocationis denotando, quæ generibus necessariò annexa est, vel ex hoc ipso, quia per diuersas differentias ad diuersas species se in perfectione excedentes trahũtur. Verùm hac analogia (quam alij analogiã physicam, alij analogiam inæqualitatis, alij cum D. Thoma in 1. disput. 19. qu. 5. ar. 2. ad 1, Analogiam secundùm esse, & non secundùm intentionem vocant) vtpotè impropria, omissa.

Analogia propriè accepta diuiditur in analogiam proportionis, seu attributionis, & in analogiam proportionalitatis. Analoga analogia attributionis sunt illa, quorum nomen est commune, ratio verò per illud nomen significata est eadem secundùm terminum, diuersa verò secundũ habitudines ad ipsum, v. g. Sanum dicit sanitatem, quàm respicit animal, vt habens, vrina, vt signãs, medicina, vt causans. Analoga verò analogia proportionalitatis sunt, quorum nomen est commune, ratio verò substãtiæ secundum illud nomen est similis secundùm proportionem: v. g. principium, quod proportionaliter dicitur de corde hominis, & de fundamento domus; nam sicut se habet cor ad principiandum hominem, ita se habet & fundamentum ad principiandã domum; differunt autem analogia proportionis, & proportionalitatis multipliciter.

Primò. Quia nomen analogũ analogia attributionis tantùm est intrinsecè in primo analogato, in alijs autem per extrinsecã denominationem, vt patet in sano, quod tantùm est intrinsecè in animali, tanquam in habẽte sanitatem, in alijs verò est extrinsecè, vel tanquam in causa, vel tanquam in signo sanitatis, intrinsecè, & formaliter in animali existentis. Analogum verò analogia proportionalitatis propriæ (de proportionalitate enim metaphorica hic nõ loquimur, tùm quia parum, vel nihil ad rem nostram conducit. Tùm etiam vix non eadem ei competunt, quæ & analogiæ attributionis, vt videre est apud nostros Complut: disput: nuper citata) reperitur intrinsecè in omnibus analogatis, nòn quidẽ ita, vt nomẽ analogum significet aliquem gradum communem, quem intrinsecè participent analogata, (hoc enim est proprium vniuocorum) sed ita, vt nomen analogum significet immediatè analogata secundùm rationes proprias eorum, vt proportionabilitèr se habentes inter se, in quantùm scilicèt vnum fundat habitudinẽ ad suum esse similem habitudini, quam fundat aliud: Hoc enim ipso nomen analogum significãs illas habitudines, vt proportionabilitèr similes, significabit rationem, quæ est intrinsecè in analo-

Digitized by Google

logatis: quia vnicuique rei est intrinseca habitudo ad suum esse. Quod discrimen respexit S. Thomas, quando analoga attributionis vocauit talia secundùm intentionem tantùm, & non secundùm esse; Analoga verò proportionalitatis, & secundum intentionem, & secundum esse, quia nimirum ratio significata per nomen analogum analogia attributionis licet referatur ad omnia analogata, non tamen habet esse in omnibus, cuius oppositum in analogia proportionalitatis inuenitur.

Secundò differunt, quia ratio significata per nomen analogum analogia attributionis est vna numero; Cùm enim sit tantum intrinsecè in primo analogato, & extrinsecè in reliquis, non multiplicabitur in ipsis, nam distinctio denominationis extrinsecæ, & intrinsecæ, nõ multiplicat formas, sed subiecta. Cæterum ratio significata per nomen analogum analogia proportionalitatis est multiplex in analogatis, quia est intrinsecè in omnibus, & sic alia est ratio principij in corde, & alia, quamuis præcedenti similis, in fundamento domus. Non sic autem in sano, vbi eadem est sanitas, quæ intrinsecè denominat animal sanum, & extrinsecè medicinam, vrinam, dietam, &c. Hoc tamen, quod de analogia attributionis in hoc secundo discrimine diximus, intellige per distributionem accommodam; si enim analogata significentur in particulari, erit in eis ratio analogi vna positiuè, v.g. quando dico animal sanum, medicina, vrina, &c: Si verò sumantur in vniuersali, v.g. animalia, medicinæ, vrinæ, tunc ratio sani vna erit negatiuè in principali analogato, scilicet in animali, quia non potest esse positiuè vna numero sanitas in omnibus animalibus.

Tertiò differunt, quia in analogia attributionis cætera analogata definiuntur per primum; Cùm enim definitio debeat explicare naturam rei, ea debent intrare definitionem, à quibus intrinsecè dependet definitum. Cùm ergò hìc analogata, alia intrinsecè dependeant à primo, vtpotè ab eo, à quo sumunt suam denominationem, definientur per illud, vt v.g. si definias medicinã sanam, dices, est causa sanitatis animalis; si vrinam, est signum sanitatis animalis. Secùs contingit in Analogis analogia proportionalitatis propriæ, propter oppositam rationem: Ibi enim cùm habitudines, seu proportiones sint æquales, nulla dependebit ab alia, tamen vnius analogati analogia proportionalitatis definitio est proportionabilitèr definitio alterius.

Quartò differunt, quia illud axioma; *Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato*, currit in analogis analogia attributionis, non autem in analogis analogia proportionalitatis propriæ. Ratio istius est, quia in analogia proportionis, seu at-

tributionis nomen analogum nõ significat æqualitèr analogata, sed primum significat primariò, & distinctè, reliqua autem secundariò & confusè, in quantum denominãtur à primo. In analogia autem proportionalitatis omnia analogata æqualitèr significãtur, vtpotè æqualitèr rationẽ per analogum significatam participãtia, in sensu superiùs explicato.

Quintò differunt, quia analogum analogia proportionis, seu attributionis non potest esse medium demonstrationis, benè tamen analogum analogia proportionalitatis propriæ; quia, cùm in prioribus analogis ratio significata per nomen analogum tantum in vno inueniatur intrinsecè, in alijs verò per extrinsecam denominationem, nomen analogum non distribuitur secundùm aliquid intrinsecum in omnibus, ac per consequens præmissa, in qua prædicabitur de secundo, semper erit contingens, quod repugnat demonstrationi, quæ debet procedere ex necessarijs. Cæterum analogum proportionalitatis propriæ distribuitur secundùm aliquid intrinsecũ pro omnibus, quia ratio significata per nomen inuenitur intrinsecè in illis, modo supra explicato; vnde sufficientem habet necessitatem ad demonstrationẽ.

Sextò differunt, quia analogia attributionis causatur per dependentiam, cum in illa secũda analogata dependeant à primo, tanquam ab eo, à quo sumunt suam denominationem. Analogia verò proportionalitatis propriæ non causatur per dependentiam, quia proportiones, quas importat, æqualiter, & intrinsecè reperiuntur in analogatis, ac per consequens sunt independentes.

Septimò, & vltimò differunt, quia analogia proportionalitatis semper requirit quatuor terminos, eò quòd illa versetur non inter res ipsas, sed inter proportiones. Ergò, cum quælibet proportio requirat ad minùs duos terminos, proportionalitas, quæ est inter proportiones, requiret ad minùs quatuor. Hoc autem analogiæ attributionis, seu proportionis non competit, propter oppositam rationem, & hoc discrimen est, in quo analogia proportionalitatis metaphoricæ cõuenit cum proportionalitate propria, & differt ab analogia attributionis, cum qua in omnibus suprà recensitis conueniebat.

Explicata verò diuersitate, quæ inter analogiam attributionis, & proportionalitatis intercedit, restat, vt explicemus, quomodo nomen analogum ab analogatis distinguatur. Non loquimur autem hìc de analogia attributionis, quia in hac certum est, nomen analogum significare ipsum primum analogatũ, in quantùm terminat habitudines aliorũ analogatorum minùs principalium, atque adeò conceptus analogi analogia attributionis non distinguitur à conceptu principalis

palis analogati, sed loquimur de analogia proportionalitatis, quæ maximè dicitur talis, vt ostendit Caietanus de nominum analogia cap.3. Quia autem in nomine tria inueniuntur, scilicet *Vox, cõceptus in anima, & res extra, seu conceptus obiectiuus*: ideò determinandum est, quomodo quoad singula nomen analogum distinguatur ab analogatis.

Primò ergò, quantùm ad vocem ipsam, distinguitur nomen analogum ab analogatis realiter, quia alia est hæc vox *Substantia*, & alia hæc, *Ens*. Tota ergò difficultas est circa significatum vocis, id est de conceptu obiectiuo in re, & formali in anima existente, quomodo scilicet conceptus tàm obiectiuus, quàm formalis analogi à conceptibus tàm formalibus, quàm obiectiuis analogatorum distinguatur.

Pro quo Statuendum est, quòd, si de Conceptu obiectiuo loquamur, in quo Conceptus formalis in intellectu existens fundari debet, cõceptus analogi obiectiuus distinguitur à conceptibus obiectiuis Analogatorum, sicut vnum proportione à multis simplicitèr, vel, quod idem est, sicut multa, vt similia, secundùm proportionem, à seipsis absolutè sumptis. Explicatur hoc tantillùm fusiùs, quia inde sumemus infrà efficacissimũ argumentum ad euertendum opinionem ponentem conceptum entis esse simplicitèr vnum. Sciendum est ergo, nomen Analogum esse medium inter æquiuoca, & vniuoca; Cum enim nomen æquiuocum ita res diuersas significet, vt non nisi in solo nomine conueniant, vniuoco verò ita res diuersæ significantur, vt tamèn in vno conceptu, seu ratione conueniant, necessariò analoga, quæ, vtpotè medium tenentia, de vtroq; extremo participant, ita debent diuersa significare, vt tamèn illa diuersa in aliquo conceptu aliquomodo vno, vel quasi vno conueniant; in quo ab æquiuocis differunt: qui conceptus vnus simplicitèr esse non potest; & in hoc ab vniuocis distinguuntur.

Quod, vt faciliùs capias, accipe differentiã, quæ inter vniuoca, & Analoga intercedit; Quamuis enim vtraq; similitudinẽ importent, sicut enim sunt similes homo, bos, leo in animalitate, ità substantia, & Accidens in entitate, alitèr tamen, & alitèr: Nam in vniuocis fundamentum illius similitudinis est eiusdem rationis in omnibus vniuocatis, quia nihil formaliter dicit in vno, quod non dicat in alio; Vndè oritur, quòd conceptus vniuocus possit ab vniuocatis perfectè abstrahi, v.g. animalitas, sub conceptu animalitatis, nihil dicit in homine, quod non dicat in boue, vel leone, quia sub hoc conceptu non dicit aliud, nisi vitam, & sensum, quæ æqualitèr homo, leo, bos participant; nam etsi in homine per aliam differẽtiam contrahatur, & per aliam in boue, & leone, quia tamen illæ differentiæ sunt extra conceptum eius, non tollent eius

vni-

Digitized by Google

vnitatem formalem, quamuis ex alio capite, animalitas non solùm in speciebus, verùm etiam in indiuiduis realitèr multiplicetur: de quo vide Nost. Complut. in Log. Disp. 3. q. 3. In analogis autem fundamentum similitudinis in vno analogato est diuersæ rationis à fundamento existente in alio, quia non dicit id totum vnũ, quod dicit aliud: Cuius ratio est, quia nomen analogum significat analogata secundùm proprias rationes illorum, quæ necessariò differre debent, etsi habeant proportionalẽ differentiam inter se, v. g. Ly principium non significat aliquid commune cordi, & fundamento domus, sicut Ly animal significabat gradũ vitæ sensitiuæ communem homini, & leoni, sed immediatè significat cor, & fundamentum, vt proportionabilitèr se habentia in hoc, quòd sicut cor principiat vitam hominis, ita fundamentum domum. Ex quo fit, quòd analogum nec possit dicere conceptum simpliciter vnum, quia includit actu principia distinguentia, nec possit abstrahere perfectè ab analogatis, sicut vniuocum abstrahit ab vniuocatis, quia analogũ immediatè significat ipsa analogata, ac per consequens, etsi conceptus vniuoci distinguatur ab vniuocatis perfectè, quia perfectè est abstrahibilis ab ipsis cõceptus, tamẽ cõceptus Analogi nõ distinguitur perfectè ab analogatis, nisi tantũ secũdùm quid, quia etiã secundùm quid abstrahit, sicut abstrahunt, & distinguuntur multa similia à seipsis absolutè sumptis.

Vnde vt optimè aduertit Caietanus de nominũ analogia cap. 5. Analogiæ abstractio non consistit in intellectione vnius, & non intellectione alterius, sicut in vniuocis consistit; Per hoc enim abstraho animal ab homine, & equo, quia intelligo animal, non intellectis differentijs constitutiuis hominis, & equi. Sed abstractio analogi consistit in intellectione analogatorum; vt similium, & non in intellectione eorum absolutè sumptorum, sicut v. g. abstractio entis à Substantia, & quantitate non consistit in hoc, quod entitas intelligatur, substantia verò, & quantitas non, sed in hoc, quòd apprehendatur substantia, & quãtitas, vt sic se habent ad propriũ esse, & non apprehendatur substãtia, & quantitas absolutè.

Hinc facilè colliges, quid de conceptu formali sentiendum sit. Dicimus igitur, Conceptum formalem alitèr esse vnum in vniuocis, & alitèr in analogis. Cùm enim conceptus obiectiuus vniuocorum sit simpliciter vnus, vtpotè nõ claudens in se principia distinguentia vniuoca, habebunt in mente conceptum vnum perfectè, & adæquatè illis correspondentem. In analogis autem, quia fundamenta analogiæ similitudinis sunt diuersa simplicitèr, & eadem secundum proportionem, quòd est esse idem secundum quid, oportet duplicem analogi mentalem conceptum distinguere,

Digitized by Google

re, vnum imperfectum, qui est vnus, alium perfectum, qui est totuplex, quot sunt analogata; Cùm enim vnum analogatorum sit simile alteri, necesse est, vt conceptus repræsentans vnum repræsentet & alios ipsi similes, iuxta illud axioma, *Quidquid assimilatur simili vt sic, assimilatur etiam illi, cui tale simile est simile.* Quia verò talis similitudo secũdum proportionem tantùm est, quæ diuersam rationem in altero habet, cõceptus perfectè repræsentans vnũ analogatorum à perfecta repræsentatione alterius deficit, & consequẽtèr alterius analogati oportet alterum adæquatum, & perfectum conceptum esse. Ex quo habes, quòd de formalibus conceptibus loquendo, si sint perfecti, conceptus analogi non distinguitur à conceptibus analogatorum, quia, vt iam dixi, conceptus perfectus analogi sunt cõceptus perfecti analogatorum: Si verò imperfecti, tunc distinguetur, sicùt conceptus rei absolutè sumptæ à conceptu eiusdem rei, vt est alteri similis. Pro completa tandèm Analogorum notitia. *Quæres, vtrum Analogum prædicetur de Analogatis, tanquam superius de suis inferioribus.*

Respondetur dicendo, Analogum prædicari de analogatis, tãquàm superius de suis inferioribus. Probatur. Quod prædicatur, vt vnum ad plura se extendens, prædicatur, vt superius, vt ex terminis patet; Sed analogum prædicatur, vt vnũ ad plura se extẽdẽs. Ergo &c. Minor probatur; Talitèr prædicatur, qualem habet conceptum; Sed habet conceptũ vnum, aliquo modo competẽtem pluribus, nempè analogatis, ab illisq; aliquo modo abstrahentem, vt ex supra dictis patet. Ergò &c.

Obijcies. Prædicatum superius est prædicatum inconuertibile; Sed analogum est conuertibile cum analogatis. Ergò non est superius ad ipsa. Maior patet, quia termini conuertibiles debent esse æquales, vt docent Dialectici. Minor verò probatur; Nam ens v. g. secundùm, quòd est analogum ad substantiam, & quantitatem, significat substantiã, vt sic se habentem ad suum esse, & quantitatem, vt sic se habẽtem ad suum esse; Sed substantia, vt sic se habẽs ad suum esse, conuertibilitèr dicitur cũ seipsa simpliciter sumpta, & similitèr quantitas, vt per se patet. Ergò &c.

Resp. Negando minorem: Ad cuius probationem, nego, substantiam, vt sic se habentem ad suum esse, conuerti cum seipsa absolutè sumpta: quia Ly, sic se habere ad esse, exprimit proportionalẽ conuenientiam cum quantitate, quæ etiam sic se habet ad esse, quam tamèn conuenientiam substantia absolutè sumpta non exprimit, atq; adeò substantia, vt sic se habẽs ad esse, est quid superius ad seipsam absolutè sumptam, quia, vt sic se habens, dicit plus, nẽpè esse proportionabilitèr, & in hoc est similis quantitati, quod tamen

ipsa

Ipsa absolute sumpta non dicit. Ex quo.

Intelliges primò, quomodo in istis analogis possit esse comparatio secundùm magis, & minus, sicut dicimus, substantiam esse magis ens, quàm accidens; Cùm enim ad comparationem requirantur, & sufficiant hæc tria, scilicèt distinctio extremorum, identitas eius, in quo fit comparatio, & modus essendi illius in extremis, secundum æquè magis, vel minus perfectum esse; Sub identitate autem, seu vnitate, proportionalis vnitas, seu identitas continetur, consequens est, quòd si in diuersis idem proportionabiliter æquè, vel magis, vel minus perfectè esse habeat, comparatio secundùm illud proportionale fieri possit. Ergò, cùm analogum idē proportionaliter in diuersis, nimirum in analogatis, esse habeat secundùm magis, & minus (magis enim substantiæ cōmpetit esse, quàm quantitati v.g.) poterit fieri inter analoga comparatio.

Intelliges 2. qualis sit Analogi diuisio in sua analogata; potest namq; tripliciter analogi diuisio intelligi. Primò, ita, vt diuidatur vox in suas significationes, & quia analogum plures rationes significat immediatè, ideò hæc diuisio competit ipsi, vt quoddam æquiuocum est. Secundo modo potest intelligi diuisio analogi, vt diuidatur significatum eius in quasi membra eius; sed hæc ratio diuisionis non potest analogis competere, quia analogum diuiditur in analogata, non autem in rationes in analogatis clausas, illæ enim rationes sunt ratio ipsius analogi, vt v. g. analogata diuidentia ens, sunt substātia, & Quantitas, rationes autem entis in substantia, & quantitate clausæ, analogæ sunt; Tertio modò potest intelligi diuisio analogi, vt diuidatur in sua analogata per diuersos modos, ratione quorum rationem analogi proportionalē analogata diuersimode recipiant, ita, vt diuisum sit significatum vnum proportionalitèr, & diuidētia sint modi fundantes, & facientes in analogatis proprias proportiones, secundùm quas fit analogia, constituta autem per diuisionem sint analogata ipsa, v. g. quando ens diuiditur in substantiam, & accidens, diuisū est ratio vna proportionalitèr entis nomine significata, diuidētia membra sunt esse per se, & esse in alio; Ex quibus substātia, & accidens habēt, vt diuersas entis rationes subintrent; partes autē subiectiuæ sunt substātia, & accidens, quæ in entis ratione analogātur. Differt autem hæc diuisio analogi in analogata, à diuisione vniuoci in vniuocata tripliciter: Primò ex parte diuisi, quia in diuisione vniuoca vnum omninò diuiditur: hic autem vnum proportionaliter: Secundò ex parte diuidentium, quia differentiæ diuidentes genus sunt extra conceptum generis, modi autem diuidentes analogum non sunt extra eius conceptum, quia immediatè per ipsum significantur; sicut,

sicut & ipsa analogata. Tertiò ex parte subiectiuarũ partium, quia partes subiectiuæ vniuoci æqualitèr participãt rationẽ significatã per nomen vniuocũ, partes verò subiectiuæ analogi non æqualiter, sed secundum magis, & minus, vndè substantia dicitur magis ens, quàm accidens, vt supra explicatum est. His de nominum analogia compendio prælibatis (quæ tamen diligentiùs percipienda sunt, nam eorum consideratio, vt dicit Philos. 10. Elench. peritissimos etiam errare facit, propter latẽtem in eis æquiuocationem) ad resolutionem propositæ difficultatis accedamus.

§. 2. *Reijciuntur opiniones, ens non Analogum, sed æquiuocum esse affirmantes respectu suorum inferiorum.*

PLures ex Philosophis, ne analogiam enti concederent, illud esse æquiuocum respectu suorum inferiorum dixerunt. Cùm autem hic sit ordo diuisionum entis, vt primò diuidatur ens, vt sic, in ens reale, & rationis, deindè ens reale subdiuidatur in Creatum, ac Increatum, ac tãdem ens Creatum, in substantiam, & accidens, seù quod idem est, in decẽ Prædicamenta, ideò aliqui dicũt, ens esse æquiuocum respectu entis realis, & rationis. Ità plures ex Thomistis, Soncinnas 4. Metaph. Quæst. 5. Iabellus lib. 1. quæst. 1; Bannes 1. p. q. 28. ar. 1. Alij verò, vt Rabbi Moyses cit. à S. Tho. quæst. 3. de Pot. art. 7. dixerunt, ens æquiuocum esse respectu Dei, & Creaturarum.

Prima sententia probatur à Soncinnate sic. Enti reali, & rationis nihil est commune, pręter nomen. Ergo sunt æquiuoca. Consequ: patet, & probatur antecedens. Si aliquid haberent commune, vel illud esset vnum simpliciter, vel vnum proportionalitèr; hæc enim est adæquata diuisio conceptus communis; Sed neutrũ est dicendum. Ergò &c. Probatur minor, quantùm ad secundam partem, (quantùm ad primam ex se patet) inter ens reale, & rationis nulla est similitudo. Ergò etiam nulla proportio, quæ similitudinem importat, vt ex dictis patet. Anteced. probatur, quia magis distat ens reale, & rationis, quàm finitum, & infinitũ; Sed inter finitum, & infinitum nulla est similitudo, quia sicut per elongationem maiorem, & maiorem magis, magisque similitudo tollitur, ità per elongationem absolutam, seù infinitam tollitur absolutè.

Secunda etiam sententia probatur primò. Æterno, & temporali nihil potest esse commune præter nomen, vt inquit Aristot. 10. Metaph. cap. vlt. Sed Deus est æternus, Creatura temporalis. Ergò &c.

Secundò. Si Deo, & Creaturis

esset aliquid cōmune præter nomen, conueniret Deus in illo communi cum Creaturis; Sed nō potest conuenire, quia aliàs in Deo reperiretur compositio ex gradu communi, & propria ratione cōstitutiua ipsius, quod tamen ipsis, vtpotè enti simplicissimo repugnat. Ergo &c.

Vtraq; tamen opinio non placet. Prima quidem, quia ens rationis dicit proportionalem similitudinem ad suum esse, sicut, & ens Reale. Ergò non est purè æquiuocum; quæ enim sunt proportionaliter similia, conueniunt in aliquo, præter nomen, vt ex dictis § præcedenti patet.

Confirmatur primò. In æquiuocis nulla similitudo attenditur, vt docet D. Thom. 1. Contr: gent. Exposi. 33. Sed inter ens Reale, & Rationis est aliqua similitudo, vnde ens Rationis explicari solet per similitudinem ad ens reale. Ergo &c.

Confirmatur 2. Nam, vt dicit S.Thom. loco nuper cit. quando aliquid cōuenit cum aliquo æquiuocè, cognitio vnius non potest deseruire ad cognitionem alterius, non enim cognitio canis terrestris me ducit ad cognitionem syderis celestis; Sed cognitio entis Realis ducit nos ad cognitionē entium rationis; Vnde quidquid de cognitione entis rationis Logici, vel Metaphysici docent, totum explicant per similitudinem ad entia realia. Ergò ens non dicitur de ente Reali, & Rationis purè æquiuocè.

Similiter contra secundam opinionem primò arguitur. De æquiuocis non potest haberi vna sciētia, quia non sunt aliquid vnum; Sed de Deo, & Creaturis est vna scientia, nempè Mataphysica, vt docet Aristot. 11. Metaph: Cap. 3. & nos supra concessimus, Disp. Procem. Quæst. 1. Ergo &c.

Secundò Arguitur. Quando prædico de Deo hoc nomen ens, & similitèr de homine, intelligo aliquid Deo competere, quod competit homini, scilicet habere essentiam. Ergo ens non est purè æquiuocum respectu Dei, & creaturarum; quia in æquiuocis quā do prædico æquiuocum de æquiuocatis, nihil prædico competere illis, quod hoc nomine significetur, vt patet in prædicatione canis de animali terrestri, & sydere cœlesti.

Tertiò arguitur ratione S.Tho. 1. cont. gent. Cap. 33. Verba S. Doct. sunt. *In his, quæ sunt à casu æquiuoca, nullus ordo, aut respectus attenditur vnius ad alterum, sed omninò per accidens est, quòd vnum nomen diuersis rebus attribuitur, non enim nomen impositum vni signat ipsum habere ordinem ad alterum. Sic autem non est de nominibus, quæ de Deo dicuntur, & Creaturis, consideratur enim in huiusmodi nominum communitate ordo causæ, & causati, vt ex dictis patet. Nō igitur secundùm puram æquiuocationem aliquid de Deo, & rebus alijs prædicatur.* Subsumo rationē S. Thomæ. Sed ens est nomen, quod dicitur de Deo, & Creaturis,

ris, in quo consideratur ordo causæ, & causati, quia Creaturæ sunt entia causata à Deo. Ergò ens nō erit æquiuocum respectu Dei, & Creaturarum.

Nota verò pro meliori huius rationis intelligentia cum Ferrariensi ibidem, Æquiuoca purè, & propriè à Sancto Thoma, vocari, æquiuoca à casu, eò, quòd nomen sit impositum à diuersis ad diuersa significanda, non ex aliqua similitudine vnius ad alterum, sed quia sic accidit. Et hoc termino distinxit S. Thomas æquiuoca propria ab analogis, quæ aliquando analoga dicuntur propter diuersitatem rationum sub eodem nomine analogi contentarum. Vocantur tamen analoga æquiuoca à consilio, quia important vnum ex aliqua similitudine ad alterum; impositor enim nominis, eò quod inter illa quandam proportionē considerauit, ideò illa eodem nomine nominauit. Et eadem ratione vti poteris ad euertendā quorundam antiquorū opinionem, qui respectu substantiæ, & Accidentis ens dixerunt æquiuocum: Inter substantiam enim, & accidens reperitur ordo in ratione entis: Accidens enim definitur per substantiam, & totum eius esse est in esse substantiæ, Ergo &c.

Diluuntur argumenta oppositarum sententiarum.

RESp. ad primum pro prima sententia adductum, inter ens Reale, & Rationis proportionem intercedere, & esse similia proportionabilitèr. Et ad probationem in contrarium, dicimus, cum Nost. Complut, seù veriùs cum S. Tho, quæst. 2. de verit. a. 2. ad 2. Duplicem esse similitudinē; Aliam, quæ intercedit inter res eiusdem generis, quando scilicet eadem ratio reperitur in diuersis, vt v.g. eadem animalitas in homine, boue, leone, &c: & hæc per maiorem distantiā minuitur, & per infinitā tollitur. Cùm enim quodlibet genus determinatos habeat suę perfectionis limites, nō potest vna species ab alia distare infinitè, quin ab ipso genere distet, ac per cōsequēs, quin tollatur ab illa ratio illa generica, quæ fundabat similitudinem inter species. Alia est similitudo inter res diuersi generis, quæ non consistit in participatione alicuius naturæ vnius, sed in proportionali habitudine ad esse, & hæc, nec per maiorem; nec per infinitam distantiam tollitur: Distantia enim, nec minuit, nec tollit proportionalitatem, vt etiam in ipsis numeris patet; Eadem enim est proportio inter vnum, & duo ex vna, & sex, & tria ex alia, ac inter vnū, & duo ex vna, 1000. verò, & 500. ex alia parte, quamuis magis distet mille à duobus, quàm sex à tribus, & tamen vtrobiq; est proportio dupla. Vnde quamuis inter ens finitum, & infinitum, vel inter ens rationis, & reale sit distantia infinita, non ideò tolletur, vel minuetur inter illa proportionalis similitudo.

Digitized by Google

Ad primum pro secunda sententia., resp. ex D. Tho. de pot. q. 7. a. 7. & cum nostr. Complut. Disput: 11. de diuisione entis, qu. 1. dictum illud Philosophi intelligendum esse de communitate in aliquo physico, nempè in materia prima, non autem de communitate in aliquo gradu metaphysico, in quo corruptibilia, & incorruptibilia, quæ ibi à Philosopho æterna vocantur, possunt conuenire, vt de facto conueniunt, in gradu substantiæ, vel corporis, corpora cœlestia incorruptibilia, & sublunaria, quæ sunt corruptioni subiecta.

Ad 2. resp. Deum, & creaturas non conuenire simpliciter in ratione entis; Id enim, in quo aliqua propriè dicuntur conuenire, debet esse simpliciter vnum; vt suprà dictum est, quæ vnitas repugnat enti, cùm vniuocum non sit, vt statim probabitur. Licet autem aliquo modo possit dici Deum, & creaturas cõuenire in ratione entis, cùm ens, vtpotè analogum, aliquam proportionalem vnitatem dicat, negandum tamen est, ex hoc sequi, quòd in Deo inueniatur aliqualis compositio ex gradu communi, & particulari, quia talem gradum communem non inducit analogia in analogata, cùm immediatè significet ipsa, vt proportionalitèr se habentia, vt dictum est §. primo huius Quæstionis.



§. 3. *Opinio Scoti, & sequacium, entis vniuocationem asserens, reprobatur.*

Scotus in 1. distinct. 3. qu. 1. Et 1. ac 4. Metaph. quæst. 1. Docuit, ens esse vniuocum, tàm respectu Deo, & creaturarum, quàm respectu substantiæ, & accidentis: Quem sequuntur discipuli eius, & aliqui ex Nominalibus. Rationes, quia supponunt, ens habere conceptum obiectiuum communem suis inferioribus, commodiùs referentur, & soluentur, quando talem conceptum enti, per specialẽ de hoc Quęstionẽ, denegabimus. Quæ, etsi in hac disputatione tractari deberet, quia tamen habet annexam aliam questionem de conceptu formali entis in intellectu existente, ideò commodiùs illam Disputatione sequenti expediemus, vbi de cognoscibilitate entis tractabimus. Modo contra sententiam Scoti,

Dicimus, ens non esse vniuocum respectu suorum inferiorum. Ità D. Thom. 1. p. q. 33. ar. 3. & alibi sæpè, quem sequuntur cõmuniter ipsius discipuli, ideòque ab illis referẽdis abstinemus; antequam tamen hanc probemus conclusionem.

Notandum est. eam non procedere cõtra Scotum in eo sensu vniuocationis, qualem explicat ipse Scotus, cùm inquit. *Ne sit contentio de nomine vniuocationis, conceptum vniuocum dico, qui ità est vnus, quòd eius vnitas sufficiat ad contradictionem, & potest esse*

me-

medium syllogisticum, *&c.* Talis enim vniuocatio nō facit vniuoca propriè, sed analoga, cùm vtrumque in posita vnitate analoga saluetur, vt ex supra dictis patet. Sed nos vniuocationem propriam negamus enti, qualem concedimus animali v. g. respectu hominis, leonis, &c.& in hoc sensu.

Probatur primò nostra conclusio authoritate S. Tho. 1. cont. gent. cap. 32. vbi dicit. *Quod nihil de Deo, & rebus alijs vniuocè prædicari potest.* Et postquam id pluribus ibi confirmauit rationibus, quarum aliquas infra adducemus, concludit Caput istis verbis. *Impossibile est igitur aliquid de Deo, & rebus alijs vniuocè dici.* Ergò ex mente S. Thomæ, ens nō est vniuocum respectu Dei, & Creaturarum.

Deinde eadem vniuocatio entis respectu Dei, & Creaturarum rationibus impugnatur.

Prima ratio est S. Thomæ, quā habet loco citato ex 1. cōt. gent. Verba S. Doctoris sunt: *Effectus, qui non recipit formam secundùm speciem similem ei, per quam agens agit, nomen ab illa forma sumptū secundùm vniuocam prædicationē recipere non potest: Non enim vniuocè dicitur calidus ignis à Sole generatus, & Sol: rerum autem, quarum Deus est causa formæ, ad speciem diuinæ virtutis non perueniūt, cùm diuisim, & particulariter recipiant, quod in Deo simplicitèr, & vniuersalitèr inuenitur.* Patet igitur, quòd de Deo, & rebus alijs nihil vniuocè dici potest. Quia autem S. Doctor huius argumenti maiorem improbatam reliquit, cum eam tantum exemplo calidi illustrauerit, ideò eadem maior potest probari. Quando effectus non adæquant virtutem causæ efficientis, non recipiunt similitudinem eius secundùm eandem rationem cum ipsa causa, sed deficientèr. Ergò nomen significans illam rationem communem causæ, & effectibus non adæquantibus virtutem causæ, non potest esse vniuocum, quia nomen vniuocum petit similitudinem secundùm eandem rationem, æqualiter ab vniuocatis participatam.

Nota tamen ex nostris Cōplutensibus in Log. Disp. 11. Quæst. 2. quòd, vt hæc ratio conuincat, debet in sensu formali intelligi illa maior S. Thomæ, quòd scilicet effectus non adæquans virtutem causæ, secūdùm quòd formaliter effectus est, non poterit vniuocè cum illa conuenire in nomine, hanc rationem effectus, non adæquantis causam exprimente: Nam benè potest effectus, etiam non adæquans virtutem causæ, in aliqua alia ratione, secundùm quā non est effectus, cum causa sua vniuocè cōuenire, vt patet in Sole, & auro: aurum enim, & Sol cōueniunt in gradibus substātiæ, & corporis, sed in his aurum non est effectus Solis, nisi per accidens. Si autem imponeretur nomen, quòd exprimeret illam rationem, secundùm quam est aurum effectus Solis nō adæquans virtutem

eius,

ejus, illud nomen procul dubio analogum, non vniuocum esset.

Secunda Ratio. Illi, quod est ex se ens, & illi, quod est ex se nõ ens, nihil potest esse commune vniuocum; Sed Deus est ex se ens, creatura verò est ex se non ens. Ergo Deo, & creaturæ nihil potest esse commune vniuocum. Maior patet, quia ens, & non ens opponuntur contradictoriè. Ergò in nullo possunt vniuocè conuenire; aliàs inter opposita contradictoriè daretur medium. Minor verò probatur, quoad secundam partẽ, nam quoad primam, quod scilicèt Deus sit ex se ens, à nullo potest dubitari. Id, quod sibi derelictum, & omni alio circũscripto, non habet, nec potest habere esse, est ex se nõ ens, vt ex se patet; Sed creatura sibi relicta, & circũscripto Deo, nec habet, non potest habere esse, cum creatura hoc ipso, quod talis, recipiat esse per creationem à Deo. Ergo ex se est non ens.

Confirmatur. Id, quod conuenit alicui ex intrinseco, priùs ei conuenit illo, quod competit per extrinsecam causam; Sed non esse, seù esse nõ ens, competit creaturæ ab intrinseco, esse verò, per extrinsecam causam efficientem. Ergo priùs competit creaturę nõ esse, quàm esse. Accipio ergo creaturam in illo priori, & arguo sic. In hoc priori est creatura nõ ens, Deus verò ens. Ergo non conueniunt vniuocè.

Hæc de Ente, vt est commune Deo, & creaturis, dixisse sufficiat. Qui plures rationes videre desiderat, inueniet illas apud S.Tho. loc.cit.1. Cont.gent. & ap.Nost. Complut.Disput. & Quæst.nuper citata.

Quòd verò idèm ens, neque respectu Prædicamentorum sit vniuocum, sic probatur. Omne, quod de pluribus vniuoce prædicatur, vel est genus, vel differentia, vel species, vel propriũ, vel accidens; Sed ens non est genus, quia clauditur in vltimis rerum differentijs, & modis constitutiuis earum, quod est contra rationem generis, vt expresfsè docet Philos.3.Metap.tex.10. Neq; differentia, quia differentia contrahit gradum superiorem; ente autem nihil est superius, neque species, quia hæc constituitur ex gradu communi, seù contrahibili, & differentia contrahente; quod simplicitati conceptus entis repugnat. Neque proprium, quia hoc profluit ab essentia, ens autem non habet essentiam, à qua fluat. Neque accidens, quia ens non est extrinsecum prædicatum, sed essentiale, vt ex supra dictis patet. Ergò, &c. Maior huius argumenti, quam Scotus putat esse falsam, probatur sic. Omne vniuocum significat naturam vnam simplicitèr. Ergò abstrahentem ab inferioribus, tantùmque in potentia continentem ipsa; quia si actu contineret plura, non esset vna. Ergò, cùm omnis potentia respiciat sua inferiora, illa natura respiciet sua, ergò erit naturæ relata ad plura, ergò

Digitized by Google

vna in multis, seu vniuersalis, ergò, vel genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidés: quia natura vniuersalis adæquatè in hæc quinque vniuersalia diuiditur, vt cummunitèr cũ Porphyrio docent dialectici.

Similitèr ens non esse vniuocũ respectu entis realis, & rationis (de quo nemo dubitauit, præter Bonetum, & aliquos paucos ex Scotistis) facilè probatur. Ens rationis est quædam imperfectissima species entis realis. Ergò ens non potest esse vniuocum respectu entis realis, & rationis. Patet consequentia, quia vniuocata debent æqualitèr participare rationem vniuocam.

Obijcies primò. Accidens est vniuocum respectu suorum inferiorum. Ergò & ens respectu suorum. Consequentia patet à paritate rationis, & probatur anteced: Cuius ratio æqualitèr reperitur in inferioribus, illud est vniuocum respectu ipsorum; Sed ratio accidentis æqualitèr reperitur in inferioribus, quia inesse, seu inhærere, quæ est ratio accidentis, æqualitèr reperitur in quantitate, qualitate. Ergò, &c.

Resp. negando anteced. ad cuius probationem dicimus, Ly inhærere, non esse in accidentibus æqùalitèr, sed proportionabilitè, quia non significat aliquam rationem vnam in ipsis, ab illisque abstrahibilem, (aliàs rationem primorum generum perderent,) sed immediatè significat ipsa accidentia secundùm propriam rationem illorum, vt proportionabiliter se habẽtia, quia, sicut quantitas inhæret substantiæ extendendo illam, ita & qualitas inhæret disponendo ipsam, & sic de alijs.

Obijcies 2. Ratio vna in omnibus inferioribus, est ratio vniuoca; Sed ratio entis est vna in substantia, & accidente. Ergò est vniuoca. Maior patet, & minor probatur. Conceptus accidentis continet formalitèr conceptum substantiæ. Ergò ratio entis debet esse in eis vna. Patet conseq. & prob. Anteced: Substantia repræsentatur formaliter intellectui per speciem accidentis. Tùm quia, si per propriam speciem repræsentaretur, posset intellectus naturalitèr cognoscere absentiam substantiæ in Eucharistiæ Sacramento; Si enim substantia præsens imprimeret sui speciem in intellectu, substantia, quæ non imprimeret, cognosceretur absens. Tùm etiam, quia omnis species acquisita à nostro intellectu, causatur à phantasmatibus; Sed hæc sunt similitudines tantùm accidentium. Ergò non possunt causare speciem substantiæ, sed tantùm species accidentiũ, primariò illorũ repræsentatiuas, & secundario substantiæ.

Resp. supponendo, quòd hæc obiectio tangit illam celebrem difficultatem, quam agitant inter se discipuli D. Thomæ, & Scoti, Scotistis negantibus, substantiã cognosci per propriam speciem,

Thomistis verò id constantèr cũ D. Thoma affirmantibus. Et meritò: Certum est enim, quòd substantiæ cognoscantur à nobis cognitione quidditatiua perfecta, cùm de illis formemus definitiones. Ergò debent cognosci per proprias species. Prob. conseq; quia, quod cognoscitur quidditatiuè, perfectè cognoscitur, & distinctè, quod si cognoscitur perfectè, cognosci debet per proprium genus, & differentiam, ratione cuius differt ab omnibus; Sed quod cognoscitur distinctè, seu, vt differens ab omnibus alijs, cognoscitur per propriã speciem, quia nulla species repræsentat distinctè obiectum, nisi sit ei proprium. Ergò, &c. Hoc ergò supposito. Ad argumentum resp. negando minorem, ad cuius probationem, negamus antecedens, & similiter in eiusdem antecedentis probatione negamus antecedens, quòd scilicèt accidens repræsentet substantiam formalitèr. Ad primã autem eiusdem antecedentis probationem, dicimus, quòd, etsi intellectus cognoscat substantiam per propriam speciem, non tamẽ poterit cognoscere absentiã substantiæ in Eucharistia, quia accidentia remanentia in Eucharistia causant phantasma repræsentatiuum directè sui, ab illo autẽ Phantasmate causatur species substantiæ panis, in vitute tamen substantiæ, quæ præcesserat. Intellectus ergò hac specie fœcundatus, etsi cognoscat substantiã panis, eius tamen absentiam non cognoscit, quia species abstrahũt ab esse, & non esse, & indifferentèr repræsentant rem, siue illa sit, siue non sit, v.g. species repræsentatiua naturæ humanæ, quæ est in Petro, æquè illam repræsentat Petro, siue existente, siue non.

Ad secundam verò probationem eiusdem anteced. resp., quòd licet illa Phantasmata tantùm repræsentent accidentia, possunt tamen producere in virtute substantiæ speciem repræsentatiuam substantiæ, præcipuè illustrata, & confortata ab intellectu agente. Neque hoc mirum videri debet, quòd dicamus, speciem substantiæ ab accidentibus, vt sunt virtutes substantiæ, causari, cùm certum sit apud Philosophos, ipsam etiam substantiam produci ab accidentibus operantibus in virtute substantiæ. Sicut v.g. calor in virtute substantiæ causat carnem; hoc autem quomodo fiat, quia non est præsentis loci tractare, vide apud nost. Complut. 8. Physic. disp. 9.

§. 4. *Statuitur uera sententia explicans analogiam, quàm habet Ens respectu suorum inferiorum.*

Ex dictis hucùsque facilè quilibet per euidentem consequentiam deducere potest, ens esse

esse analogum respectu suorum inferiorum: Si enim neque est purè vniuocum, neque purè æquiuocum, à sufficienti enumeratione sequitur, illud esse analogũ. Solùm ergò superest, vt explicemus, qua analogia ens dicatur analogum respectu inferiorum.

Dicendum est 1. ens esse analogum vtraquè analogia, proportionis scilicèt, & proportionalitatis respectu entis realis, & rationis. Ita sentiunt de analogia attributionis, seu proportionis communitèr Philosophi. Probatur facilè. Ens rationis denominatur tale per ordinem ad ens reale, & ab illo dependet, tanquam similitudo, & vmbra eius, ac tandem per illud definitur. Ergò respectu illorum ens erit analogum analogia attributionis: Nam in antecedenti enumerata constituunt dictam analogiam, vt patet ex ijs, quæ diximus §. 1. huius quæstionis.

Analogiam autem proportionalitatis: etsi illi negent conuenire enti, vt est commune. Reali, & Rationis, quicumquè opinantur, ens rationis consistere in denominatione extrinseca, nos tamèn, quia essentiam entis rationis constituimus in quodam esse ficto, ab intellectu prouenięte, resque ad modum formæ intrinsecæ denominante, consequẽter.

Dicimus, ens etiam respectu entis realis, & rationis esse analogum analogia proportionalitatis propriæ, Probatur. Ens rationis claudit rationem entis intrinsecè. Ergò ens, non solùm analogia attributionis, sed etiã proportionalitatis erit analogum respectu entis realis, & rationis. Consequentia ex dictis in §. 1. patet, quia ratio significata per nomen analogum analogia attributionis non inuenitur intrinsecè in omnibus analogatis, secùs ratio significata per nomen analogum analogia proportionalitatis. Anteced. probatur, quia, cùm ens rationis non sit intrinsecè nihil, debet esse intrinsecè Ens, nam ens, & nihil, vt ex supra dictis patet, opponũtur contradictoriè. Et in hoc erit proportionalitas inter ens rationis, & ens reale in ratione entis, quia, sicut se habet ens reale ad suum esse reale, ita ens rationis ad suum esse fictum. Hìc autem aduerte, quomodo ratione diuersæ analogiæ diuersa prædicata eidem competere possunt. Nam ens rationis v. g. est intrinsecè ens secundùm analogiam proportionalitatis, secundùm verò analogiam attributionis non importat rationem entis intrinsecè; quod, quomodo intelligendum sit, in solutione primæ obiectionis §. sequenti declarabimus.

Dicendum est 2. Ens, tàm respectu Dei, & creaturarum, quàm respectu substantiæ, & accidentis, est analogum vtraque analogia, proportionis scilicet, & proportionalitatis.

Quod sit analogum analogia proportionalitatis, probatur; quia

Digitized by Google

quia creaturæ, & Deus, substantia, & accidens sunt intrinsecè entia, cum intrinsecè non sint nihil. Ergò ens est respectu illorum analogum analogia proportionalitatis. Consequentia patet, quia, vt ex dictis in §. 1. huius quæstionis constat, in hoc distinguitur analogia proportionalitatis ab analogia attributionis, quia analogum analogia proportionalitatis inuenitur intrinsecè in analogatis, analogum autem analogia attributionis, extrinsecè.

Quod verò etiam sit analogũ analogia attributionis, probatur. Cum hac intrinseca inclusione entis in Creatura, vel accidente stat bene esse analogum analogia attributionis, quia ex alio capite possunt, & Creaturæ à Deo, & accidentia à substantia denominari entia extrinsece. v. g. Creaturæ dicuntur entia, quia sunt effectus Dei, habentes similitudinem entitatis Dei, & ordinatæ ad Deum, sicut ad suum finem; similiter accidentia dicuntur entia, in quantùm sunt affectiones substantiæ, vel mensurando, vel extendendo, vel modificando, seu disponendo ipsam, &c. Ergò ratione istius denominationis extrinsecæ poterit ens respectu illorum esse analogum analogia attributionis, sicut ratione entitatis intrinsecæ ab illis participatæ, est analogum analogia proportionalitatis.

§. 5. *Obiectiones, & solutio earum.*

OBijcies primò. Competere intrinsecè, & non competere intrinsecè sunt prædicata contradictoria, opponuntur .n. penes affirmationem, & negationem; Sed prædicata contradictoria non possunt eidem simul competere. Ergò si Creaturæ, vel accidens, vel ens rationis sunt intrinsecè entia, & ratione huius ens respectu illorum habet analogiam proportionalitatis, non poterunt esse extrinsecè, seu non intrinsecè entia, atque adeò ens non erit respectu illorum analogum analogia attributionis.

Resp. contradictoria prædicata non posse quidèm vni, & eidẽ competere secundùm idem, benè tamèn secundùm diuersa: Vnde Creaturæ, entia rationis, & accidentia, etsi secundùm vnam rationem sint intrinsecè entia, tamen secundùm aliam non erũt entia intrinsece. Sed.

Contra, Creaturæ, entia rationis, & accidentia secũdùm quamcunque rationem, formalitatem, vel formalitatis modum non sunt intrinsecè nihil. Ergò erunt intrinsecè entia, quia, vt sæpiùs diximus, quòd intrinsecè non est ens, est intrinsecè nihil.

Resp. admittendo solutionem inter arguendum datam, ad cuius impugnationẽ, fatemur quidem, Creaturas, & entia rationis, & ac.

& accidentia, secundùm quamcunque rationem, esse entia intrinsecè; tamen dicimus, stante hac intrinseca entitate illorum, posse esse, & dici entia extrinsece, & per consequens in ratione entis cum Deo, entibus realibus, & substantia, analogicè conuenire. Explicatur hoc. Creatura enim v.g. habet suam entitatem intrinsecè, & cùm non habeat illam à se, sed à Deo per creationem, à quo, tanquam à suo principio, & vltimo fine dependet, ratione istius dependentiæ, denominatur extrinsecè ens, inquantùm scilicet est effectus primi entis, ad illum, tanquam ad vltimũ finem, ordinatus. Et quamuis retineat suam entitatem intrinsecã, quia Deus non est causa nihili, sed entis; sine Deo enim factum est nihil, vt dicitur Ioannis 1. tamen, vt formaliter illi subest denominationi, nõ explicat hãc suam intrinsecam entitatem, quia, si formaliter loquamur, entitas, quæ illam denominat extrinsecè, vt effectus Dei est, est entitas creatrix, quæ in Creatura intrinsecè inueniri non potest. Vnde, sicut v.g. animal, quod est intrinsecè in se sanum, potest denominari sanũ extrinsecè, ratione sanitatis hominis, quam causat si homo illo vescatur, ita etiam Creatura, etsi sit intrinsecè ens, poterit extrinsecè denominari ens ab entitate increata Dei, à qua, tanquam à causa dependet, ad illamque, tanquam ad vltimũ finem ordinatur, & ratione istius extrinsecæ denominationis, inter Deum, & Creaturam est analogia attributionis, sicut ratione illius intrinsecæ, est analogia proportionalitatis. Et similiter accidẽs, vel ens rationis, etsi sint intrinsecè entia, tamen denominantur extrinsecè, illud quidem à substãtia, tanquam à subiecto, & fine, ad quem ordinatur, vt eius mensura, dispositio, &c. istud verò ab ente reali, tanquam à suo exemplari, cuius entitatem veram, & realem per suum esse fictum imitatur.

Obijcies secundò, impugnando adhuc solutionem præcedentis distinctionis. Si accidens denominaretur extrinsece ens ab entitate substantiæ, & similiter Creatura ab entitate increata Dei, sequeretur, quòd accidens posset dici substantia, & Creatura Deus; Sed hoc implicat. Ergò, &c. Sequela probatur, quia entitas increata Dei est Deus, & ens, quatenus in substantia, est substãtia.

Resp. distinguendo sequelam. Denominaretur accidens substãtia, & Creatura, Deus, in recto, Nego. in obliquo, Concedo, quod non repugnat. Benè enim potest dici Creatura aliquid Dei, nempè effectus, vestigium, similitudo, &c: & accidens, aliquid substantiæ, v.g. mensura, dispositio, &c. sicut etiam medicina dicitur sana, tanquam causa sanitatis, & pulsus, tanquam signum.

Obijcies 3. In analogis analogia proportionis vnum principa-

Digitized by Google

le analogatum ponitur in definitione cæterorum, vt ex §.1. huius quæstionis patet; Sed Deus non ponitur in definitionibus Creaturarum, vt patebit discurrendo per singulas: Ergo, &c.

Resp. disting. minorem. Deus non ponitur in definitionibus creaturarum, secundùm se consideratarum, Concedo, vt significatarum nomine analogo analogia attributionis, Nego. Illa .n. propositio, analogata secunda definiuntur per primum, debet intelligi formaliter, in quantùm scilicet analogantur analogia attributionis, nam secundùm aliam considerationem nõ erit necesse, vnum per aliud definiri, v.g. Si herbam aliquam absolutè definire vellem, non ponerem habitudinem ad animal in eius definitione, quod tamen necessariò ponere debes, si illam, vt sana est, definias, dicendo, quòd sit, causatiua sanitatis animalis: Sic etiam, si velim definire hominem absolutè, dicam, quòd est animal rationale: si verò voluero illum definire, vt analogatur cum Deo in ratione entis analogia attributionis, necessario Deum in eius definitione ponere debebo, cùm dicam: Homo, vt est ens creatum, est essentialiter, & intrinsecè ab ente increato, vt à principio; vel causa, & ad ens increatum, vt ad finem.

Obijcies quartò. S. Thomas q. 2. de Veritate, art. 1. expresse negat, inter Deum, & Creaturam intercedere analogiam proportionis: Vbi cùm distinxisset analogiam, vt sic, in analogiam proportionis, & proportionalitatis, & dixisset; quod analogia proportionis requirit determinatum excessum, analogia autem proportionalitatis, nequaquam, concludit, quod, licet nomina dicta de Deo, & Creaturis, possint esse, immò sint analoga analogia proportionalitatis, non tamen analogia attributionis; quia inter Deum, & Creaturam non est determinatus excessus, cùm Deus in infinitum perfectionem creaturarum excedat.

Respondent Nost. Complut. in Log. disp. 11. quæst. 3. n. 29. distinguentes duplicem proportionẽ. Aliam rigorosam, prout est passio quantitatis, & hanc dicunt petere determinatum excessum, ideòque inter Deum, & Creaturas inueniri non posse. Aliam verò latiùs sumptam, secundùm quòd nomen proportionis extenditur ad quascunque res, inter quas inuenitur dependentia in aliquo genere causæ, & hanc dicunt inter Deum, & Creaturas inueniri; vtpote quæ non petit determinatum excessum.

Hæc tamen solutio non placet; Est enim, & contra mentem S. Thomæ, & insufficiens. Doctor Sanctus non loquitur ibi de proportione quantitatiua, sed de proportione trãslata ad significandam dependentiam, quæ est inter creaturas respectu Dei, vt ex ipso textu S. Doctoris patet. Ergò

Digitized by Google

Ergò non est recurrendum ad proportionem quantitatiuam, dicendo, quòd illam S. Thom. negauit intercedere inter Deum, & creaturas.

Deinde, quia, per illam proportionem rigorosam, & propriã, quæ est passio quantitatis, vel intelligunt Complut. proportionẽ inter solas quantitates inuentam, vel non. Si primùm. Ergò non possunt dicere, quod hanc proportionem negauit S. Tho: intercedere inter Deum, & Creaturas; Tum quia stultum esset de hoc disputare, cùm constet, Deum non esse de genere quantitatis; Tùm etiam, quia S. Tho. non petijsset rationem à determinato excessu, ad negandam hanc proportionem, inter Deum, & Creaturas, quia hæc proportio determinatũ dicit excessum; habuisset enim immediatiorem huius rationem, dicendo: Non potest esse, inter Deũ, & Creaturam hæc proportio, quia non est de genere quantitatis. Si secundum, id est, si per illam proportionem rigorosam intellexerunt quamcunque habitudinẽ duorum, etiam extrà genus quantitatis. Ergò primum membrum distinctionis coincidet cum secũdo, vel saltem insufficienter processerunt, non assignando aliquã regulam, qua doceremur, & duceremur ad dignoscendum, quænam proportiones extrà genus quantitatis sunt, quæ petunt determinatum excessum.

Alitèr ergò ad hanc obiectionem resp. Supponendo priùs ex S. Tho. 1. contr. gent. c. 34. duplicem esse analogiam attributionis, seù proportionis. Prima est multorum ad vnum v. g. ad vnam sanitatem referuntur animal, vt habens, medicina, vt causans, vrina, vt signans, & in talibus analogis est aliquid priùs omnibus analogatis, vt aduertit Ferrariensis ibidem, ille scilicet gradus, ad quem omnia dicuntur. Secunda, seù secundus modus analogiæ attributionis est, quando attenditur ordo vnius analogati ad alterum, sicut dicitur ens de substantia, & accidente, secundùm quòd accidens ad substantiam respectũ habet, non secundùm quòd substantia, & accidens ad aliquod tertium referuntur, & in hac analogia nihil est prius analogatis, sed tantùm vnum est prius alio. S. Tho. ergò hac distinctione præmissa, negat, primam analogiam attributionis conuenire Deo, & Creaturis, quia Deo nihil potest esse priùs, secundam verò concedit, quia Deus est Creaturis prior. Hoc ergò supposito, & habita ex ore ipsius S. Doct. distinctione analogiæ proportionis, & insuper vnam competere Deo respectu creaturarum, aliam verò non, explicabimus illum locum, ex Quæst. 2. de verit. in qua S. Tho. analogiam proportionis inter Deum, & Creaturas negat cõformiter ad hanc doctrinam, quã, ex primo contr. gen. adduximus, seù, vt veriùs dicam, vnus locus S. Tho. alium explicabit.

Resp. ergò dicendo, quòd S. Tho.

Tho. in lib. 1. contr. gent. ità, & in quæſtionibus diſputatis, negauit quidem analogiam proportionis inter Deum, & Creaturam, non tamen omnem, ſed aliquam, illam ſcilicet, qua referuntur analogata plura ad aliquod tertium, &, quamuis in quæſtionibus indiſcriminatim locutus fuerit, in libris tamen contr. gen. explicuit, quid nomine analogiæ, quam Deo reſpectu Creaturarum negauit, intellexerit: Quod, vt clariùs videas, referam ipſa verba S. Tho. ex citata iam quæſt. de verit. quibus analogiam proportionis inter Deum, & Creaturam denegat: dicit ergò S. Tho. *Quia in his, quæ primo modo analogicè dicuntur*, (ſcilicet analogia proportionis) *oportet eſſe aliquam determinatam habitudinem inter ea, quibus eſt aliquid per analogiam commune, impoſſibile eſt, aliquid per hunc modum analogiæ dici de Deo, & Creatura, quia nulla Creatura habet talem habitudinem ad Deum, per quam poſſit diuina perfectio determinari*. Vbi, vt vides, talem proportionem negat S. Tho. inter Deum, & Creaturas, per quam Dei perfectio determinatur; Perfectio autem Dei, tunc ſolùm determinaretur per habitudinem Creaturæ, quando reſpiceret cum Creatura ſimul aliquod tertium, tanquam ſe prius, quod fit ratione analogiæ duorum ad aliquod tertium, vt ex dictis patet; Quod autem Creatura reſpiciat ipſum Deum, tanquam primum ens, omniſque entitatis fontem, nullam determinationem, ſeù limitationem inducit in Deum, immò maximam eius perfectionem exprimit, vt conſideranti patebit.

Inſtabis, S. Tho. negauit intercedere proportionem inter Deū, & Creaturas, quia proportio determinatum petit exceſsum; Sed talem exceſsum petit omnis proportio, ſiuè ſit duorum ad tertiū, ſiuè vnius ad alterum. Ergò &c.

Reſp. negando minorem. Proportio enim vnius ad alterum, ſicut, & proportionalitas, non requirit determinatum exceſsum; Tunc enim proportio petit determinatum exceſsum, quando eſt ſecūdùm aliquam rationem priorem, in qua conueniunt plura, quia enim ibi datur conuenientia pluriū in vna ratione priori, illa, ſiuè intrinſecè, ſiuè extrinſecè, denominante, neceſsariò petitur, vt illa plura intra confinia illius vnius rationis latitent, ne eorum proportio ſoluatur: Cæterùm, quando proportio non attenditur ſecundùm aliquem gradum priorem, in quo conueniant plura, ſed ſecundùm proprias rationes eorum, vel quia proportionabilitèr ſe habent in ipſis, vel quia vnum in ſua ratione pendet ab alio, tanquam à cauſa ſui eſse, proportio non ſoluitur per quēcunque exceſsum, æquè enim ego me habeo ad meum eſse, etſi ſit minutiſſimum, ac Deus ad ſuum, etſi perfectiſſimum; Et ſimiliter, æquè dependeo à cauſa paruæ, ac à cauſa infinitæ perfectionis: Et fundamentum eſt, quia hæc pro-

por-

Digitized by Google

portio non attenditur pænes cõuenientiam, quæ per nimiũ vnius ab alio recessum tollatur, sed, vel per simililudinem proportionum, seù proportionalitatum, vel per habitudinem dependentiæ, v. g. causati à causa, quæ est eadem inter multum, & parum distantia, vt ex se patet.

QVAESTIO V.

Vtrùm ens non solùm respectu immediatorum, sed etiã respectu mediatorum inferiorum sit analogum, nec ne?

IN præcedenti quæstione determinauimus, ens esse analogum respectu suorum inferiorum, in quæ immediatè diuiditur, scilicet respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis, vbi etiam, ob connexionem doctrinæ diximus similiter esse analogum respectu entis realis, & rationis; Quamuis enim ens diuisum in Reale, & Rationis non pertineat ad cõsiderationem Metaphysicæ, cuius obiectum adæquatum, diximus, esse ens reale, tamen de ipso ente etiam vniuersalissime accepto, prout suo ambitu claudit entia realia, & rationis, aliquid dicemus, vt nihil in nostra Metaphysica desideretur, quod ad communissima rerum principia explicanda possit deseruire. Nunc alia difficultas pulsat animũ. An scilicet, supposito, quod ens est analogum respectu suorum immediatorum inferiorum, sit etiã analogum respectu inferiorum mediatorum, v. g. respectu duarũ specierum alicuius generis, vel respectu duorum indiuiduorum alicuius speciei: hæc enim vocantur inferiora entis mediata, quia non, nisi mediantibus gradibus superioribus, ens de illis prædicatur. Est ergo status difficultatis in hoc; An, sicut ens est analogum respectu substantiæ, & accidentis, sit eodem modo analogum respectu hominis, & leonis, Petri, & Pauli, vel Petri, & albedinis, aut tandem, albedinis, & quantitatis: Circa quod est.

Prima sententia, quæ dicit ens, etsi respectu inferiorum immediatorum sit analogum, tamen respectu inferiorum mediatorum, v. g. respectu indiuiduorum esse vniuocum. Ita Fonseca 4. Metaph: c. 2. q. 1. Sect. 5. Suarez. disput. 32. Metaph. Sect. 2. nu. 20. Ioannes à S. Tho. in Log: q. 13. a. 5. circa finem, in solut. cuiusdam obiectionis, additq; Pater Suarez, hoc esse verũ, non tantùm à respectu indiuiduorum, vel specierũ eiusdem prædicamenti, sed etiam respectu rerum ad diuersa prædicamenta, presertim Accidentis pertinẽtium, probantq; hanc suam sententiam.

Primò; Ratio, in qua inferiora omninò conueniunt, & nullo modo differunt, est ratio vniuoca; Sed inferiora mediata entis, omninò conueniunt in ratione entis, vt sic. Ergò ens respectu illorum est vniuocum, Maior ex defini-

tione vniuocorum constat,probatur Minor. Ens descendit ad inferiora mediata per gradus superiores, in quibus illa conueniunt simplicitèr; Nam ad Petrum, & Paulum descendit per gradus substantiæ,viuentis,animalis,&c: Ergo hæc inferiora conueniunt omninò in ente, ex eo,quod ens imbibit rationem illorum graduum, per quos descendit, ac per consequens,sicut in illis est conuenientia omnimoda,seu vniuocatio,ita, & in isto.

Secundò.Si ens esset analogum respectu Petri,& Pauli v.g. vel esset analogum analogia attributionis,vel proportionalitatis.Neutrum est dicendũ.Ergo &c.Maior ex sufficienti enumeratione patet. Minor autem probatur, & in primis.Quod non sit analogum analogia attributionis, quia analogũ analogia attributionis in vno intrinsecè inuenitur, in alijs verò, per extrinsecam denominationẽ; Sed ens intrinsecè inuenitur in Petro, & Paulo v. g. Ergo &c. Quòd verò etiam non sit analogum analogia proportionalitatis, probatur. Analogia proportionalitatis exigit aliquam diuersitatem in ratione cõmuni; Sed in ratione entis nulla est diuersitas respectu Petri,& Pauli, quia,sicut æqualiter participant rationem viuentis,ita,& rationem entis,in viuente inclusam.Ergo &c.

Tertiò. Ratio analoga debet participari cum aliquo ordine, & dependentia,sicut v.g.ratio entis competit substantiæ priùs, quam accidenti,nam hoc dependentèr à substantia est ens; Vnde etiam sanum, etsi sit analogum respectu animalis,medicinæ,& vrinæ, quia medicina,& vrina dependentèr à sanitate animalis dicuntur sana, tamen respectu duorum posteriorum nõ est analogũ,quia inter illa nulla inuenitur dependentia; Sed ratio entis non competit v.g. Petro, & Paulo cum aliqua depẽdentia, Petrus enim est independentèr à Paulo ens: Ergo &c: Et eadem ratione vtitur Pater Suarez ad probandum,ens respectu inferiorum indiuiduorum, in diuersis prædicamentis accidentium collocatorũ,esse vniuocum,quia scilicet rationem entis non participant dependenter vnum ab alio, neque enim quantitas à qualitate, nec qualitas à quantitate dependet in ratione entis.

Secunda sententia in contrarium est,dicẽs,ens,non solùm respectu immediatorum, sed etiam respectu mediatorum inferiorum esse analogum. Ita Arauxo 4. Metaph.q.3. a.2. dub.2. Sot. cap. 4. in Antepræd. Sect.1. in resp.ad vlt.Didacus Ortiz in Log.tract.4. confer.5.§.2. cui sententiæ,quia proculdubio vera est, etiam nos suscribimus,&.

Dicimus,ens respectu mediatorom inferiorum esse analogum.

Probatur primò. Respectu illorum ens est analogum,respectu quorum est transcendens: Sed est transcendens etiam respectu inferiorum mediatorum,v.g. respectu Petri,& Pauli. Ergò etiã respectu il-

illorum est analogum. Maior patebit ex dicendis quæst. vltim. huius disput., vbi ostendemus, transcendentiam esse sufficientem ad fundandam analogiam, ita vt vbicunq; transcendentia inuenitur, ibi, & analogia. Minor verò probatur, ex repetita à nobis sepiùs doctrina. Ens, & nihil opponuntur sibi contradictoriè. Ergò quod nō est nihil, est ens; Sed omnia inferiora entis, siuè sint mediata, siuè immediata, nō sunt nihil, tàm ipsa, quàm omnes modi, & formalitates ipsarum. Ergo erunt entia, & per consequens ens erit transcendens respectu ipsorum, vtpotè intimè imbibitum in ipsis.

Probatur secundò. Ratio, in qua ità inferiora conueniunt, vt in eadem simul differant, non est vniuoca, sed analoga; Sed in ratione entis, ità conueniūt Petrus, & Paulus, vt simul in eadem differant. Ergò ratio entis respectu Petri, & Pauli non est vniuoca, sed analoga. Maior patet ex natura analogiæ Quæst. præced. explicata. Analoga enim, vt ibi diximus, non dicunt omnimodam conuenientiam, sicut vniuoca, neque omnimodam discōuenientiam, sicut æquiuoca, sed conuenientiam cum disconuenientia simul. Minor verò prob. Ratio aliqua communis, quæ imbibitur in vltimis differentijs aliquorum, ità illa facit conuenire, vt simul faciat illa differre: Cùm enim illa ratio, vtpotè transcendens, sit impræscindibilis præcisione perfecta à differentijs, semper dicet illas. Ergò semper faciet res differre per illas; impossibile est enim cōcipere differentias rerum, quin statim concipias res, vt differentes, cùm res per suas differentias differant, vt dicit Philos. 10. Metaph. c. 5. Sed ratio entis imbibitur in vltimis differentijs, v. g. Petri, & Pauli, cum sit transcendens respectu eorum, vt patet. Ergò &c.

Resp. huic rationi ex doctrina P. Ioannis à S. Thoma concedendo, ita indiuidua conuenire in ratione entis, vt simul differant, tamen hoc non esse sufficiens ad fundandam analogiam, quia illa differentia non est formalis, sed materialis, cùm sumatur à differentijs materialibus.

Sed contra est primò. Ratio dicens conuenientiam cum disconuenientia tali, qualis sunt capacia inferiora, est ratio analoga: cùm differentia in ratione analoga ex eo, fiat, quod per nomen analogum non significetur aliqua ratio communis abstracta simplicitèr ab inferioribus, sed ipsa inferiora secundùm proprias rationes, in quibus, quia clauduntur differentiæ, ratio analoga dicet disconuenientiam, ac per consequens talem dicet disconuenientiam, quales in inferioribus inueniet differentias, si materiales, materialem, si formales, formalem; Sed indiuidua non possunt differre formalitèr, sed materialiter tātùm, in principijs enim formalibus omninò conueniunt. Ergò ratio inducens in illa conuenien-

tiam cùm disconuenientia materiali, erit ratio analoga; Sed ratio entis, ita facit indiuidua conuenire, vt simul illa faciat differre per differentias materiales ipsorum, vt ipse Pater Ioannes à S. Tho. fatetur, & nos supra ostendimus. Ergò erit analoga respectu ipsorum.

Impugnatur secundò eadem solutio reassumendo vnam ex rationibus, qua impugnauimus in quæstione præcedenti opinionem Scoti, asserentis, ens esse vniuocũ respectu inferiorum. Quando ens prædicatur de Petro, & Paulo, illa prædicatio non est æquiuoca, vt patet, cùm Petrus, & Paulus non in solo nomine entis, sed etiam in aliquo significato per tale nomen conueniant. Neque est vniuoca, quia, vel esset generis, vel speciei, vel differentiæ, vel proprij, vel accidentis. Non est autem generis, quia genus non includitur in differentijs, ens autem clauditur: Non speciei, quia ens non prædicatur per modum naturæ constitutæ. Non differentiæ, quia ens non est natura constitutiua. Non proprij, quia ens non est natura profluens ab essentia, cùm nullum gradum superiorem supponat, à quo fluat, est enim primus gradus. Non accidentis, quia ens est prædicatum essentiale, vt patet. Ergo illa prædicatio erit analoga; Omnis enim prædicatio superioris de inferioribus, aut est æquiuoca, aut vniuoca, aut analoga, vt communiter, docẽt Dialectici. Eadem argumenta, quæ adduximus ad probandam analogiam entis respectu inferiorum mediatorum, in eodem prædicamento contentorũ, poterunt deseruire ad probandum, ens etiam esse analogum respectu inferiorum mediatorum, ad diuersa prædicamenta spectantium, vt consideranti dictas rationes patebit.

Argumenta in contrarium allata soluuntur.

AD primum, negando Minorem, ad cuius probationem dicimus, quòd, licet ens descendat ad inferiora mediata per inferiora immediatiora, quæ sunt vniuoca, tamen descendit, vt analogum, quia descendit semper, vt transcendens, vbi enim, & quamdiù reperitur transcendentia, ibi, & tamdiù reperitur analogia, vt supra innuimus, & fusiùs quæst. vlt. huius disput. ostendemus.

Ad secundum Resp. ens respectu Petri, & Pauli, esse analogum analogia proportionalitatis: ad probat: Negamus non interuenire aliquam diuersitatẽ inter Petrum, & Paulum in partcipanda ratione entis; Cùm enim ens significet Petrum, & Paulum secundùm differentias materiales ipsorum, necessariò significabit cum diuersitate. Alia autem est ratio de viuente, quòd cùm non includatur in vltimis differẽtijs, non importat ipsas, ac per consequẽs, nec differentiam prouenientem ex ipsis.

Ad tertium Resp: Negan: maiorem.

Digitized by Google

iorem. Quamuis enim in aliquibus analogis verum sit, quod dicant ordinem, & dependentiam, vniuersaliter tamen de omnibus est falsum, quia analogia non per solam dependentiam, sed etiam per transcendentiam causatur, vt infra dicetur. Vnde, etsi Petrus, & Paulus non dicant dependentiam in ratione entis, quia tamē ens dicit transcendentiā respectu vtriusque, poterit esse respectu illorum analogum. Exēpla illa in argumēto relata non sunt ad propositum; Ens enim duplici titulo est analogū respectu substantiæ, & accidentis, ratione scilicet dependentiæ, & ratione transcendentiæ, tamen si ibi nulla esset dependentia, sufficeret transcendentia ad analogiam fundandam: Inter sanum etiam comparatum ad vrinam, & medicinam, & ens respectu Petri, & Pauli est manifestum discrimē, nam sanum respectu vrinæ, & medicinæ non est analogum, quia, cùm ex vno capite ibi non exerceatur dependentia, & ex alio non sit transcendentia, non relinquitur causa analogiæ inter illa duo. Cæterùm in nostro casu cum ente, scilicet respectu Petri, & Pauli, etsi deficiat dependentia, adest tamen transcendentia, quæ est sufficiens ad fundandam analogiam, vt ex dictis constat, & ex dicendis in quæst. vlt. magis constabit. Per quod patet respōsio etiam ad illud, quod ex P. Suarez in fine argumenti addebatur; Licet enim in ratione entis, res diuersorum prædicamentorum, non habeant dependentiam, quia tamen habent transcēdentiam, poterunt fundare analogiam, vt de duobus indiuiduis substantiæ iam dictum est.

QVAESTIO VI.

Vtrum, sicut ens respectu suorum inferiorum est Analogum, ita etiam accidens sit respectu suorum?

Qvia accidēs habet hoc speciale, vt, sicut ens de omnibus, ità illud de aliquibus, id est de nouem supremis generibus prædicetur, ideò post comparationem entis ad sua inferiora, statim descendimus ad comparandū accidens ad sua, vt sic gradus supremis generibus superiores maneāt explicati, antequam ad alias Metaphysicæ difficultates descēdamus. Cùm autem inferiora accidentis, sicut & entis, alia sint immediata, & alia mediata, de vtrisque inferioribus accidentis in hac quæstione agendum est, sicut de inferioribus entis in duabus præcedentibus quæstionibus est actum.

Sciendum est autem, accidens, sicut & ens communitèr diuidi in completum, & incompletum. Quid verò hæc membra importent, & per quid accidens, vel ens constituantur in esse completi, explicabitur fusiùs disputat. 3.

quando de varijs diuisionibus entis agetur. Pro nunc sufficiat scire, quod accidens diuisum in nouem genera suprema, quando cōcipitur, vt completum, necessariò debet concipi cum modis cōstitutiuis prædicamētorum. Quāuis ergò difficultas potissima sit inter Philosophos de accidenti completo, nos tamen etiam de accidenti abstrahente à completo, & incompleto, ob connexionem doctrinæ, quid sentiendum sit, dicemus: In quo

Prima sententia dicit, accidēs respectu nouem generum esse vniuocum. Hanc ex Thomist. tenet Soto cap. 4. in Antepræd. Iabellus lib. 7. Metaph. q. 1. ad 3. & ex Neotericis citatur à Suarez pro hac sentētia Albertinus tom: 2. circa prædicamentum substantiæ quæst. 7. num. 11. qui etiam concedit, accidens esse genus respectu nouem generum.

Fundamentū ipsorum est, quia omnis analogia, vel causatur ratione dependentiæ, vel ratione transcendentiæ, vt quæst. sequenti patebit; Sed genera accidentium, neque habent ad inuicem dependentiam, nec accidens completū dicit respectu illorum transcendentiam. Ergò &c. Minor, quantùm ad primam partem patet, quia, nec quantitas à qualitate, nec qualitas à relatione in ratione accidentis dependet. Quoad secūdam, prob. Transcendens debet imbibi in vltimis differentijs, & modis rerum; Sed accidens completum non imbibitur in modis constitutiuis, & differentijs accidentium, quia modi, & differentiæ accidentium non sunt entia completa, vt ex se patet. Ergò &c.

Nec valet si dicas, hanc analogiam causari per dependentiam, in quantùm omnia accidentia dependent à quantitate, tanquā à subiecto, quo.

Contra enim est primò, quia sunt multa accidentia, quæ non dependent à quantitate, quia non recipiuntur in substantia media ipsa, vt patet de accidentibus spiritualibus, & tamen hæc verè, & propriè participant rationem accidentis. Ergò ratio accidentis non competit alijs per dependentiam à quantitate. Si enim sic cōpeteret, nullum esset accidens, quod non dependentèr à quantitate rationem accidentis participaret, sicut quidquid rationem sani participat, participat illam dependentèr ab animali.

Secundò, quia saltèm habemus intentum in alijs octo generibus, inter quæ nulla est dependentia, quia, licet omnia dependeant à quantitate, non tamen dependent ad inuicem. Ergò, sicut inter illa nulla est dependentia, ità nulla erit, & analogia.

Secunda sententia est P. Suarez Disput. 3. Metaph. Sect. 3. Qui, etsi concedat, accidens esse analogum respectu omnium nouem generum, tamen respectu aliquorum dicit, esse vniuocum.

Fundamentum ipsius est quantùm ad primam partem, quia alij

aliqua genera accidentium consistunt in denominatione extrinseca, aliqua verò intrinsecè afficiũt subiectum, tanquam veræ formæ ipsius. Ergò accidens non erit vniuocum respectu illorum, quia intrinseco, & extrinseco nihil potest esse commune vniuocum. Quantùm verò ad secundam partem, probat suam sententiam primò, quia saltem vniuocè dicitur de rebus eiusdem prædicamenti, v. g. de frigore, & calore. Cùm enim de his qualitas dicatur vniuocè, etiam accidens dicitur, vtpotè quod est de essentia qualitatis. Secundò; quia de qualitate, quantitate, alijsque accidentibus intrinsecè afficientibus subiectum, dicitur vniuocè, cum ista æqualiter sine vlla dependentia rationem accidentis participent. Ergò &c.

Tertia Sententia docet; accidens, siue completum, siue incompletum esse verè analogum respectu quorumcunque inferiorum. Ita Arauxo 4. Metaph. q. 3. art. 5. Joannes à S. Tho. in Log. q. 14. ar. 4. Didacus Ortiz in Log. tract. 4. Confer. 5. Rubius de prædicam. cap. 4. q. 4. in respons. ad vlt. Quæ sententia, quia verior est cæteris, principijsque thomisticis conformior, ideò illi subscribimus, atque.

Dicimus primò; accidens abstrahens à completo, & incompleto analogum esse respectu quorumcunque inferiorum. Ita Philosophi communitèr. Probatur breuitèr. Accidens abstrahens à completo, & incompleto est transcendens, tàm respectu immediatorum inferiorum, scilicet nouẽ generum supremorum, quàm respectu mediatorum, specierum scilicet, & indiuiduorum. Ergò erit analogum respectu ipsorum. Conseq. patet ex supra dictis, & dicendis in sequenti quæst. magis patebit, vbi probabimus, quòd vbicunque inuenitur transcendẽtia, ibi etiam inuenitur, & analogia. Antecedens probatur. Transcendens illud est, quòd ita imbibitur in rebus, vt nihil in illis sit, de quo formaliter non prædicetur; Sed nihil est in accidentibus, siue genericis, siue specificis, vel indiuidualibus, de quo formaliter non prædicetur accidens abstrahens à completo, & incompleto, quacunque enim differentia sumpta, quantumuis atoma, cùm hæc non sit nihil, erit vtique ens, & cùm non sit ens per se, erit ens in alio, ac per consequens, accidens. Ergò &c.

Dices ex hac ratione sequi, etiam substantiam esse analogam respectu substantiarum, quia etiam ratio substantiæ imbibitur in omnibus differentijs, & modis substantialibus, quia omnes, cùm sint entia, & non accidentia, erũt vtique substantiæ, sed substantia non est quid analogum, quia est genus, ac per consequens vniuocum. Ergò, &c.

Resp. distinguendo maiorem. Sequitur, substantiam abstrahentem à completa, & incompleta esse analogam. Concedo. Sub-

ſtantiam completam, Nego. Subſtantia enim completa eſt genus, quia eſt extra conceptum differentiarum, quæ ſunt entia, & ſubſtantiæ incompletæ, vnde etiã non prædicantur in quid ſimpliciter, ſed tantùm in quale quid. Cæterùm ſubſtantia abſtrahens à completa, & incompleta eſt analoga, quia eſt tranſcendens, in omnibus enim differentijs, & modis imbibitur intrinſecè: Vnde ſubſtãtia, quæ conſtituit genus generaliſſimum eſt ſubſtantia completa, non verò abſtrahens à completa, & incompleta; Et hinc eſt, quod incõpleta excludantur à recta linea prædicamentali.

Dicimus ſecundò. Accidens completum non ſolùm reſpectu aliquorum, ſed etiã reſpectu omnium nouem generum eſt analogum. Ita Thomiſtæ ſupra citati pro tertia ſententia. Probatur. Ratio importans proprios modos, ſeu differentias, quibus inferiora inter ſe differunt, eſt ratio analoga; eo enim ipſo ſignificat inferiora, vt conuenientia, & diſconuenientia; Sed accidens cõpletum importat proprios modos conſtitutiuos prædicamentorum, per hoc enim in ratione completi conſtituitur, vt patebit ex dicendis diſp. 3. Ergò erit analogum reſpectu illorum. Ex quo colligitur, falſam eſſe opinionem Suarij, quòd accidẽs reſpectu aliquorum prædicamentorũ ſit vniuocum. Falſum, inquam, hoc eſt, quia etiam illorum aliquorũ importat accidens proprios modos conſtitutiuos. Ergò etiam reſpectu illorum dicit conuenientiam, cum diſconuenientia, ac per cõſequens, analogiam.

Dicendum tertiò. Reſpectu inferiorum mediatorum, v. g. ſpecierum, & indiuiduorum, ſi ſint diuerſorum prædicamentorum, accidens completum erit analogum; ſi verò ſint eiuſdem prædicamenti, vniuocum. Probatur primò, quantùm ad primam partem. Reſpectu ſpecierum, & indiuiduorum ad diuerſa prædicamenta ſpectantium, accidens cõpletum non comparatur, vt vnũ ſimpliciter, quia importat modos proprios conſtitutiuos illorum prædicamentorum, ad quæ illa indiuidua, & ſpecies pertinent. Ergò non eſt vniuocum reſpectu illorum, & cùm ex alio capite non ſit æquiuocum, quia ſignificat illis aliquid commune, præter nomen, erit vtique analogum.

Quantùm ad ſecundam partẽ probatur. Accidens completum, reſpectu duarum ſpecierum vnius prædicamenti, ſignificat rationem vnam ſimpliciter in ipſis, & præſcindibilem perfectè ab ipſis. Ergò eſt vniuocum. Conſequentia patet, & anteced. prob. Accidens completum reſpectu ſpecierum qualitatis non ſignificat aliud, niſi ipſum prædicamentum qualitatis, quia accidens completur per modos prædicamentorum, vt infra patebit. Ergò in genere qualitatis cõplebitur per modum conſtitutiuum qualitatis,

Digitized by Google

ac per consequens nihil aliud significabit, quàm ipsum prædicamentum qualitatis; Sed prædicamentum qualitatis est vniuocũ respectu suarum specierum, & indiuiduorum. Ergò, &c.

Ex quo nota discrimen, quod intercedit inter accidẽs relatum ad inferiora diuersorum prædicamentorum, & inferiora eiusdẽ prædicamenti, propter quod illud est analogum; hoc verò vniuocũ. Nam ad analogiã requiritur diuersitas cum conuenientia: cùm ergò accidens commune rebus diuersorum prædicamentorum, necessariò, si est completum respectu illarum rerum, debeat importare proprios modos pluriũ prædicamentorum; qui faciunt simpliciter diuersa, etiam ipsum accidens importat talem diuersitatem; ac per consequens est analogum: Accidens verò respiciens inferiora vnius prædicamenti nõ respicit plures modos diuersos illius prædicamenti, sed vnũ tantũ illius prædicamẽti cõstitutiuũ. Hinc est, quòd non est analogũ, sed vniuocum, sicut & illud prædicamẽtum ad sua inferiora vniuocum est.

Argumentis oppositarum sententiarum respondetur.

AD rationem pro prima sententia allatam, resp., analogiam accidentis, tàm abstrahẽtis à completo, & incompleto, quàm accidentis completi causari per transcendentiam, alitèr tamen, & aliter. Nam accidens abstrahens à completo, & incõpleto est propriè transcendens, quia imbibitur in omnibus modis, & differentijs constitutiuis suorum inferiorum, vt supra demonstratum est. Accidens autem completum, etsi propriè transcẽdens non sit, eius tamen analogia reductiuè spectat ad analoga in transcendentia fundata, quia, etsi non includatur intrinsecè in modis constitutiuis prædicamẽtorum, illos tamen indispensabiliter importat; Non enim constituitur accidens cõpletum formaliter in ratione talis, nisi ratione prædictorum modorum, in quantùm scilicet intelligitur terminatum, & completum per ipsos; vnde illa solutio, inter arguẽdum data, non valet, & efficaciter est duplici illo argumẽto impugnata.

Argumenta P. Suarez nullam difficultatem habent; Nam imprimis illud, quod pro prima sẽtentia adducit, etsi id probet, in quo nobiscum conuenit, tamen falso nititur fundamento, aliqua scilicet prædicamenta consistere in denominatione extrinseca: semel enim concesso, aliqua prædicamenta in aliqua denominatione extrinseca considere, tolleretur denarius numerus prædicamentorum, ab omnibus Philosophis receptus, quia distinctio penes denominationem intrinsecã, & extrinsecam non potest causare genera primò diuersa: De quo vide nostros Complut. in Log. disput. 16. q. 1.

Ad

Digitized by Google

Ad primam etiam pro secunda parte conclusionis resp., quod, si de accidente completo sermo sit, nihil concludit contra nos, quia etiam nos diximus, accidens cōpletum respectu rerum ad idem prædicamentum spectantium, non esse analogum, sed vniuocum. Si verò loquamur de accidenti abstrahente ab accidente completo, & incompleto, dicimus illud dici de inferioribus, v.g. qualitatis analogicè: Quia, etsi sit de essentia qualitatis, quæ de talibus inferioribus vniuocè dicitur, non tamen est de essentia ipsius, vt aliquod prædicatum vniuocum abstrahibile à ratione qualitatis, sed per modum transcendentis, ac per consequens, tanquam analogum, quia vt sæpiùs repetijmus, & quæst. sequenti declarabimus, vbicunque est transcendentia, ibi est, & analogia. Et per hoc patet solutio ad secundum: Quia etiā illa analogia, quam dicunt diuersa genera accidentium, non fundatur in dependentia, sed in trāscendentia.

QVAESTIO VII.

Vtrum Analogia Entis, cæterorumque, quæ analoga esse possunt, causetur per solam dependentiam, vel per solam transcendentiam.

PRincipium, quo sæpiùs in præcedentibus quæstionibus vsi sumus, nunc explicandum assumimus: Quod, licet ex dictis in præcedentibus quæstionibus, aliquo modo enucleatum sit, pro meliori tamen eius explicatione, & occurrentium obiectionum solutione hanc quæst. agitamus.

Est ergò prima sententia asserens, omnem analogiam per dependentiam causari, ac per consequens negare debet, analogiam causari per transcendentiam, vbi enim est transcendentia; non potest esse propria dependentia, quia ratio transcendens est omnibus inferioribus intrinseca: Ita videtur sentire P. Suarez disput. 28. nu. 11. Fundamentum ipsius est; quia dependentia, de qua hic loquimur, consistit in hoc, quod aliqua ratio per priùs vni competat, quàm alteri; Sed in omni analogia ratio significata per nomen analogum per priùs vni cōpetit, quàm alteri. Ergò omnis analogia per dependentiam causatur. Maior, & consequ. patet. Minor verò prob: Nam in primis in analogia attributionis certum est, rationē significatam per nomen analogum per priùs conuenire vni analogato, quàm alijs; quia primò competit intrinsecè, cæteris autē per extrinsecam denominationem, intrinseca autē priora sunt extrinsecis. De analogia etiam proportionalitatis prob., quia nulla est analogia proportionalitatis propriæ, sed omnis proportionalitas debet habere aliquid metaphoræ admixtum, alias etiam vniuoca

posset esse analoga, si proportionalitas in analogis nō peteret admixtionem impropriæ significationis, potest enim etiam in ratione vniuoca fieri habitudo proportionalis, si dicatur: sicut se habet homo ad suum esse sensibile, ita leo ad suum: Ergò omnis analogia proportionalitatis fundatur in depentia. Consequ. prob., quia vbi inuenitur propria, & impropria, seu metaphorica significatio, ibi inuenitur dependentia: Illud enim, cui aliqua ratio impropriè competit, pendet ab illo, cui competit propriè, sicut posterius participās rationē à participāte illā prius; sed in ōni analogia proportionalitatis inuenitur hęc improprietas, seu metaphora. Ergò & dependentia.

Hæc tamen opinio non placet, eamque debent improbare illi omnes Thomistæ, qui in hoc impugnant Scotum, quòd concessa transcēdentia entis, negauit analogiam ipsius: estque expresse contra S. Thomam, qui Opus. 42. cap. 1. in fine, ex eo, quòd ens sit transcendens, intulit esse analogum; dùm inquit circa finem capitis. *Nulla differentia potest accipi, de cuius intellectu non sit ens. Vnde manifestum est, quod ens non potest habere differentiam, sicut genus habet, & ideò ens genus nō est, sed est de omnibus prædicabile analogicè; similiter dicendum est de alijs transcendentibus.* Vbi manifestè vides S. Thomam ex ipsa transcendentia, seu inclusione in differentijs inferre analogiam.

Deinde eadem opinio impugnatur rationibus. Primò. Quodcunque est causa conuenientiæ cum disconuenientia, est causa analogiæ; Sed sola transcendentia potest esse causa conuenientiæ cum disconuenientia. Ergò sola ipsa potest esse causa analogiæ. Maior patet ex ratione analogorum suprà explicata. Minor verò probatur. Ratio transcendens, ita intimè imbibitur in differentijs, vt ex conceptu differentiæ, & transcendentis, fiat vnus simplicissimus conceptus. Ergò ita conueniunt inferiora in ratione transcendenti, vt simul differant; non enim est intelligibile, transcendens constituere simplicissimum conceptum cum differentijs rerum, & quod res nō differant in illo conceptu, sicut proprijs differentis differunt.

Secundò impugnatur. Prædicatio, in qua transcendens de suis inferioribus prædicatur, neq; est prædicatio vniuoci de vniuocatis, neq; æquiuoci de æquiuocatis. Ergò erit prædicatio Analogi de analogatis. Conseq. quent. à sufficienti enumeratione constat. Anteced. prob.: In primis, non est vniuoci, quia vniuocum dicit naturam vnam simpliciter, ac per consequens, non afferentem actu differentias, & abstrahentem ab illis; vbi enim sunt differentiæ, ibi est diuersitas, ac per cōsequēs nō est vnitas simpliciter: Sed trāscendens affert actu differentias, quia imbibitur in ipsis. Ergò, &c. Deinde quòd non sit æquiuoci, patet, quia transcēdens dicit naturam secundùm quid vnam, cōmunemque aliquo modo inferio-

Digitized by Google

ribùs; æquiuoca autem nullã vnitatem, vel communitatem rationis patiuntur, cùm sint simpliciter diuersa, nihil commune, solo nomine excepto, habentia. Ergo, &c.

Nec ratio P. Suarij conuincit; negamus enim in omni analoga rationem significatam per nomen analogum per priùs conuenire vni, quàm alteri, quia, etsi hoc in analogia attributionis, vel proportionalitatis metaphoricæ sit verum, in analogia tamen proportionalitatis propriæ, falsum est. Et ad probationem in contrariũ, negamus, quamlibet analogiã proportionalitatis habere aliquid metaphoræ admixtum; Ex quo tamen non sequitur, vniuoca, vt talia formaliter, non esse analoga. Quod sic ostenditur. Nam quando Suarius format illã proportionalitatem inter hominem, & equum, respectu esse sensitiui, dicendo, sicut se habet homo ad suum esse sensitiuum, ita se habet equus ad suum, vel sumit hominem, & equum cum differẽtijs constitutiuis ipsorum, vel nõ: si primùm dicat, fatemur quidẽ, quòd illa proportionalis habitudo ad esse sensitiuum esset analoga, si exprimeretur nomine significante hominem, & equũ secundùm suas proprias rationes; eo ipso enim, in illa ratione homo, & equus conuenirent, & disconuenirent; Vnde, vt optimè docẽt nost. Complut. in Log. disp. 10. c. 4. in omnibus generibus, si imponeretur nomen aliquod significans species illorum secundùm proprias differentias, inueniretur analogia: Tamen illa proportionalitas, neque esset vniuoca, neque competeret speciebus ratione gradus generici, v.g. homini, & equo ratione sensibilis, sed ratione alterius rationis importãtis proprias differẽtias specierum, à quibus gradus genericus præscindit. Si autem Suarez dicat secundùm, quòd scilicèt nõ sumit hominem, & equum secundùm proprias differentias illorũ, sed, vt conueniunt præcisè in gradu sensus, tunc non poterit esse inter hominem, & equum, propriè loquendo, proportionalitas, vt enim aduertunt optimè nostri Complut. disp., & quæst. citata, & nos supra diximus, in qualibet proportionalitate necessariò requiruntur quatuor termini, qui in nostro casu nequeunt inueniri; Quòd probo sic. Nam ideò, v.g. in analogia proportionalitatis, quam habent in ratione principij cor, & fundamentum domus inueniuntur quatuor termini, quia, Ly principium, non significat aliquam vnam rationẽ communem cordi, & fundamento domus, sed immediatè significat inferiora, vnum, vt principiãs vitam, aliud, vt principians domum, sicque possunt assignari quatuor termini, nempè cor, fundamentum, principium domus, & principium vitæ, qui tamen assignari non possent, si eadem esset ratio principij in corde, & in fũdamento. Cùm ergò præcisis dif-

fe-

ferentijs eadem sit omninò ratio sensus in homine, & equo, in proportionalitate, qua illos refero ad suum esse sensitiuum, dicendo, sicut se habet homo ad suum esse sensitiuum, ita & equus ad suum, non possunt esse quatuor termini, vt consideranti patet, ac per consequẽs, neque veram proportionalitatem habebunt.

Potest tamen adhuc argui cõtra nos in fauorem P. Suarij primò; Transcendentia causat maiorem conuenientiam, quàm vniuocatio, quia in ratione vniuoca conuenientia attenditur præcisè ratione conceptus communis: iã autem in ratione transcendenti etiam ipsæ differentiæ quodammodo debent conuenire, quia in illis imbibitur ratio illa transcẽdens. Ergò transcendentia potiùs tollit analogiam, quàm fundat, quia de ratione analogiæ est conuenientia cum disconuenientia.

Resp. distingu: Anteced: Transcendentia causat maiorem conuenientiam; quàm vniuocatio; Maiorem extensiuè. Concedo. Maiorem intensiuè, Nego. Transcendentia enim, ideò maiorem dicitur causare conuenientiam, quia etiam ad ipsas differentias extenditur, quæ aliquo modo in aliquo transcendenti conueniunt, quæ maioritas est extensiua, vt patet: Vniuocatio autem dicit conuenientiam excludentem omnem disconuenientiam, quam transcendentia compatitur simul cum sua conuenientia ratione differentiarum, quas importat, vt non semel explicatum est. Vnde maior erit intensiuè conuenientia in ratione vniuoca, quàm in ratione transcendentali, quia, tanto est aliqua forma maior intensiuè, quantò minùs relinquit in subiecto de forma opposita, vt patet in calore, qui, tantò est intensior, quantò minus relinquit de frigiditate.

Potest argui secundo; Disconuenientia, quam affert ratio transcendentis, est tantùm ratione differentiarum, non autem ratione ipsius conceptus transcendentis, in quo potius inferiora conueniunt. Ergò non est disconueniẽtia sufficiens ad analogiam. Analogia enim petit disconuenientiam certam ex ipsa ratione analoga.

Resp. quòd, etsi disconuenientia, quam ratio transcẽdens affert, ortum ducat ex differẽtijs, tamen etiam reducitur in ipsam rationẽ transcendentem inclusam in differentijs, quia, vt supra in prima ratione pro nostra conclusione allata dictum est, differentia cum ratione transcendenti in ipsa inclusa constituit vnum conceptum simplicissimum: nam differentiæ sunt conceptus simplices, vt docẽt communiter Dialectici, ac per cõsequens, sicut illa disconuenientia oritur ex differentijs, ita etiam oritur ex ipsa ratione transcendenti, quæ cũ differentijs est quid vnum, idemq; simpliciter.

Instabis. Quod est principium conuenientiæ, non potest esse principium disconuenientiæ; hæc enim

rationes sunt oppositæ; Sed ratio transcendens est principium conuenientiæ. Ergo &c.

Resp. distinguendo maiorem. Quod est principium conuenientiæ simpliciter, seu vniuocè, non potest esse principium disconuenientiæ, Conced: Quod est principium conuenientiæ secundùm quid, seu analogicè, non potest esse principium disconuenientiæ, Negatur. Immò conuenientia analogica necessariò petit distinctionem, vt supra explicatum est. Hac ergò sententia reiecta.

Secunda sententia asserit. Nullam analogiam causari per dependentiam, omnem verò per transcendentiam. Ita Magister Serra in Log. Disput: 3. art. 2. Nam ad analogiam requiritur diuersitas in ratione conmmuni; Sed dependentia non causat diuersitatem in ratione communi; Ergò neque analogiam. Maior, & conseq: constãt. Minor verò probatur primò. Nam multa sunt, in quibus inuenitur dependentia, & tamen conueniunt in ratione communi sine aliqua diuersitate, vt patet in effectibus causarum vniuocarum, v. g. Paulus filius Petri dependet à Petro, cum quo tamen vniuocè conuenit in ratione hominis, & sic de alijs. Ergo &c. Secundò si dependentia causaret diuersitatem, vbi esset diuersitas causata à depẽdẽtia, ibi esset, & ipsa depẽdentia, sed hoc est falsum; Nam inter Deum, & creaturas est diuersitas entis, & tamen in eadem ratione entis non est dependentia, quia, si in conceptu entis, vt ens, dependentia, esset, etiam ipse Deus, qui est ens, esset dependens: quod enim competit alicui rationi, vt talis est, competit omni participanti illam. Ergo &c.

Sed neque hac opinio placet. Vnde cõtra illam arguitur. Quod est causa conuenientiæ cum disconuenientia, est causa analogiæ; Sed sola dependentia potest esse causa conuenientiæ cum disconuenientia. Ergo, & analogiæ. Maior ex sæpius dictis patet, Et probatur Minor. Dependentia de qua hic loquimur, consistit in participatione eiusdem rationis secundùm prius, & posterius; Sed vbi inuenitur partipatio eiusdem rationis secundùm prius, & posterius, ibi inuenitur conuenientia, & disconuenientia; Nam ex quo capite vnam rationẽ inferiora participant, conueniunt: & ex quo capite, vnum participat priùs, seu simpliciter, & intrinsece, alia verò posteriùs, seu secundùm quid, & extrinsecè, disconueniunt, vt patet in sano respectu animalis, vrinæ, & medicinæ. Ergo &c.

Confirmatur. Quia in analogia attributionis, & proportionalitatis Metaphoricæ, nisi recurramus ad dependentiam, nõ inueniemus causam Analogiæ, ibi enim non inuenitur transcendentia, quia transcendentia in omnibus inuenitur intrinsecè, & propriè, Analogum autem analogia attributionis tantùm est intrinsecè in vno, in alijs verò tantùm extrinsecè: sicut, & analogum proportiona-

na-

nalitate metaphorica, vni propriè, alteri verò impropriè competit.

Resp: ergo ad fundamentum Magistri Serra, negando minorem, ad cuius probationem primam, resp. quòd, si imponeretur aliquod nomen significans formaliter Petrum, & Paulum, vt formaliter dependentes in ratione causæ, & effectus, illud nomen esset analogũ; Hoc autem cùm, Ly homo, non exprimat, (Paulus enim non est causa Petri, vt homo, nisi per accidens) est vniuocum.

Ad secundam probationem eiusdem minoris resp: Inter Deũ, & creaturam talẽ esse dependẽtiã in ratione entis, vt non competat enti secundùm rationem entis, quasi ipsum ens communissimè sumptum sit dependens, cùm non habeat, vndè dependeat, nisi fortè à nihilo, quod est impossibile, sed ità, vt ens creatum, in hoc, quod ens, dependeat ab ente increato, ex quo non sequitur, Deũ esse dependentẽ, vt consideranti patebit. Ex dictis elicitur.

Conclusio. Duo sunt fundamẽta analogiæ. Transcendentia, & dependentia: Quorum vnumquodque separatim sumptum, sufficit ad fundandam analogiam. Hanc Conclusionem nouis rationibus non probamus, quia sufficienter manet per impugnationes oppositarum sententiarum probata. Quæ autem analogia causetur per dependentiam, quæ verò per transcendentiam, facilè ex dictis supra Quæst. 4. patet. Quia enim in analogia attributionis ratio significata per nomẽ analogum est in vno intrinsecè, & simpliciter, in alijs verò analogatis, extrinsecè, & secundùm quid, ideò hæc analogia causatur per dependẽtiam, & idẽ est de analogia proportionalitatis metaphoricæ dicendum. E' contra verò, quia ratio analoga in analogia proportionalitatis propriæ est intrinsecè in omnibus analogatis, ideò hæc analogia non causatur per dependentiam, sed per transcendentiam. Vnde malè concessit Ortiz in Log. Tract. 4. Confer. 2. etiam analogiam proportionalitatis propriæ posse per dependentiam causari, si ratio analoga sit in vno per priùs, & simpliciter, in alio verò per posterius, & secundùm quid. Hoc enim implicat in adiecto: Nam, vbi est in ratione participata, prius, & posterius simplicitèr, & secundum quid, ibi, vel non est proportionalitas, sed proportio, vel, si est proportionalitas, non erit propria, sed metaphorica. Hæc de conceptu entis secundùm se.

DISPVTATIO II.

De Conceptu entis secundùm quòd cognoscibilis est.

QVia cognòscibilitas immediatè entis naturam consequitur, eo enim ipso, quòd aliquid est ens, est cognoscibile, ideò explicata natura entis secũdùm

dùm se sumpti, ad cognoscibilitatem ipsius explicandam descẽdimus.

QVAESTIO I.

Vtrùm ens sit primum cognitum simplicitèr respectu intellectus nostri.

SVppositis his, quæ in libris de Anima cõmunitèr tractãt Philosophi de ente, prout est obiectum intellectus nostri, duo remanent examinanda circà cognoscibilitatẽ entis. Primò enim quærendum est de ordine cognoscibilitatis ipsius, an scilicet priùs cæteris cognoscatur. Secundò de modo cognitionis, scilicet an habeat vnam speciem, tàm expressam, quàm impressam, distinctam à speciebus repræsentatiuis inferiorum. Has duas difficultates duabus quæstionibus huius disputationis expediemus. A prima ergò incipiendo, sit.

§. I. *Notationes pro tituli intelligentia.*

VT titulus quæstionis meliùs intelligatur, statusque difficultatis aperiatur.

Suppono primò, vniuersale (quod solùm est ab intellectu directè cognoscibile: singularium enim non est intellectus, sed sensus) duplicem habere totalitatẽ duplici abstractioni correspondẽtem, totalitatem scilicet definibilem, seù actualem, correspondentem abstractioni formali, & totalitatem vniuersalem, seù virtualẽ, correspondentem abstractioni totali.

Suppono secundò, duplicem esse cognitionem, aliam distinctã, & aliam confusam; vnde cum vniuersale duplicem habeat cognoscibilem totalitatem, quatruplicẽ habebit cognitionem, duplicem cõfusam, scilicet confusam actualem, quando scilicet cognoscitur, vt totum actuale absquè eo, quod eius partes actuales cognoscantur, si partes habeat; si verò partibus careat, sitque cõceptus simplicitèr simplex, cognitio actualis ipsius tunc erit, quando ipsius actualitas penetrabitur: Et confusam virtualem, quando cognoscitur, vt totum potentiale, seù virtuale, non tamen penetrando, & cognoscendo partes ipsius subiectiuas, quas continet. Duplicem verò distinctam, scilicèt distinctam actualem, quando cognoscitur, vt totum actuale, cognitis eius partibus actualibus distinctè, si illas habet, vel eius actualitate penetrata. Et distinctam virtualem, quando cognoscitur, vt totum potentiale, cognitis distinctè ipsius partibus subiectiuis.

Suppono tertiò ex Caietano super procem. S. Tho. de ente, & essent. quæst. 1. inter has cognitiones triplex intercedere discri-

men

men, triplex scilicet pro confusis, & triplex pro distinctis. Confusæ enim inter se distinguuntur primò, quod confusa actualis respicit totum actuale, & confusa virtualis respicit totum virtuale. Secundò, quia confusa actualis non compatitur secum cognitionem distinctam virtualem, cognitio verò confusa virtualis compatitur secum cognitionem distinctã actualem: quia non possum nosse animal distinctè in suis speciebus, ignorando distinctè, quid sit animal, benè tamen possum nosse distinctè, quid sit animal, ignorando illud distinctè in suis speciebus. Tertiò. Quòd cognitio confusa actualis est naturalitèr prior cognitione confusa virtuali, quia naturalitèr prius est, quod apprehendam, quid sit animal, saltem confusè, quàm quòd illud, etiam confusè, cognoscam in suis inferioribus.

Similitèr inter vtramq; distinctam est aliud triplex discrimen. Primùm, quòd distincta actualis respicit totum actuale, distincta verò virtualis respicit totum virtuale. Secundum. Quòd prima secum compatitur confusam cognitionem alterius, non verò secunda primæ. Stat enim cum notitia animalis distincta in re ignorantia distincta ipsius in speciebus suis, non tamen fieri potest, vt sciatur distinctè in suis speciebus, & ignoretur distinctè in re. Tertium, quòd distincta virtualis infert distinctam actualem, non tamen è contra.

Suppono quartò. Ordinem istarum cognitionum talem esse, vt omnium prima sit cognitio confusa actualis: quod probo sic. Nã in primis cognitio confusa actualis est prior cognitione distincta actuali, quia priùs res cognoscitur confusè, quàm distinctè, sine penetratione, quàm cum penetratione, vt ex ipsis terminis patet. Cùm autem prior sit cognitio distincta actualis cognitione distincta virtuali, quia cognitum cognitione distincta actuali est vniuersale secundùm totalitatem actualem, quam habet per abstractionem formalem, cognitum autem cognitione distincta virtuali est vniuersale secundum totalitatem virtualem, competentem sibi ratione abstractionis totalis; abstracta autem abstractione formali habẽt rationem partium, abstracta verò abstractione totali, rationem totorum, adeoque prior erit cognitio distincta actualis cognitione distincta virtuali, quia ad cognitionem distinctam totius prærequiritur cognitio distincta partium, vt ex se patet; Et cùm ex alio capite cognitio confusa actualis prior sit cognitione confusa virtuali, vt ex dictis in præcedenti suppositione constat, planè sequitur, cognitionem confusam actualem esse omnium primam. Ex alijs autem tribus cognitionibus, omnium vltima est cognitio distincta virtualis, quia illam debet præcedere, & cognitio confusa virtualis, cùm priores sint cognitiones confusæ distinctis,

Digitized by Google

ctis,& cognitio distincta actualis: priùs enim necessariò debeo distinctè cognoscere quidditatem animalis, quàm distinctè cognoscã, qualitèr animal sit in inferioribus. Cæterùm cognitio distincta actualis, & cognitio confusa virtualis non habent inter se determinatũ ordinẽ prioris, & posterioris, sed possunt se mutuò præcedere; possum enim, habita cognitione confusa,v.g.animalis, statim,vel apprehendere illud cõfusè in inferioribus,vel etiã priùs cognoscere distinctè, quid sit animal, & postea ad idem animal in inferioribus cognoscendum descendere.

Suppono quintò, quòd, cùm cognitio actualis confusa sit omnium prima simpliciter,idem erit quærere de primo cognito simpliciter, & de cognito per cognitionem actualem confusam. Vnde status nostræ controuersiæ est iste: An ens sit obiectum cognitionis actualis confusæ? Si enim fuerit eius obiectum, erit vtique primum cognitum simpliciter,nam cognitio actualis est omnium prima. Cùm autem vniuersale,vt substat abstractioni formali secundùm suam totalitatem actualem,sit obiectum cognitionis confusæ actualis, & hæc abstractio potest conceptum,sicut cuiuslibet alterius vniuersalis,ita, & entis,separare, vel à solis principijs indiuidualibus,relinquendo ipsius conceptum in gradibus specificis,vel genericis, seu(quòd, quantùm ad præsens attinet idẽ est) in quidditate materiali, vel certè illud ab his omnibus separando,& accipiendo ens secũdum suam communissimam rationem, non verò,vt concernit quidditatẽ materialem, hinc est, quòd difficultas præsens etiam petit, vt explicemus, qualitèr ens substet cognitioni confusæ actuali, an scilicet secundùm communissimam,& abstractissimam rationẽ, an verò, vt dictam quidditatem materialem concernit.

§. 2. *Refertur, & impugnatur prima opinio.*

Est ergò prima opinio, quæ dicit, primum cognitum ab intellectu esse singulare. Ita Durand:in 2.distin:6.quæst.3.Ochan: distinct:5.quæst:5. Richard: in 2. distinct:24.quæst.4. Tolet. 3. de Anima quæst: 12.

Fundant suam sententiam in auctoritate Aristotelis,libro.1.de Demonstr:cap.20.dicentis,*Singularia esse nobis notiora, natura tamen minus nota, è contrà verò vniuersalia notiora quidem natura, minus tamen nobis nota*. Ergò ex mente Philosophi priùs cognoscuntur singularia,quàm vniuersalia; quia quæ nobis sunt notiora, priùs à nobis cognosci debent, vt ex se patet.

Secundò arguitur sic in fauorem istius opinionis. Quidquid est reale,est singulare, cùm à parte rei vniuersalia non dentur: iam autem quod reale est,à parte

rei

Digitized by Google

reel esse debet; Sed quod præcedit omnem actum intellectus possibilis est reale; hunc enim entia rationis subsequuntur, cùm per operationẽ intellectus possibilis fiant. Ergo quod præcedit omnem actũ intellectus possibilis est singulare. Sed primò cognitum præcedit omnem actum intellectus possibilis, quia cognoscitur per actum simpliciter primum, quo non datur alius prior. Ergò primum cognitum simpliciter, est singulare.

Hæc tamen opinio displicet, quia est directè contra Philosophum, qui 1. Phys. cap. 5. docet, vniuersaliora esse notiora cognitione intellectuali, singularia autèm cognitione sensitiua, cùm inquit. *Vniuersale quidem notius est ratione, singulare autem sensu: ratio namque ipsius est vniuersalis, sensus verò particularis*. Sed

Impugnatur primò. Illud priùs cognoscitur ab intellectu nostro, quod directè repræsentatur in specie, qua intellectus ad cognitionem fœcundatur, sed repræsentatum in specie directè, nõ est singulare, sed vniuersale, quia species depurata est beneficio intellectus agentis à conditionibus indiuidualibus. Ergò priùs cognoscitur ab intellectu vniuersale, quàm singulare, ac per consequens singulare non erit primò cognitum, vtpotè quod supponit aliud prius.

Secundò impugnatur. Primum cognitum ab intellectu nostro nõ potest esse singulare immateriale, quia hoc ad modum quidditatis materialis cognosci debet, cũ im materialia non cognoscantur pro hoc statu, nisi ad modùm materialium, ac per consequens non cognoscitur primò; Priùs enim cognoscitur illud, quod cognoscitur per se, quàm illud, quod cognoscitur admodum alterius. Neque materiale, quia hoc non cognoscitur directè, primum autem cognitum ab intellectu, debet esse directè cognitũ, quia debet esse per se, & ratione sui cognitũ, cũ tamen illud, quod indirectè cognoscitur, nõ cognoscatur ratione sui, sed ratione directè cogniti.

Nec argumenta pro hac opinione allata conuincunt. Resp. enim ad primum ex auctor. Arist: petitum, Philosophum ibi loqui de cognitione sensitiua, quando dicit singularia esse nobis notiora vniuersalibus: quia scilicet singularia sunt nobis nota per sensum, vniuersalia autem per intellectum: iam autem cognitio sensitiua præcedit intellectiuam. Ita S.Tho. explicat Arist. super 1. Physic. lect. 1. vbi duo loca Aristot. primò aspectu sibi contraria conciliat: Quod quando Arist. 1. Phys. dixit, vniuersaliora esse nobis notiora, quàm minus vniuersalia, locutus est de notis nobis intra genus cognitionis intellectiuæ, cui sunt vniuersaliora notiora: quando verò dixit in lib. de Demonstr. cap. 2. singularia esse notiora nobis, locutus est de notis nobis intra genus cognitionis, vt sic, prout cõprehendit tàm cognitionem sensitiuam, quàm intellectiuam, in qua

Digitized by Google

qua verum est, singularia esse notiora, priusque cognoscibilia vniuersalibus, quia illa sunt cognoscibilia sensu, hæc verò intellectu; cognitio autem sensitiua intellectiuam præcedit, nihil enim est in intellectu, quod non prius sit in sensu.

Ad secundum respon. disting. maiorem. Quidquid est à parte rei, est singulare, id est ipsa singularitas. Nego, est singularizatum. Concedo. Et sic ipsa etiam ratio entis est singularizata, quia differentia indiuidualis, seu hæcceitas indiuiduat, seù singularizat omnes gradus superiores ita scilicet, vt per illam fiat, non solùm v.g. hìc homo, Sed hoc animal, hoc viuens, hoc corpus, hæc substantia, hoc ens: Quando tamen obijcitur intellectui possibili ratio entis, vel alterius gradus communis, iam formaliter, vt sic obiecta, non est singularizata, quia præscindit à differentijs indiuidualibus: Cum quo tamen stat, naturam illam repræsentatā intellectui possibili esse realem, quamuis formaliter, vt repræsentata, non sit singularis. Illa enim propositio, quidquid est reale, est singularizatum, vera est de Reali existente, & in esse entitatiuo sumpto, non autem, quod est in esse repræsentatiuo tale. Species enim impressæ repræsentant naturas reales, cum in esse repræsentatiuo sint eiusdem naturæ cum obiectis, & tamen non repræsentant illas, vt sunt singulares, sed secundùm rationes communes, vt communitèr docent Philosophi in libris de Anima.

§. 3. *Ostenditur contra Scotistas, Ens, & quemlibet alium conceptum simpliciter simplicem esse cognoscibilem cognitione confusa actuali.*

VT defendant Scotistæ opinionem Scoti, quam §. 4. impugnaturi sumus, quòd scilicet primum cognitum ab intellectu nostro, sit species specialissima, pro fundamento iaciunt, cōceptus simpliciter simplices, quale est ens, non esse cognoscibiles cognitione confusa actuali, sed tantum actuali distincta. Fundamentum ipsorum est, quia cognitio actualis confusa tunc est, cùm intellectus fertur in obiectū secundùm id, quod in eo actualitèr inuenitur, nesciendo illud resoluere in partes rationis ipsius, Sed in conceptu simpliciter simplici non potest hoc inueniri, quia conceptus simpliciter simplex non habet partes, in quas resoluatur, ac per consequens, si secundùm aliquid sui cognoscatur, cognoscitur secundùm se totum. Ergo, &c.

Hæc tamen Scotistarum positio est falsa. Vnde contra illam.

Dicimus conceptum entis, & quemlibet alium simpliciter, simplicem posse cognosci cognitione

ne confusa actuali. Probatur euidenti ratione. Potest etiã aliquis diù in studijs exercitatus actualiter cognoscere ens, & non cognoscere, in quo illud differat à substantia, vel accidenti. Ergò potest dari cognitio actualis cõfusa entis. Ergò idem erit iudiciũ de alijs simpliciter simplicibus. Hæc secunda consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens etiam ipsa experientia probat. Prima verò consequentia, in qua est difficultas, probatur. Ille enim, qui actualiter cognoscit ens, habet cognitionem actualem entis, sed non distinctam, nescit enim in quo distinguatur ratio entis à ratione substãtiæ, vel accidentis, cùm tamen inseparabilis effectus cognitionis distinctæ sit scire obiecti differentiam ab aliis: Ergò habebit cognitionem actualem confusam; quia cognitio actualis adæquatè diuiditur in distinctam, & confusam: idem .n. est dicere distinctum, & confusũ, ac distinctum, & indistinctum, quæ sunt immediatè opposita.

Ad fundamentum autem Scotistarum resp. cum Caietano in Tract. de ente, & essentia quæst. 1. negando maiorem, quòd scilicet cognitio confusa sit, quando aliquid cognoscitur, nesciendo illud resoluere in partes rationis, quasi ad cognitionem confusam requiratur ex parte cogniti continentia plurium: Et quod ita sit, probatur ad hominem. Cognitio confusa constituitur per negationem cognitionis distinctæ illius. Ergò quod requiritur ad cognitionem distinctam essentialiter, eiusdem negatio essentialitèr requiretur ad cognitionem confusam: Iam autem ad cognitionem distinctam non requiritur illud, quod cognoscitur, cognosci per per resolutionem in partes rationis, aliàs ipse conceptus entis, quem Scotistæ fatentur esse cognoscibilẽ cognitione actuali distincta non esset sic cognoscibilis, quia ille, vtpotè simpliciter simplex, non habet partes rationis, in quas sit resolubilis. Sufficit ergò ad rationem cognitionis distinctæ actualis, quod obiectum penetretur ab intellectu secundũ omne, quòd in acto inuenitur, siuè hoc fiat per resolutionẽ obiecti in partes rationis, siuè ex claro intuitu obiecti simplicis perfectè, distinctè, & explicitè, cum penetratione ipsius actualitatis cogniti; Vnde similiter non est de ratione cognitionis confusæ actualis, quòd intellectus cognoscat obiectum secundùm aliquid, & secundùm aliquid ignoret, sed sufficit, quod feratur in obiectum actualiter, non penetrando ipsius actualitatem, & non cognoscendo illud distinctè, perfectè, totaliter, explicitè, siuè id cõtingat ex eo, quòd obiectum sit resolubile in plures partes rationis, siuè aliunde, vtrumque per accidens est respectu cognitionis confusæ. Sed

Instabis quasi insolubili argumento. Quando tu dicis, Conceptum simpliciter simplicem per

cognitionem confusam non cognosci penetrando actualitatem, nec explicitè, nec perfectè, vel cognoscis totum, non tamen totalitèr, vel negas cognitionem alicuius formalitatis, cuius cognitionem concedis illi, quem dicis cognoscere distinctè penetrando actualitatem explicitè, perfectè, totum, & totaliter; vel non. Si negas, ergò destruis rationem conceptus simpliciter simplicis, de cuius ratione est, vt intellectus nõ possit ferri in illum secundùm aliquid, & secundùm aliquid non ferri, quia vbi est aliquid, & aliquid, ibi est positio diuersitatis conceptuum, & negatio simplicitatis simplicis. Si verò nõ negas. Ergò non stat, quòd vnus perfectè, distinctè, & explicitè cognoscat obiectum, alter verò non, cùm vterque totum cognoscat, quod est in obiecto, nec alius secundùm se ignoret aliquid, quod nouit alius.

Instabis secundò particularitèr contra eos, qui dicunt, conceptus simpliciter simplices, tunc cognosci confusè, quando cognoscuntur implicitè, tunc verò distinctè, quando explicitè. Cùm dicis, te ens, vel quolibet simpliciter simplex cognoscere explicitè in cognitione distincta, quòd per cognitionem confusam cognoscebas implicitè, quid explicas per illam cognitionem explicitam? ipsam rationem entis, vel aliquid inclusum in ipsa ratione entis? Non ipsam rationem entis, quia hanc iam cognoscebas implicitè; Ratio enim entis non est aliter cognoscibilis, implicitè, & explicitè, quia cum sit simplicissima irresolubilis in plura, quomodocunque apprehendatur, apprehendetur secundum suum esse explicitum: Nec explicas aliquid inuolutum in ente, quia illud inuolutum aut erit aliquid inferius participans rationem entis, & hoc non, quia hic loquimur de cognitione confusa actuali, iam verò ens, vt inuoluens inferiora, est totum potentiale, & per consequens cognoscibile cognitione virtuali, sicque est extra casum. Vel explicas partes definitiuas rationis entis, & hoc etiam non, quia ens his partibus caret, vtpote conceptus simpliciter simplex; Sicque in vniuersum, quidquid dixeris, te explicare, insurget argumentum, quia, vel illud, quod explicas, pertinet ad rationem entis, vel non. Si primum. Ergò cum ratio entis sit simplicissima, nõ stat, vt aliqua ratione apprehendatur, quin apprehẽdatur explicitè, quia sicut entitas, ità & cognoscibilitas rationis simpliciter simplicis in indiuisibili consistit. Si verò secundum dicas, sumus extrà propositum, quia hìc de cognitione ipsius entis secundùm suam rationem formalissimam disputamus.

Confirmatur. Illud potest cognosci implicitè, cui cõpetit esse implicitè; Sed nullus conceptus simpliciter simplex est implicitè. Ergò neque potest cognosci implicitè, cui cõpetit esse implicitè.

Sed

Sed nullus conceptus simpliciter simplex est implicitè. Ergò neq; potest cognosci implicitè. Maior patet, quia cognoscibilitas sequitur ad esse. Minor verò prob. Idē non potest esse implicitè in seipso, sed si est implicitè, est in alio. Ergò vbi inuenitur existentia alicuius implicitè, ibi inuenitur distinctio illius, quod est implicitè ab eo, in quo est implicitè. Sed omnis pluralitas, & distinctio repugnat conceptui simpliciter simplici. Ergò ipsi etiam repugnabit esse, ac per consequens cognosci implicitè.

Resp. tamen ad istas instātias; & quidem incipiendo ab vltimis contra illos factis, qui dicunt cōceptus simpliciter simplices esse cognoscibiles implicitè, fateor rationes videri conuincentes, & maximè confirmationem, vt intuenti constabit: Vnde crediderim, quòd quāuis quodlibet simpliciter simplex sit cognoscibile actualiter confusè, non tamen implicitè, quia licet secundùm rem idem sit cognitio confusa, & implicita, formalissimè tamen non videntur idem significare: cognitio enim confusa magis videtur exprimere modum cognitionis ex parte cognoscentis, iam verò cognitio implicita exprimit modum cognitionis ex parte rei cognitæ. Cognoscere enim confusè nihil est aliud, quam non cognoscere clarè, nam confusio oritur ex defectu claritatis, seu luminis rem distinctè monstrantis, vt patet in exemplo materiali, quādo sub crepusculum, vel in diluculo res confusè vidētur; Quòd enim ego in diluculo videns syluam, non cognosco distinctè esse syluam, sed puto esse vrbem, vel videns arborem, puto esse hominem, illa confusio non est ex parte obiectorum, sed ex parte luminis res indistinctè monstrantis, ac per consequens cognitio confusa non negat aliquid aliud, quàm claritatem cognitionis, quæ negatio tenet se ex parte cognoscentis. Cognoscere verò aliquid implicitè, est cognoscere illud, quasi in alio inuolutum, & implicatum, qui modus cognitionis est ex parte rei cognitæ: Vndè si cognitio implicita coincidat cum cognitione confusa actuali, coincidet cum illa, quæ est respectu alicuius conceptus resolubilis in partes rationis, quia iam erit ibi, quod inoluetur, & implicabitur in alio, sicq; inuolutum, seu implicatum cognoscetur, non verò cum illa, quæ est respectu alicuius, simpliciter simplicis, & irresolubilis in partes, quia ibi non inuenit aliquid implicatum, quod cognoscat implicitè, vt rectè probat confirmatio.

Resp. deinde ad instantiam contra ipsam solutionem Caietani allatam, eligendo secundam partem dilemmatis, quòd scilicet non negamus illi, qui confusè cognoscit cognitionem alicuius, cuius cognitionem concedimus ei, qui cognoscit distinctè: Nō tamen sequitur, quòd non possimus vni negare cognitionem distin-

Digitized by Google

ctam, quam concedimus alteri, quia licet totum vterque cognoscat, non tamen totalitèr, Ly totaliter determinante modum cogniti, non vt res, sed vt obiectum est. Et licet idem vterque cognoscat, est tamen obiectum ab illis alio, & alio modo cognitum, non quòd sciat vnus aliquid, quod nesciat alter, sed quia habet aliquā cognitionem de obiecto, quam non habet alter, quod non est scire aliquid amplius de obiecto, vt res, sed vt obiectū est formaliter.

Pro quorum intelligētia scito, quòd simplicitas conceptus non tollit diuersam cognoscibilitatem ab ente; quia sicut in cognitione discursiua potest concludi de illo aliquid per medium topicum, sophisticum, & demonstratiuum, sicque per discursum idem conceptus simplicissimus entis erit scibilis topicè, sophisticè, demonstratiuè, ita idem conceptus simplicissimus entis poterit cognitione apprehensiua clarè, vel confusè apprehendi: Sicut autem illud, quod est, esse cognoscibile per medium topicum, non dicit aliquid in ente formaliter in esse entis sumpto, quòd nō dicat hoc, quod est, esse cognoscibile per medium demonstratiuum, quia idem est, quod scit vterque, & ille, qui cognoscit topicè, & ille, qui cognoscit demōstratiuè, ita idem erit ens in esse entis, quod apprehenditur cognitione actuali confusa, & quod apprehendetur cognitione actuali distincta. Nec vna plùs de ēte in esse entis sumpto cognoscit, quàm alia, & sicuti idem ens, vt cognitum per mediū topicum, non potest non esse diuersum à se in esse obiecti formaliter vt cognito per medium demonstrabile, quia diuerso cognoscitur lumine, quæ lumina diuersificant obiecta in ratione obiectorum, ita etiam à seipso, vt apprehenso cōfusè erit diuersum in ratione obiecti, vt est apprehensum distinctè, quia apprehenditur sub diuerso lumine. Et sic ille, qui cognoscit ens distinctè, sciet aliquid de illo formaliter in ratione obiecti sumpto, quod nesciet is, qui illud cognoscit confusè. Hoc autem non arguit diuersitatem, nisi in modo cognitionis, & cognoscibilitatis, non verò in ipsa ratione entis. Sed iterum.

Instabis. Obiectum, vt obiectū, vel est ens, vt ens, vel aliqua ratio formaliter distincta ab ente. Si primum. Ergò nihil poterit competere enti, vt obiectum, quod illi non competat, vt ens est. Si verò secundum, non saluatur (quod tamen saluare intedimus) aliquid simpliciter simplex esse cognoscibile cognitione cōfusa actuali. Si enim in obiecto, vt obiectum est, compositionem admittas, obiectum, vt obiectum, nō erit aliquid simpliciter simplex, & sic licet cognoscatur cognitione confusa actuali, nō sequetur, quòd aliquid simplicitèr simplex tali cognitione cognoscatur. Deinde, ēs, vt ens, est formalissimè obiectum intellectus. Ergò illa, quæ competunt illi formalitèr, vt obiectum, compe-

Digitized by Google

petunt illi, vt ens est.

Resp. disting. primam partem dilemmatis, obiectum, vt obiectũ est ens, vt ens, in recto. Concedo. in obliquo. Nego. Et ad probationem negatur consequentia, quod scilicet, ex eo, quod obiectũ, vt obiectum sit ipsum ens, vt ens in recto, sequatur, non posse illi competere aliquid, non competẽs enti, vt ens formaliter. Multa enim competunt alicui rei cum aliqua connotatione, quæ illi non competunt sine illa. Sicut actus liber Dei, sine connotatione creaturarum, vt hic, & nunc existentium, non est liber, sed necessarius, vnde non potest non esse; Iam verò actus idem, vt connotans creaturas, est liber, & per cõsequẽs, potuit non esse in Deo quantùm ad hoc complexum. Similiter Creatio ab æterno non producebat creaturam, (quamuis ab æterno quantùm ad suam entitatẽ fuit) quia ei deficiebat connotatio existentiæ Creaturæ, qua in tempore posita, creat, vt quo. Et materia prima, quãuis, vt disposita, nihil dicat, nisi entitatem cum connotatis, de quibus Nostri Complut. in lib. de Gener. & Corrupt. Disput. 2. tamen quantùm ad suam entitatem præcisè sumptam sine illis connotatis, non censetur esse disposita, vel determinata ad recipiendam formam hanc potiùs, quàm illam, quibus positis manet disposita, & determinata. Sic ergò in præsenti potest aliquid dici de ente, vt obiectum est, quod non dicitur de illo formaliter vt est ens, quamuis ens, vt est ens, non distinguatur à seipso, vt obiectum est, nisi penes connotata. Et sic potest dici de ipso, quod, vt obiectum est, possit secundùm aliquid cognosci per vnam cognitionem, & secundùm aliquid non, *Illo aliquid*, vel nihil reduplicante distinctum ab ente, vel si reduplicet aliquid, reduplicante connotata, quæ sunt talis, vel talis cognitio, tale, vel tantùm lumen, &c. non tamen potest de de illo dici hoc, secundùm quod, est ens, quia formaliter vt ens non dicit illa connotata. Neque sequitur id, quod in eadem obiectione innuitur, per cognitionem scilicet confusam actualem non cognosci aliquid simpliciter simplex, quia cognoscitur ipsum ens, non quidem vt ens, sed vt obiectum, *Ly*, vt obiectum, non reduplicante aliquid ex parte obiecti, quod ipsi competat in recto, & sit superadditum ad ens, faciatq; compositionem cum ente, sed tãtùm connotata, id est modum cognitionis, & tantum, vel tantum lumen intellectuale, quæ cũ se teneant ex parte cognoscentis, ex parte obiecti cogniti omnimoda simplicitas remanebit: Per quod patet solutio ad secundam instantiam.

Vnde, & tribus concludamus verbis id, quod in tota hac solutione diximus. Asserimus, ens, vt ens cognosci cognitione confusa, & distincta actuali, quia potest videri maiori, vel minori lumine, & sic habere aliquam di-

uersitatem formaliter in ratione. Obiecti, quæ diuersitas non est in obiecto ex parte eius, quod dicit in recto, sed ex parte obliqui tantùm; obiectum enim, vt obiectum; dicit in recto rationem entis, quæ est simplicissima, nullamque admittit diuersitatem, in obliquo verò connotat modum talis, vel talis cognitionis confusæ, vel distinctæ, perfecto, vel imperfecto lumine eandem simplicissimam formalitatem cognoscentiæ.

§. 4. *Reijcitur opinio Scoti asserentis, primum cognitum esse speciem specialissimam.*

SCotus in distin. 3. qu. 2. dicit, *primum cognitū esse speciem specialissimam, cuius indiuiduum fortiùs mouet sensum*. Sequitur Scoti opinionem Antonius Trõbetta lib. 1. Metaph. qu. 10. & cõmuniter Scotistæ. Fundamenta Scoti, & Scotistarum plurima sunt, quæ videre poteris apud Caietanum in tract. de ente, & essentia, quæstione sæpius citata, & apud nostrum P. Blasium disp. procem. Metaph. qu. 4. Præcipua sunt ista.

Primum. Illud vniuersale priùs cognoscitur ab intellectu, cuius singularia fortius mouēt sensum. Sed singulare speciei specialissimæ fortiùs mouet sensum, quā singulare cuiuslibet gradus superioris. Ergo species specialissima priùs cognoscitur ab intellectu, quàm omnes reliqui gradus, ac per consequens erit priùs cognita. Prima consequentia ex præmissis patet. Præmissæ autem sic probari possunt. Primò quidem maior, quia nostra cognitio intellectiua nascitur ex sensitiua. Ergò illud Vniuersale priùs cognoscitur ab intellectu, cuius singulare priùs mouebit sensum, sed illud mouebit priùs, quòd mouet fortiùs. Ergò, &c. Deinde probatur illa minor. Sensus mouetur à singulari. Ergò magis mouebitur à magis singulari; Sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Sed singulare speciei specialissimæ est maximè singulare, quia est determinatum non solùm determinatione singularitatis, sed etiam naturæ determinatæ, non determinabilis ampliùs per aliam naturam, quod indiuiduis superiorum conuenire nequit. Ergò, &c.

Secundum. Si ante cognitionē speciei deberent priùs vniuersaliora cognosci, tunc posito sensu in actu, & intellectu ad intelligēdum expedito, multum requireretur temporis, vt intellectus ad cognitionem speciei perueniret, multa enim prædicata intermedia cognoscenda essent, quæ inter gradum entis, speciemque specialissimam intercedunt. Sed hoc est falsum, vt ipsa experientia docet. Ergò, &c.

Tertium. Id priùs intelligitur, quod

Digitized by Google

quod est facilioris abstractionis. Sed species specialissima est facilioris abstractionis. Ergò cognoscitur primò. Maior patet, quia cum intellectus non cognoscat, nisi abstrahendo, sicut se habet ad abstrahendum, ita & ad intelligendum. Minor verò probatur. A' similioribus facilior est abstractio, quàm à dissimilioribus. Sed indiuidua speciei specialissimæ sunt similiora indiuiduis entis, vel cuiuslibet gradus superioris. Ergo, &c.

Quartum. Causæ naturales nõ impeditæ producunt primò perfectissimum effectum, quem possunt producere, quia agunt secũdùm vltimum posse. Sed agentia ad primum actum intellectus sũt causæ naturales, vt patet, & non sunt impeditæ, (quia loquimur de his, quæ per se fiunt, non verò eueniẽtibus per accidens,) Ergo producent primò perfectissimum effectum. Tunc subsumo: sed hic effectus perfectissimus nõ potest esse alicuius superioris, & communioris, quia si talis conceptus perfectissimus esset alicuius communioris, sequeretur, quòd illa agentia nunquã possent producere conceptum speciei infimæ, quia nunquam aliqua potẽtia potest in effectum perfectiorẽ suo effectu perfectissimo; Conceptus autem speciei specialissimæ est perfectior conceptu communiori, sicut totum sua parte. Ergò &c.

His tamen non obstantibus, opinio Scoti displicet. Vnde cõtra illam.

Arguitur sic 1. Species specialissima non est confusissima. Ergo eius cognitio actualis confusa non est prima simpliciter, & per consequens ipsa non est primum cognitum. Probatur prima consequentia (secunda enim ex se patet) ratione Arist. & S.Th. 1. Phy. qu. 1. Innata est nobis via, vt procedamus in cognitionem rerum ex nobis notis ad ignota nobis, & nota natura. Sed illa, quæ sunt confusiora, sunt nobis notiora, quia illa sunt nobis notiora, quæ sunt ignotiora natura, illa verò. Sunt ignotiora natura, quæ sunt confusiora, & vniuersaliora; idem enim est, ignotum esse natura, & ignotum esse simpliciter, & secũdum se. Sed vniuersaliora, seu cõfusiora sunt secundùm se ignotiora, cùm cognoscibilitas maior fundetur supra entitatem maiorem, sicut & cognoscibilitas absolutè supra entitatem absolutè; minus autem habent de entitate, quæ sunt confusiora, & vniuersaliora, quia minus habent de actualitate, nam magis sunt entia, quæ sunt in actu, quam, quæ sũt in potentia: Ergò etiam minus habebunt de cognoscibilitate secundùm esse. Ergò cum illa, quæ sunt ignotiora secundùm se, sint notiora nobis, confusiora, & vniuersaliora erunt notiora nobis. Vide, & alias rationes apud S. Thomam loco citato pro probatione istius consequentiæ. Probatur etiam antecedens primi argumenti, quòd species specialissima non sit confusissima, quia

genus est confusius specie. Ergò species non est confusissima. Cõsequẽtia ex se patet,& probat.antec: confusius est illud, quod cõtinet plura, quã illud, quod pauciora. Sed genus plura continet, quàm species. Ergò est cõfusius.

Resp. Antonius Trombetta, quòd cõfusius est illud,quod plura continet actualiter, quàm illud, quod plura continet potentialitèr. Cùm ergo genus sit, quod plura continet potentialiter, species verò actualiter,species erit confusior genere. Sed

Contra. Confusius est, quod plura continet sine ordine vllo, quam quod illa continet ordinatè, (quia vbi est multitudo sine ordine, ibi est confusio; vnde & in vniuerso licet sit maxima multitudo rerum, quia tamen est ordinata, confusione caret) sed quod continet plura actualiter, continet illa ordinatè, sicut species continet ordinatè partes definitiuas,quod verò continet plura potentialitèr, continet illa sine ordine. Ergò, &c.

Resp.quòd genus,& quodlibet potẽtiale cõtinet species ordinatè, quia continet, & respicit eas mediantibus differentijs, quæ sũt valdè ordinatæ.

Contra est.Etiamsi differentiæ sint inter se ordinatæ, tamen genus ipsas, sicut & species, continet sine ordine.Ergò solutio Antonij non valet. Probatur antecedens: Genus tàm species, quã differentias non cõtinet in actu, sed in potentia, vt dicit Porphyrius. Sed quod non continetur in actu, continetur sine ordine. Ergò genus continet species,& differentias sine ordine. Maior, & conseq.patent. Minor probatur. Quod non continetur in actu, continetur indistinctè, quia, vt dicitur 7.tex.Comment.49. *Actus est, qui distinguit*: Quod autem continetur indistinctè,continetur sine ordine, quia ordo sine distinctione non est imaginabilis. Ergò quod non continetur in actu,continetur sine ordine. Ergò cum genus non cõtineat species, & differentias in actu, continebit eas sine ordine, ac consequenter continebit confusè.

Contra secundò arguitur: Illud est primum cognitum, in quod primò fertur intellectus. Sed intellectus non fertur primò in speciem specialissimam. Ergò illa non erit primum cognitum. Maior patet, & probatur minor. Intellectus, sicut, & omnes aliæ potentiæ, fertur primò in suum obiectum formale,& adæquatum, illud enim est, ratione cuius cætera attinguntur. Sed species specialissima non est formale, & adæquatum obiectum intellectus, sed ens. Ergò,&c.

Confirmatur. Prior ordine est intellectio, vt sic, quàm intellectio, vt talis. Ergò etiam ex parte obiecti prius erit cognitum, quod correspõdebit intellectioni, vt sic, quàm quod correspondet intellectioni, vt tali: quia ordo cognitionum est iuxta ordinem cognitorum. Sed species specia-

lissi-

Digitized by Google

lissima correspondet intellectioni, vt tali, non verò intellectioni, vt sic. Ergò non erit primò cognitum.

Contra arguitur tertiò. Cognitio nostra incipit à facilioribus, vt ad difficiliora pertingat, quia Natura semper ab imperfectioribus incipit. Sed cognitio speciei specialissimæ est difficillima, plurima enim ad sui cognitionem præsupponit; nam priùs est cognoscendum aliquid esse viuens, quàm hominem esse, cùm enim modus cognoscẽdi sequatur modum essendi, sicut homini priùs competit esse, quam esse hominem, ita hoc posterius illis cognoscitur. Ergò species specialissima non erit id, à quo primò incipit cognitio. Sed quod est primum cognitum, est id, à quo incipit cognitio. Ergo, &c.

Argumentis Scoti respondetur.

AD primum negatur minor. Prius enim, & fortiùs indiuiduum entis mouet sensum, quã indiuiduum speciei; pro cuius intelligentia. Nota, quod gradus indiuiduales determinant, & indiuiduant non tantùm gradus athomos, sed etiam omnes superiores; Vnde Petrus v. g. non tantùm est indiuiduum entis, sed etiam Animalis, Viuentis, Corporis, Substantiæ. Dicimus ergo, quòd Petrus v.g. priùs, & fortiùs mouet sensum, vt est indiuiduum entis, quam, vt est indiuiduum hominis, quod euidenter probatur. Nam illud fortiùs mouet aliquid, vel agit in aliquid, quod agit etiam in remotius, sicut colligimus actiuitatem ignis maiorem esse, si remotiora attingat. Sed Petrus, vt est indiuiduũ entis, agit in remotiorem sensũ, in quem non potest agere, vt est indiuiduum hominis; Experientia enim teste, ego quando à lõge video hominem, priùs aduerto, illum esse aliquid, postea quãdo video moueri, cognosco esse viuens, postea visa complexione, & delineamentis humanis, cognosco esse hominem. Ergò indiuiduum entis fortiùs mouebit sensum, quàm indiuiduum speciei specialissimæ. Ergò etiam priùs mouebit, quia illud mouẽs prius mouebit mobile, cuius actiuitas est maior, siue fortior, vt ad sensum patet, priùs enim aliquod pondus mouebit vir robustus, quam puer debilis. Ergò, &c.

Vrgetur hoc ipsum. Plura fortiùs, & faciliùs mouent, quam pauciora, vt experientia patet. Faciliùs enim mille homines, etsi non sint nimium fortes, trahent nauem, vel lapidem, quàm decẽ fortissimi. Sed indiuidua entis sunt plura, quàm indiuidua alicuius speciei specialissimæ. Ergo, &c.

Adde, quod etiam concesso, indiuiduum speciei specialissimę fortiùs mouere sensum, quam indiuiduum generis, inde tamen non sequitur, speciem esse primò cognitam, nisi fortè via intentionis, via enim executionis pri-

Digitized by Google

ùs debet cognosci ratio entis, quod est obiectum intellectus, tanquàm ratio sub qua, & ratione cuius omnia attinguntur, quæcunque sunt ab intellectu attingibilia.

Ad secundum neg. Sequelam: Non enim necesse est in qualibet cognitione rationis specificę præcedere cognitionem confusam entis, sed sufficit, ens primò omnium fuisse cognitum, de alijs autem gradibus intermedijs Caietanus in sol: ad 3.qu. cit. tenet, quòd inter illos, & speciem specialissimam nõ est ordo essentialis, qualis inuenitur inter eandē speciem, & rationē entis, & ideò præcognita ratione entis poterit immediatè, non cognito v.g. gradu substantiæ, Corporis, Viuentis, &c., cognosci homo.

Hæc tamen solutio displicet: quia inintelligibile videtur, quòd aliquid cognoscatur, etiam confusè, esse hominem, quin confusè saltem apprehendatur esse viuens, cùm gradus hominis essētialiter supponat gradum vitæ. Vnde aliter resp., quòd etsi gradus illi debeant præcognosci, tamen illa præcognitio non petet longum tempus, quia actus intellectus sunt instantanei.

Ad tertium negamus, abstractionem, de qua hìc loquimur, faciliorem esse speciei, quàm entis. Hæc enim abstractio sita est in hoc, vt cognoscatur vna ratio, non cognitis alijs, v.g. quòd viso Petro, cognoscam in ipso rationem entis, vel hominis, non cognita ratione animalis, vel viuentis. Et hæc abstractio æquè facilis est, siue illa ratio sit in similibus, siue in dissimilibus; æquè enim ego possum cognoscere rationem analogam, in qua est similitudo cum dissimilitudine, nõ cognitis rationibus inferioribus, ac rationem vniuocam, in qua est perfecta similitudo; vnde ens, & species specialissima erunt æquè facilè abstrahibiles; immò tanto faciliùs ens videtur esse abstrahibile hoc modo abstractionis, quàm species, quantò faciliùs est concipere priùs sine posteriori, quàm è conuerso.

Ad quartum resp. distinguo Maiorem. Causæ naturales non impeditæ producunt effectū perfectissimum, quem possunt pro illo priori, non verò quem possunt absolutè. Deinde concessa minori, distinguo consequens. Quod intellectus producat primò perfectissimam intellectionem, quam potest pro illo priori, non verò quā potest absolutè: Cum autèm cognitio speciei specialissimæ sit effectus perfectissimus, quem absolutè potest intellectus, non sequitur, quod illum habeat pro illo priori, sed sufficit, quod pro tunc habeat cognitionem entis secundùm rationem entis, quæ cognitio est perfectissima, quam pro illo priori intellectus elicere potest.

Explicatur hoc. Sicut enim potentia generatiua Leonis non potest producere effectum perfectiorem ipso leone genito, quia hic est suus effectus perfectissimus

sim:

simpliciter, benè tamē potest producere perfectiorem effectu perfectissimo, quem potest pro primo instanti generationis, quia hic est perfectissimus secundum quid: licet enim perfectissimū sit, quod potest potentia generatiua Leonis pro primo instanti decisionis spermatis, tamen potest formare embrionem, qui est ipsa spermatis decisione perfectior. Et deniq; potest generare Leonem, qui est effectus perfectissimus ipsius, & vltra quem non potest; Ita in præsenti, proportione seruata, philosophandum est.

§. 5. *Declaratur, in quo Thomistæ, assignando primum cognitum, conueniant, differantque.*

HVcùsque cum extraneis res fuit, nunc cū ipsis D. Thomæ discipulis de primo cognito assignando disputandum est. Primò tamen.

Sciendum est, omnes Thomistas conuenire communitèr in hoc, quòd primum cognitum sit ens. Hoc enim suadet tùm auctoritas D. Thom. 1. quæst. qui in Procem. tract. de ente; & ess. expresse dicit: *Ens, & essentia sunt, quæ primò in intellectu concipiuntur*. Tùm etiam sequentes rationes.

Prima ratio est. Quandocunque aliquid acquirit suam perfectionem per plures actus, quorum vnus non est causa alterius, priùs peruenit ad actum imperfectum, quàm ad actum perfectum, quia actus imperfectus est proximior potentiæ, quàm perfectus. Sed intellectuus noster acquirit suam perfectionem per plures actus, quorum vnus non est causa alterius. Ergò etiam priùs perueniet ad actum imperfectum, quàm ad actum perfectum. Sed cognitio entis est imperfectissima, eo quod minimum quid ad ipsam requiritur, quia ad cognoscendum aliquid esse ens, sufficit cognoscere, illud non esse nihil, cùm tamen ad omnium aliorum cognitionē ipsum ens debeat præcognosci, vtpotè inclusum in omnibus. Ergò primò intellectus noster perueniet ad cognitionem entis, ac per consequens illud erit primùm cognitum simpliciter.

Secunda ratio est. Cognitio, & conceptus confusus actualis entis est velut naturalis intellectui. Ergò conceptus entis debet esse primò cognitus cognitione confusa. Consequens patet, quia ea, quæ alicui cōueniunt naturaliter, præcedunt ea, quæ sunt extrinseca. Probatur anteced; Ideò cognitio primorum principiorum est, & dicitur naturalis, quia quilibet, explicatis terminis, subitò ea cognoscit. Sed ens, etiam, vt confusè cognoscibile, subitò est apprehensibile, quia ad hoc non est necesse, aliquid aliud apprehēdere, quàm quod illud nō sit nihil. Ergò &c.

Confirmatur. Ex complexis primum cognitum sunt prima principia simpliciter. Ergò ex in-

com-

complexis primum cognitum erit ipse conceptus entis. Anteced. patet, & prob. Consequentia. Ens est illud, ex cuius conceptu cognito, fiunt principia complexa, quæ sunt vna simpliciter, qualia sunt, *Quodlibet est, vel non est. Impossibile est idem simul esse, & non esse*, & similia. Ergò illud debet primum ex incomplexis cognosci, si hæc principia sunt prima, quæ cognoscuntur ex complexis. Consequ. probat. quia si ens non esset primum cognitum ex incomplexis, sed aliquid aliud, cùm ex cuiuslibet incomplexi cognitione possit formari, ab intellectu aliqua complexio, posset intellectus ante cognitionem conceptus entis, & principiorum ex ipso formatorũ, facere ex illo primo cognito aliquam complexionem, illamque cognoscere, & sic illa prima principia complexa non essent primò cognita.

Tertia ratio: Vniuersaliora priùs cognoscũtur à nobis, quàm minùs vniuersalia. Sed ens est vniuersalissimũ prædicatum, cùm in omnibus imbibatur. Ergò erit primò cognitum ab intellectu nostro. Minor, & conseq. patent. Probatur verò Maior, tam à priori, quàm à posteriori: A priori quidem: Procedenti de potentia ad actum priùs occurrit id, quod est magis potẽtiale, quàm illud, quod est actuale perfectè, vel saltẽ quod plurimum accedit ad actum perfectum, vt patet. Sed gradus quò sunt vniuersaliores, eo sunt potẽtialiores, quia sunt determinabiles per differentias constitutiuas graduum inferiorum, quò verò sunt minùs vniuersales, eo magis accedunt ad speciem specialissimã, quæ iam est in vltima actualitate, vtpotè iam per nullam ampliùs differentiam determinabilis. Ergo &c. A' posteriori autem probatur à S. Tho. & Aristot. in Procem. 1. lib. Physic. quia etiam ipsi sensus, quamuis alligati singularibus, priùs tamèn quodammodo in ipso singulari cognoscũt rationes vniuersaliores, quàm minus vniuersales, priùs inquam, vt loquitur S. Tho. secundum locum, & secundum tempus. Secundùm locum quidem, quia cùm aliquid è remoto videmus, priùs percipimus, ipsum esse corpus, quàm animal, & hoc priùs, quam quod sit homo, & vltimò quod sit Socrates. Et similiter secundùm tempus, priùs enim puer apprehendit hunc, vt quendam hominem, quam, vt hunc hominem, qui est Plato, qui est eius pater. Et hoc est, quod dicit (intellige, Aristoteles) pueri primùm appellant omnes viros patres, & fœminas matres. Sed posteriùs determinant, idest determinatè cognoscunt vnumquodq; Ergo à fortiori intellectus, cuius in omni sententia obiectum est aliquid vniuersale, priùs attingit rationes vniuersaliores, quàm minùs vniuersales.

In his omnes Thomistæ conueniunt: Cæterum, vt §. 1. huius quæst. diximus. Ens, vt abstractũ abstractione formali (quo modo est obiectum cognitionis cõfusæ, quam

quam diximus esse omnium cognitionum primam) potest sumi dupliciter, vel secundùm quòd cõcernit quidditatem materialem, tantumque ab indiuiduis (quod est beneficio intellectus agentis) abstrahit, vel secundùm suam rationem formalem, vt est quidam gradus communissimus, & metaphysicus ab omni materia abstrahens. Ideò etiam inter ipsos Thomistas in assignando primo cognito diuersitas est orta.

Masius enim 1. Physic. q. 7. Soto lib. 1. Physic. q. 2. Astudillo c. 2. tenent, ens in sua latitudine, vt abstrahit à materialibus, & immaterialibus, & complectitur omne, quod est extra nihil, esse primum cognitum intellectus nostri.

Fundamentũ ipsorum est. Quia primum cognitum debet esse vniuersalissimum, & confusissimũ, vt ex supra dictis patet. Sed ens in tota sua latitudine est tale. Ergò &c.

E' cõtra, Caietanus in Procem. Tract. de ent; & ess. quæst. 1. Arauxo 1. Metaph. quæst. 1. artic. 3. Martinez 3. de An. cap. 3. Blas. disp. procem. Metaph. q. 4. §. 5. tenent, ens, vt concretum quidditati materiali, esse primum cognitum respectu intellectus nostri. Fundantq; opinionem suam in hoc. Quia primum cognitum intellectus est obiectum proportionatum ipsius. Sed ens concernens quidditatem materialem est proportionatum obiectum intellectus nostri, vt docẽt communiter Philosophi, & videre poteris apud Nost. Complut. in lib. de An. disput. 16. quæst. 2. Ergò &c. Hæc est diuersitas Thomist. doctrinæ. Quæ autem ex his duabus opinionibus verior sit, §. sequenti declarabitur.

§. 6. *In quo determinatur, quodnam ens sit primum cognitum, an secundùm quòd concernit quidditatem materialem, an secundùm rationem communissimam suæ analogiæ sumptum?*

PRo decisione huius difficultatis supponendum est, Nos, hìc loqui de intellectu pro hoc statu, non autẽ pro statu separationis: Quærimus enim, vtrũ puer quando primùm intellectus ipsius possibilis per depurationem phãtasmatis factã ab Intellectu agẽte acquirit primam alicuius rei speciem, primò cognoscat in illa specie gradus communiores, an minùs communes. Ille enim gradus erit primum cognitum simpliciter, quem puer primò apprehendit in specie primò fæcundãte suum intellectum. Quo supposito.

Dicimus, primum cognitum intellectus nostri pro hoc statu esse ens, vt concernit quidditatẽ materialem. Probatur 1. Conclusio. Intellectus debet inchoare suã cognitionem ab obiecto sibi pro-

por-

portionato; Sed ens concernens quidditatem materialẽ est obiectum proportionatum pro hoc statu intellectus nostri. Ergò intellectus à tali ente debet inchoare suam cognitionem. Minor cõmuniter admittitur à Philosophis, vt videre poteris apud Nost. Compl. in lib. de an. disp. 17. quæst. 2. Maior autem probatur. In obiectum proportionatum fertur intellectus cõnaturalitèr, quia habet omnimodam commensurationem cum illo. Ergò illud primò cognoscet; Prius enim illa attinguntur ab aliqua potentia, in quæ connaturalitèr inclinatur, quàm in alia, vt se patet. Ergò &c.

Probatur secundò. Intellectus noster quidquid pro hoc statu cognoscit, cognoscit ad modum quidditatis materialis. Ergò eius primum cognitum debet esse ens, vt concernens quidditatem materialem. Anteced. est luculentèr probatum à Nost. Complut. Cõsequ. deducitur. Si primum cognitum non esset quidditas materialis, non possent omnia ad modum ipsius cognosci; illud enim ens, vt abstrahens à quidditate materiali, quod ponit Masius esse primò cognitum, non posset cognosci ad modum illius, quia ad hoc, vt aliquid ad modum alterius cognoscatur, debet illud priùs cognosci: Cognoscere enim aliquid ad modum alterius, nihil est aliud, quàm sumere modum, & normam ex cognitione vnius ad cognitionem alterius; non est autem intelligibile, etiam si fingendi licentia detur, quod intellectus sumat normam, & modum ad cognoscẽdum aliquid ex alio, nisi priùs illud aliud cognoscatur. Sicut in exemplo materiali, quod tamen non parùm illustrat, non est imaginabile, vt pictor depingat imaginem ad exemplar alterius, nisi priùs viderit illud, ad cuius exẽplar pingit. Ergò &c.

Probatur tertiò, assumẽdo primam rationem Scoti §. 4. adductam. Illud vniuersale priùs cognoscitur ab intellectu, cuius singulare fortiùs mouet sensum, vt ex dictis ibidem constat. Sed singulare entis concernentis quidditatem materialem fortiùs mouet sensum, quam entis secundùm suam communissimam rationem. Ergò priùs illud, quàm hoc cognoscitur ab intellectu. Prob. Minor. Singulare entis communissimè sumpti non mouet sensum, nisi in quãtum vim mouendi participat à singulari concernente quidditatem sensibilem; Nullum enim singulare, quod sensibile non est, mouet sensum, cùm proprium obiectum sensus sit singulare sensibile; Sed singulare entis communissimè sumpti rationem sensibilem participat à singulari entis cõcernentis quidditatem sensibilem, illud enim cùm à sensibilibus abstrahat, secundùm se sensibile esse nequit. Ergò etiam participabit vim mouendi sensum. Ergò magis, seù fortius mouebit singulare concernens quidditatem materialẽ;

Prop.

Digitized by Google

Propter quod enim vnumquodq; tale, & illud magis, maximè si vtrumque sit tale. Cùm ergò hìc vtrumq; moueat sensum, & propter singulare entis concernentis quidditatem sensibilem singulare entis, vt sic, moueat, magis mouebit illud, quàm istud.

Probatur quartò. Quando primò intellectui pueri obijcitur species repræsentatiua, v. g. hominis, in illa specie non apprehendit primò puer rationem entis, vt probatum est contra Scotum, neq; rationes, seù gradus mediantes inter gradum entis, & hominis, quia etiam isti sicut non sunt vniuersalissimi, ità non sunt confusissimi, neque gradum entis abstrahentem ab ente concernente quidditatem materialem; qui enim potest hūc gradum cognoscere, debet scire ens esse abstrahibile à quidditate materiali, quod infans non potest, quia omne ens, quod illi obijcitur, concernit quidditatem materialem. Ergò sufficienti enumeratione, primum, quod in illa specie cognoscit, est ens concernens quidditatem materialem, ac per consequens primum cognitum, quod cognoscitur per cognitionem confusam actualem, est ens concernens quidditatem materialem.

Obijcies primò. Primum cognitum debet correspondere intellectioni, vt sic, vt supra diximus; Sed gradus entis abstractè sumptus correspondet intellectioni vt sic, non autem gradus entis concernentis quidditatem materialem, quia hic correspondet soli intellectioni humanæ, idque pro hoc statu, vt docent Nostri Complut. loco nuper cit. ex lib. de an. Ergò &c.

Resp. distingu. Maiorem, primum cognitum vt sic correspondet intellectioni vt sic, Concedo: primum cognitum humani intellectus pro hoc statu, correspondet intellectioni vt sic, Nego. Immò potiùs hoc petit proportio, quæ esse debet inter cognitum, & cognitionem, vt sicut primum cognitum, vt sic correspondet intellectioni, vt sic, ità intellectioni humanæ pro hoc statu correspondeat primum cognitum huius status, quod non potest esse aliud, nisi ens concernens quidditatem materialem, quod est eius obiectum proportionatum: Et quamuis etiam in ipsa intellectione humana imbibatur ratio intellectionis vt sic, quia tamen rationes genericæ determinantur per suas rationes specificas, ideò etiam intellectioni vt sic, prout est inclusa in intellectione humana, debet correspondere primum cognitum intellectionis humanæ. Maximè, quia per intellectionē, vt sic, non intelligit homo, nisi humano modo, ac per consequēs dependenter à quidditate materiali, quæ est obiectum proportionatum ipsius pro hoc statu, vt diximus.

Obijcies secundò. S. Tho. in Proœm. lib. 1. Physic. docet, vniuersalia priùs cognosci secun-

Digitized by Google

dũ quòd cõtinẽt inferiora in potẽtia, sed secũdũ quod vniuersalia inferiora cõtinẽt, nõ cognoscũtur cognitione actuali, sed virtuali, quia sunt tota virtualia, nõ actualia. Ergò falsũ est, quòd diximus, primum cognitum esse cognitum cognitione actuali confusa.

Resp. quòd etsi vniuersalia, vt sunt tota actualia, non contineant inferiora explicitè, continent tamen implicitè, quia ratio entis, vel Animalis sumpta secũdùm se, est talis naturæ, vt possit referri ad inferiora, & continere illa in potentia: nihil enim illi aliud deest, nisi quòd referatur, nam ipsum secundùm sua formalia est aptum natum esse in multis. Ergò sola illa addita relatione ad illa multa, continebit ipsa. S. Thomas ergò locutus est ibi absolutè de vniuersalibus secundùm adæquatum ipsorum conceptum, non præscindendo esse relatum ab ipsis, quia hoc ad eius intentum non desiderabatur, vt ipsum text. S. Doct. consideranti patebit.

QVÆRES pro huius quæstionis completa decisione. Quodnã sit primum cognitum intellectus nostri, vt est sub statu separationis, vel vt præscindit ab omni statu?

Respondetur, quod vt ex dictis pro nostra assertione patere potest, primum cognitum est ipsum obiectum proportionatum, quia illud est, quod priùs apprehenditur secundùm se, cætera verò omnia, non nisi vt participant rationem ipsius. Cùm ergò, vt docent Nostri Complut. loco supra cit. Obiectum intellectus pro statu separationis, sit quidditas spiritualis conueniens cum intellectu in gradu immaterialitatis, inde est, quòd primum cognitum pro illo statu sit talis quidditas: Cùm autem Intellectus abstrahens ab omni statu nullũ habeat obiectum proportionatũ, vt ibid. docent Nost. Complut. inde est, quòd etiam nullum habeat primũ cognitum. Et ratio huius vltra reddi potest, quia intellectus non intelligit, vt abstrahit ab omni statu, sed cùm intelligit primò, siuè secundò, intelligit sub aliquo statu. Ergò friuolum est quærere de primo cognito ipsius, vt abstrahit ab omni statu.

Ad fundamentum autem Masij, & eius sequacium facilè resp. concedendo, ens, vt ens abstractè sumptum esse confusissimum, & vniuersalissimum, non tamen esse primum cognitum intellectus nostri pro hoc statu, quia non est illi proportionatum. Iam autem priùs cognoscitur obiectum proportionatum, quàm alia, quia hæc non cognoscuntur ab intellectu, nisi vt induunt rationem illius. Vndè cùm solum ens concernens quidditatem materialem sit, ex his, quæ proportionantur intellectui pro hoc statu, confusissimum, & vniuersalissimum, meritò illud est à nobis pro primo cognito ipsius assignatum.

QVÆ-

QVAESTIO II.

Vtrùm enti correspondeat in intellectu vnus conceptus communis, & præcisus à conceptibus suorum inferiorum.

OStendimus in quæstione præcedenti, ens esse primũ cognitum respectu nostri intellectus, ità vt ante cognitionem cuiuscunque gradus specifici, vel generici necessariò debeat ratio entis præcognosci. Pulsat autem animum alia quæstio, nùm scilicet ità ens ab intellectu præcognoscatur, vt illi correspondeat vnus conceptus præcisus à conceptibus suorum inferiorum: Et quamuis fortè alicui videri posset, hanc quæstionem ad præcedentem disputationem (in qua de conceptu entis egimus) pertinere, quia tamen hæc præcisio conceptus entis à conceptibus suorum inferiorum (si semel datur) necessariò debet fieri per actum intellectus, ideò consultissimè fecimus, quando illam in hanc disputationem remisimus, in qua de cognoscibilitate tractamus.



§. 1. *Refertur sententia Scoti cum suis fundamentis, & aliqui nobiliores Thomistæ ab imputatæ sibi opinionis Scotisticæ sequela vindicantur.*

PErpes Scoti, & Scotistarum omnium est sententia, ens nõ significare immediatè inferiora, sed vnum conceptum obiectiuum communem inferioribus, simpliciter ab illis distinctum, & præcisum, & consequenter docent, quòd in intellectu correspondet vnus conceptus enti distinctus simpliciter à conceptibus inferiorum, illorumque conceptus excludens, immediatè verò ipsam rationem entis communem inferioribus repræsentans. Ita Scotus in 1. distinct. 3. quæst. 3. & distinct. 8. quæst. 2. quem sequuntur ex eius Schola Antonius, Andreas, Bronetus, Lichetus, & ex Neotericis, Suarez disput. 2. Metaphysic. Sect. 2. num. 8. Hurtado in sua Metaphys. sect. 3. Chabrera Tract. 4. disp. 3. a. 6. Et quod magis mirum est, etiam ex ipsis iuratis D. Thomæ discipulis, sequuntur sententiam Scoti Iauellus 4. Metaph. quæst. 1. Soto in Log. quæst. 1. cõclus. 2. & 1. Phys. quæst. 2. conclus. 5. qui non erubuit dicere in antepræd. cap. 4. quæst. 1. conclus. 1. hanc opinionem esse S. Thomæ, & omnium Thomistarum. Nouissimè tamen ex Thomistis huic sententiæ subscripsit Didacus

Digitized by Google

cus Ortiz Hispalensis, citatque pro hac sententia Caiet. quæst. 2. de ent. & ess. quem dicit ibidem expresse, & elegantissimis rationibus probare istam sententiam. Capreolum in 1. distinct. 2. quæst. 1. art. 1. Bezam ibidem; cæterùm de istis duobus fatetur, quòd neuter clarè loquitur, nec certò potest colligi ex eorum doctrina, in quā partem inclinent. Addit tamen, quòd magis in istam inclinent, quod ex eo colligit, quia ibi argumenta soluunt, quæ ab oppositæ sententiæ Authoribus proponuntur.

Sed agit falsò Didacus Ortiz Caietanum fidelissimum D. Thomæ discipulum; quasi Scotistarum albo inscripsit, cū opinioni Scoti è diametro sententiæ Doctoris Angelici, (vt ex eius auctorit: patebit) oppositæ subscripsit. Non nego habuisse quidem illum aliquod fundamentum hanc opinionem Caietano imponendi, quia ille in citata quæst. minùs attentè eum legentibus videtur in hanc Scoti sententiam inclinare; Cæterum, & ille, si attentè legatur, satis explicat, quid sentiat, & clarius in Opusc. de Conceptu entis, quod immediatè sequitur post Opusc. de nominum analogia, mentem suam aperuit, cum obijcienti Ferrariensi, quod videatur admittere conceptum communē, & præcisum entis in tractatu de En. & esen. quem in Opuscul: de nominum analogia negauit, respondet, se talem conceptum enti concessisse (imperfectum scilicet) in Tractatu de En. & essen. qualem etiam in Opusc. de nominū analogia concessit, quod ibidem fusè declarat. De quo Opusc. credere non possum nesciuisse Didacum Ortiz, tùm quia à Nost. Complut. in hac quæst. cuius doctrinam Ortiz sæpiùs impugnat, hoc Opusculum ad explicandam mentem Caietani de conceptu entis, citatur. Tùm etiam, quia difficilè videtur, vt virum eruditum in via Thomistica, suas lucubrationes euulgantem, nobilissimi Thomistarum Caietani (cuius tamen doctrinā citat (scripta effugerint. Vt ergò mens Caietani appareat, ostendo ex plurimis ipsius locis, illum perpetuò huic opinioni, quam tuetur Ortiz, aduersari; adeoque immeritò fuisse à Didaco Ortiz in fauorem suæ opinionis citatum.

Imprimis ergò in hac ipsa q. 2. de En. & essen. in qua Didacus Ortiz dicit, Caiet. expressè conceptum entis perfectum, perfectèque ab inferioribus præcisum admisisse. Postquam docuit dari conceptum communem entis, sic ille concludit. *Sic ergò patet. Qualiter ab omnibus entibus, vtpotè similibus abstrahibilis est conceptus entis, non modo Scotistico, vt patet, qualitèr sit verum, quod hic S. Thomas dicit, scilicèt essentia significat aliquid commune omnibus naturis omnium generum, & specierum. Non enim intendit, quod essentia significet aliquam naturam communem omnibus naturis, sed quod significet omnes naturas, vt assimi-*

lan-

lantur in hoc, quod entia sunt. Et paulò superiùs, hæc sunt. *Vndè cōceptus obiectales entis sunt naturæ specificæ, & genericæ habentes esse: sic enim fundant analogam similitudinem, de qua loquimur, & proptereà ens, & passiones eius in quolibet gradu præcisè accepto saluantur; quilibet enim gradus habet vndè sit, & indiuisus sit, & conformabilis intellectui, & appetitui, &c. Quod à ponentibus ens abstrahibile à gradibus specificis, vel genericis saluari non potest.* Et in conclusione secūda eiusdē quæst. dicit expresse, quòd *Ens nullum gradum supra naturas specificas, vel genericas exprimit.* Quæ loca, si rectè expēdantur, planè destruunt conceptum perfectum entis, perfectè ab inferioribus abstractum.

Nam in primis ab hoc vltimo incipiendo. Ens non dicit aliquē gradum supra naturas specificas, & genericas, ergò non potest perfectè præscindi à differentijs constitutiuis illorum: si enim, vt vult Ortiz, posset ens perfectè ab inferioribus, generibus, & speciebus præscindi, exprimeret vtique aliquem gradum superiorem ipsis, sicut, quia substantia præscindi potest, à corporea, & incorporea, dicit gradum superiorem corporeo, & incorporeo. Nec est imaginabile, quamuis fingendi licentia detur, qualitèr superiùs non dicat gradum aliquem suprà naturas inferiorum, si actu non includat differentias illorum, quas tamen non includet, si ponetur ab illis perfectè præcisum. Ergò cum Caiet. negauerit expresse talem gradum enti, negauit, & præcisionem perfectam.

Deindè, & in secundo loco duo dicit; Primum, quòd conceptus obiectalis entis sunt ipsæ naturæ specificæ, & genericæ. Ergò non aliquid præcisum perfectè à naturis genericis, & specificis, vt vult Ortiz. Secundum, Quòd ens, & passiones entis saluantur in quolibet gradu præcisè accepto; quilibet enim habet in se, vndè sit, & indiuisus sit. Ergò &c. Additque, quòd hoc non saluatur à ponentibus ens abstrahibile à gradibus genericis, & specificis. Ergò, quia hoc Caiet. saluare voluit, vtiquè non admisit entis perfectam abstractionem, qua admissa, vt ipse fatetur, id saluari nequit.

Et tandem in primo loco concedens abstrahibilitatem entis, dicit, illud esse abstrahibile, non tamen modo Scotistico. Ergò, cùm Ortiz dicat, illud esse abstrahibile modo Scotistico: Scotū enim, & Scotistas pro sua sententia citauit, videat, qua fide Caietanum inter suæ sententiæ retulerit patronos.

Dicet fortè aliquis in fauorē Ortiz, quod, ideò Caiet. dixit, ens esse abstrahibile non modo Scotistico, quia Scot. ità abstrahibile posuit, vt diceret esse vniuocum, quod omnes Thomistæ negant. Sed

Contra est. Quia quæstio de vniuocatione ētis, est alia à quæ-

stione de abstrahibilitate eiusdē; Nam ipse Ortiz, qui concessit enti perfectam abstrahibilitatem, negauit tamen vniuocationem. Ergò cum Caiet. nullam mentionem vniuocationis in qu. 2. fecerit, de hac enim in quæst. sequenti disputat, solam abstrahibilitatem perfectam, qualem Scot. negauit enti, concessa imperfecta, qualem communitèr fideles D. Thomæ discipuli concedunt, nosque cum ipsis infrà concedemus. Et quāuis ex istis locis, ex hac ipsa quæstione Caiet., quam suæ sententiæ Ortiz credidit, suffragari adductis, satis constet, quòd Caiet. tantùm abstractionem secundùm quid enti concessit, qualem omnia analoga analogia proportionalitatis habere possunt, inquantùm aliqua, vt similia aliqualiter præscindere, & præscindi possunt à seipsis absolutè sumptis. Vt tamen mens Caiet. clariùs innotescat, adducam insignem Caiet. locum ex Opusc. cit. de conceptu entis, quòd habetur inter Opusc. ipsius immediatè post tract. de nominum analogia, vbi mentem suam, quid in his Commentarijs supra S. Thom. tract. de En. & essen. senserit, aperuit. Vbi explicans, quomodò sibi ipsi non cōtradixit, quandò in tract. de En., & essen. conceptum præcisum Enti concessit, quem in tract. de nominum analogia negauit, sic inquit. *Quidquid est imago alicuius similis alteri, est etiam imago illius alterius, quatenus primò assimilatur, ac per hoc omnis conceptus creaturæ est conceptus Dei, sicut omnis creatura aliqua est similitudo Dei. Hinc ergò fit, quòd, cū vnum proportionabilitèr, vt sic, habeat singula mēbra similia, proportionabiliter oportet, quòd habeat etiā vnū conceptū mentalē, repræsentatiuum illius vnius proportionabilitèr. Nec huius oppositū teneo in tract. de analogia nominū. Sed conceptus iste vnus numero secundùm esse subiectiuum est, vnus analogia secundùm esse repræsentatiuum; nec repræsentat vnam solam naturam, sed vltrà vnam, quam determinatè repræsentat, à qua est impressus, repræsentat implicitè cæteras similes illi primò repræsentatæ secundùm id, in quo proportionabilitèr illi similis est.* Pro cuius loci intelligentia.

Sciendum est, quod Caiet. in tract. de nominum analogia cap. 5. de abstractione analogorum analogia proportionalitatis differens, dicit, quod ens, & quodlibet analogum abstrahit à suis analogatis, sicut vnum proportione à multis simpliciter, vel, sicùt multa proportionaliter à seipsis absolutè sumptis; Vnde infert ibidem, *quòd entis abstractio non consistit in hoc, quod entitas apprehendatur, & substantia, aut quātitas non, sed in hoc, quod substantia, aut quantitas apprehendatur, vt sic se habent ad proprium esse:* Et cap. 3. docet, quòd conceptus analogi imperfectus est vnus; perfecti verò tot sunt, quot sunt ipsa analogata; Explicansque id, dicit, quòd quodlibet analogum

gum est simile alteri. Vnde species expressa repræsentas aliquod analogatorum, repræsentat cætera, iuxta illud axioma. *Quidquid est simile alicui, est simile omni simili ipsi*. Cùm ergò species repræsentans analogatum, sit similitudo eius, etiam repræsentabit cætera analogata, quæ sunt illi similia. Quia tamen hæc similitudo, quæ est inter analogata, est proportionalis, tantùm diuersam rationem in alio fundamento habens, indè est, quòd cætera analogata imperfectè repræsentātur per speciē repræsentatiuam vnius, ac per consequens debent habere conceptus proprios, quibus perfectè repræsententur. Concluditque totam hāc doctrinam, sic. *Est ergo differentia inter analogiam, & vniuocationem, quoad conceptum mentalem: quia vniuoci, & vniuocatorum, vt sic, vnus est conceptus, perfectè, & adæquatè illis respondens, vt de cōceptu animalis patet. Analogi verò, & analogatorū, vt sic plures necessariò sunt cōceptus, perfectè ea repræsentantes, & vnus est conceptus imperfectè repræsētans. Non ita, quòd sit vnus conceptus adæquatè respondens nomini analogo, & inadæquatè, analogatis, quoniam, secundùm veritatem, nomen illud vniuocum esset, sed ita, quod conceptus vnus repræsentans perfectè alterum analogatum, vt sic, imperfectè repræsentat reliquum*.

In quibus locis, vt vides, negat vnum conceptum perfectum, correspondentem nomini analogo, communemque analogatis; sed tantùm imperfectum concedit, inquantùm vno analogato, repræsentato in specie ipsius, etiā alia ipsi similia repræsentantur. Et insuper dicit, quod abstractio Entis ab inferioribus, non consistit in hoc, quod ens appræhēdatur, non autem inferiora eius; sed in hòc, quod appræhendantur inferiora, vt sibi similia, Ergò, cùm in auctoritate citata ex tract. de conceptu entis expressè dicat, quòd ea, quæ docuit de ente, & essentia, non contradicunt illis, quæ asseruit de nominum analogia, clarum est, quòd in commentarijs de ente, & essen; quandò conceptum entis præcisum admittit, intelligendus est de tali conceptu, qualem admisit de nominum analogia, scilicèt de imperfectè præciso, qualem nos ponimus, non autem perfectè, vt vult Ortiz.

Ex quo intelliges quid voluerit Caiet. significare, quandò dixit in authorit. cit., ex tract. de conceptu entis, quòd conceptus vnus entis, vèl cuiuslibet analogi, non repræsentat vnam solam naturam, sed vltra vnam, quam determinatè repræsentat, à qua est impressus, repræsentat implicitè cæteras. Posset enim dubitari, quæ sit hæc natura, à qua hic conceptus, seu species menti imprimitur; Sed iam ex locis de nominum analogia adductis cōstat, hanc naturam esse vnū analogatum, v.g. substantiam, cuius spe-

Digitized by Google

species etiàm repræsentat accidens, vt est simile substantiæ in esse, non autem est natura aliqua communis omnibus entibus, ab illisque abstracta, quia, vt arguit in loco vltimo Caiet., nomen illam naturam significãs, non esset analogum, sed vniuocum.

Hæc paulò fusius circa mentẽ Caiet.; Et quamuis, vel hæ ipsæ, quas adduximus, auctoritates, si maturiùs ponderentur, clariùs mentem Caiet. aperirẽt, & plura alia loca eiusdem ad id declarandum possemus adducere; tamen breuitati consulens, & ab exagerata auctoritatum per se clarissimarum ponderatione supersedere, & ad ipsa Caiet. opera, lectorem remittere, consultiùs duxi.

Vides itaque Caiet. nullatenùs Scotisticæ sententiæ fauere, & idem credo de Capreolo, Beza, & alijs. Hac ergo opinione Scoti, simùl cum Thomistis Scotizantibus relicta, sit.

§. 2. *Determinatur ex mente Aristot., & Angelici Doct., Ens nullum habere conceptum perfectũ, perfecteque ab inferioribus præcisum, vel præscindibilem.*

Vetus, & receptissima in schola Thomistica sentẽtia negat enti conceptum perfectè præcisum, cum qua etiam nos.

Dicimus primò, siuè de conceptu formali, siuè de conceptu obiectiuo sermo sit, ens non habet vnum conceptum communem inferioribus, ab illisque præcisum. Ita communitèr Thomistæ, tàm antiqui, quàm recentiores. Caiet. locis supra relatis. Ferrariensis 1.contr.gentes: cap. 34. Zanardus 4. Metaph. qu. 2. Arauxo ibidem qu. 3. ar. 3. Flãdria 4. Metaph. q.2.ar.5. vbi dicit, quod hanc sententiam tuentur omnes, qui verè sunt de schola S. Thomæ, Soncinas 4. metaph, q. 3. Nazarius 1.p. q. 3. ar. 5. Massius in Catheg. sect. 1. q. 6. Galleg.contr.2.nost.Complut. in log.disp.11.q.5. Ioan.à S.Tho. in log.q.13.a.5. noster Philippus à SS. Trinitate summæ Philosophiæ 3. qu.2. ar. 1. sequuntur ex Neotericis, Vasq. 1. parte, disp. 114. cap. 4. Rubio in tract. de analogia, & alij plures relati à Rubio ibidem.

Hæc sentẽtia duplici via probatur. Auctoritatibus, & rationibus. Primum in hoc §. secundũ autem §. sequenti præstabimus. Antequàm tamèn probetur conclusio, pro ipsius intelligentia.

Supponendum est primò, hanc difficultatem non procedere de ente, secundùm, quod est analogum analogia attributionis; Certum enim est, ens secundum hanc analogiam non posse habere conceptum præcisum à suis inferioribus, illisque communẽ; quia

Digitized by Google

quia, vt ex dictis disp. præcedẽti constat, ratio significata per nomen analogum analogia attributionis, tantùm est intrinsecè in vno analogato, ac per conseq. licet sit vna, non tamen communis omnibus analogatis, nisi fortè communitate ordinis, inquantum ad illam omnia referuntur, ab illaque extrinsecè denominãtur. Sed difficultas est de ente, vt est analogum analogia proportionalitatis, secundùm quam intrinsecè reperitur in omnibus analogatis.

Supponendum est secundo; Conceptnm intellectus duplicem esse; Alium formalem, qui est ipse actus intellectus concipientis obiectum, vel potius, ipsum verbum mentis, quod est terminus prædicti actus; Alium obiectiuum, qui est ipsa natura actu intellectus concepta, & in verbo mentis repræsentata. Conceptus autem formalis iterũ est duplex. Alius vltimatus, quo cognoscimus res significatas per voces, & alius non vltimatus, quo ipsas voces cognoscimus. Rursus conceptus formalis vltimatus est duplex. Alius perfectus, explicitus, distinctus, quo producitur verbũ repræsentatiuum plurium secundùm aliquam vnam rationem, seù gradum: ità, vt immediatè, & distinctè repræsentet talem gradum, seù rationem in inferioribus inuentam; Alius imperfectus, implicitus, confusus, & est actus intellectus, producens verbum mentis, repræsentatiuum immediatè ipsa plura, vt proportionabilitèr similia, non autem aliquam rationem communem ipsis.

Supponendum tertio, quòd, quando vnum conceptum, etiam formalem, negamus enti, non loquimur de conceptu non vltimato; hunc enim, certum est vnum esse, cùm etiam ipsum nomen sit vnum; Sed loquimur de Conceptu vltimato, eoque perfecto, vt expressè in conclusione diximus; imperfectum enim conceptum habet ens in omni sententia.

Et facile istud suadetur à priori, & posteriori. A priori quidẽ; Quia inferiora entis habent proportionalem conuenientiam in ente, ergò illa intellectus poterit immediatè cognoscere, vt sic proportionabilitèr conuenientia; Sed in hoc consistit ratio conceptus imperfecti, vt in suppositione præcedenti dictum est. Ergo, &c. A posteriori autem; Quia audito nomine entis, sæpenumero intellectus se colligit ad vnum conceptum, nec distrahitur explicitè in conceptus inferiorum. Ergò, conceptus entis potest esse saltim imperfectè vnus, ac per consequens præcisus ab inferioribus, saltim imperfectè, quia nullam habet vnitatem sine præcisione. Nam, vt concretum inferioribus, multiplicatur in ipsis.

Confirmatur. Analoga habent conuenientiam aliqualem. Ergò & vnitatem ortam ex præcisione

conceptus; quia, vt infra patebit, conuenientia est radix vnitatis conceptus præcisi. Ergò etiam ens, cum sit analogum, aliqualē conuenientiam, vnitatemq; habebit.

Tota ergò difficultas est de conceptu obiectiuo, & formali perfecto. Sed adhuc.

Supponendum est quartò. Ipsam radicem difficultatis refundi in conceptum obiectiuum. Hunc enim ordinem, & dependentiam istam dicit conceptus formalis ad obiectiuum, vt qualis est iste, talis est, vel esse potest, & ille, si iste perfectus, & ille, si hic imperfectus, & ille imperfectus, vel est, vel esse debet. Siuè enim nomine conceptus formalis, vocemus actum intellectus, (vt alij dicunt), siuè eius terminum, seù verbum mentis, (quod ego conuenientiùs censeo) conceptus formalis, semper debet se accomodare cōceptui obiectiuo; quia & actus intellectus cognoscens, & verbum mentis repræsentans, debent sequi de necessitate conditiones naturæ cognitæ, siue repræsentatæ, ità quidem, vt si illa fuerit perfectè vna, perfecteque ab inferioribus præcisa, vel præscindibilis, poterit cognosci, & repræsentari formalitèr, vt vna, ac per consequens, & actus cognoscens, & verbum repræsentans, habebunt suam vnitatem, non solùm in esse entitatiuo, sed etiā in esse cognoscitiuo, seù repræsentatiuo. Si verò illa natura non fuerit vna in inferioribus, sed multiplex cum sola proportionali vnitate, etiam verbum erit multiplex, & actus similitèr multiplex, non quidem in essendo, sed in repræsentando, tantumque vnitatem secundùm quid, seù imperfectam in hoc ordine habebunt. Hinc sequitur, quod, si conuicerimus, tùm auctoritatibus, tùm etiam rationibus, ens non dicere naturam vnam perfectè præscindibilem ab inferioribus, sed significare immediatè ipsa inferiora secundum rationes proprias illorum, vt sunt proportionabilitèr similia in ipsis, conuincemus etiam, non dari in intellectu vnū conceptum formalem perfectum entis, sed tantùm imperfectum. Quibus suppositis.

Cōclusio auctoritatibus Arist. & S. Tho. probatur, & ostenditur, ex illorum mente, ens non significare aliquam naturam cōmunem inferioribus, sed immediatè ipsa inferiora, vt proportionabiliter similia. In primis ergò Arist. 8. Metaph. text. Commen. 16. dicit. *Ipsum ens, hoc quidem hoc quale quantum; quare non inest definitionibus, nec ens, nec vnum, nec ipsum, quod erat esse statim vnum quiddam est: quemadmodum, & ens quoddam. Propterea non aliqua alia causa, vlli istorum, vt vnum sint, nec vt ens quiddā sint, statim etenim vnumquodq; est ens quiddam, non vt in genere in ente, & vno, nec tanquam sunt separata præter particularia.*

Quæ verba, vt intelligas, accipe explicationem D. Tho. quam ha-

habet ibidem in 8. Metaph. lect. 5. in hæc verba. *Cùm decē prædicam: non hoc modo se habeant ex additione ad ens, sicut species se habent ex additione differentiarum ad genera, sed hoc ipsum, quod est ens, manifestū est, quod ens nō expectat aliquid additū ad hoc, quod fiat hoc, id est, substātia, vel quantū, vel quale, sed statim à principio est, vel substantia, vel quantum, vel qualitas, & similiter id, quod est suum, id quod erat esse, vt supra dictum est. Statim est vnum, sicut & statim est ens, non enim est in eo materia expectans formam, à qua habeat vnitatem, & esse, & ideò in talibus non est causa mouens ad hoc, quod sit vnum.* Hæc S. Thomas pro explicatione mētis Philosophi, cuius doctrina nequit cohærere cum conceptu præciso entis. Quod ostendo sic. Quia Philosophus (vt in eius textu, & expositione S. Tho. videre potes) dicit, quòd ens seipso sine aliquo addito est substantia, quantitas, qualitas, &c. Ergò non dicit conceptum præcisum; tali enim conceptu posito, ens, sicut esset à differentijs præscindibile, ità esset per illas contrahibile, ac per consequens, non per seipsum, sed per differentias, vel modos se contrahentes fieret Quantitas, Qualitas &c. quod est contra Philos.

Similiter idem Philos. 7. Metaph. tex. Comment. 1. dicit. *Ens multipliciter dicitur, quemadmodum in his, quæ de quoties prius diuisimus, significat enim aliquod quidem quid est, & quod quid, aliud verò, quod quale, aut quantum, sunt singula aliorum, quæ ità prædicantur. Cùm autem ens toties dicatur, patet primum horum ens esse ipsum quod quid est, quodque substantiam significat.* Vbi duo sunt obseruanda. Primò, quòd ens dicitur multiplicitèr, sicut animal, quia habet vnum conceptum cōmunem, nō dicitur multipliciter, sed semel tantùm, etenim animal non est, nisi viuens, sentiens. Quāuis enim ratio animalis dicatur de homine, boue, leone, &c. quæ sunt multa, ipsum tamen animal non dicitur multipliciter, quia differentiæ constitutiuæ animalis inferiorum, sunt extra conceptū rationis animalis, ideò illam immultiplicatam relinquunt. Ergò similiter, si differentiæ, vel modi constitutiui inferiorum entis essent extrà ipsam rationem entis (essent autem necessariò, si essent ab illa præscindibiles) relinquerent rationem entis immultiplicatam, ac per consequens: ens nō diceretur multipliciter, vt dicit Philos. Secundò obseruanda sunt illa vltima verba Philos. in quibus docet, substantiam dici priùs ens, quàm accidens, quod etiam repetit, & probat ibidem. Ergò sētit, rationem entis non esse abstractam à substantia, & accidente, si enim abstracta esset, æqualitèr omninò diceretur ens de substantia, & accidente, vt ex rationibus 5. sequenti afferendis patebit.

Dices, substantiam dici primò ens, secundum analogiam attri-

butionis, non autem secundùm analogiam proportionalitatis, quia, vt disput. præced. dictum est, analogia proportionalitatis dicit æqualitatem in proportionibus, non quidem vniuocam, sed proportionalem. Cùm ergo, vt ex dictis in suppositione prima cōstat, nos hìc non agamus de ente, vt est analogum analogia attributionis, sed, vt est analogum analogia proportionalitatis, videtur hæc auctoritas Philosos. non esse ad rem. Sed.

Contra est. Licèt dici per prius de vno, quam de alio competat enti secundùm analogiam attributionis, non autem secundùm analogiam proportionalitatis; tamen admisso in ente vno conceptu perfecto, perfectèque ab inferioribus præciso, non posset ens etiam, vt est analogum analogia attributionis, dici primò de substantia, quàm de accidente. Ergo cùm hoc expresè docuerit Arist. ex ipsius mente optimè deducitur, ens non habere vnum conceptum perfectè ab inferroribus præcisum. Consequ. patet, & prob. Antec. Conceptus præcisus perfectè non potest ab inferioribus participari secundùm prius, & posterius, quia illum participant inferiora, vnum independenter ab alio, aliàs, si ille conceptus dependentèr secundùm priùs, & posterius participaretur, non esset perfectè præcisus, quia neque esset perfectè vnus, cùm in se clauderet inæqualitatem. Ergo quamuis secundùm aliquod aliud nomen, aliamque rationem per nomen significatam, posset esse inter inferiora dependentia, prioritas, & posterioritas, ac per consequens analogia attributionis, non tamē secundùm illam rationem perfectè abstractam: Sicut quià animal, vel homo perfectè abstrahit ab inferioribus, ideò licet Petrus filius dependeat à Paulo suo Patre, & si poneretur aliquod nomē hanc dependētiā significans, verò inter illos inueniretur analogia attributionis, tamen secundùm rationem hominis, vel animalis, nec dependere à se, nec inter se possunt analogari. Cùm ergo inter substantiam, & Accidens, & similitèr inter alia inferiora entis in ipsa entis ratione inueniatur dependentia, prioritas, & posterioritas, ac per consequens analogia attributionis, planè sequitur, quòd ens non possit dicere vnum conceptum perfectè ab inferioribus præcisum, aliàs nunquàm respectu illorum posset esse analogum analogia attributionis. Hæc pro ostendenda mente Aristot. sufficiant, quamuis, nisi breuitati studerem, possem plurima eius loca adducere ex 1. Meta. apud S. Tho. lect. 3. ex 6. Metaph. Tex. 3. ex 5. Metaph. Tex. 15. & alia plura, in quibus clarissimis verbis asserit, ens significare immediatè sua inferiora, non autem aliquem gradum vnum perfectè ab illis præcisum, ipsisque communem.

Arist. secutus est D. Tho. In primis enim 1. p. q. 13. a. 5. in corp. expresè dicit. *Quòd in his, quæ ana-*

Digitized by Google

analogicè dicuntur, non est vna ratio. Ergò cùm ens analogicè dicatur de inferioribus, non dicet vnam rationem communem ipsis, perfectèque præscindibilem ab ipsis. Similiter quæst. 7. de poten. a. 5. ad 5. in contrarium obiect. dicit. *Quòd accidens non potest esse simile substantiæ similitudine, quæ attenditur secundùm formam vnius rationis.* Sed si ens diceret vnum conceptum præcisum perfectè à suis inferioribus, iam accidens diceretur simile substantiæ secundùm formam eiusdem rationis, scilicet secundùm illum conceptum præcisum entis, quia omninò esset idem in substantia, & Accidente, vtpotè omni diuersitate à modis contrahentibus ipsum proueniente spoliatus. Ergo &c.

Deinde. Nam idem S. Tho. vt probet, nihil de Deo, & creatura posse prædicari vniuoce, assumit hoc medium quæst. 2. de veritate artic. 11. in corp. *In omnibus vniuocis communis est ratio nominis vtriq; eorum, de quibus nomen vniuocè prædicatur.* Et exinde ibidē negat inter Deum, & creaturam vniuocationem, quia repugnat inueniri aliquam rationem illis communem. Ergò ex mente S. Tho. Ens non dicit conceptum vnum perfectè ab inferioribus præcisum, aliàs ratio entis Deo, & creaturæ esset communis.

Resp. ex sententia Ortiz, quòd S. Tho. negauit Deo, & creaturis esse aliquam rationem communē vniuocè, non autem analogicè. Sed. Contra est S. Doctor ibi, vt negaret vniuocationē, negauit conceptum communem. Ergò si non nugatoriè processit (quòd de illo nullus sanæ mentis suspicari potest) debuit vniuersaliter communitatem conceptus enti denegare, aliàs si de sola communitate vniuoca loqueretur, idem per idem probaret, vt consideranti patebit.

Tandē 1. contr. gen. cap. 32. dicit, de Deo nihil dicitur per participationem; nam omne, quod participatur, determinatur admodum participari, & sic partialitèr, siue particulariter habetur, & non secundùm omnem perfectionis modum, Sed si ens diceret vnum conceptum præcisum perfectè à Deo, & creaturis, sicut, & ab alijs inferioribus, necessariò illum conceptum abstractum participaret Deus, quia ille conceptus secundùm aliquid sui determinaretur ad hoc, vt sit Deus. Ergo cùm S. Tho. negauerit absolutè, aliquid posse competere Deo per participationem, ne remoueret ab ipso omnis entis plenitudinem, qui ponunt conceptum entis perfectè ab inferioribus præcisum, manifestè menti S. Tho. contradicunt.

Insuper 1. cont. gent. c. 25. negat S. Tho. ens posse per aliquam differentiam contrahi. Ergo ex mente eius non habet conceptum præcisum: Quilibet enim conceptus præcisus est cōtrahibilis per differentias, & modos, à quibus præscinditur.

Obijcies ex S. Tho. quæst. 1. de verit. art. 1. vbi dicit. *Istud, quod*

primò intellectus concipit, quasi notissimum, & in quod omnes conceptiones resoluit, est ens, vt Auicenna dicit in principio Metaphysicæ suæ, vnde oportet, quod omnes aliæ conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens. In quibus verbis, inquit Ortiz, asseruit conceptum repræsentantem ens.

Poteftq; in gratiam Ortiz hæc auctoritas premi: Quia S. Doctor dicit, omnes conceptiones intellectus fieri ex additione ad ens. Ergò conceptus entis debet præscindere perfectè à conceptibus inferiorum: non possent enim aliquid addere ad ens, nisi ens esset quid separatum, & præcisum ab ipsis.

Resp. S. Thomam ibidem suam mentem explicuisse, vt mirum sit, virum eruditum hanc auctoritatē pro sua sententia adduxisse, quā nisi mutilatam adduxisset, suam, per illam, opinionem euertisset. Quod vt euidenter pateat, accipe integram D. Thomæ doctrinam. *Illud, quod primò intellectus concipit quasi notissimum, & in quod omnes conceptiones resoluit, est ens, vt Auicenna dicit in principio Metaphys. suæ. Vnde oportet, quòd omnes aliæ conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens, sed enti non potest addi aliquid, quasi extranea natura; per modum, quo differētia additur generi, vel accidens subiecto quia qualibet natura essentialiter est ens. Vnde etiam probat Philosophus in 3. Metaph sic, quòd ens non potest esse genus: Sed secundùm hoc dicuntur addere supra ens, in quantùm exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur.* In quibus verbis, vt vides, S. Thomas tantùm imperfectum conceptum entis admittit, qui tantùm ab inferioribus distinguitur penes maiorem, vel minorem eiusdem rationis expressionem.

Obijcies secundò cum eodem Ortiz adducundò alium locum S. Thom. ex cap. 1. de ent. & ess. vbi S. Tho. dicit; Ens, & essentia sunt, quæ primò ab intellectu concipiuntur, vt dicit Auicenna in Metaph. Ergò ex mente S. Tho. datur conceptus entis primò ab intellectu apprehensus.

Resp. Admissa auctorit: distingu. Consequens. Datur conceptus perfectè præcisus, nego. Imperfectè, concedo. Ad hoc enim, vt Intellectus apprehendat rationem entis primò in qualibet re, sufficit, illum esse imperfectè præcisum penès rationem confusam, & distinctā, vt ex dictis in quæst. præcedenti constat.

§. 3. *Rationibus suadetur, ens non habere vnum cōceptum communem inferioribus perfectè à conceptibus illorum præcisum.*

IAm ex mente Aristot. & D. Tho. deduximus, ens non habere vnum conceptum perfectè ab inferioribus præcisum; restat, vt id etiam rationibus suadeamus; Est ergò.

Pri-

Prima ratio, quam etiam adduxerunt Nost. complut. disp.cit. in Log. Nullum transcendens potest esse gradus communis,& præcisus ab illis,quæ transcendit; Sed ens est transcendens respectu suorum inferiorum. Ergò non potest esse gradus communis,& præcisus ab illis. Minor patet ex dictis disput.præced.& probatur Maior. Omnis gradus communis,& præcisus est contrahibilis,& determinabilis per illas rationes,à quibus præscinditur; Sed gradus trâscendens non potest esse contrahibilis,quia quod contrahibile est, facit compositionem cum contrahente, sicut genus cum differentia: Iam autem vbi est transcentia,ibi compositio repugnat, quia sicut in compositione necessaria est coniunctio extremorũ, ita requiritur, quòd extrema se excludant;ac per consequens,quòd vnũ imbibatur per modum transcendentis in alio. Ergò &c.

Resp. Ortiz distinguendo Maiorem,nullum transcendẽs potest esse gradus communis, & præcisus,præcisione positiua.Concedo. Negatiua præcisione. Nego. Pro cuius intelligentia.

Supponit ipse, duplicem esse præcisionem: Alteram negatiuã alteram positiuam.Negatiua est, quæ tunc contingit,quando Intellectus considerat vnam rationem cummunem, & negatiuè se habet erga inferiores.v.g. Si consideret in homine gradum viuentis, non considerando gradus sensibilis, rationalis,&c. Positiua est, quando separat genus à differentijs, & differentias à genere. Quamuis ergò (dicit ille) ens non possit præscindi à differentijs, & modis suorum inferiorum præcisione positiua,quia intimè imbibitur in ipsis, ac per consequens non potest intellectus separare à ratione entis, quasi extrahat rationem entis ab ipsis, potest tamen ab illis præscindi præcisione negatiua, quia (dicit), cùm differentiæ non sint de conceptu essentiali entis,poterit ens sine illis cognosci,ab illisq;præscindi præcisione negatiua, in hac cognitione rationis superioris sine inferiori consistente.

Datque instantiam Ortiz, sumendo exemplum ex relationibus Diuinis,quæ non includuntur in essentia Diuina per modum transcendentis, nequè sunt prædicatum quidditatiuum respectu ipsius, vt docent nost. Salmat. tom.2. tract.6.disp.5.dub.4.cum tamen Essentia diuina includatur in ipsis per modum transcendentis, vt ex mente S. Tho. deducũt euidentissimis rationibus,& probant ibidem Salmat. dub. 3. Ideoque, addit Ortiz, etsi relationes Diuinæ non possint cognosci sine essentia, benè tamen essentia cognosci sine relationibus potest. Sed

Contra est primò directè contra solutionem Ortiz. Quando dicis,quod ens potest præscindi à differentijs,vel modis constitutiuis inferiorum entis,præcisione negatiua (in quantum potest intel-

Digitized by Google

tellectus cognoscere rationem entis, non cognitis rationibus differentialibus, vel modis cóstitutiuis,) vel illud, quod, cognita essentia entis, non cognoscit intellectus, sed habet se merè negatiue circa illud, est ens, vel non est ens; si primum. Ergò nō abstraxisti perfectè conceptū entis, quia aliquid eius in his, à quibus abstrahit, reliquisti, ac per consequens fateri nobiscum, vel inuitus, debes, ens etiam præcisione negatiua à suis inferioribus perfectè abstrahi non posse. Si secundùm. Ergò nihil remansit post conceptum entis ablatū, seu cognita ratione entis, nihil superest incognitum, circa quod negatiuè se habeat Intellectus, per consequens, cùm differentiæ, vel modi constitutiui inferiorum entis, non sint nihil, circa illas non poterit se habere negatiuè Intellectus, seù non cognoscere illas, cognita ratione entis, proindeque non poterit ab illis ratio entis præscindi præcisione negatiua, nisi fortè imperfectè, penes rationem impliciti, vel expliciti, in quantum v. g. substantia sub conceptu entis dicit explicitè conuenientiam proportionalē cum accidenti in esse, quam sub conceptù substantiæ dicebat implicitè.

Contra est 2. contra eandem solutionem Ortiz, euertendo ipsius argumentum; quòd scilicet sine modis, & differentijs ens sit cognoscibile ex eo, quia modi, & differentiæ non sunt de conceptu quidditatiuo entis. Sic ergò arguitur. Vel hæc ratio supponit; quòd in omnibus, in quibuscunq; vnum non est de conceptu quidditatiuo alterius; vnum possit sinè altero cognosci, vel non. Si sic, falsum supponit Ortix, multa .n. sunt, quorum vnum non est de conceptu quidditatiuo alterius, attamen propter intimam connexionem vnum non potest cognosci sine alio, vt patet in relatiuis; Quamuis enim ordo fundamenti ad terminum sit de cōceptu fundamenti, vt fundamentum est, tamen ipse terminus nō est de illius conceptu, & nihilominùs impossibile est cognosci fundamentum formalitèr sine termino, cum secundùm Philosophi, Relatiua sint simul intellectu. Si autem dicat, quòd non in omnibus hoc sit verum, assignare debuit rationem, cur hoc inueniatur in ente, & inferioribus eius: quam quia non assignauit, quod dixit, gratis dixit, ideoque gratis reijcitur.

Contra est tertiò euertendo idem fundamentum. Quando tu dicis, differentias non esse de conceptu quidditatiuo entis, vel sic intelligis istam propositionē, quod differentiæ non constituant ens in ratione entis, vel sic, quòd differentiæ nō clauduntur actualiter in conceptu quidditatiuo entis. Si primo modo, malè ex hoc infers, quòd ens possit cognosci non cognitis differentijs, quia quamuis aliquid non constituat aliquid in esse talis formaliter

liter

liter, si tamen includitur in ratione quidditatiua, seu essentiali ipsius, non poterit cognosci sine illo; vt patet in animali, nam, etsi non constituat hominem in esse hominis, quia tamen clauditur in ratione essentiali ipsius, tanquam pars eius, non potest cognosci homo sine animali, quia, vt dicit S. Tho. abstracto animali, non remanet in intellectu homo, sed tantùm rationale. Si verò secundo modo intelligis, falsa est propositio, quia cùm ens in suo conceptu ambiat omne id, quod non est nihil, differentiæ etiam secundùm suam formalissimam, & vltimam rationem, sicut sunt extra nihil, ita intra conceptum entis contineri debent.

Ad illam verò instantiam de Relationibus diuinis resp. dupliciter. Primò, distinguendo illam propositionem: Essentia diuina potest cognosci sine Relationibus, cognitione imperfecta confusa, quæ est secundum modum nostrum cognoscendi imperfectum. Conceditur. Cognitione perfecta, clara, & distincta. Negatur. Essentia enim diuina non potest cognosci perfectè sine Relationibus, vt patet tàm in cognitione diuina, quàm in cognitione Beatorum. Nam & Beati, videndo essentiam, clarè vident personas, neq; illam, etiam de absoluta Dei potentia, possunt videre sine ipsis, vt egregiè probant Nostri Salmat. 1. part. Tract. 2. disp. 2. dub. 2. Et patet etiam illa intellectione fæcunda, ex qua procedit verbum diuinum, nõ intelligit essentiam sine personis: Vnde, ut ijdem Salmat. docent p. 1. Tom. 2. tract. 6. disp. 12. dub. 1. Verbum diuinũ procedit etiam ex cognitione personarum; Et ratio, cur essentia Dei non possit cognosci sine Relationibus perfectè, est, quia essentia non cognoscitur perfectè, nisi cognoscatur, vt fæcunda; non cognoscitur autẽ fæcunda sine personis, quæ constituuntur, & distinguuntur Relationibus, ac per cõsequens non potest perfectè cognosci, non cognitis Relationibus: Vnde si hoc exemplum vrget aliquid, probat, ens posse apprehendi, seu cognosci præcisiue sine differentijs, & modis, præcisione imperfecta, non autem perfecta, sicut & ipsa essentia, licet possit imperfectè cognosci sine Relationibus, non tamen perfectè.

Resp. 2. Quòd etiam gratis admisso, quòd essentia diuina etiã cognitione perfecta potest cognosci sine Relationibus, negandum est, quòd etiam ens possit cognosci sine inferioribus. Vnde exemplum hoc non est ad propositum. Est enim inter essentiam diuinam, & Relationes ex vna, ac inter ens, & inferiora entis ex alia parte magna differentia, quam, vt intelligas.

Scito, duplicem esse transcendentiam. Alia enim inuenitur secundùm communitatẽ rei, & alia secundùm communitatem rationis. Transcendens communitate rei dicitur illud, quòd per modum prædicati singularissimi, & immultipli-

Digitized by Google

tiplicati inuenitur in illis, in quibus transcenditur. Hæc autem transcendentia solùm potest inueniri in naturis infinitis, vt aduertunt Nostri Salmant. 1. p. tract. 6. disp. 5. dub. 3. num. 91. & 92. Et ratio istius est, quia hoc transcendens, vt diximus, debet secundùm singularissimam suam rationem inueniri in pluribus: Natura autem singularis, si finita sit, non potest inueniri in pluribus, etiamsi illa plura sint ab illa tantùm virtualiter distincta, ex eo, quòd naturæ finitæ amplitudo tollitur per singularitatem, ita, vt non sit ampliùs determinabilis per aliquid, etiam virtualiter distinctum, in quo imbibatur, vt patet in hoc homine, v. g. Petro, in quo, ita omnes gradus determinantur, vt ampliùs determinabiles non sint. Transcendens autem communitate rationis est illud, quod secundùm suam rationem genericam, ita inuenitur in pluribus, quod etiam multiplicetur in ipsis. Non enim dantur aliquæ naturæ communes à parte rei à singularibus separatæ, & habentes suam vnitatem formalem, sed multiplicantur in inferioribus, vt probant Nost. Complut. in Log. disput. 3. quæst. 3. Ex quo sequitur notandum discrimen, quod intercedit inter transcendentia communitate rei, & transcendentia communitate rationis, quòd scilicet transcendens communitate rationis pertinet ad lineam eorum, quæ transcendit, quia distinctè (vt sic dicamus) portiones illius inueniuntur in diuersis, atq; ita secundùm vnam portionem inuenitur in vna, secundùm verò aliam in alia linea; Vnde transcendentia hac communitate possunt non distingui etiam virtualiter ab illis, quæ transcendunt. Transcendens autem communitate rei, ita imbibitur in alijs, vt ad eorum lineam non pertineat, quia cùm sit commune illis secundùm suam simplicissimam rationem, non est multiplicabile in ipsis, ac per cõsequens etiam in illis, in quibus sic imbibitur, rationem positiuam suæ lineæ secum trahit. Vnde fit, vt semper distinguatur, saltẽ virtualiter, ab illis, quæ transcendit, vt docent citati Salmant: Tom. 2. tract. 6. disput. 3. dubio 2.

Hinc ergò iam ostenditur promissum discrimen inter essentiã diuinam, & Relationes ex vna, ac inter rationem entis, & inferiora eius ex alia parte, ratione cuius exemplum allatum ab Ortiz non conuincit, nec probat intentum. Nam essẽtia diuina, cùm sit transcendens communitate rei respectu omnium diuinorum, etiam, vt est transcendens, est alterius lineæ ab illis, quæ transcendit; Vnde, etiamsi imbibatur in amore diuino essentiali, non tamen Spiritui S. communicabitur natura sub conceptu naturæ: hinc eius processio non est generatio, vt docẽt communitèr Thomistæ, quamuis ei communicetur ex vi suæ processionis Amor. Et hoc nõ ob aliã rationem, nisi quia etiam, vt imbibita in linea amoris, est distin-

Digitized by Google

cta virtualiter ab eo,tanquam res ad aliam lineam spectans. Inde est,quòd etiam posset(si alia non obessent)quantùm est ex vi huius transcendentiæ cognosci perfectè, non cognitis Relationibus , quia etiam, vt imbibitur in illis,est res alterius lineæ ab ipsis, sicut propter eandem diuersitatem linealē, etiam, vt imbibita in amore,non cōmunicatur Spiritui S. ex vi suæ processionis præcisè,& formalissimè sumpta,licet ei communicetur Amor,in quo imbibitur.Cæterùm Ens est transcendens communitate rationis, ac per cōsequens pertinens ad lineam, siue ad rationē eius, quod transcendit, ita vt in homine sit homo, in rationali,rationale,in substantia,substantia,in accidenti,accidens, ac per consequens non poterit cognosci , non cognitis saltem implicitè inferiobus,quia intimè per modum prædicati,& conceptus indistincti includitur in ipsis,ita vt sola distinctio penes rationes impliciti , & expliciti inter ens , & inferiora eius intercedat.

Secunda ratio principalis pro nostra conclusione, qua etiam nostri Complut. vtuntur est talis. Si ens præscinderetur perfectè à suis inferioribus , esset vniuocum respectu illorum.Sed hoc est contra communem Thomistarum sententiam,quam disp. præced. contra Scotum defendimus.Ergo &c. Sequela ex definitione vniuocorum probatur, quia vniuoca sunt, quorum nomen est commune , & ratio significata per illud nomen est omninò eandem , sed in casu ens diceret vnum nomen,& rationem omninò eandem . Ergò esset vniuocum . Minor, quantùm ad vnitatem nominis , ex se patet , quantùm verò ad rationem omninò eandem significatam per nomē,probatur.Illa ratio est omninò eadem identitate sufficienti ad vniuocationem,quæ in se non includit actu principia distinguētia,etiamsi illa contineat in potētia, vt patet in animali, quòd dicit rationem omninò eandem , etiamsi contineat rationale,& irrationale in potentia ; Sed si ens esset perfectè præcisum à suis inferioribus , non contineret actu principia distinguentia,quia,sicut esset actu vnus , vt Aduersarij volunt,ita actu excluderet principia se multiplicantia. Ergo &c.

Resp. Suarez , cuius etiam responsioni subscribit Ortiz , concedendo , quòd in conceptu præciso entis nulla sit actualis diuersitas , negando verò in eodem nullam esse diuersitatem radicalē, consistentem in eo , quòd ens sic abstractum petit descendere ad inferiora cum inæqualitate. Sed.

Contra arguitur primò. Nam illa inæqualitas radicalis non impedit vniuocationem, cùm etiam ipse conceptus vniuocus animalis v. g. dicat inæqualitatem radicalem , siquidem est radix differentiarum inæqualium, easq;continet in potentia. Ergò &c.

Resp. Ortiz negando , diuersitatem, siuè inæqualitatem radicalem repertam in conceptu com-

muni nõ esse sufficientem ad tollendam vniuocationem. Et ad probationem in contrarium, dicit cum distinctione. Conceptus vniuocus v. g. animalis dicit inæqualitatem radicalem, inæqualitatem inter differentias repertã: Concedo. Inæqualitatem inuentã in ipsa ratione eius. Nego. Datq; rationem dictorum. Quia concep. tus genericus, quando de facto contrahitur, & inuenitur in suis inferioribus, est cum omnimoda æqualitate in sua ratione, etsi differentiæ inter se, & ex proprijs rationibus sint inæquales; atque ideò tota inæqualitas, siuè diuersitas reperta in ratione vniuoca nõ est ex parte rationis cõmunis. Non sic autem res se habet respectu entis comparati ad sua inferiora, quia inferiora entis non solùm ratione suarum differentiarum, sed etiam ratione ipsius conceptus entis dicunt differentiam, & inæqualitatem, quia in illa ipsa ratione entis inuenitur inter illa dependentia, cuius radix est ipsa ratio entis, vt est præcisa à suis inferioribus, & ideò, vt præcisa, est inæqualis, per consequens non vniuoca.

Si autẽ instes, & vlteriùs quæras ex Ortiz, quæ causa, & radix huius sit, quòd conceptus entis ex vi suæ rationis intrinsecæ petat ad inferiora descendere cum inæqualitate? Resp. in quæst. cit. §. 3. in qua probat suam sententiam, nostra (vt ille dicit) fundamenta destruendo, quòd hoc proueniat ex transcendentia, & vniuersalitate entis, quia nimirùm ens, cùm sit prædicatum transcẽdens, quam transcendentiam, etiã vt est sub statu præcisionis, non amittit, petit ex natura sua, & ex suis meritis imbibi, & claudi in omni modo, & differentia rerum omnium iuxtà naturam, & modum eorum; Vnde petet imbibi in primo ente omninò independenter, & in ente per participationem dependentèr à primo, & in substantia independentèr ab accidente, in accidente verò depẽdentèr à substantia.

Explicatur hoc ipsum, supponendo, quòd Analogia est secunda intentio, seù relatio rationis, sicut & ipsa vniuocatio, quia tàm vniuoca, quàm analoga referuntur ab intellectu ad plura: illa quidem ad plura, vt omninò conuenientia, hæc verò ad plura, vt partim conuenientia, & partim disconuenientia, seù, quod idem est, illa omninò æqualiter, hæc verò partim æqualiter, partim inæqualiter. Quod ergò retulerit intellectus ad plura cum omnimoda æqualitate ex parte rationis relatæ se tenente, erit vniuocum; quod autem retulerit ad plura cum aliqua inæqualitate ex parte eiusdẽ rationis se tenente, erit analogũ: Cùm ergò ens referatur ad inferiora cum inæqualitate, quia, etsi non includat in se actu differentias, tamen petit includi in ipsis ex ipso suo conceptu intrinseco, quia transcendens est, ac per consequens, cum differentiæ sint inæquales, ens etiam ex suo conceptu

Digitized by Google

tu; secundùm quem petit includi in differentijs, dicit inæqualitatem. Hæc est doctrina excerpta fidelissimè ex Ortiz, cui tantùm abest, vt aliquid detraxerim, quinimmò maiorem vim, & energiã (quantum per tenuitatem mei ingenij licuit) addidi, vt mea, eiusque scripta consideranti patebit.

Nihilominùs hæc eius responsio, & doctrina non placet, quia multa in se continet falsa, & non satisfacit difficultati. Vtrumque euidenter ostẽdo; In primis enim fasum est, quod in hac responsione dicitur, ens esse transcendens, si semel eius conceptus supponitur esse perfectè abstractus; est enim contra rationẽ transcendentis, quòd sit separabile, seù præscindibile quacunque præcisione ab illis, quæ transcendit, vt in præcedenti ratione demõstratum est.

Secundò falsum est, quòd in ipsa ratione entis, præcisis differentijs, sit dependentia, vel inæqualitas, quia præcisis differẽtijs, nihil est in ente, quod faciat in ipso distinctionem, quia, vt ipse Ortiz fatetur, conceptus entis, vt præcisus ab inferioribus, est perfectè vnus, ac per cõsequens omnem distinctionem repugnantem vnitati excludit. Ergò præcisis differentijs, non habet dependentiam, vel inæqualitatem, nam dependentia, vel inæqualitas sunt prædicata rebus distinctis competentia, cùm vnum, idemque non possit dependere à se, vel esse inæquale sibi, vt ex se constat.

Tertiò falsum est, quod ratio entis, vt præcisa à differentijs, vel modis constitutiuis sit radix inæqualitatis, etiam ratione transcẽdentiæ, quia potiùs huius inæqualitatis, quam ens, vt transcendens est, dicit in inferioribus, sunt radices differentiæ; In tantùm enim est inæqualitas, & analogia in ratione entis ratione transcendentiæ, in quantùm ratione eiusdem includitur intimè in differẽtijs, vt ostendimus disput. præced. quæst. 7. Et ipse Ortiz fatetur, & docet tract. 4. in Log. Confer. 2. §. 2. quod etiam ibi egregiè deducit. Nec grauabor verba illius trãscribere, vt videatur, quomodo sibi non constet, qualiterque in hac conferentia 4. dictis à se in conferentia 2. contradicat. Sunt ergò verba eius. *Ex conceptu entis, & ex conceptu explicito differentiæ cuiuscunque fit vnus cõceptus simplicissimus, siquidem ens cum nulla differentia facit compositionem, cùm in omni intimè includatur. Sed res ipsæ differunt differentijs. Ergò differunt in ente.* Ergò quando in hac quæst. radicem inæqualitatis ponit ipsam rationem entis præcisam, sibi contradicit.

Quòd verò hæc doctrina, & solutio Ortiz, non satisfaciat difficultati, sic probo. Nam gratis admisso, non tamen cõcesso, quòd in ratione prçcisa entis, inueniatur aliqua inæqualitas, tamen negare non potest Ortiz (sicut neque negat) ita illam inæqualitatem competere enti, in quantũ respicit differentias inæquales, in

Digitized by Google

quibus imbibitur. Ergò inæqualitas non tollit vniuocationem, quia etiam ipsa vniuoca, inquantum respiciunt differentias inæquales, per quas contrahuntur, dicunt inæqualitatem, quia actu, dùm sunt contracta per differentias, sunt inæqualia, nam animal in homine est perfectius, quàm in Leone; quæ tamen inæqualitas non tollit vniuocationem in ipsis, quia hæc inæqualitas est Physica ratione diuersarum, & inæqualium differentiarum. Ergò etiam cõceptus entis erit vniuocus, si semel dicit inæqualitatem ratione differentiarum, quas respicit. Ergò quia Ortiz per hanc suam doctrinam saluare voluit analogiam entis, quia hanc non saluauit, difficultati non satisfecit.

Deinde arguitur directè contra totam doctrinam istius solutionis, ostendendo, ens, si semel est perfectè præcisum à differentijs, non posse dicere inæqualitatem. Nam in ratione entis, si semel est perfectè abstracta, non est aliquid, nisi conuenientia, & identitas. Ergò ibi non est aliqua diuersitas, vel inæqualitas. Consequen. patet, & prob. Anteced. illud tantùm est in ratione præcisa entis, quod est acceptum per præcisionem ab inferioribus: sed non est acceptum aliud, quàm conuenientia, & identitas, cùm omnia principia discõuenientiæ, & inæqualitatis, scilicet differẽtiæ, & modi constitutiui inferiorum sint relicti, aliàs illa ratio non esset perfectè vna, vt contẽdunt aduersarij. Ergò in illa ratione non est, nisi conuenientia.

Tertia ratio principalis pro conclusione nostra. Omnis gradus abstractus à differentiis est contrahibilis per illas; Sed ens non est contrahibile per aliquid, quia, vt in prima ratione principali diximus, est transcendens, ideòque non est extra conceptum differentiarum; Iam autem quod contrahitur, debet esse extra conceptum contrahentis, quia debet facere compositionem cum ipso. Ergo, &c.

Resp. Ortiz negando maiorẽ vniuersaliter acceptam, & dicit, quòd gradus transcendens, non potest contrahi, quia includitur in contrahentibus, ideoque non potest cum illis facere compositionem, quæ tamen ad contractionem requiritur. Sed.

Contra est primò. Quòd potest abstrahi, potest contrahi; Sed gradus transcẽdens per se potest abstrahi. Ergò etiam poterit cõtrahi. Minor, & conseq. patent. Maior verò probatur. Tùm, quia, quod abstrahitur, fuit per differentias ante abstractionem contractum. Ergo pari ratione etiã post abstractionẽ positis differẽtijs, contrahetur. Tũ etiam, quia ens, vel quodlibet transcendens, si est abstractum, non semper manet sub statu abstractionis. Ergò aliquando illum perdit, sed abstractio non perditur, nisi per cõtractionem. Ergò si transcendens poterit abstrahi, poterit & contrahi

trahi

Digitized by Google

trahi. Tùm denique: quia contractio nihil aliud dicit, nisi limitationem, seu determinationē rationis communis, & indeterminatæ; Sed ens v.g.si est abstractum, est indeterminatum, addita verò aliqua differentia, vel modo, v.g. modo essendi per se, determinatur. Ergò si abstrahitur. contrahitur.

Contra est 2. quia manifestè petit principium, per hoc enim respondet, quod est in quæst. Difficultas enim inter nos est, an illud, quod in vltimis differentijs ratione transcendentiæ imbibitur, possit dicere conceptum præcisum, seu an possit abstrahi ab illis, stante hac inclusione; nosque probamus non posse à differentijs abstrahi, quia neque per illas potest contrahi ratione dictæ inclusionis in ipsis. Manifestè ergò solutio petit principium, cùm per eandem inclusionem eludit argùmentum.

Contra est tertiò, quia hoc, quod ens includitur in differentijs, impedit, ne contrahatur per differentias. Ergò à fortiori impediet, ne abstrahatur ab ipsis, quia, vt ex terminis ipsis patere potest, rationi intimè imbibitæ in aliquo magis repugnat abstrahi, præscindi, & vt ita dicam, auelli ab illa, quam contrahi per ipsam, siue illi coniungi.

Quarta ratio principalis. Si daretur conceptus præcisus entis, sequeretur dari aliquid prius, & simplicius Deo, saltem secundùm rationem; Sed hoc est falsum. Ergò, &c. Maior patet; quia iste cōceptus entis esset prior, & simplicior Deo, quia esset abstractus etiam ab ipso. Nam in primis ab illo conceptu non valeret subsistendi consequentia ad Deum, non enim valeret, est ens, Ergò est Deus, quia ille conceptus clauderet aliquid in se actu, quod Deus non esset, nempè entitatem præcisam à Creaturis. Ergò esset prior, quia prius est secundùm Philosophum in post prædic. à quo non valet subsistendi consequentia. Similiter esset simplicior, quia Deus componeretur ex gradu entis, & proprio modo essendi. Ergo, &c. Minor autem probatur. Tùm quia Deus est ens simplicissimum, primum, perfectissimum, vt omnes vno ore fatentur. Tum etiam, quia illam expresè docuit S. Tho. in primis 1. p. q. 3. ar.5. in arg. Sed contr. vbi dicit, quòd Deo nihil est prius, nec secundùm rem, nec secundùm intellectum. Deinde contr. gent. cap. 42. inquit, Deo nec secundùm rem, nec secundùm rationem, nec secundùm intellectum, posse esse aliquid simplicius. Ergò &c.

Resp. Ortiz, nullum esse inconueniēs respectu Dei, dari aliquid, quod sit priùs, & simplicius Deo per modum prædicati communis, datque instantiam, quia reputat pro inconuenienti, immò omnes Theologi fatentur, quòd prædicata aliqua in Deo sint priora alijs, v. g. prædicata essentialia sunt priora attributalibus, & absolu-

soluta relatiuis. Ergò similiter nō repugnabit, dari aliquod prædicatum commune priùs, & simpliciùs ipso Deo, neque hoc eius primitati, vel simplicitati simplicissimæ repugnat.

Ad primam autem S. Tho. auctorit. dicit, quòd quando S. Tho. dicit, nihil esse simplicius Deo, intelligitur de aliquo, quod se habeat per modum naturæ: Vel certè loquitur de simplicitate excludēte omnem compositionem, & prout sic, ens non est simplicius, quia, licet actu non contineat differentiam, seù modum, quo constituitur Deus in ratione talis, non tamen componit cum illo, nec Deus dicitur compositus ex ente, & proprio modo essendi.

Ad secūdam verò auctor. resp. quod quando S. Thom. dicit, Deo nihil esse prius, loquitur de aliquo, quod possit intrare in compositionem, siuè realem, siuè per intellectum, vt ex ipsa littera cōstat, quòd non competit enti, etiamsi concipiatur per modum cuiusdam prædicati prioris. Hæc sunt verba formalia Ortiz. Sed

Contra est primò. Nam in primis dura est nimis illa propositio apud Catholicos, quòd Deo possit dari aliquid prius, & simplicius: Vnde illā Dominicus Flandria, (iudices Ortiz iure ne, an iniuria) non tantùm falsam, sed etiam hæreticam vocat, vt videre est apud illum 4. Metaphys. quæst. 2. artic. 5. in prima probatione suæ conclusionis. Deinde repugnat, aliquid priùs esse bonum, vel verū, quàm Deus, aliàs Deus non esset prima bonitas, prima veritas, immò non esset fons perfectionis, quia non esset perfectus à se, sed ab alio, nam si illud priùs Deo esset bonum, esset vtique perfectum, quia bonum, & perfectum conuertuntur, ac per consequens Deus esset ab illo priori participatiuè bonus, & perfectus; Sed si daretur aliquod ens priùs Deo, etiam per modum prædicati cōmunis, esset aliquid priùs Deo verum, & bonum. Ergò &c. Maior patet, & prob. Minor. Bonum, & verum sunt passiones entis conuertibiles cum ente. Ergò quod est ens, est verum, & bonum, & quando fuerit ens, erit verum, & bonum; Sed illud priùs formaliter, vt priùs Deo, est ens. Ergò etiam esset, vt priùs verum, & bonum. Ergò primò verum, & primò bonum.

Ad illud autem exemplum petitum ex prædicatis diuinis, dicimus esse disparem rationem inter rationem entis præcisam, & prædicata diuina, nam quòd prædicata diuina habeant inter se ordinem prioris, vel posterioris, nō tollitur primitas ab ipso Deo, quia illa prædicata non sunt aliquid aliud à Deo, sed omnia cōstituunt integram rationem entis Diuini, suntque sine vlla distinctione, quæ sit ante opus intellectus, idem in Deo; Vnde non sequitur ex hac prioritate, quam habent inter se, esse aliquid priùs Deo, quod Deus non est. Cæterū

Digitized by Google

ratio entis, vt est præcisa à Deo, esset prior Deo, & cùm illa entitas sic præcisa non sit Deus, sed aliquid commune Deo, & Creaturis, sequitur esse aliquid prius Deo, quod non est Deus. Hoc nos absurdum, & parum in Catholica doctrina sanum reputamus.

Ad responsionem autem, seù explicationem, quam affert Ortiz pro auctoritatibus S. Doctoris dicimus circa primum, falsum esse, quod S. Tho. ibi non negauerit aliquid esse simplicius Deo, per modum prædicati cõmunis, quia ibi negauit aliquid esse simplicicius Deo per modum generis. Ergò negauit esse simpliciùs per modum prædicati cõmunis, quia, vt omnes fatentur, genus est prædicatum commune, vnde & à Philosophis inter prædicabilia numeratur. Et similiter si (vt ipse Ortiz fatetur) S. Tho. negauit aliquid esse Deo simpliciùs, quod cum ipso compositionem faciat, negauit etiam aliquid esse simpliciùs per modum prædicati communis, quia posito illo prædicato communi, & præciso, necessariò poneretur in Deo compositio ex illo prædicato communi, & ex proprio modo essendi, quod sic euidenter ostenditur. Illud prædicatum commune, vel est diuersũ à proprio modo essendi, vel non: si non, Ergò proprius modus essendi Dei, sicut est actualiter idẽ cum illo prædicato communi, ità clauditur actualiter in ratione ipsius, ac per consequens illud prædicatum nõ erit perfectè præcisum, quia in suo conceptu claudit actu ea, à quibus præscindit; Si verò dicitur, quod sit diuisum, Ergò cùm vtrumque vniatur in Deo, facient in illo compositionem, quia compositio est diuersorum vnio.

Similitèr explicatio, quam secundæ auctorit. adhibet, nihil valet: Nam, vt modo ostendimus, si semel conceptus entis esset perfectè præcisus, faceret compositionem cũ proprio modo essẽdi, etiam ipsius Dei. Sed hæc omnia magis patebũt in 3. tract. Metaph.

Quinta ratio principalis. Vnitas conceptus præcisi fundatur in conuenientia inferiorum, à quibus fit præcisio, nisi enim inferiora conuenirent in aliquo gradu vno, non posset ab illis aliquis vnus conceptus præscindi, vt patet in æquiuocis, quæ, quia in nulla ratione conueniunt, nihil ab illis commune, & vnum præscindi potest; Sed inferiora entis non conueniunt in ente simpliciter, quia, cum ens sit analogum, debẽt ita inferiora conuenire in ipso, vt dicant conuenientiam cum disconuenientia. Ergò etiam non poterit ens præcisum ab inferioribus esse vnum simpliciter. Ergo neq; præcisum simpliciter, quia si esset simpliciter præcisum, esset simpliciter vnum, esset enim omninò à principijs distinctiuis separatum.

Sexta ratio principalis. Si ens diceret vnum conceptum communẽ inferioribus, & præcisum perfectè ab illis, sequeretur prædica-

menta non esse primò diuersa; Sed hoc est contra communem sensum Thomistarum. Ergo &c. Sequela prob. Illa non sunt primò diuersa, quæ in aliquo conueniunt, sed in casu prædicamenta conuenirent in aliquo, scilicet in illo conceptu vno, & præciso entis. Ergò &c.

Septima ratio. Si ens diceret vnum conceptum præcisum, sequeretur, quòd Deus, & Creatura non distarent in infinitum; Sed hoc est falsum. Ergo, & illud, ex quo sequitur. Falsitas consequentis patet, quia Deus est infinitus, creatura verò finita, inter finitum autem, & infinitum est infinita distantia. Sequela autem prob. Illa, quæ conueniunt in aliquo cõceptu non distant in infinitũ, nã distãtia infinita tollit omnem identitatẽ, quæ autem in aliquo conceptu conueniunt, sunt in illo conceptu idem; Sed si ens diceret vnum cõceptum, Deus, & creatura conuenirent in illo conceptu entis. Ergò &c.

Octaua ratio. Ille conceptus entis perfectè præcisus vnus, communisq; suis inferioribus, vel est secundùm se dependens, vel independens. Si dicis, quod est dependens. Ergo ille conceptus, cum reperiatur in Deo, inuenietur aliqua entitas in Deo dependens, quod est falsissimum, quia Deus est ens omnino independens ab alio. Si verò dicas, quod sit independens. Ergò cùm ille conceptus reperiatur in creatura, creatura secundùm aliquid sui erit independens, quod est in imaginabile.

Dices fortè, illum conceptum abstrahere à dependentia, & independentia, sicut abstrahit ab ente creato, & increato. Sed.

Contra est, quia in sententia Scoti, (quæ in hac quæstione ab aliquibus Thomistis defenditur, & à nobis impugnatur) quælibet natura communis habet suam vnitatem formalem à parte rei, vt videre est in Scoto, 7. Metaph. quæst. 8. & in 2. sen. dist. 3. quæst. 1. Cùm ergò ens secundùm suum conceptum perfectè præcisum sit aliqua natura communis, habebit suam vnitatem realem. De illa ergo vnitate reali entis (quæ, si realis est, debet esse ante opus intellectus) quærimus, an sit dependens, an independens? & currit argumentum, vt supra. Nec potest ad abstractionem à dependentia, & independentia recurri, quia ille conceptus obiectiuus entis, cum sit quædam natura communis, erit vnus ante opus intellectus, ac per consequens non poterit à dependentia, & independentia præscindere, quia præcisio, sicut fit per actum intellectus, ita non potest antecedere opus intellectus.

§. 4. *Proponuntur, & soluuntur Obiectiones.*

Dvplici via contra nos processit Didacus Ortiz; primò direct probando conclusionem suam. Secundò euertendo (vt ipse dicit) nostra fundamenta. Primi ge-

generis argumenta sunt hæc.

Primum. Ad conceptum perfectum, perfectèq; præcisum alicuius rei non est necesse accipere ea, quæ non pertinent ad essentiã talis conceptus; Sed ad essentiam conceptus entis non pertinent modi, & differentiæ constitutiuæ, inferiorum. Ergo non erit necesse accipere illas, quãdo ens præscindetur ab illis, ac per consequens conceptus entis erit perfectè præcisus, perfectèq; vnus, vtpotè ab omnibus principijs distinguentibus separatus. Vtraq; consequentia patet, præmissæ autem probantur, & primò. Maior. In præcisione perfecta tantùm debent prædicata essentialia accipi, ac per consequens illa debent relinqui, quæ non sunt de essentia rei. Similiter prob. Minor. Quia id est de essentia conceptus entis, quod immediatè significatur nomine entis; Sed nomine entis non significantur immediatè modi, & differentiæ. Tùm quia in nobis experimur, quod audito nomine entis non distrahitur de necessitate intellectus ad modos ipsius, sed immediatè apprehendit ipsam rationem essendi, vt sic. Tum etiã, quia illud nomen significat immediatè, ad quod significandum fuit impositum; Sed nomen entis non fuit impositum ad significandos immediatè modos entis: quis enim crederet (inquit Ortiz) quod qui imposuit hoc nomen, ens, intenderet significare Deum, creaturas, imò, & alias inferiores differentias? Ergo &c.

Resp. Maiorem huius argumẽti esse falsam; minorem verò ex parte veram, & ex parte falsam: Vnde vtraq; Conseq. non tenet, quia procedit ex principijs falsis. Falsitas maioris patet, quia ad conceptum perfectum, perfectèque præcisum non tantùm desiderantur prædicata essentialia rei, sed etiam modi intrinseci ipsius, vt patet ex dictis in hac quæst. & conuincit exemplum Relationum diuinarum, sine quibus essentia Diuina perfectè cognosci non potest, quia, etsi non sint prædicatã eius quidditatiua, sunt tamen modi intrinseci ipsius. Vnde & probatio eiusdem maioris falso nititur fundamento, vt ex modò dictis patet. Minor verò, vt ex dictis supra patet, etsi in hoc sensu sit aliquo modo vera, quòd modi, & differentiæ constitutiuæ inferiorum non sint de essentia conceptus entis, quia non sunt prædicata essentialia eius, in alio tamen sensu est falsa, quia modi cõstitutiui sunt de essentia, idest intrinsecè, & inpræscindibiliter afficiunt essentiam. Diximus, quòd in primo sensu sit aliquo modo vera minor, nàm rigorosè loquẽdo, etiam in illo sensu est falsa, quia, sicut est essentiale prædicatum entis, vt sit transcendens, ità & vt imbibatur in modis, & differentijs. Ergò modi, & differentiæ spectant aliquo modo ad prædicata essentialia, nempè ad transcendentiam, quia hæc sine illis intelligi nequit; immò, vt ex solutione argumenti sequentis pa-

cebit, modi entis essentialiter cōstituunt conceptum perfectum entis.

Et ad probationem eiusdem minoris dicimus, ad primam quidem, quòd sufficiat conceptus entis imperfectus ad hoc, vt apprehendatur sine distractione ad inferiora, vt in suppositionibus diximus, ac per consequens ex hoc non colligitur, quòd nomen entis non significet inferiora entis, saltem implicitè, licet ea non significet explicitè. Nam defectus huius explicitæ significationis est causa, cur statim Intellectus ad cognoscenda inferiora entis non distrahatur, quando imperfectè cognoscit, sicut, quia effectus virtualiter tantùm latent in causa, cognita causa imperfectè, & citra penetrationem, non cognoscuntur prædicti effectus, qui tamen cognoscerentur, si causa cognosceretur perfectè.

Ad secundam verò probationem, neg. quòd nomen entis non fuerit impositum ad significanda immediatè inferiora entis significatione implicita; qui enim imposuit hoc nomen, ens, significauit expressè habitudinem ad esse, implicitè verò proportiones talis habitudinis, hanc enim significationem implicitā ab illa expressa non potuit separare, quia illa habitudo ex suo intrinseco conceptu est proportionalis, cùm secundùm sua intrinseca nō sit vniuoca, sed analoga, vt etiam ipse Ortiz fatetur.

Secundùm argum. Ortiz. Id, quod est prius ex natura sua, non potest constitui essentialiter per id, quod est posterius, cùm si prius sit, intelligatur ante aduentum posterioris in suo esse constitutū; Sed ens est prius suis modis, quia ab illo ad hos non valet subsistendi consequ. non enim valet, est ens, ergò est per se, quia potest dari ens in alio. Ergò non cōstituetur essentialiter per illos, ac per consequens, quando cognoscitur secundùm essentialia, non cognoscentur modi.

Confirmatur. S. Thom. 1. p. q. 14. ar. 6. docet, quod si Deus cognosceret alia à se, in quantùm sunt entia tantùm, cognosceret illa in communi, & imperfectè. Ergò signum est, quòd in ratione entis non clauduntur actualiter modi, & differentiæ entis, aliàs cognoscendo Deus ens, cognosceret alia à se secūdùm sibi propria, secundùm quæ in ratione talis clauderentur.

Resp. primò ad Argum. Concedendo maiorem, & minorem, & primam consquentiam, negando verò secundam. Quia ens secundùm sua essentialia non potest perfectè concipi, quin concipiantur ipsi modi intrinseci, vt ex præcedenti solut. patet.

Resp. 2. negando, ens secundùm suum conceptum perfectum esse prius suis modis constitutiuis, non quidem sigillatim, sed simul cum disiunctione sumptis. Ad probat. autem dicimus, non valere quidem subsistendi consequent. ab ente ad vnum aliquem

Digitized by Google

modum particularem, & determinatè sumptum, tamen valet ad omnes: Nam est bona consequentia, est ens, Ergò vel creatum, vel increatum. Est ens creatum, Ergò vel substantia, vel accidens. Vnde dicimus (per quod adhuc magis doctrina solutionis præcedentis argumenti roboratur), quòd rationem essentialem entis constituunt inferiora entis sumpta simul sub disiunctione, si illa ratio côceptu perfecto significetur, quia ens côceptu perfecto immediatè dicta inferiora significat. Vnde quando in solutione præcedentis argumenti, vel in nostris rationibus diximus, ens non constitui, tanquam per prædicata sua essentialia per modos entis, locuti sumus permissiuè, admittendo, non concedendo, vt alias doctrinas illis locis congruentius seruientes daremus.

Ad confirmationem verò resp. illam authoritatem non esse contra nos, quia certum est etiam apud nos; differentias inferiorum latitare in ente implicitè, non autem explicitè, quia quod ens sub conceptu entis implicat, hoc explicat in conceptu substantiæ, & accidentis; Vnde si Deus in conceptu entis tantùm cognosceret inferiora, cognosceret ea implicitè, ac per consequens imperfectè.

Secundi generis argumenta, quibus nostram sententiam euertere conatur Ortiz, sunt hæc. Primum. Si aliquid impediret, quò minùs ens possit præscindi à differentijs perfectè, impediret vel maximè transcendentia entis; Sed hæc non impedit. Ergo &c. Maior est nostra ratio: Et probat: Minor. Nam ex transcendentia nô habetur aliud, quàm quòd differentiæ, & modi entis includant (vt sic dicam) passiuè rationem entis, seu quòd idem est, vt ens includatur in ipsis, non autê, quòd includantur in illo quasi actiuè, tanquàm prædicatum essentiale ipsius, sicut ex transcendentia Essentiæ Diuinæ habetur, quòd ipsa includatur in Relationibus, non autem quòd hæ includantur in ipsa, tanquàm prædicatum essentiale ipsius. Ergò poterit ens præscindi à differentijs: Nam sola inclusio essentialis entis in differentijs non videtur obesse præcisioni, si semèl differentiæ, & modi entis non includuntur vicissim in ratione entis, sicut essentia Diuina potest cognosci sine Relationibus, quamuis imbibatur per modum transcendentis in ipsis ex eo præcisè, quia Relationes vice versa sic in illa non imbibuntur.

Confirmatur. Animal essentialiter includitur in homine, & est de conceptu essentiali ipsius, ità, vt impossibile sit cognoscere hominem sine animali, & tamen animal potest cognosci sine homine, quia vicissim non est homo de conceptu animalis. Ergò à simili ens poterit cognosci sine differentijs, & modis, quamuis sit de conceptu illorum, quia vicissim non sunt differentiæ, & modi de conceptu entis,

Resp.

Resp. ad argumentum. concedendo maiorem, & negando minorem, & ad eius probat. dicimus, ex transcendentia rationis communis communitate rei non haberi quidem, nisi quòd ratio transcendens includatur in rationibus inferiorum, non verò quod inferiora includantur in ratione transcendenti; hoc tamen habetur ex transcendentia, quæ est talis per communitatem rationis, quia, vt ex supra dictis patet, ratio transcendens communitate rationis est sinè vlla, etiam virtuali, distinctione eadem cum rationibus inferiorum: Vnde sicut ipsa ratio sic trāscendens est sibi ipsi essentialis, ita etiam illa, quæ transcendit, erunt aliquid essentiale ipsi; quia repugnat vnū, & idem respectu eiusdem esse essentiale, & nō esse esētiale. Vnde exemplum de Essentia Diuina non conuincit, quia hæc non imbibitur in Relationibus per modum transcendentis communis communitate rationis, sed per modum alicuius communis communitate rei.

Ad confirmat. resp. esse disparem rationem inter ens respectu suorum inferiorum, & Animal respectu hominis, nam animal non includitur in ratione hominis per modum transcendentis, sicut ens includitur in suis, vnde non est idem conceptus animalis cum conceptu hominis, ac proinde potest præscindi ab ipso. Cæterùm, vt sæpiùs diximus, cōceptus entis, sicut & cuiuslibet transcendentis transcendentiæ rationis non distinguuntur vllo modo à conceptibus inferiorum, ac per consequens mirum non est, si ab illis præsciudi non possit, quia hæc ad eius conceptum perfectum essentialiter pertinent vt iam sæpiùs explicatum est; Vnde tàm hæc confirmatio, quā ipsum argumentum peccant in suppositione, semper enim supponit, differentias, & modos entis non spectare ad conceptum perfectum entis; tanquam quid essentiale ipsi, quod tamèn ex dictis patet esse falsum.

Secundum argumentum eiusdem Ortiz est. Cum hoc, quod ens habeat conceptum præcisum, saluatur optimè analogia entis; quia, etsi actu non dicat inæqualitatem, dicet illam virtualiter, in quantùm petit descendere ad inferiora cum inæqualitate. Ergò cùm potissimum fundamentum sit, propter quod negatur conceptus communis entis, ne ens sit vniuocum, cum analogia eius, stante conceptu communi, subsistat, poterit dicere talem conceptum.

Ad hoc argument. patet responsio ex dictis §. præcedenti, vbi in ratione secun, ostendimus quòd posito conceptu communi entis, tollitur analogia ipsius.

Sunt & alia plura argumenta antiquorum (hæc tamen, quæ Ortiz nouissimè adduxit, posuimus, & soluimus.) Sed illa satis fusè proposita, & soluta apud Flandriam 4.metaph.q.2.& apud

no-

Digitized by Google

nostros Complut.in log.disp.11, qu.5.inuenies.

§. 5. *Satisfit cuidam incidenti difficultati. An scilicet ens significet sua inferiora copulatiuè, vel disiunctiuè?*

DIximus, ens non habere vnũ conceptum perfectè præcisum ab inferioribus, ipsisq; cõmunem, sed significare immediatè ipsa inferiora, vt proportionabilitèr similia. Quia verò inferiora entis sunt plura, pulsat statim animum noua difficultas, an ea significet copulatiuè, vel disiunctiuè? de quo, quia S.Tho. nihil expresè docuit, ideò in multas opiniones Thomistæ abierunt. Alij enim putant, quòd ens significet sua inferiora copulatiuè; Vnde secundum illos, ens est immediatè substantia, & accidens: Sed hoc subsistere nequit, aliàs omnes prædicationes, in quibus de aliquo enunciaretur ens, essent falsæ, quia nulla res est substantia, & accidens simul.

Alij verò, sicut nostri Compl dicunt, ens neque significare inferiora copulatiuè, neque disiunctiuè, quia copulatiua, & disiunctiua significatio competit secũdùm suas rationes absolutè sumptas, vnde cùm ens non significet inferiora absolute, sed vt sunt proportionabilitèr similia, inde est, quòd, neque significet ea copulatiuè, neq; disiunctiuè. Quæ opiniò totaliter, non displicet, quia tamen dato, quod ista significatio non sit rigorosè copulatiua, vel disiunctiua, adhuc remanet difficultas, quam ex illis significatio inferiorum entis imitetur, & ad quam magis accedat? Nam sicut per hoc, quòd ens significet inferiora, vt proportionabilitèr similia, non extrahitur à ratione termini significantis plura, ita non absoluitur ab hoc, quòd ea significet copulatiuè, vel disiunctiuè, quia quilibet terminus significans immediatè plura, vno ex his modis indispẽsabilitèr ea debet significare; Vnde supposito, (quod certissimum est) ens non significare inferiora, nisi, vt sunt proportionabilitèr similia, remanet difficultas, an illa significet, sic, vt quando dico, hoc est ens; sit sensus; Hoc est substantia, & accidens, vt proportionalitèr similia; circa quod.

Dico cum Soncinnate 4.meta. q.3., ens significare sua inferiora disiunctiuè. Cuius ratio est, quia debet illa de necessitate significare copulatiuè, vel disiunctiuè, vt modò dixi; Sed non potest illa significare copulatiuè: Ergò significat disiunctiuè. Mai. & conseq. patent. Minor verò prob. in omnibus veris prædicationibus oportet, vt prædicatũ conueniat subiecto secundùm totum significatũm prædicati, vt patet discurrendo per omnes prædicationes, vt v.g. quando dico,

quòd

quòd albedo est color, homo est animal, est sensus, quod albedini conueniat tota natura coloris, & homini, animalis, sed nulla est res, de qua verè prædicetur substantia, & accidens copulatiue, etiam, vt proportionabiliter similia, vt ex se patet. Ergò, &c. Sub disiunctione autem hoc benè saluatur. Nam si inprimis de aliquo enunciem ens abstrahens à Deo, & creaturis, dicendo: Hoc est ens: verissima propositio, faciens hūc sensum. Hoc est Deus, vel creatura: Et similiter hoc est ens creatum, facit sensum. Hoc est substantia, vel accidens, quod etiam est verum.

Sed obijcies 1. Si ens significaret inferiora disiunctiuè, tunc v. g. quando dicerem, Rationale est ens, facerem hunc sensum. Rationale est substantia, vel Accidens; Sed vtrumque de rationali falsò enuntiatur, quia falsū est, Rationale esse Accidens, est enim differentia essentialis, & similitèr falsum est, idem Rationale esse substantiam, alias genus prædicaretur essentialiter de differentijs, quod est contra Philosophum. Ergò; & tota illa disiūctiua est falsa; Rationale est substantia, vel Accidens, quià tota disiunctiua est falsa, quando vtraque pars eius est falsa. Cùm ergo illa sit vera, Rationale est ens, sequitur, quòd ens non significet substantiam, vel Accidens, aliàs vna, eademque propositio de eodem secundùm idem, & pro eodem tempore enuntiata esset simul vera, & falsa, quod implicat.

Resp. primò huic argumento supponendo, ens inter alias diuisiones diuidi etiam in completum, & incompletum. Ens ergò completum immediatè significat prædicamenta, in quibus directè sola entia conpleta collocantur. Hoc autem ens non enuntiatur de Rationali, quia illud, sicut & cæteræ differentiæ, non collocātur in prædicamentis, vt docent nost. Complut: in log. disp. 11. q. vlt. num. 59. Ens verò abstrahēs à completo, & incompleto ambit omnia entia, etiam illa, quæ ob sui imperfectionem non ponuntur directè in prædicamentis. Hoc ergo supposito. Resp. quòd quādo dicitur, Rationale est ens, Ly, ens, hic sumitur, vt abstrahit à completo, & incompleto, & verificabitur de Rationali eius significatum, quod scilicèt Rationale sit substantia, vel accidens, quia verè est substantia imcompleta, & vt quo, quia est id, quo homo constituitur in esse hominis, & per consequens in esse substantiæ.

Resp. 2. supponendo similitèr ex nostris Complut: in log. disp. 5. num. 63. quòd differentiæ tantùm ex modo significandi significantur, vt quo, & arcentur à prædicamentis, iam verò quoad rem significatam, dicunt totam essentiam rei, à qua desumuntur, v. g. Rationale dicit totam essētiam hominis. Sic ergò ad arg. resp. quòd si res significata attēdatur,

Digitized by Google

datur, illa propositio, Rationale est ens, idest substantia, vel Accidens, est verissima, etiamsi ens sumatur pro ente completo, quia verè, quantùm ad rem significatã, Rationale est substantia completa; quia tamen in propositionibus magis attenditur modus significandi, quam res significata, ideò magis est primæ solutioni inhærendum.

Obijcies secundò. Si ens significaret immediatè substantiam, vel Accidens, sequeretur, quòd quæstio, an est, confunderetur cũ quæst. quid est, essentque vna, & eadem quæstio; Sed hoc est contra Philosop. 2. Poster. cap. 1. Ergò, &c. sequela prob. Si ens significet immediatè substantiam, vel Accidens, sequitur, quòd quærere, si homo est ens, sit idem quærere, ac quærere, Si homo est substantia, vel Accidens, Sed hæc quæstio, si homo est ens, est quæstio, An est; quia æquiualet huic; Si homo existit, hæc verò quæstio, si homo est substantia, vel Accidens, est quæstio, quid est, vt ex se patet. Ergo, &c.

Resp. huic argum. (viderint quid respondeant illi, qui dicũt, ens significare existentiam.) Nos verò, quia tenuimus, quòd significet essentiam, facilè resp. dicẽdo, vtramque quæst. spectare ad quid est, quia quæstio, an est, quærit de existentia rei: Iam autem supposito, quòd ens significet essentiam per illam quæst. an homo est ens, non quæro de eius existentia, sed de essentia, an scilicet homo habeat essentiam, quæ est quæstio, quid est: quia quæro de illo, quid est? nihil, an extra nihil? ratione realitatis essentiæ.

§. 6. *Corollarium notatu dignum.*

EX dictis iam facilè explicari potest, quid sit ille conceptus imperfectus entis; Omnes enim communitèr Auctores nostræ sententiæ dicunt, ens dicere vnum conceptum imperfectum, ratione cuius est apprehensibilis ab intellectu sine distractione ad inferiora. Nullus tamen (quem ego viderim) explicat radicitùs, in quo iste cóceptus imperfectus consistat.

Recolendum est ergò, quod suprà explicuimus, conceptum obiectiuum esse naturam repræsentatam in specie, conceptum verò formalem esse, vel actum intellectus, vel (quod ibidem probabilius esse iudicauimus) terminum ipsius actus Intellectus, siuè verbum mentis, eandem naturã, quam species impressa, non tamen eodem modo repræsentans, quia hæc repræsentat eam, vt intelligibilem, illud verò, vt intellectam, vtraque tamen conuenit in repræsentatione naturæ vnius: Cùm autem, naturalitèr loquendo, nihil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu, tàm verbum, quàm species impressa nõ repræsentant naturam, nisi porrectam sibi ministerio sensuum, & à con-

ditionibus indiuidualibus beneficio intellectus agentis depuratam; Qui quidē intellectus agens principia indiuiduantia, seù materialitatem omnem, quæ est radix indiuiduationis, seu hecceitatis à principijs formalibus secernit,& materialia quidem abijcit, vtpotè intellectui improportionata, formalia verò in specie impressa obijcit intellectui possibili, hosque ille omnes gradus in dicta specie speculatur, incipiendo à primo vsque ad vltimum, quia illos omnes eadem species repræsentat. Quando ergò intellectus illos gradus in specie v. g. hominis, cognoscendo, distinguēdo, & vnum ab alio præscindendo ad vltimum gradum substantiæ venerit, videns conuenientiā eius cum accidente in ratione entis, & disconuenientiam in proprijs modis essendi, nititur illum gradum entis à substantia, & accidente abstrahere (sicut,quia inter hominem, & equum videt cōuenientiam in sensibili vita, disconuenientiam verò in proprijs differentijs, ideò rationem animalis ab illis abstrahit), sed quia eam non potest abstrahere, quia videt, quòd substantia, & accidens, abstracto ente, remanerent nihil, ideò non abstrahit ab illis rationem entis, sed tantùm proportionem quādam similem speculatur substantiæ ad suam entitatem, & accidentis ad suā, & ex hac speculatione exprimit verbum mentis, quod hanc proportionalem similitudinem, vt actu intellectam, repræsentat: Cùm autem proportionalis conuenientia non fuerit per Intellectum à Substantia, & Accidenti abstracta, repræsentatur, vt exercita in ipsis, vnde Substantia, & Accidens inuoluuntur semper in repræsentatione illius proportionalis similitudinis, quam dicunt: Vnde si Intellectus substiterit in sola proportionalis similitudinis, quæ est inter substantiam, & accidens simul, speculatione, nec processerit ad cognoscendas ipsas naturas substantiæ, & accidētis, in quibus dicta proportionalis similitudo exercetur, erit conceptus imperfectus entis; Si verò processerit, semper tamen substantiam, & accidens, vt in dicta proportionali similitudine conueniunt cognoscendo, (nam si illa cognosceret absolutè, iam nō cognosceret, vt sunt entia, sed vt sunt substātia, vel accidens) erit conceptus perfectus, quem tamē non potest intellectus habere sine noua specie ab accidenti impressa fæcundatus, quia,cùm illa species prima dictam proportionem repræsentans,sit species substantiæ, nō poterit accidens perfectè, & distinctè repræsentare, licet illud imperfectè repræsentet, iuxtà illud vulgare, quidquid repræsentat aliquid, repræsentat omne, quod est simile ipsi. Et hinc est, quòd conceptus perfectus entis est multiplex absolutè, quia requirit plures species, tàm in essendo, quàm in repræsentando. Conceptus verò imperfectus

est

est vnos, & multiplex, vnus scilicet est in essendo, & multiplex in repræsentando, quia plura, vt sunt proportionabiliter similia repræsentat.

Ex quo discursu habes, quòd, cóceptus perfectus entis sunt ipsa inferiora entis per proprias species repræsentata cum proportione, quam dicunt ad suas entitates, conceptus verò imperfectus est species repræsentatiua vnius inferioris, à quo imprimitur cum proportionabili similitudine, quã dicit ad aliud, vnde dicitur esse vnus, quia est in vnica specie, & imperfectus, quia, etsi potens sit vnum inferiùs entis, à quo scilicet imprimitur, perfectè repræsentare, aliud tamen non potest, vt iam dictum est.

DISPVTATIO III.

De varijs Diuisionibus Entis.

EXpeditis in præcedentibus disputationibus his, quæ ad naturam entis, & cognoscibilitatem pertinent, restat, vt de ipsius multiplicitate agamus, ad quod inuestigandum præsentem disputationem instituimus de varijs diuisionibus entis. Sit ergò.



QVAESTIO I.

Quænam sit prima diuisio Entis.

PAucis præsentem difficultatem expediemus, quia explicatione potiùs, quàm discussione eget.

Supponimus tamen primò, plurimas entis diuisiones Philosophum in pluribus locis adduxisse. Diuisit enim ens in ens per se, & per accidens, in ens Reale, & Rationis, in ens finitum, & infinitũ, in ens necessarium, & ens contingens, in substantiam, & accidens, in ens Absolutum, & Relatiuum, in ens completum, & incompletum, in decem prædicamenta, in actum, & potentiam, & alias plures entis diuisiones, apud Philos. sparsim in lib. Metaph. inuenies. Hæ tamen sunt præcipuæ.

Supponimus 2. ex nostr: Complut: in Procem. Summul. quòd, cùm diuisio sit oratio totum in suas partes distribuens, iuxta diuersos modos totius, diuersæ erũt diuisiones. Quia verò totum est triplex, Potentiale, actuale, & accidentale, ideò, & diuisio est triplex, Potentialis, quæ est, vel generis in species, vel analogi in analogata, vel tandèm generis, aut analogi in suas differentias, vel modos: Actualis, & accidentalis, quæ iterum est, vel accidentis in subiecta, vel subiecti in accidentia. Sed hic de diuisione generis in species, & accidentis in subiecta nõ agitur,

 quia

quia ens, cuius diuisiones inquirimus, neque est genus, neque accidens, vt primum ex dictis, & secundum ex se patet.

Supponendum est tertiò, dupliciter posse esse diuisionē priorem, alia, vel secundùm dignitatem, vel secundùm naturam. Diuisio prior secundùm dignitatē est illa, cuius membra diuidentia sunt alijs nobiliora. Illa verò est prior secundùm naturam, cuius membra diuidentia immediatiùs, & priùs continentur sub diuiso.

Supponimus quartò, quòd in præsenti non quærimus de diuisione entis cōmunissimè sumpti: De hoc enim certum est primò diuidi in ens reale, & rationis, cùm cæteræ omnes diuisiones sint subdiuisiones ētis realis, sed quærimus de diuisionibus, quibus diuiditur ens reale, quod est obiectū Metaphys. quænam ex illis est prima? pro quo adhuc.

Supponendum est quintò, præsentem difficultatem etiam non procedere de primitate dignitatis, quia secundùm hanc certum est, primam esse diuisionem entis In finitum, & Infinitum, seu in Deum, & creaturas. Illa enim diuisio (vt ex dictis patet) est prior cæteris prioritate dignitatis, cuius membra diuidentia sunt perfectiora, & digniora; Sed talis est diuisio entis in ens finitū, & infinitum, quia ens infinitum, scilicet Deus, omnem perfectionem excogitabilem claudit in se. Ergò &c.

Tota ergo difficultas est in explicando, quænam diuisio entis realis sit prior cæteris prioritatē naturæ: Quia tamen varia sunt genera diuisionum, vt explicatum est in suppositione secunda, nullo modo potest assignari aliqua diuisio, quæ sit prior, & simpliciter, & absolutè cæteris; Comparatio enim in prioritate, & posteriotate (sicut, & quælibet alia) debet esse inter res eiusdem generis, ac per consequens diuisiones, quæ sunt diuersorum generum, non possunt inter se comparari, sed inuestigādum, & examinandum est, quæ sit in quolibet genere prima. Vnde determinare debemus primò, quæ sit prior diuisio, cùm ens diuiditur diuisione analogi in suos modos: secundò, quæ prior sit, quando diuiditur diuisione analogi in analogata: Et tandem tertiò, quæ prior, cùm diuiditur diuisione subiecti in accidentia propria.

Dicendum est ergo primò, diuisione analogi in suos modos proprios, ens reale diuidi primò in absolutum, & respectiuum. Hæc conclusio est contra Scotum, qui primò distinct. 8. quæst. 3. tenet, ens primò diuidi in quantum, & non quantum; nomine quanti intelligens perfectionem virtutis, vt communitèr explicatur à suis, & contra Soncinnatem, qui 10. Metaph. quæst. 1. tenet, primò diuidi ens in vnum, & multa.

Prob. tamen primò. Illa diuisio est prior cæteris, quæ datur per membra communiora, & vniuersaliora; eò enim immediatiùs diuidet rationem communem, quò dabitur per communiora; Sed ab-

solutum,& respectiuum sunt communissima, & vniuersalissima. Ergo diuisio entis, quæ per illa datur, erit vniuersalissima; Prob. Minor. Illa membra diuidentia sunt communissima,& vniuersalissima, sub quibus claudūtur omnia, quæ rationem diuisi participant; Sed sub absoluto,& relatiuo clauduntur omnia, quæcunq; participant rationem entis; Omne enim ens, vel est tantùm ad se, ita, vt nihil respiciat distinctum à se, ac per consequens, absolutum, vel est ad aliud, seù relatiuum, vt ex se patet. Ergo &c.

Dices, etiam sub vno,& multis clauduntur omnia, quæ,& sub ente. Ergo etiam hæc erunt membra vniuersalissima, ac per consequens diuisio per illa data erit prima.

Resp. conced. anteced. & primam consequ; negando verò secundam. Quia diuisio, quæ datur per passionem propriam,& rationem oppositam ipsi, non est prima, etsi sit vniuersalissima, quia essentialia, vel ad essentialium lineam spectantia, priora sunt attributalibus: Vnde etsi sub risibili,& irrisibili claudantur omnia, quæ sub animali clauduntur, tamen animal non diuiditur primò, per risibile,& irrisibile, sed per rationale, & irrationale propter rationem dictam.

Probatur 2. discurrēdo per omnes modos cōstitutiuos, & distinctiuos entis,& ostendendo, nullos modos competere enti, priùs absoluto,& relatiuo. Nam in primis finitum, & infinitum si sumantur (vt communiter sumi solent) secundùm quòd exprimunt communem quandam quantitatem, siuè molis, siuè virtutis, non diuidunt immediatè ens reale, vt sic, sed tantùm ens absolutum, ens enim relatiuum nullam dicit quātitatē, nec molis, vt ex se patet, nec virtutis, quia quantitas virtutis est ipsa perfectio rei; Relatiua autem nullam dicunt ex suo conceptu perfectionem, adeò, vt nec ipsæ relationes diuinæ, etsi diuinę, illam afferant, vt eruditè,& fusè deducunt nostri Salmat. Tom. 2. Tract. 6. disput. 6. dub. 2. Vnde etiam, vt aduertunt Salmat. ibidē num. 78. sunt,& dicuntur infinitæ, non quasi afferant aliquam quantitatem virtutis, sed quia se habēt ad instar quantitatis virtutis, in quantùm sine vlla alia expressione perfectionis ad illarum lineam spectantis, dicunt maiorem vim ad referendum, & terminandum, quàm quælibet relatio creata: de quo videri possunt Salmat. loco sup. cit.

Similiter vnum, & multa, cùm sint aliquid consequens rationem entis per modum affectionum ipsius, non poterunt ens immediatè diuidere, quia proprietates, seù affectiones rei præsupponunt ea, quæ spectant ad lineam essentiæ eiusdem, tanquam differentiæ, seù modi distinguentes ipsam, qualia sunt in ente non solùm absolutum, vel respectiuum, sed etiam per se, vel per accidens, & similia; Antequam enim intelligatur ens aliqua passione affectū,

Digitized by Google

v. g. antequam intelligatur vnũ, verum, vel bonum, iam intra lineam suæ rationis formalis concipitur determinatè, vel respiciẽs aliud, vel non respiciens, vel cõpositum ex rebus eiusdem Cathegoriæ, quod cõstituit ens per se, vel compositum ex rebus diuersorum prædicamẽtorum, quod facit ens per accidens. Ergò &c.

Similitèr diuisio entis in per se, & per accidens non potest esse prima, quia prima est diuisio entis in simplex, & compositum. Ad inuestigandum enim, vtrùm aliquod ens sit per accidens, primò inquiro, an sit simplex? An verò compositum? & si inuenero compositum, video, an componentia illud sint eiusdem Cathegoriæ, an non? Et si inuenero eiusdem; determino, esse ens per se, sin secùs, ens per accidens. Ergò &c.

Iam autem, ipsa etiam diuisione entis, in simplex, & compositum, est prior diuisio eiusdem in absolutum, & respectiuum; Nam ista membra sunt vniuersaliora, vtrumque enim non solùm in entibus creatis, sed etiam in ente increato inueniri potest: Nam dantur Relationes, non solùm creatæ, sed etiam increatæ; Et similiter essentia Diuina non minus est quid absolutum, quàm essentia Petri. Compositio autem nulla in Deo inueniri potest, vtpotè in ente omnibus modis simplicissimo.

Et ob eandem rationem prior est diuisio entis in Absolutum, & Relatiuum, diuisione illius in cõpletum, & incompletum. Quia etiã incõpletũ nihil potest in Deo esse, quia nullam in se partialitatem, imperfectionemque patitur, à quibus ratio incompleti præscindere nequit; Et in vniuersum, quæcunque aliæ differentiæ entis afferri possunt, vt sunt actus, & potentia, contingens, & necessarium, & similes, necessariò supponunt rationem entis, quæ indispensabilitèr, & inpræscindibilitèr debet, vel dicere respectum, vel ab ipso absolui. Tenendum est ergò, ens primò diuidi diuisione in suos modos per absolutum, & respectiuum.

Dicendum est secundò, diuisione analogi in analogata, ens primò diuidi in inferiora constituta per modos intrinsecos primò diuidentes ens, ac per consequens ipsa entia absoluta, & relatiua erunt analogata, in quæ primò ens tali diuisione diuiditur. Hæc conclusio non indiget probatione, apertè enim ex præcedẽti sequitur, cùm enim differentiæ, vel modi aliquam rationem communem diuidentes constituant inferiora ipsius, inferiora, quæ constituentur per modos, seù differentias primò diuidentes rationem communem, etiã ipsa primo diuident eandẽ, modo tamen sibi debito, scilicet diuisione generis in species, vel analogi in analogata, nec in hoc est immorandum.

Dicendum est tertiò, diuisione subiecti in accidentia; Ens primò diuidi in vnum, verum, & bonum. Probatur facilè, quia hæc sunt af-

fectio-

Digitized by Google

fectiones intimæ entis, quæ primò illi competunt, tanquàm aliquid consequens essentiam illius. Ergò erũt prima Accidẽtia, in quæ subiectum illarum, nempè ens diuiditur. Si tamen quis voluerit hoc genere diuisionis ens diuidere per mẽbra opposita, prima diuisio entis erit penes vnum, & multa, quia vnum est prima passio ẽtis, vt patebit disp. sequenti. Et hoc fortè intendebat Soncinnas, sicq; intellecta eius sententia, est verissima, sicut & sententia Scoti asserentis, ens primò diuidi in finitũ, & infinitum, si intelligatur de prioritate dignitatis, vera est, vt ex nostris suppositionibus patet: Quia tamen dicti auctores, vt ex scriptis illorum patet, alio sensu sua dicta explicant, ideò illorum opiniones sunt reiiciendæ.

Ex dictis infertur, ad præsentẽ difficultatem non pertinere sentẽtiam Alberti magni, qui quæst. 7. Metaph. docet, ens primò diuidi in 10. Prædicamẽta, quia nos hic agimus de diuisione entis abstrahentis à Creato, & Increato, vt ex suppositionibus constat: Iam autẽ ens diuisum in 10. Prædicamenta est ens Creatum, non verò abstrahens à Creato, & Increato.

Argumenta cõtrariorum nulla adducimus, quia nihil contra nos procedunt: Nam argumenta Soncin: vel probant, ens non diuidi primo penes finitum, & infinitum primitate naturæ; quod etiam nos diximus, vel si quæ adstruunt, primam diuisionem entis esse in vnũ, & multa, nihil aliud conuincunt, quàm id, quod in nostra 3. conclusione diximus.

Similitèr Scotus omnibus argumentis hoc nititur euincere, quod diuisio penes finitum, & infinitum, quia datur per modos essentiales, sit prior diuisione eiusdem in vnum, & multa, quæ sunt affectiones entis. Et hoc nihil cõtra nos vrget, quia cõcesso, quòd finitum, & infinitum sint modi essentiales entis (quod tamen, iure, an iniuria ipse viderit, negat Soncinnas) non erit adhuc prima diuisio entis in finitum, & infinitum, quia inter modos (vt sic dicam) essentiales entis, primi sunt absolutum, & Respectiuum, vt iam demonstratum est.

QVAESTIO II.

Vtrùm diuisio entis in actum, & potentiam sit in diuersa realiter.

HÆc quæstio potissimùm excitatur propter potentiam obiectiuam, quam aliqui Auctores ponunt, & alij negant. Est autem potentia obiectiua illa, sub qua intelliguntur res omnes ante suum verum, & reale esse, quod accipiunt à suis causis per productionem: Vnde hæc quæstio duplicem inuoluit difficultatẽ. Prima est, vtrùm detur potentia obiectiua ab Actiua, & Passiua realiter distincta. Secunda, vtrùm admissa hac potentia obiectiua,

Phi-

Philosophus distinguendo ens in actum, & Potentiam, per potentiam intellexerit dictam potentiã Obiectiuam: Si enim hanc intellexit, non distinxit ens in duas res realiter diuersas, sed in duos modos eiusdem rei. Eadem enim res, quæ fuit in potentia obiectiua, quando erat possibilis, ponitur per suam productionem in actu. Vt autem cum methodo procedamus, primò expediemus difficultatem primam, & postea ad secundam procedemus; Sit ergò.

§. 1. *Refertur duplex opinio, vna affirmans, & altera negans, dari potentiam obiectiuam.*

Scotus in 2. dist. 16. quæst. 1. §. Rationes istæ &c. tenet, dari potentiam obiectiuam ab Actiua, & Passiua distinctam. Sequũtur Scotum communiter Scotistæ, eandemque sententiam tenet Henricus quodlib. 1. quæst. 9. & quodlib. 3. quæst. 9. Fundamenta huius opinionis præcipua hæc sunt.

Primum. Substantia, antequam produceretur, erat in potentia, aliter tamen, quàm nunc est respectu accidentis, quia tunc erat in potentia ad produci, nunc autem non est in potentia ad produci; Sed nunc est in potentia actiua, & passiua respectu accidẽtium, quia est receptiua, & effectiua saltim radicaliter illorum. Ergò potentia ad produci distinguitur à potentia actiua, & passiua: Potentia autem ad produci vocatur potentia obiectiua, quia res sub ipsa est obiectum potentiæ agentis productiui illius. Ergò &c.

Secundum. Potentia, quæ plurificatur ad pluralitatem actuum, est diuersa ab illa, quæ non plurificatur ad pluralitatem eorundẽ. Oppositæ enim rationes vni, & eidem nequeunt conuenire; Sed potentia obiectiua plurificatur, potentia verò Actiua, vel Passiua, non plurificatur. Ergò potentia obiectiua distinguitur ab Actiua, & Passiua. Maior, & conseq. patent. Minor verò probatur primò quantùm ad primam partem, quod scilicet potentia obiectiua plurificatur ad pluralitatem actuum; Nam alia est potentia obiectiua, per quam ignis est in potentia ad suum esse, & alia, per quam est aqua in potentia ad suum: quod exinde patet, quia si producatur aqua, & non ignis, desinit esse potentia, qua aqua erat in potentia, & non desinit esse potentia ignis, qua erat in potentia. Ergò &c. Similiter quantum ad secundam partem eadem minor prob. Nam neque potentia passiua plurificatur ad multitudinem actuum, quia eadem manens potest recipere plures; Neque actiua, quia eadem potest diuersos producere. Ergò &c.

Tertium. Quando ex non igne generatur ignis, non ignis distingui-

gui

guitur, & à potentia se generante, quia hæc est potentia ignis, à qua non ignis distinguitur, & à potentia materiæ, quia subiectũ transmutationis distinguitur ab vtroque termino, vt dicitur 1. Physic. Iam autem in dicta generatione terminus à quo est non ignis. Sed non ignis est ipse ignis in potentia obiectiua, potentia autem generantis est potentia actiua, sicut & potentia materiæ est potentia passiua. Ergò potentia actiua, & passiua distinguuntur à potentia obiectiua.

Quartum. Potentia, & actus sunt in eodem genere, vt dicitur 9. Metaph. Sed hoc non potest verificari de potentia actiua, vel passiua, quia principium productiuum, & receptiuum sunt sæpissimè alterius prædicamenti à re producta, vel recepta; Nam substantia est causa efficiens, & recipiens accidentia, cùm tamen hæc ad aliud prædicamẽtum spectent. Ergò hoc dictum verificabitur de potentia obiectiua, ac per consequens hæc, vltra actiuã, & passiuam, necessariò est concedenda. Ità suam potentiam obiectiuam esse ab actiua, & passiua distinctam ostẽdunt Scotistæ. Plura ipsorum argumenta vide in Soncinnate 9. Metap. ar. 1.

E contra Thomistæ vno quasi ore negant hanc potentiam obiectiuam ab actiua, & passiua distinctam. Ita Capreolus in 2. distin. 13. quæst. 1. art. 3. vbi etiam dicit, hanc potentiam obiectiuã esse fictitiam, & præter mentem Philosophorum adinuentam. Caietanus 1. p. quæst. 54. art. 3. & quæst. 77. art. 1. Soncin. Metaph. quæst. 1. & 2. Sequitur Thomistas Suarez in sua Metaph. disp. 31. Sect. 3. num. 2. Impugnantq; opinionem Scotistarum.

Primò. Auctorit. S. Thom. 1. p. quæst. 9. art. 2. in Corp. vbi hæc habet. *Omnes Creaturæ antequàm essent non erant possibiles esse per aliquam potẽtiam creatam, cùm nullum creatum sit æternum, sed per solam potentiam actiuam, in quantùm Deus potest eas in esse producere*. Cùm autem illa potentia obiectiua, si non est nihil, vt supponũt aduersarij, neq; Deus, vt ex se cõstat, debeat necessario esse aliquid creatum, ex mente S. Th. non est dabilis hæc potentia obiectiua; sub qua res sint ante suam productionem: Quia, vt in textu S. Doctoris patuit, ille negat Creaturas, antequam essent, fuisse possibiles per aliquam potentiam creatam.

Secundò: ratione Soncinnatis, omnis potentia dicit ordinem ad aliquem actum cum carentia illius dispositionis, quam habet res, dùm est in actu, vt dicit cõmentator 9. metaph. comment. 1. Sed ea, quæ sunt producta nullo præsupposito ante sui productionem, illa scilicet, quæ sunt producta per creationem, v. g. Cæli, & intelligentiæ, ante productionem non intelliguntur, vt carentes aliqua dispositione, quã postmodùm acquisierunt, quia res producta per Creationẽ pro-

Digitized by Google

ducitur tota, ac per consequens nihil eius præintelligitur productioni, quod careat dispositione acquisita per productionem, aliàs non produceretur tota. Ergo in illis non datur aliqua potentia fundans ordinem ad actum, acquisibilem per productionem; cumque hæc sit iuxta Scotistas Potentia obiectiua, secundùm quam res dicit ordinem ad actũ entitatiuum, quem per productionem acquirit, talis potentia non datur.

Tertiò, ex eodem Soncin: arguitur. Possibile obiectiuum illud dicitur, quod est aptum natum esse obiectum alicuius potentiæ realis. Sed non potest esse obiectum, nisi Potentiæ Actiuæ, vel Passiuæ, potentia enim, cuius obiectum est producibile, est aliquod principium, per quod tale producibile potest esse, quod aut est Passiuum, ex quo fit, aut actiuum, à quo fit, nec datur mediũ. Ergo non est concedenda aliqua Potentia ab actiua, & Passiua realiter, & ex æquò distincta.

Quartò. si Cælum, antequam produceretur, diceret rationem Potentiæ obiectiuæ, quæ sit Potentia vera, & realis ab Actiua, & Passiua ex equo distincta, cùm omnis vera, & realis Potentia dicat respectum ad aliquem actũ, quæro, quis erit ille actus, qui sit terminus habitudinis cœli, vt est in Potentia obiectiua?

Dices, quod communiter Scotistæ dicunt, esse ipsum actũ entitatiuum cæli. Iterum quæro, quid significet ille actus entitatiuus, aut ipsam substantiam cæli, aut existentiam eiusdem, aut tantùm aliquem alium actum vlteriorem? Non hoc vltimũ, quia existentiæ, cum sit vltima actualitas, nullum post se actum patitur. Neque primum, quia ipsa substantia cæli est in potentia obiectiua, ac per consequens nõ potest dicere habitudinem ad se ipsam, quia nihil est in potentia ad seipsum. Ergo erit secundum, scil. Existentia: cùm autem ipsa etiam existentia ante sui productionem non fuerit, stando in principijs contrariæ opinionis, docentis, quòd omne, quod non est, & potest esse, est in potentia obiectiua, etiam ipsa erit in potẽtia obiectiua, iterũq; de illa redibit argumentum, quæremus enim de illa, ad quid ipsa est in potentia? Et cùm non possit esse in potentia ad seipsam, quia, vt nuper diximus, nihil est in potentia ad seipsum, neq; est imaginabile aliquid aliud, ad quod existentia sit in potentia; planè sequitur, dictam potentiam obiectiuam fictitiam esse, vtpotè cã, cui nullus potest assignari actus proportionatus, ad quem dicat habitudinem, quàm tamen omnis potentia vera, & realis debet discere ad suum actum.



§. 2.

§. 2. *Fertur iudicium de utraque sententia, & difficultas resoluitur.*

PRò resolutione huius difficultatis. Sciendũ est, multipliciter posse accipi Potentiã obiectiuam, cùm enim hæc dicatur talis, quia obijcitur alicui potẽtiæ illud, quod intelligitur sub ipsa, hinc est, quòd primò potest sumi potẽtia obiectiua pro quadam non repugnantia ad esse rei possibilis, quæ denominatur talis non ab aliquo reali existente in se, ratione cuius dicat habitudinem ad esse, sed denominatur possibilis, primò à potentia actiua agentis potentis illam producere, secundò à non repugnãtia terminorum; v. g. rosa, antequàm producatur est in potentia obiectiua, quia dicit non repugnantiam ad esse, non enim est aliqua implicantia in hoc, quòd rosa existat, & insupèr datur aliquod agens, quod potest rosam producere. Secundò sumitur Potentia obiectiua pro ipsa potentia passiua, quæ obijcitur agenti potenti per eius transmutationẽ educere formam ex ipsa, ex illisque (sc. forma educta, & potentia, ex qua educitur) facere cõpositũ. Tertiò sumitur Potẽtia obiectiua pro aliqua entitate reali cõpetente rebus ante sui productionẽ, quæ sub hoc statu dicitur possibilis, & ex suis intrinsecis respicit actũ, quem virtute agentis cõsequitur per productionem.

Si ergo intelligatur Potentia obiectiua primo, & secundo modo, certum est, dari obiectiuã potentiam, quia quælibet res possibilis, etiam illa, quæ fit per creationem, dicit non repugnantiam ad esse, quia inter esse, & illam nulla est implicantia, alioquin esset impossibilis, & etiam per ordinem ad omnipotentiam Dei existere non posset; & insuper datur aliquod agens productiuum ipsius, à cuius potentia denominatur possibilis. Similiter in generabilibus, & corruptibilibus datur potentia obiectiua secundo modo accepta: quia datur materia continens formas generabiles, ex cuius potẽtia, virtute agentiũ educuntur; Vtroq; autem modo sumpta potentia obiectiua, etsi sit dabilis, non tamen est ab actiua, & Passiua distincta, nisi fortè penes diuersos respectus: Nam materia prima, vt potens recipere formam, dicitur Potentia Subiectiua, & in quantùm respicit agens, à quo forma educitur, dicitur potentia obiectiua. Et similiter potẽtia agentis, vt est in agente, vel potiùs, vt est ab agente, ipsumq; denominat agẽs, dicitur potentia actiua, vt autem potest terminari ad passum, denominat illud possibile, seù existens in potentia obiectiua agentis. Et in hoc sensu accepta sententia Scoti, est verissima, sicut hoc tantùm voluisse Scotum (etsi illi contrarium à Thomistis imputetur) plusquam verissimũ est, nam ipse Scotus seipsum explicat in 2.

distinct. 12. quæst. 1. §. Est igitur videndum &c. Vbi hæc habet. *Præmitto quandam distinctionem de potentia: Aliquid enim potest esse in potentia dupliciter: Vno modo, vt terminus, alio modo, vt subiectum, quod est in potentia ad terminum, & fortè eadem est potentia, sed vt comparata ad diuersa, dicitur obiectiua, vel subiectiua; Ita quod subiectum existens dicitur potentia subiectiua, & eadem vt respicit agens, dicitur obiectiua, possunt tamen separari, vt in creabili, vbi est potentia obiectiua, & non subiectiua, quia ibi non subijcitur aliquid.* Vbi, vt vides, clarissimè Scotus mentem suam aperit, & ostendit, quomodo potentiam obiectiuam ab actiua, & Passiua distinguat, per comparationẽ scilicet eiusdem potentiæ realis ad diuersa. Et hinc disce, quàm sinistrè aliquando imponantur Auctoribus diuersæ opiniones, & quomodo melius sit semper pro inuestiganda mente Doctorum ad ipsos fontes recurrere: Passim enim Scoto imponitur, quòd ille potentiam obiectiuam in tertio sẽsu à nobis explicato admittat: Cùm tamen, vt clarissimè seipsum explicat Scotus, admittat potentiam obiectiuam in primo, & secundo sensu, qualiter à nobis admittitur, & ab omnibus Peripathetico lacte enutritis admitti debet, quia omnes cõcedunt, res dici possibiles à potẽtia agentis, quæ illas potest ponere in actu, & quamuis fortè aliqui Scotistæ trahant Scotum ad ponendam potentiam obiectiuã realiter distinctam ab actiua, & passiua, ipse tamen textus Scoti clarissimè ostendit, ipsum in hac sententia, quæ à Thomistis communiter impugnatur, non fuisse. Hæc de potentia obiectiua in prima, & secunda acceptione. In tertia autem acceptione.

Dicimus, non dari potentiam obiectiuam. Ita omnes Thomistæ. §. præced. relati, qui in hoc dumtaxat sensu Scotisticam impugnãt sententiam, vt eorum argumenta consideranti patebit.

Potest hæc nostra determinatio tali ratione confirmari. Si daretur potentia obiectiua, quæ esset vera, & realis entitas, vel esset creata, vel increata. Neutrum est dicendum. Ergo &c. Maior, & consequ. patent. Minor verò prob. Et primò quantùm ad secundam partem, quòd scil. non possit esse increata, quia, vel est Deus, vel nihil. Quidquid enim à Deo factũ non est, vel est Deus, vel nihil, vt docent PP. August. Primo de Trinitate cap. 6. Iustin. in expositione fidei, & Cyrillus lib. 5. in Ioan. cap. 6. Cùm ergo illa potentia non sit Deus, vel aliquid identificatum cum Deo, ponitur enim, vt quid distinctum à potentia actiua Dei, erit vtiq; nihil. Deinde quantùm ad primam partem probatur, quod illa potentia non possit esse aliquid creatũ; Si enim esset creata, vel esset creata in tempore, vel in æternitate; Non in æternitate, quia fides docet, Deum nihil ab æterno creasse; neque in tempore, si enim est creata

in

Digitized by Google

In tempore, ergò supponebatur aliquando, saltem in æternitate, non fuisse, & tamen potuisse esse, seù, quòd idem est, supponebatur possibilis. Ergò erat ipsa potentia obiectiua respectu sui aliquando in potentia obiectiua, quia poterat esse, & non erat; Omne autẽ, quod non est, & potest esse, est in potentia obiectiua: Iterumq; de illa potentia obiectiua, in qua dicitur esse præcedens potentia obiectiua, idem fiet argumentum, si ponatur esse aliqua entitas realis. Ergò vel procedemus in infinitum, vel deueniemus ad aliquã potentiam obiectiuam, quæ nunquam nõ fuit, sed ab æterno supponebatur esse, quod tamen absurdissimum est, quia non potest esse ab æterno, tanquam quid increatum, non enim est Deus, vt supra dictum est, neque tãquam aliquid creatum, est enim de fide, nil creatum fuisse ab æterno. Tenendum est ergo, non dari aliquam potẽtiam obiectiuam, quæ sit aliqua vera realitas ab actiua, & passiua realitèr distincta.

Neque contra hanc determinationem procedunt argumenta Scoti, & Scotistarum, quia probãt, dari tantùm potentiam obiectiuã aliquo modo ab actiua, & passiua distinctam, quod & nos concedimus, vt ex supra dictis patet. Non tamen probant, talem potentiam obiectiuam dari, qualem nos hic negauimus, illam scilicet, quæ esset vera res cõpetens rebus ante illarũ productionem, essetq; realitèr à potentia actiua, & passiua distincta, quod consideranti ipsa argumenta patebit, in quantùm tamen possent contra nostram opinionem detorqueri, ad singula respondetur facilè.

Ad primum ergo resp. Substãtiam quidem fuisse aliter in potentia, quam nùnc est, respectu accidentium, quia fuit in potentia obiectiua, seù, quòd idem est, in potentia actiua causarum suarum, vt potentium illam attingere, & producere, & si sit substantia habens formam educibilem ex materia, fuit in potentia passiua materiæ, tanquam quid dependens in esse, fieri, & conseruari ab ipsa: nunc autem non est in tali potentia obiectiua, quæ tamen non est distincta realiter à potentia actiua, & passiua, vt explicatum est.

Secundo resp. Quòd substantia producta est indistincta potentia respectu accidentium, quando est, ab illa, sub qua fuit, cùm non esset: Distinguo. Indistincta specie, vel genere nego. Indistincta numero. Concedo. Quia ante productionem fuit in potentia actiua suæ causæ, nùnc autem est in potentia, non alterius causæ, sed ipsa est habens potentiam actiuam ad producendum effectum, quas potentias constat non specie, vel genere, sed numero distinctas esse.

Ad secundam resp. distingu. Maiorem. Potentia, quæ plurificatur, est distincta realiter à potentia, quæ non plurificatur, nego: est distincta ratione, seù penes diuersos respectus. Concedo. Sufficit enim distinctio rationis,

& penes diuersas habitudines inter aliqua, vt vnum illorum dicatur plurificari, & aliud non, pluralitate non reali, sed rationis, vt videre est in essentia Diuina, quæ absolutè sumpta non plurificatur, sumpta tamen, vt est imitabilis à Creaturis, secundùm quòd habet rationem Ideæ, plurificatur secundùm rationem: Vnde S. Thom. & communiter cum illo Theologi concedunt in Deo pluralitatem Idæarum, vt videre est apud S. Doct. 1. par. quæst. 13. art. 2.

Resp. secundò negando minorem quantum ad vtramque partem; & ad probationem dicimus, eo modo plurificari, vel non plurificari potentiam actiuam, & passiuam, quo & obiectiuam; Sicut enim potentia passiua, v. g. materiæ, licet nō plurificetur realiter, plurificatur tamen formaliter respectu diuersarum formarū, & similiter potentia actiua, ita etiam potentia obiectiua plurificatur non realiter, sed formaliter: quia ab eadem v. g. Omnipotentia Dei denominantur res omnes possibiles, & illa denominatio est tantùm ex parte terminationis, non autem realiter ex parte ipsius formæ (quæ est actus vnius Omnipotentiæ Dei) distincta. Quòd autem potentia actiua, & passiua etiam formaliter multiplicentur, facilè ostenditur, quia eadem negatiuè entitas materiæ primæ, vt respiciens hanc formam, est distincta formaliter à seipsa, vt respiciente aliam; à formis enim, quas respicit, habet speciem positiuam, vt docent Nostri Complut. 1. Phys. disp. 3. quæst. 3. & communiter Thomistæ. Et similiter potentia actiua etiam eiusdem agentis nō potest non distingui formaliter, vt continet hunc effectum à seipsa, secundùm quòd continet aliū, vt consideranti patebit.

Ad tertium resp. distingu. Maiorem: Quando ex non igne producitur ignis, non ignis distinguitur à potentia actiua, & passiua negatiuè realiter, tanquam non ens ab ente. Concedo. Realiter positiuè, tanquam entitas, & entitas. Nego. Necesse autem erat iuxta principia partis aduersæ, non ignem distingui à potentia actiua, & passiua realiter positiuè, quia ipsi ponunt, non ignem esse in aliqua potentia obiectiua, quæ, secundùm eos, in hoc sensu, quem nos reiecimus, & impugnamus, est realitas à realitate potētiæ actiuæ, & passiuæ distincta. Quòd autem non ignis non distinguatur, vt ens, & ens ab igne, patet, quia non ignis est non ens. cùm sit priuatio, ac per conseq. non poterit distingui ab igne, vt ens ab ente, illa enim tantummodo sic distinguuntur, quorum vtrumque est ens.

Ad quartum, quod non modicam inuoluit difficultatem resp. 1. Quòd etsi de potentia passiua concedatur, non posse verificari illud Aristotelicum, *Potentia, & actus sunt eiusdem generis*; Negatur tamen, hoc non posse verificari

cari

cari de potentia actiua, immò inde communiter deducunt Thomistæ, generationem substantialem non posse esse nouam actionem distinctam à tota alteratione præcedenti, quia illa actio, sicut terminaretur immediatè ad substantiam, ita deberet esse immeditè à substantia, seù, quòd idem est, sicut actus terminatiuus ipsius, seù effectus productus per ipsam est substantia, ita deberet elici à substantia, vt sit correspōdentia inter terminum, & principium actionis, cùm tamen implicet substantiam esse immediatè operatiuam, pro quo videri possunt Nost. Complut. in lib. de gener. disp. 2. quæst. 2. & in lib. Phys. disp. 10. quæst. 4. & seq. Immò si per actum potentiæ actiuæ non intelligamus terminū actionis, sed ipsam actionē, quod est rationabilius, magisque Philosophicum, etiam verificatur in potentia actiua, quòd actus, & potētia sint eiusdem generis: Vnde vbicunque potentia actiua est substantia, ibi & actus, seù actio eius est substantia, vt patet in Diuinis: Vbicunque autem potētia actiua est accidens (vt est in Creatis, vbi quia esse, & operari distinguuntur realiter, ideò substantia, quæ est potentia ad esse, non est potentia ad operari, sed operatur medijs potentijs accidentalibus, vt docent Nost. Complut. loco nuper cit. ex lib. Phys.) etiam ibi ipsa actio est accidens: omnis enim actio creata est accidens, & in Prædicamentis accidentium collocatur, quia omnis vel est de Prædicamento qualitatis, vel de Prædicamēto actionis.

Resp. secundò. Cum Caiet. 1. p. quæst. 77. art. 1. negando, illud axioma Phil. *Potentia, & actus sunt eiusdem generis*, non posse verificari de ipsa potentia receptiua, seù passiua, non qualicunque, sed de illa, quæ est essentialiter ordinata ad actum: Nec probatio in contrarium conuincit, quòd res vnius Prædicamenti sit immediatum susceptiuum alterius, quia, vt eruditè aduertit Caiet; nullum Prædicamentum est essentialiter potentia respectu alterius Prædicamenti, sed in quolibet Prædicamento est propria potentia illius generis, media qua accidentia recipiuntur in substātia, vel accidens vnius Prædicamenti, v. g. albedo in quantitate, quæ est subiectum *quo* accidentium, vt docent Philosophi.

Quæ doctrina Caietani, quia subtilis est, atque adeò multis videtur non intelligibilis, ideò pro illius intelligentia.

Notandum est ex Soncin. lib. 12. metaph. quæst. 76. cond. 2. quòd in omni subiecto receptiuo accidentis absoluti (relatiua enim non respiçiunt subiectum, vt subiectum, vt docent nost. Cōplut. disp. de Præd. relationis) in omni, inquam, subiecto receptiuo accidentis absoluti est aliquid potentiale de genere illius accidentis, quo mediante subiectum recipit accidens v. g. superficies non reciperet colorem, nisi mediant-

diante aliquo de genere coloris, v. g. mediante diaphaneitate, vel aliquo simili alio innominato.

Quæ Soncinn. doctrina, ne alicui videatur fictitia,& voluntaria, probatur,& auct., & ratione. Nam in primis Philos. eam innuit 12.metaph.tex. 26. quæ habetur apud S. Tho. lect.4.vbi diuersa rerum assignans principia, dicit. *Alio modo analogicè principia sunt eadem, vt actus, & potētia, verùm hæc etiam in alijs alia, & alio modo sunt.* Vbi, vt vides, diuersis rebus diuersas assignat potentias, cumque ibi Philos.loquatur de Potentia intrinsece rē cum actu simul constituente, vt ex tex.constat, non potest intelligi de Potentia actiua,sed de Potentia Actiua, sed de Potentia receptiua,quæ sola rem cum actu Intrinsece constituit. Clariusque mentem Philos. aperuit commentator, dum explicans dicta verba Phil., sic inquit comment. 26. *Potentia, & actus, quæ sunt principia substantiæ,sunt alia à potentia, & actu, quæ sunt principia qualitatis, & sic de alijs Prædicā:* Hocque ipsum ex doctrina Philosoph.idem comment.repetit.3. Phys.comm.9. vbi dicit.*Potentia ad vnumquodq; prædicamentum est in illo genere prædicamenti, in quo est actus.* Suadetque idem ratio; quia aliàs substantia reductiuè spectaret ad prædicamenta accidentium, vtpotè subiectum essentialiter respiciens ipsa,quod tamen perfectioni ipsius repugnat, quia perfectius non reducitur ad Catheg. imperfectioris: Vnde Deus Opt. Maxim. ob immensam suam perfectionem, qua omnia entia excedit, nec reductiuè quidèm in Catheg. entis collocatur, vt ex communi sententia Thomistarum docent nostri Compl. in log. disp. 12. qu. 4. Ex qua doctrina iam facilè intelliges Caiet. solutionem, quomodo etiam Potentia receptiua, si sit essentialiter ordinata ad actum, debeat esse generis eiusdem cum actu; Quia scilic. in quolibet Prædicamento accidentis est aliquid potentiale, mediante quo recipitur in substantia ipsa actualitas accidentis.

Sed contra doctrinā in hac secunda solut.datam est obiectio duplex. Obijcitur enim primò, ex Suarez disp.14.sect. 2. Si substantia non esset potentia essentialiter ordinata ad recipienda accidentia, sed in genere accidētis daretur aliquid potentiale, quod esset receptiuum actualitatis accidentis, daretur processus in infinitum. Sed hic non potest, etiam iuxta Philosoph.,admitti. Ergo,&c.Minor,& conseq.patēt. Sequela prob.illa potentia, quæ est de genere accidentis, est aliquod accidens. Ergò respicit substantiam, vt subiectum: Quæro itaquè an substantia recipiat illam potentiam mediante alia potentia, vel non: Secundùm non potest dici, quia alias relabimur in difficultatem à Scotistis oppositam, quòd scil.potētia

receptiua sit alterius generis in suo actu. Ergo dices secundum, quod scil. illa potentia recipitur mediante alia, & cùm illa iterùm non sit substantia, sed accidens, fiet de illa argumentum, vt supra. Ergo admisso, quod substantia recipit accidentia mediante aliqua potentia accidentali; etiam in his potētijs admitteretur processus in infinitum.

Resp. neg; sequel., & ad eius probat. dicimus, illam potentiā non recipi mediante aliqua potentia, sed immediate in substātia; Nec per hoc relabimur in id, quod in argumento Scotistarum negamus: Quod enim nenegamus. est, potentiam receptiuam essentialiter ordinatam ad aliquem actum non esse eiusdem generis cum actu, quod in præsenti ex concessis à nobis non infertur: ille enim actus, qui est essentialiter actus, petit potentiam se recipientem, & ad se essentialitèr ordinatam. Cæterùm illa potentia accidentalis, quia est essentialitèr potentia, non est essentialiter actus, sed tantùm habet modum actus, quia, vtpotè accidens, inest alteri, & ideò neque requirit aliquam potentiam ad se essentialiter ordinatam, sed immediatè habet pro suo substētatiuo, siue subiecto, substantiā; neque exindè, quòd illa substentetur, vel subiectetur in substantia immediatè, sequitur axioma illud Philosophicum, potentia, & actus sunt eiusdem generis, non verificari in potentia receptiua, seu passiua, quæ respicit essentialiter actum, quia (vt diximus) illa potentia, cum essentialiter nō sit actus, sed potentia, non habet aliam potentiam, à qua essentialitèr respiciatur, quæque ad illam essentialiter ordinetur.

Obijcies secundò. Si daretur aliquid potentiale in quolibet genere accidentis, in quo reciperetur accidens secundùm suam actualitatem, sequeretur, quodlibet accidens esse compositum ex potentia, & actu, sicut substantia est compositum ex materia, & forma. Hoc est falsum. Ergò &c. Sequela Maioris patet, quia, ex quo capite accidens reciperetur in illo potētiali, faceret aliquam compositionem cum illo, & ex quo capite illud potentiale esset eiusdem generis cum ipso accidente, tanquā potentia essentialiter ordinata ad ipsum, compositio inter illa esset faciens vnum per se: sicut ob eandem rationem, compositio, quæ est inter materiam, & formam facit vnum per se in genere substantiæ. Minor autem probatur. Quod se toto est actus, non potest esse compositum ex potentia, & actu intrinsecè. Sed accidentia sunt se totis actus. Ergò non sunt intrinsecè composita ex potentia, & actu. Maior patet, quia quod est actus se toto, est actus secundùm omnem sui partem, si habet partes, vel si eas non habet, est actus quolibet, quod est ipsum, aliàs non esset secundùm se totū actus. Minor verò probatur. Quod

se toto est principium agendi, se toto est actus, quia potentia passiua non est principium agendi; Sed accidens se toto est principiũ agendi, quælibet enim pars albedinis disgregat visum, & quælibet pars caloris calefacit, & agẽs qualibet parte actionis agit; Ridiculum enim esset imaginari, quòd agens agat vna parte actionis, & non alia, vel quòd calor vna parte calefactionis calefaciat, & non alia. Ergò &c.

Huic obiectioni respondet Sõcinn. loco supra cit. negando, ex illo potentiali, & actuali componi accidens intrinsecè: & ad probationem dicit, ex illa tantùm potentia, & actu in illa recepto fieri vnum per se, quæ est pura potentia, & nullo modo actus: sicut est materia prima, non autem ex illa, quæ ità est potentia, vt etiam simul sit actus, sicut contingit in præsenti, vt ex dictis patet.

Sed ista solutio nõ placet; Vnde contra illam sic argumentor. Illud potentiale accidentis, etsi in alio ordine sit actus, si v. g. comparetur in ordine ad substantiam, in qua recipitur, tamen in illo ordine, in quo consideratur, vt recipiens actualitatem accidẽtis, consideratur, vt pura potentia, nihil enim recipit actum, vt est actus, sed vt est potentia. Ergò poterit cum illa actualitate facere vnum per se; Ad constituendũ enim vnum per se non requiritur, quòd potentia recipiens actum sit in omni ordine potentia, & nullo modo actus, sed sufficit, quod in illo ordine, in quo recipit, sit potentia, vt patet in essentia, quæ licet in genere essentiæ sit actus, quia tamen in genere existendi est pura potentia, potest facere vnum per se cum existentia. Ergò &c.

Resp. ergò aliter ad argumentum, conced. Consequentiam, scilic. Accidens componi intrinsecè ex illo actuali, & ex sua potentialitate; & ad probationem in contrarium dicimus, accidẽs, etiamsi aliquid in illo sit potentiale, posse tamen secundùm se totum esse actiuum: Tùm quia illud potentiale est iam actuatũ per id, quod erat actuale in accidenti, ac per conseq. poterit agere, sicut suppositum integrũ agit, quia actiones sunt suppositorum; Nec impedit hanc eius actiuitatem potentialitas materiæ in supposito inclusa; Supponitur enim, vt iam in illo actuata per formam. Tùm etiam, quia illud potentiale receptiuum accidentis est etiam aliquo modo actus, & ideò potest agere. Tùm denique, quia falsum est, vniuersaliter loquendo, principium passiuum non posse agere, vt patet in potentijs vitalibus, & in ipso intellectu possibili, qui licet sit potentia passiua, agit tamen, cum intelligit obiectũ, vel dicit verbum: De quo videre poteris Nost. Compl. in lib. de An. disput. 18. quæst. 1. n. 14.

Si autem quæras, quid sit illud potentiale, quòd respicit, & recipit

pit actualitatem accidentis, & cũ illa; accidens ipsum componit intrinsecè? & vtrùm sit realiter ab actualitate accidentis distinctum? Resp. quòd etsi hoc indecisum, immò ne quæsitum quidem reliquerint Auctores, ne tamen maneat Intellectus suspensus, possumus hoc duplici via, & vtraque probabili, explicare. Primò, si dicamus, illud potentiale non esse realiter actualiter, sed virtualiter tantùm ab actuali distinctum. Hoc enim potentiale erunt ipsi gradus superiores, mediantibus quibus recipitur accidens in subiecto, qui gradus superiores sunt quid potentiale respectu inferiorum; Ratio enim qualitatis, vt sic, prius recipitur in substantia, quam ratio albedinis, eo proportionali modo, quo forma substantialis priùs recipitur in materia secundùm gradus vniuersaliores, v. g. priùs recipitur secundùm gradum corporis, quàm secundùm gradus viuentis, vel hominis, vt docent Nost. Cõplut. in lib. de Generat. disp. 2. Et in hoc sensu compositio, quam faciet hoc potentiale cum actuali, non erit realis, sed virtualis tantùm. Secundo modo potest hoc potentiale explicari dicendo, quòd sit aliquod accidens tenens se ex parte substantiæ, faciens illam proximè capacem accidentium, spectabitque ad genus illius accidentis, quod recipietur, v. g. si recipiatur albedo in substantia, illud accidens potentiale erit quædam dispositio de genere qualitatis, faciens substantiam proximè dealbabilem: Et si hũc sensum teneamus, actualitas accidentis faciet compositionem realem cum ipsa potentialitate. Hæc de prima difficultate.

§. 3. *Expeditur secunda in explicatione tituli quæstionis proposita difficultas, & principali quæsito respondetur.*

SEcunda difficultas, quam diximus in titulo quæstionis inuolui, est; An admissa potentia obiectiua, Aristot. distinguens ens in actum, & potentiam, intellexerit: Potentiam obiectiuam. Scotus enim affirmat hoc expressè, vt videre est apud ipsum in 2. distin. 16. quæst. 1. Quem sequuntur communiter Scotistæ.

Præcipuum fundamentum illorum est, positio potentiæ obiectiuæ; quia cùm omne ens, vel actu sit, vel saltim possit esse, ponendo Philosophus distinctionem entis in potentiam, & actum, hanc potentiam obiectiuam, ratione cuius ens, quod non est, potest esse, intellexisse videtur:

Hac tamen sententia admissa, etiam potentia obiectiua, non in eo tantùm sensu, in quo nos illam admisimus, sed, & in eo, in quo illam reiecimus, non potest sustineri: quia Philosophus talem potentiam intellexit distinguendo ens

in potentiam, & actum, cui semper correspondet actus, per quem illa potentia expletur, quia illi opposuit actum, tanquàm membrum contradistinctum ab ipsa, non quomodocunque, sed vt cõpletiuum ipsius; Sed potentiæ obiectiuæ non semper correspondet actus, nec semper completur per actum, sed quandoque per potentiam, si id, quod est in potentia obiectiua, non sit actus, sed potentia, vt de materia docent Nost. Complut. in Phys. disp. 3. quæst. 2. Ergo &c. Et à fortiori in sensu à nobis explicato, in quo admisimus dari potentiam obiectiuam, non potuit Philosophus, distinguendo ens in actum, & potentiã, intellexisse potentiam obiectiuam; In dicto enim sensu potentia obiectiua nihil reale est distinctũ à potentia actiua, & passiua. Ergo non potuit poni pro differentia diuisiua entis, quia ens diuiditur in ea, vel per ea, quæ sunt ens, non autem in nihil, vel per nihil. Sicut viuens non diuiditur in non viuentia, sed in viuentia.

Ex quibus omnibus colligere potes, quid ad principale quæsitũ tituli quæstionis dicendum sit, nùm scilicet Aristoteles diuiserit ens in actum, & potentiam, tanquam in diuersa realiter; Cùm enim, vt ex dictis constat, non intellexerit potentiam obiectiuam, planè sequitur, illum diuisisse ens in actum, & potentiam, tanquam in diuersa realiter: Quælibet enim potẽtia realiter à suo actu distinguitur, sola dumtaxat potentia obiectiua excepta. Vnde diuidendo ens in actum, & potentiam, vel intellexit per potentiam materiã primam, quæ sola est pura potentia, per actum verò omne aliud, quod non est materia, quia omne aut est actus, aut includit actum; Vel certè intellexit per potentiã omnia composita materialia includentia materiam, per actum verò formas subsistentes irreceptibiles in materia, vel tandem per actum intellexit ipsum actum purum, nihil habentem potentialitatis admixtum, Deum sc. Opt. Max. Potentiam verò cætera omnia entia, quæ Deus non sunt, quia omnia habent aliquam potentialitatem, vel physicam, vel metaphysicam, & si in hoc vltimo sensu eam posuit Philosophus, hæc distinctio coincidit cum illa, qua ens diuitur in Deum, & creaturas.

QVAESTIO III.

Vtrùm Diuisio Potentiæ in actiuam, & Passiuam sit adæquata.

HÆc dubitatio oritur tùm propter potentiam obiectiuam, tùm etiam propter potentiam resistitiuam, quas aliqui ponunt, esse potentias realiter ab actiua, & Passiua distinctas, ac ex consequenti negant, diuisionem potentiæ in actiuam, & Passiuam esse adæquatam; de sola tamen potentia resistitiua hic disputabitur, quia iam est circa potentiã obie-

obiectiuam in praecedenti quaest. difficultas sopita.

Dicendum est ergò primò, non dari aliquam potentiam resistitiuam, quae sit vera, & realis potentia ab actiua, & passiua distincta. Ita communitèr Philosophi, & praecipuè Soncin. 9. Metaph. quaest. 6. & Suarez in sua Metaph. disp. 43. sect. 1. Vbi vterq; hanc quaestionem ex professo tractant; qui tamen in modo explicandi hanc conclusionem differunt; Nam Soncin. ex eo deducit, potentiam resistitiuam non esse realiter distinctam ab actiua, & passiua, quia credit, omnem potentiam resistitiuam esse actiuam. E contra P. Suarez etsi cōcedat, aliquas potentias resistitiuas esse actiuas, Immò resistendo agere, & agendo resistere, non tamen hoc dicit esse vniuersaliter verum, quia multa non agendo resistunt: Vnde dicit ille, quod potentia resistitiua non ideò negatur esse distincta ab actiua, & passiua, quia cùm aliqua illarum identificetur, sed ideò, quia potiùs est quaedam impotentia, quàm potentia, nihil enim dicit aliud, quàm difficultatem aliquam in recipiendo effectum, qui ei ab agente contrario imprimitur.

Et certè, quāuis Soncinnas absolutè non dicat falsum, magis tamen placet opinio Suarij, quia explicat potentiam vniuersalitèr acceptam, quam Soncinnas non explicat. Etsi namq, opinio Soncinnatis confundens potentiam resistitiuam, & actiuam, in aliquibus resistitiuis vera sit, quia plurá sunt, quae resistendo agunt, vt patet in frigiditate, per quam aqua ita resistit actiuitati ignis, vt per eandem, vice versa, in ignem agat, tamen vniuersaliter non est vera: Multae enim sunt potentiae resistitiuae, quae actiuae non sunt, vt v. g. durities, densitas, & similes aliae, quae licet non agant, tamen resistunt, difficilius enim scinditur durum, quàm molle, difficiliusq; penetratur densum, quàm rarum, vt ad sensum patet, cùm tamen nihil omninò actiuitatis deprehendi possit; Quod vt fundamentaliùs intelligas.

Nota ex Nost. Complut. duplicem esse resistentiam, actiuam, & passiuam. Actiua resistentia consistit in actione, qua agens vnum agit, seù potiùs reagit in agens sibi contrarium, v. g. dùm ignis agit in aquam, introducendo in ipsam calorem, aqua, vice versa, reagit in ignem, debilitando per suam frigiditatem calorē ipsius. Passiua verò sita est in hoc, quod passum ratione dispositionis contrariae, siuè ineptae, ità elongatur ab effectu producendo, & receptione ipsius, vt difficultèr admodùm illum recipiat, sicut v. g. lapis aliquis magnae molis resistit conanti illum mouere, vnde non, nisi ab agente potente illam difficultatem vincere, moueri potest: Vnde haec resistentia dicitur passiua, quia consistit in difficili quadam capacitate ad formam recipiendam. Haec Nost. Complut. docent in lib. de Gen.

& Cor.

& Cor. disp. 8. quæst. 2. Quam doctrinam sumpserunt ex S. Tho. qui in multis locis hanc distinctionem potentiæ resistitiuæ ponit, præcipuè verò 4. senten. distin. 5. quæst. 1. art. 3. quæstiun. 3. ad 4. Vbi dicit, *Contrariũ, ex quo fit generatio, non impedit actionem agentis, nisi dupliciter. Vno modo debilitando virtutem agentis; quod etiam non est vniuersalitèr verum, sed in his, tantùm, in quibus est mutua actio, & passio. Alio modo, per se loquendo, elongando potentiam passiuam patientis per indispositionem à receptione effectus agentis*. Ex quibus verbis habes primò duplicem illam acceptionem potentiæ resistitiuæ à Complut. explicatam. Habes secundò, quomodo potentia resistitiua actiuè non sit potentia propriè resistitiua, quia S. Thom. dicit, explicando resistentiam passiuam, quòd illa sit resistentia per se loquendo; ac per consequens resistentia actiua non est per se, & propriè resistentia, sed aliquo modo tantùm; Quod potest tali discursu explicari, & confirmari. Etiamsi ignis v. g. non agat per calorem in aquam, tamen aqua potest agere per frigiditatem, vt patet, quia aqua putei frigefacit manum, etiamsi nulla sit actiuitas in ipsam ignis, immò hoc est verum, non solùm de alijs suppositis ab igne distinctis, sed etiam de ipso igne, cui dicitur aqua per frigiditatem resistere; Nã si ignis applicetur debitè aquæ frigidæ, ita vt sit intra sphæram actiuitatis ipsius, tunc etiamsi Deus suspenderet suum concursum, quo concurrit cum igne ad calefaciẽdum, & ex consequenti ignis nõ calefaceret, tamen aqua posset agere per frigiditatem in ignem, quia suppono, illam habere omnia requisita ad agendum. Ergò actio frigefactiua, qua agit in ignem, sub conceptu actionis, nõ est resistentia. Patet consequentia, quia resistentia est inseparabilis, etiam ratione, ab actione contrarij in resistens; cui enim resistitur, si nihil in contrarium agit? Cùm ergò frigefactio, quæ est actio aquæ in ignem, sit sine actione ignis per calorem, vt ostensũ est, planè sequitur, actionem frigefactiuam, quà talem, non esse resistitiuam. Dixi, quà talem, nam benè potest aliunde dici etiam resistitiua, in quantum est actio frigiditatis aquæ, ratione cuius resistit aqua calori ignis, vt statim explicabitur. Hoc pro nùnc ex allato discursu colligimus contra sententiam Soncinatis, quòd tantùm abest, vt potentia resistitiua identificetur sẽper cum potentia actiua, vt potiùs nulla potentia actiua, quà talis, sit similitèr resistitiua.

Iam ergò explicare oportet, in quo ratio potẽtiæ resistitiuæ formalissimè consistat.

Dico itaque, quòd, sicut resistentia actualis non consistit (quæ est actus potentiæ resistentiæ) in aliquo actu positiuo, sed potiùs in priuatione actus, ità potentia resistitiua non est vera potentia,

sed

Digitized by Google

sed potius est impotentia, vel incapacitas aliqua, consistens in quadam incompossibilitate consequente aliquam formam, aut dispositionem passi, propter quã, vel est absolutè incapax, vel saltem difficulter capax impressionis factæ ab agente habente formam. Patet autem, hanc incapacitatem, vel incompossibilitatẽ non posse esse potentiam realem, quia actus per se primò correspondens non est realis: iam autem potentia realis non datur, nisi habeat actum per se primò sibi correspondentem realem; Ideò enim secũdùm communem Philos. sententiam non datur potentia realis corruptiua, sicut datur potentia realis generatiua, quia corruptioni non correspondet terminus positiuus, sed priuatiuus tantùm, scilic: non esse formæ; Vnde cùm hæc incapacitas, siue incompossibilitas reperiatur non solùm in formis nihil actiuitatis habentibus, quales sunt durities, & densitas, sed etiam in ipsis formis actiuis v. g. in frigiditate, vel siccitate: non enim minùs est incompossibilis siccitas cum humiditate, aut calor cum frigore, quàm durities cũ scissione, aut densitas cum penetratione, Indè est, quòd vniuersaliùs explicuit Suarez rationem potentiæ resistitiuæ, quæ non est potentia realis ab actiua, & passiua distincta realiter, per istam incapacitatem, vel incompossibilitatẽ, quàm Soncinnas confundendo potentiã resistitiuam cum actiua, hoc enim eius dictum, vel absolutè non currit, etiam in resistentibus actiuè, vt iam explicatum est, vel saltim, etsi possit in istis tolerari, tamen in resistentibus passiuè nullatenùs sustineri potest.

Aduertendum tamen est, quòd si non ita pressè, & scrupulose loquamur, possit sustineri opinio Soncin. & ostendi, quomodo omnis potentia resistitiua abiectiua non distinguatur. Nam in primis in resistitiuis actiuè, potest etiam illa actio, licet non formaliter, qua actio reduplicatiuè, sed specificatiuè tantùm vocari resistentia: siquidem non tantùm absolutè agit in passum, sed etiã agendo reprimit, & extenuat vires agentis contrarij per suam reactionem, ac per consequens resistit. Et hoc enim resistere dicitur, quod actionem contrarij debilitat, & retundit, sicut in materiali exemplo videre licet, nam impugnanti se non ille tantùm resistere dicitur, qui passiuè se habendo, opposito scuto reparat ictus, Verùm & ille, qui eosdem reprimit, & retundit, etiã cum læsione se impugnantis: vnde etiam ipsa potentia actiua tali actioni correspondens erit potentia resistitiua. Similiter in resistentia passiua est quidam actiuitatis modus, primò ex eo, quia forma, seu qualitas resistens passiuè, dimanat ab essentia, quam consequitur, quæ dimanatio, etsi non sit vera actio, vt docet S. Thom. pluribus locis, & ex eo deducunt hoc fieri, solidissimisque

rationibus confirmant nost. Cō-plut. in Physs. disp.10. qu.3. §.3. 4. 5., tamen negari non potest, eam aliquid actiuitatis habere, & ratione eius essentiam, à qua dimanat, ad genus causæ efficiētis spectare, vt ex doctrina Complutens., quam ibidem habent, constare potest, ac ex consequēti etiam in resistentia passiua habebit aliquem actiuitatis modum, non quidem ipsi formæ resistenti, vt quo, sed supposito resistenti, quod, cōpetentem. Secundò, vt ex eo potest hæc actiuitas etiam formis resistentibus passiuè attribui, quia quantumlibet passiuè resistant, semper tamèn aliquem in ipsis reactionis modum inuenimus; Graue enim v.g. ita passiuè resistit mouenti se, vt impellendo, seu tendendo versùs contrarium locum, reagat in illum, debilitetque vires eius; quod etiā ipsa experientia discimus; videmus enim, fatigari, ac debilitari, qui graue aliquod onus portant, vel loco mouent, & quò diutiùs hoc fecerint, eò magis lassantur: Quæ tamen lassitudo, vel debilitas sine aliquo reactionis modo intelligi non potest. Similitèr durities etiam aliquo modo reagit, dùm scissionem impedit; vnde eadem experientia duce, videmus ferra præacuta eò magis hebetari, ac in suo acumine obtūdi, quò duriora secant; Sicque etiam de alijs qualitatibus passiuè resistentibns philosophari licet: Vnde si Soncinas non sumpsit propriè, & rigorosè potentiam actiuam, potest eius sententia modo à nobis explicato sustineri.

Atque hinc colliges, non ita propriè locutos fuisse nost. Complut. lib. de Gener. & Corr. disp. 8. qu.3. Quando reactionem, qua passum habens qualitatem actiuā reagit in agens contrarium, vocauerunt resistentiam actiuam, illa enim reactio, non potest dici resistentia actiua, nisi fortè abusiue, propter rationem superiùs adductam. Sed

INQVIRES prò completa huius difficultatis decisione: Vnde hoc proueniat, quod aliquæ qualitates sint magis actiuæ, & aliæ magis resistitiuæ, vt v.g. calor est magis actiuus, siccitas autem est magis resistitiua? Similiter frigiditas actiua magis, humiditas autem magis resistitiua?

Resp., in sententia Soncin. hanc difficultatem facilè expediri: Dicit enim Sonc., & optimè, nō repugnare, eundē numero actum esse se ipso perfectiorē, & imperfectiorem, seu dici de se secundū magis, & minus, si diuersimodè accipiatur: Nam in primis eodē actu potest intelligi principium, & conclusio, est tamen idem actus, vt terminatus ad principiū, perfectior seipso, vt terminatur ad conclusionem. Similiter eodē actu fertur voluntas in finem, & in media, & tamèn magis amat media, quàm finem; illa enim propter hunc amantur. Tandèm hoc etiam in ipsis potentijs inuenitur; nam Intellectus, & memo-

moria, vt docent nost. Complut. in lib. de An., sunt vna res, & tamèn dignior est intellectus memoria; & idem mille alijs exemplis ostendi potest. Similitèr ergò in præsenti dicit Soncin. quòd licet ipsa actio esset resistentia, tamèn potest aliqua qualitas ex intimis suæ naturæ esse magis actiua, quàm resistitiua, & è contrà.

Secundò, & meliùs iuxta nostra principia, dicimus, hoc prouenire ex modo vnionis; quia scilicet vna forma, vel qualitas firmiùs, & meliùs vnitur subiecto, quàm alia, & ideò est magis resistitiua. Notantèr autem dixi, hūc excessum, quo se in qualitatibus mutuò excedunt agere, & resistere, refundi in modum vnionis, ne fortè cuipiam subrepat, me intelligere per hanc firmiorem, & meliorem vnionem intensionem qualitatis, quasi in qualitate minùs resistitiua, & magis actiua sint plures gradus virtuales resistentiæ, & pauciores actiuitatis, & è contrà, in qualitate magis resistitiua, & minus actiua: Hoc enim nec somniari, nec sustineri in recta Philosophia potest, quia si v.g. calor ignis ideò est magis actiuus, quàm resistitiuus, quia est actiuus, vt octo, & resistitiuus, vt 6., tunc si decrescerent æqualiter in calore actiuitas, & resistentia, quando actiuitas caloris perueneriṫ ad gradum, vt duo, iam eius resistentia totalitèr periret, & sic daretur calor, qui nō esset resistitiuus frigiditati; quod est falso falsius. Simileque argumentum fieri potest de siccitate, quæ est magis resistitiua, quàm actiua, sempèr tamen sub intensione, quantumuis minima, est simul resistitiua, & actiua. Non ergo hic excessus in resistentia, & actiuitate prouenit ex intensione qualitatum, sed, vt dixi, ex modo vnionis, quia sc. vna qualitas ex suis intrinsecis petit vniri firmiùs, quàm alia, ideòque ratione istius firmitatis difficiliùs erit mobilis, tardiùsque recipiet impressionem agentis contrarij, ideòque magis resistet.

Cùr autem, & quomodo aliquibus qualitatibus hæc firmior vnio conueniat, quàm alijs, ex natura vniuscuiusque qualitatis petendum est. Cum ergò circa omnes, & singulas hic ob breuitatem discurrere non liceat, dabo exemplum in calore, & siccitate, vt, proportione seruata, vnusquisque de alijs possit ferre iudicium. Siccitas enim, quæ est magis qualitas resistitiua, quàm actiua, habet hoc, vt constringat, consolidet, & condenset partes corporis, vt ad sensum patet; Terra enim v.g. quò siccior, eò est densior, & solidior, ideòque est magis resistitiua, quia corpus quò magis condensatas, consolidatasq; partes habet, eò difficiliùs admittit impressionem agentis contrarij, atq; adeò resistit magis: E contra, calor, quantùm est ex vi sua, non est condensatiuus, nisi fortè ratione siccitatis secum inuentæ, sed ratione vigorositatis

subtilizat, vt sic dicam, potiùs, quàm condensat; Vnde corpora candiora subtiliora sunt, & leuiora, vt in aqua patet, quæ grauior est, cùm frigida, leuior, cum calida est. Inde est, quòd calor agit magis ratione subtilitatis, & agilitatis, quia magis est penetratiuus, resistit verò minùs, quia faciliùs, vtpo è subtilis, ab impressione contrarij agentis penetrari potest. Ex quibus omnibus inferendũ, &c.

Dicendum est 2., adæquatam esse diuisionem potentiæ in Actiuam, & Passiuam. Prob: primò. Nõ datur potentia obiectiua realis ab actiua, & passiua distincta, vt vidimus quæst. præcedenti, neq; resistitiua, vt probatum est modo; neque tandèm aliqua alia potentia realis est ab aliquo hucusque adinuenta, & nulla est alia potentia realis, nisi actiua, & Passiua; ac per consequens hæc diuisio erit adæquata.

Prob. 2. Potentia, vt sic, est quidam actus primus, dicens habitudinem ad actum secundum; Sed actus secundus proximus, & immediatus alicuius potentiæ, vel est actio, vel passio. Ergo, & potentia non nisi actiua, & passiua. Maior patet. Minor prob. quia duplex tantùm habitudo ad potentiam intelligi potest, scilic. vel vt ad principium, à quo, quod cõstituit actionem; vel vt ad principium, in quo, seù ex quo fit, in quo passio consistit. Ergo &c.



QVAESTIO IV.

Vtrùm subdiuisio Potentiæ Passiuæ in Naturalem, Violentam, & Obedientialem sit sufficiens.

PRo tituli intelligentia, supponendam est primò, quòd cum omnis potentia dicatur per comparationem ad aliquem actum, inde est, quòd potentia naturalis, prout in præsenti sumitur, dicatur per ordinem ad actum, quem connaturaliter respicit, vt conuenientem sibi; cuius oppositum constituit potentiam violentam; illa enim est ad actum impressum sibi contra naturalem impetum, seù inclinationem. Potentia verò obedientialis est, quæ respicit actum, non quidèm naturalem, quia non est ipsi ab agente naturali, saltem principalitèr, communicabilis, neque etiam violentum, quia non est contra ipsius inclinationem, sed respicit actum supernaturalem. Exemplum primæ potentiæ est vbicatio sursum respectu leuis, & deorsùm respectu grauis. Exemplum verò secundæ est vbicatio deorsum respectu leuis, & sursùm respectu grauis. Tertiæ verò Gratia, & omnes effectus supernaturales.

Supponendum est secundò, potentiam obiedientialem, & violentam esse potentias passiuas tantum, ita vt nunquàm eis, formaliter vt talibus, ratio potentiæ acti-

actiuæ possit conuenire. In primis enim potentia obedientialis non potest esse proximè actiua, quia cum potentia obedientialis sit respectu effectuum supernaturalium, si daretur potentia obedientialis proximè actiua, contineret effectus supernaturales actiuè, ac per consequens deberet participare aliquid omnipotentiæ Dei: quod est impossibile, vt docet S. Tho. 2. quæst: 178. art. 1. ad 1. Vnde meritò nost. Complut. in Phys. disp. 12. quæst. 1. §. 5. reprehendunt Franciscum Suarez, qui talem potentiam obedientialem, quæ sit proximè actiua, primus admisit, & defendit, de quo (loco cit:) videri possunt. Vbi etiam explicant, quomodo possit potentia obedientialis admitti, quæ licet non proximè, remotè tamèn, & radicalitèr actiua esse potest. Similiter potentia violenta semper est passiua, nulla enim actio potest esse violenta agenti; Nā si virtute naturali agat actio, illa est naturalis, quia est virtuti naturali conformis; Si autem agat virtute supernaturali, actio non erit contra inclinationem naturæ, sed supra illam: Vnde respectu agentis nulla actio potest esse violenta, quia nulla est contra naturæ ipsius inclinationem: Quòd autem aliqua actio sit violenta passo, hoc non facit, vt sit etiam violenta agenti, à quo elicitur, vt ex se patet. Vnde potentia obedientialis, & violenta solam potentiam passiuam diuidūt, quia (vt modo diximus) vtraq; actiua esse non potest. Potentia autem naturalis, quamuis possit indifferenter dici de potētia actiua, & passiua, quia potentiæ naturales possunt esse, & actiuæ, vt patet in calore, frigiditate, &c, & passiuæ, vt patet in materia prima, quantitate, &c: hìc tamen sumitur paulò pressius, prout soli potentiæ passiuæ competit, in quantùm scilicet recipit actum, quem connaturalitèr respicit, in quemq; cōd naturalitèr inclinatur. De hac ergo potentia naturali quærimus, vtrùm simul cum violenta, & obedientiali diuidant adæquatè potentiam passiuam, vt sic?

§. 1. *Refertur opinio Scoti, & sequacium eius.*

Scotus ergò in Prologo 1. sent. quæst. 1. & in 2. distin. 2. quæst. 6. tenet, diuisionem potētiæ passiuæ in Naturalem, Obedientialem, & Violentam non tantùm inadæquatam, sed etiam superfluam esse. Quòd sit inadæquata, probat Scotus ex eo, quia credit, dari quandam potentiam neutram, quæ est respectu actus, in quem non inclinatur, neque in oppositum ipsius, seù respectu actus, qui neque est iuxta, neque contra dictæ potentiæ inclinationem; Vnde etiam vocatur neutra, quasi neque naturalis, vtpotè non respiciens actum, in quem inclinetur naturalitèr; neque violenta, quia actus non est dissonus ipsi. Probatque Scotus pluribus

Instantijs, dari hanc potentiam neutram.

In primis enim superficies neque respicit naturaliter albedinē, neque nigredinem, sed neutralitèr se habet ad vtramque; Non quidem (vt adnotauit Faber Fauentinus, quæst. 1. procem. distin. 1.) secundùm rationem cōmunem coloris, sed secundum specificas rationes ipsorum. Similiter Angelus dicit hanc potentiam neutram ad essendum in loco, quia indifferenter potest esse in hoc, vel in illo: Et ratio vtriusque exempli est, quia si superficies inclinaretur naturalitèr ad determinatum colorem, vel Angelus ad determinatum locum, tunc superficies, quando esset sub alio colore, vel Angelus existens in alio loco, essent in statu violento, quia essent in statu naturali inclinationi repugnanti. Tertiū exemplum adducit Scotus huius potentiæ neutræ in Cælo respectu motus circularis, ad quem Cælū non dicit inclinationem naturalitèr; Si enim hanc diceret, tenderet per illum ad quietem naturalitèr, vt arguit Auicenna 9. Metaph. Omnis enim motus naturalis terminatur ad quietem naturaliter: Falsum autem est, cælum ad quietem tendere naturaliter, quia aliàs, si eam non assequeretur, violentaretur; cùm tamen si Deus vellet, mundum cum generationibus, & corruptionibus durare in æternum, motus cæli nunquam cessaret, & tamen quis dicet, quod tunc cælum violentèr moueretur? aliàs enim in æternum, etiam supposita voluntate Dei de æternitate generationum, & corruptionum, durare nō posset, quia nullum violentum est perpetuum.

Confirmaturque hæc opinio Scoti ex P. Suarez, qui illi subscribit in sua Metaph. d. 43. §. 4. n. 13. Nam ignis est in potentia neutra, vt in suo naturali loco vel circularitèr moueatur, vel quiescat; quia forma ignis ad neutrum horum dicit inclinationem, vel repugnantiam, sed solùm inclinatur naturalitèr ad existendum in suo loco, & hoc est quasi obiectum primariò ipsius inclinationis; modus autem existendi cum motu, vel sine illo, accidentarius est, & non est propriè actus per se contentus sub primario obiecto, sed conditio concomitans, & accidentaria. Similiter aer est in potentia neutra ad lumen, quia forma aeris non dicit naturalem inclinationem ad illud, etiamsi ei non repugnet. Hæc pro 1. p. assertionis Scoti, quòd scilicet diuisio potētiæ passiuæ in naturalem, violentam, & obedientialem non sit adæquata.

Quòd autem ex alia parte sit superflua, probatur ex Scoto loco cit. prol., quia potentia obedientialis non constituit distinctā potentiam realem à naturali (tenet enim Scotus, & communitèr Scotistæ, potentiam obedientialem esse naturalem) quod etiam probant. Potētia receptiua actus supernaturalis seipsa, ac sine aliquo

quo medio est receptiua illius, vt patet in Anima respectu gratiæ habitualis,& Intellectu respectu luminis gloriæ, hæc enim recipiuntur in illis sine aliquo medio. Ergò non datur potentia obedientialis distincta à naturali. Patet consequ. quia, si hæc daretur, deberet mediante illa recipi actus supernaturalis in potentia naturali; Cùm ergò non recipiatur, vt vidimus, in Anima, & in Intellectu, quæ sunt potentiæ naturales, & tamen sine medio recipiunt gratiam, & lumen gloriæ, qui sunt actus supernaturales,nulla dabitur potentia obedientialis supernaturalis distincta à naturali.

Confirmatur. Potentia, quæ naturaliter inclinatur in aliquem actum, est potentia naturalis;Sed homo, v. g. naturalitèr inclinatur in actus supernaturales. Ergò est in potentia naturaliter ad illos. Maior, & consequentia patent. Minor verò probatur. Homo naturalitar inclinatur in beatitudinem supernaturalem consistẽtem in visione clara Dei, quia, cùm beatitudo sit maxima perfectio hominis, maximè,ac per cõsequens naturalitèr inclinabitur in ipsam.Ergò & in cæteros actus supernaturales inclinabitur naturalitèr; isti enim ordinantur ad beatitudinem,tanquam ad actum principalem principaliterque potentiam perficientem.

Si autem ex Scoto, & Scotistis (qui communitèr Scotum sequũtur) quæras, quomodo illa potẽtia obedientialis possit esse naturalis? quandoquidem est respectu actuum supernaturalium.

Respondent ipsi, quod potentia potest dupliciter comparari, vel ad actum imprimendum, vel ad agens impressiuum actus. Si secundo modo sumatur, potest habere differentiam naturalitatis, vel supernaturalitatis; erit enim naturalis, si agens erit naturale, supernaturalis verò, si erit supernaturale. Si autem primo modo sumatur, nunquam poterit esse supernaturalis, sed semper erit naturalis, quoties, vel actus non repugnabit ipsi, vel ipsa non se habebit indifferẽtèr ad illum. Vndè secundùm Scotum, & Scotistas hæc est adæquata, & optima diuisio potentiæ passiuæ, qua diuiditur in Naturalem,Violentam, & Neutram; non autem illa à nobis in titulo quæst. proposita, quæ, exclusa potentia neutra,naturali, & violentæ adnumerat potentiam obedientialem.

§. 2. *Ostenditur contra Scotum, nullam dari potentiam neutram.*

HÆc opinio Scoti duplicem inuoluit difficultatem, quã in præsenti expedire debemus, vt ostendamus bonam, & adæquatam esse diuisionem potẽtiæ passiuæ in Naturalem, Violentam,& Obedientialem.

Prima difficultas est circa potentiam neutram; An sc. detur, quam

Digitized by Google

quam si non dari ostenderimus, facile euincemus, diuisionem potentiæ passiuæ, in titulo assignatam, esse adæquatam. Secunda est circa potentiam Obedientialem; An sc. illa sit eadem cum potentia naturali; Si enim non esse eandem probauerimus, constabit, illam diuisionem potentiæ passiuæ esse optimam, vtpotè nec superfluam, nec diminutam.

A prima itaque difficultate incipiendo, pro eius decisione. Supponendum est primò cum Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 3. q. 1. dupliciter nos posse imaginari potentiam neutram, primò per negationem potentialitatis, vt sc. illa sit potentia neutra, quæ neq; ad hunc, neq; ad oppositum actũ dicit potentialitatem, v. g. potentia visiua comparata ad sonum acutũ, & grauem posset hoc modo dici potentia neutra, quia ad neutrum istorum actuum est in potentia. Et si hoc modo sumatur potiùs dicenda est potentia nulla, quam potentia neutra, quia ad nullum istorum actuum potẽtia visiua dicit potentialitatem. Vndè respectu illorum potiùs est impotentia, quàm potentia. Alio modo potest dici potentia neutra respectu aliquorum actuum propter negationem inclinationis respectu illorum, quia nimirùm licet sit indifferentèr receptiua vtriusque, ad nullum tamen illorum dicit inclinationem. Et hoc modo sumit Scotus potentiam neutram, exemplificatque in superficie respectu albi, & nigri, alijsque supra relatis exemplis.

Supponendum est secundò, dupliciter posse potentias inclinari in suos actus, vel per se primò, vel per se secundò: Cum enim potẽtia definiatur per actum, tanquàm per id, ad quod est naturaliter ordinata, debet assignari cuilibet potentiæ aliquis actus, quem per se primò, seù naturaliter respiciat, tanquàm terminum suæ essentialis habitudinis, per quem eius natura explicatur, reliquos autem actus, qui sunt connexi cũ actu per se primò inspecto respicit per se secundo: Vtrumque in materia cernere licet; Materia enim, secundùm se, & absolutè sumpta, respicit formam, seù actũ substantialem, vt sic, seù absolutè per se primò, talem verò, vel talem actum, v. g. formam ignis, vel hominis respicit per se secundò. Dixi materia secundum se, & absolutè sumpta; Nam si materia accipiatur, vt est sub certis dispositionibus, tunc iam, formaliter vt sic disposita, respicit actũ determinatum per se primò, illũ scil. ad quem recipiendum intelligitur esse per dictas dispositiones determinata.

Supponendum est tertiò, quòd cùm natura instituerit potentias non solùm propter actus per se primò inspectos, sed etiam propter actus inspectos per se secundò, quia non solùm per illos, verùm etiam per istos potentiæ actuantur, immò impossibile est, potentias actuari per primos, quin actuentur per secũdos; Actus

enim

enim per se primò inspecti sunt actus secundùm rationem vniuersaliorem, secundum quam specificant potentias; iam autem impossibile est, quòd potentia recipiat actum, vt sic, nisi in quantum recipit illum contractum in aliqua specie, immò in aliquo indiuiduo, vt patet in superficie, quæ respicit colorem, vt sic, non tamen recipit colorem, vt sic, nisi recipiendo album, vel nigrum; Inde est, quòd vtrosque actus, nimirùm tàm per se primò, quàm per se secundò inspectos respiciat potentia naturalis, naturaliterque inclinetur in ipsis, vtpotè in eos, ad quos est à natura ordinata, iuxtà illud Aristot. axioma ex 2. Philos. text. 78. *Vnumquoq; sicut agitur, ità aptum, & natum est agi.*

Supponẽdum est quartò, quod, quando agimus de potentia neutra, an detur, non loquimur de artificialibus, nam in his potest dicta potentia neutra admitti, lignum enim v. g. non dicit aliquã inclinationẽ, vt ex illo fiat Crux, vel scamnum, sed idifferenter se habet ad vtrumque, sicut & ad cætera artefacta. Quærimus ergò, an potentia neutra inueniatur in rēbus naturalibus, sicut in illis inuenitur potentia naturalis, & violenta. Per quod etiam excluduntur Mathematica, quæ sub sua abstractione in rerum natura non inueniuntur. His ergò suppositis.

Dicendum est, nullam dari in rerum natura potentiam neutrã, ac per consequens diuisio potentiæ passiuæ in naturalem, violentam, & obedientialem esse adæquatam. Hanc Conclusionem defendunt communiter Thomistæ contra Scotũ, Caietan. in Opusc. tom. 3. tract. 3. q. 1. & 1. p. q. 1. ar. 1. Nazarius 1. p. q. 1. ar. 1. controu. 2. & alij plures.

Probat. conclus. ratione Caietani. Omnis potentia (loquimur autem de potentijs in ordine ad actus, qui non sunt supernaturales) receptiua alicuius actus, aut respicit illum per se primò, aut per se secundò, aut tandem, vt contrarium actui per se primò, vel per se secundò inspecto. Sed tàm actum per se primò, quàm per se secundò inspectum respicit naturalitèr, contrarium verò respicit violentèr; Ergò omnis potentia (loquẽdo de naturalibus) aut erit naturalis, aut violẽta, quibus si addideris potentiã obediẽtialẽ respectu actuum supernaturalium, de qua mox dicemus, adæquata erit diuisio potentiæ passiuæ in naturalem, violentam, & obedientialem. Minor ex notationibus patet; Maior autem probatur. Si daretur aliquis alius actus receptibilis, quemq; potentia passiua respiceret, præter enumeratos esset, vel maximè, actus disparatus, qui est alterius generis à potentia, & ab actu per se primò; omnes siquidem actus ad genus actus per se primò inspecti spectãtes, respiciuntur per se secũdò, vtpotè cum actu per se primò inspecto cõnexi. Sed actum disparatum, qui

scil.

Digitized by Google

scil: est alterius generis à potentia, nullo modo respicit potentia, v. g. colorabile non respicit sonum: actus enim, & potentia debent aliquo modo ad idem genus spectare, vt ex supra dictis, patet. Ergo &c.

Huic argumento Resp. Ioannes Rada, negando illã proposit: minorem, quod scil. potentia respiciens aliquem actum per se primò, vel per se secundò respiciat illum naturalitèr, ac per cõsequens comparatiuè ad ipsum sit naturalis: dicit enim ille, etiam potentiam neutram, respicere aliquem actum per se primò, illum scil. à quo specificatur, neque tamen potentia neutra est potentia naturalis, aut naturalitèr inclinatur in actum per se primò inspectum, & consequenter, multò minùs potentia respectu actus per se secundò inspecti erit naturalis.

Sed hanc eius solutionem optimè impugnat Nazarius: Nam respicere aliquid per se primò, idẽ valet, ac respicere secundùm, quod ipsum; Respicere verò secundùm quòd ipsum, idem est, ac respicere secundùm suam ipsius naturam. Sed quod respicitur secũdùm naturam respicientis, respicitur naturalitèr. Ergo potentia, quod respicit secundùm suam naturam, respicit naturaliter. Tunc subsumo: Sed quod respicit per se primò respicit secundùm suam naturam. Ergo respicit naturalitèr; ac per consequens erit potentia naturalis respectu ipsius; Falsumque erit, quod dicit Rada, potentiam neutram respicere aliquem actum per se primò, nec tamen esse potentiam naturalem respectu illius. Ex quo possumus sumere efficax argumentum ad destruendam istam potentiam neutram: Nam omnis potentia vera, & nõ fictitia debet respicere aliquẽ actum per se primò, quia ab actu specificatur. Sed potentia neutra non respicit per se primò aliquem actũ, aliàs esset naturalis, non autem neutra, vt ex modo dictis patet. Ergò potentia neutra ista, quam defendunt Scotistæ, est fictitia.

Secundò potest respond. ad argumentũ Caietani ex doctrina P. Suarez, quam habet disp. 48. Metaph. sect. 4. n. 14. Distinguit enim ille ibidem duplicem potentiam; Aliam, quæ dicit esse per se institutam, & ordinatam ad actum: Aliam verò, quæ nullum dicit ordinem ad actum, sed tantùm capacitatem, seu aptitudinem ad talẽ actum, naturam suam consequentem: Additq; prioris generis potentias, siue respectu primarij, siue respectu secundarij actus, esse naturales; secus dicit contingere in potẽtijs secundi generis; vnde vocat illas Neutras. Adducitque exẽpla, quibus probat, dari dictas potentias secundi generis. Primũ exemplum est superficiei, quæ, secundùm quòd talis, non inclinatur in colorem, neque in aliquam speciem ipsius; Vnde in superficie cæli, & aliorum simpliciũ non inuenitur color, sed tantùm superficies dicit capacitatem coloris, quia non repugnat, illam esse co-

lora-

Digitized by Google

loratam, vt patet in superficiebus mixtorum. Similitèr quantitas est in potentia neutra ad figuras diuersas, quia non inclinatur naturalitèr ad illas, quamuis sit capax illarum: Idemque dicit inueniri in materia prima respectu accidétium, quantùm est ex parte materiæ, & in materia artefactorum respectu formarum inducendarũ per artem.

Hanc solutionem Suarij, quæ multum apparentiæ habet, mirabar, quando vidi à nemine Auctorum, quos legeram, fuisse impugnatam. Credo, ideò, quia DD. hanc quæstionem in proœmialibus Theologiæ communiter tractantes, Suarij metaph., vbi illam tractat, non adferunt; quam tamen, ego in metaph. tracto, quia purè est Philosophica, vt consideranti patebit. Scotus enim non respectu actuum supernaturalium, sed respectu naturalium posuit potentiam neutrã, vt ex exemplis pro illa firmanda à Scoto adductis constat.

Arguitur ergo contra solutionem Suarij. Omnis vera, & non fictitia potentia dicit ordinem naturalem ad actum. Ergo illa potentia, quam Suarez posuit, tantùm dicere capacitatem ad actum, & non inclinationem, seu ordinem, est fictitia. Patet consequ. & prob. anteced. Omnis potentia vera, & realis est verè, & realiter perfectibilis per suum actum, quia potentia dicit carentiam perfectionis eius, quã habitura est ab actu, vt supra ex Comment. diximus qu. 3. huius disput. Sed perfectibile inclinatur naturaliter ad suum perfectiuum. Ergò omnis potentia inclinatur ad suum actum.

Cõfirmatur. Nàm secundùm ipsum Suarez, illa potentia dicit capacitatem ad actum: quæro ergò? an ille actus sit contrarius actui per se primò ab illa potentia inspecto, an non? Et iterùm: an sit supernaturalis, an non? Si dixerit esse contrarium. Ergò illa potentia respectu eius erit violenta, non verò neutra. Sicut etiam, si dicat, illum esse supernaturalem, tunc potentia capax illius, non erit neutra, sed obedientialis. Si autem dixerit, actũ illum, nec esse contrarium actui primariò illius potentiæ, nec supernaturalem; iterùm quæro? an sit eiusdem generis cum primario, & an consequatur ipsum: si dixerit, quòd sic, inclinabitur potentia in illum, saltèm per se secundò: sic enim in omnes actus connexos, cum actu per se primo inspecto inclinatur: Si autem dixerit, quòd non; tùnc potentia respectu illiusnõ erit neutra, sed nulla, vt ex supra dictis patet, ac per consequens hæc potentia, non respiciens actum fictitia est, gratisque, ac sine fundamento à Suario inuenta.

Neque illa exempla iuuant Suario, quæ ipse ad firmandam hanc suam potentiam adinuenit. Negamus quidem primum. Nã, vel Suarez, ibi loquitur de superficie abstractè sumpta, secundùm

quòd sc. abstrahit à superficie simplicium, & mixtorum, & si de hac loquitur (vt videtur loqui) discurrit extra propositum: Nam, vt ex suppositionibus constat, nos hic non loquimur de rebus mathematicè consideratis; Superficies autem sic abstracta est superficies mathematicè, non tantùm à colorabili, sed etiam à sensibili abstrahens, secundùm conditionem mathematicorum, quæ à materia singulari, & sensibili abstrahunt. Si verò loquatur de superficie determinata; quærimus, de qua? An de superficie simplicium, quæ ille ibi pro exẽplo adducit; Et si de hac loquatur, illa non neutram, sed nullã dicunt potentiam ad colores, quia formaliter, qua talibus, repugnat esse coloris. An verò de superficie mixtorum? tunc de hac dicimus, quòd inclinatur in colorem naturalitèr, in colorem quidèm, vt sic, per se primò, in colorem verò talem, vel talem, v. g. album, vel nigrum, per se secundò.

Similitèr respondetur ad secũdum exemplum, quòd quantitati physicè, & realiter (quidquid sit de illa, mathematicè considerata) semper debet aliqua figura competere: Quantitas enim, naturaliter existens, semper est extensa in ordine ad locum, quia hic est effectus secundarius ipsius inseparabilis ab illa, nisi fortè miraculosè, sicut separatur in SS. altaris Sacramento: extensio autem in ordine ad locum semper petit aliquam figuram, vnde quãtitas, vt physice existens, præcisoque miraculo, (quæ semper præscindunt Philosophi, quotiès de naturis rerum loquuntur, sicut & alia omnia euenientia per accidens,) semper erit sub aliqua figura, inclinabiturque ad figurã, vt sic per se primò, ad talem verò v.g. triangulum, vel cylindrũ, vel iloschelem, vel aliam similẽ, per se secundò; proportionaliter ad ea, quæ de superficie respectu colorum diximus.

Tertium autem exemplum nõ indiget responsione, quia materia prima non est receptiua potentia accidentium, sed totum compositum, vt ex ijs, quæ docent Nost. Complut. in Phys. disput. 3. & in lib. de Generat. & Corrupt. d. 2. & 3. constat.

Similitèr, & quartum; est enim extra propositum, vt ex suppositionibus constat.

Ex quibus facilè iam soluuntur illa exempla, quæ Scotus in fauorem suæ sententiæ adduxit. Nam in primis de superficie constat ex modo dictis, quomodo inclinatur in albedinem, & nigredinem naturaliter, non quidem per se primò, sed per se secundò. Ex quo non sequitur, superficiem esse violentèr sub nigredine, si est naturalitèr inclinata in albedinẽ, quia in vtramq; inclinatur: non enim inclinatur in illas, vt sunt cõtrariæ, sed vt conueniunt in ratione coloris vt sic, quæ est ratio ab illa per se primò inspecta. Illud autem de Angelis non est ad propo-

positum in nostra sentētia, secundùm quam Angelos non dicit potentiam passiuam ad essendum in loco, est enim in loco actiuè per suam operationem, vt docēt nost. Salmat. tom. 2. tract. 7. disp. 2. dub. 3. Ad illud autem exemplum de Cœlo, respondeo cū distinctione, quòd scil. motus cæli ex parte principij actiui est animalis, ex parte verò principij passiui est naturalis. Et hæc naturalitas motus cæli assignatur pro causa à Philos. quòd in eo nullus est labor mouenti, vt patet ex 2. lib. de Cælo tex. 3. Nec tamen sequitur, Cælum naturaliter tendere ad quietem, quia illa propositio. Omnis motus naturaliter terminatur ad quietem naturalem, vera est de motu, qui est tantum naturalis, non autem de motu, qui est naturalis, & animalis simul, sicut est motus cæli.

Ad ea quoq; quæ Suarez adducit ad comprobandam sententiā Scoti resp. Ad primum de igne dicimus, ipsum ad quietē in propria Sphæra inclinari naturalitèr; In illud enim vnaquæq; ratio inclinatur naturaliter, quod est conforme naturæ ipsius: quies autem in suo centro est conformis naturis elementorum; Nam elementa, secundùm hunc naturæ statum, quem modo habent, appetunt quietem in proprijs centris: Ideò enim ad sua centra, ruptis (quæ possunt rumpere) obstaculis, indefessa mouentur, vt in eis quiescāt; Vnde ignis secundùm hanc conditionem naturæ, quam habet per creationem, inclinatur ad quietē in suo centro naturalitèr, ac per consequens motus circularis esset illi violentus: Cuius optimum signum est, quia quando ad raptum cælorum ignis mouetur secūdùm aliquas suas partes, ille motus est violentus igni, quia est totalitèr ab extrinseco passo non conferente vim: Vnde etiā, sicut omne violentum, ita, & ille motus, ipsæquè partes ignis mobiles per ipsum non sunt durabiles; proiectæ enim impetu cælorum in hæc inferiora, dilabuntur, ac corrumpuntur.

Similitèr ad aliud exemplum de aere dicimus primò, quod si sequamur sententiam Caietani 1. p. q. 67. a. 3. & aliquorum ex Thomistis tenentium, lucem non esse qualitatem purè naturalem, sed ob suam eminentiam simul habere esse naturale, & intentionale, facilè obiectioni Suarij resp. dicendo, hoc exemplum non esse ad propositum. Si enim lux non est purè forma Physica, vt physicum distinguitur ab intentionali, etiam in quolibet receptiuo ipsius non erit potentia Physica respectu eiusdem, ac per consequens, etsi concederetur, aerem non inclinari naturalitèr in lucem, non tamèn esset in potentia neutra respectu eiusdem: hæc enim potētia (vt etiam ipsi Auctores eam defendentes fatentur) si semel datur, debet esse potentia Physica, & naturalis, vt naturale distinguitur ab intentionali, & spirituali: Cæterum quia hæc opinio Caieta-

Digitized by Google

ni ab alijs grauissimis Thomistis, & nouissimè à nost. Complut. in lib. de An. disp. 10. q. 1. reijcitur, vtpotè menti S. Doct. & rectæ rationi dissona, ideò aliter ad argumentum, resp.

Dicimus ergo, aerem inclinari naturaliter in lucem, secundùm quòd est susceptiuus ipsius. Est autem aer proprium susceptiuum luminis, non absolutè sumptus, sed vt est aliquid diaphanum: Lux enim definitur à Philos. per diaphanum, tanquàm per propriũ susceptiuum 2. de An. tex. 69. vbi dicit: *Lumen est actus diaphani, secundùm quòd diaphanum est.* Cum ergo proprium susceptiuum formæ dicat naturalem inclinationẽ ad formam, inde est, quòd diaphanum naturalitèr inclinatur in lucem. Accedit, quia lux est maxima perfectio diaphani: facit enim, illud esse diaphanũ, seu transparẽs in actu, vt docet S. Thom. 2. de An. lect. 4. *Nec aer, nec aqua, aut aliquid huiusmodi est actu transparens, nisi fuerit illuminatum.* Ergò diaphanum inclinabitur naturaliter in lucem, quia vnaquæque res in suam perfectionem naturalitèr acquisibilem naturaliter inclinatur. Accedit adhuc. Nam quælibet res magis inclinatur in quodlibet esse non repugnans sibi, quàm in non esse, seu non ens. Ergò cùm lux det esse consonum naturæ diaphani, tenebræ autem, quæ sunt priuatio, nullum dent esse, magis diaphanum inclinabitur in lucem, quàm in tenebras, ac per consequens non se habebit neutralitèr ad vtrumque ex illis.

§. 3. *Defenditur contra Scotum Potentia obedientialis, ostenditurq; potentiã receptiuam actuum supernaturalium non esse naturalem, sed supernaturalem.*

POstquàm ostendimus contra Scotum, nullam dari potentiã Neutram, ideòque non debuisse inter membra diuidẽntia Potentiæ Passiuæ, vt sic numerari, ac per consequens, diuisionem in titulo, quantũ est ex hac parte, esse adæquatã, restat, vt ostẽdamus contra eundem, Potentiam obedientialẽ receptiuam actuum supernaturaliũ esse à potentia naturali distinctam, ac per consequens diuisionẽ potentiæ passiuæ in naturalem, violentam, & obedientialem non esse superfluam. Pro quo.

Supponendum est primò, naturale multis modis accipi posse: primò enim accipitur naturale, vt distinguitur contra liberum, & est idem, quòd necessarium; secundò accipitur naturale pro eo, quod est à natura. Tertiò, vt distinguitur contra violentum, sicut leui naturale est ferri sursum. Quartò, prout distinguitur contra artificiale. Quintò, vt opponitur supernaturali. Potentia ergo naturalis sumitur hic 2. & 5, modo naturalitatis. Estq; sensus difficultatis. An potẽtia receptiua actuum supernaturalium sit naturalis pri-

mo,

mo modo, ita vt nullo modo sit supernaturalis, secundo ita, quòd eius inclinatio ad actus supernaturales, sicut, & ipsa potētia taliū actuum receptiua, sit à natura.

Supponēdum est secundò, quòd quando communiter Thomistæ contra Scotum docent, potentiam actuum supernaturalium non esse naturalem, sed obedientialem, non ideò statim asserunt, potentiam obedientialem esse supernaturalē. Hoc enim etsi aliqui dicant, plurimi tamen negant; & meritò: Potentia enim obedientialis nihil est aliud, nisi ipsa entitas cuiuslibet rei creatæ, vt est subiecta Deo, prompta ad suscipiendum omne id, quod circa illam dispofuerit, vnde in tantùm est formaliter supernaturalis, in quantum respicit, non agens tantùm supernaturale (vt vult Scotus) sed dictum agens, vt formæ superantis vires naturæ impressiuum.

Probatur primò: quia si potentia obedientialis esset entitatiuè supernaturalis, ita vt esset aliquid additum entitati creaturæ, sequeretur, quòd non solùm bruta, & inanimata, sed etiam ipsi dæmones obstinati in peccato amarentur à Deo dilectione supernaturali, quod est contra omnes Theologos. Prob. sequela. Nam Deus, qui operatur ad extra per intellectum, & voluntatem, illos dicitur amare, quibus aliquod bonum cōmunicat, vt docent communitèr Thomistæ, & eruditè docent nostri Salmat. tom. 1. Curs. Theol. tract. 4. disp. 3. dub. 2. §. 3. ac per Consequens in illo ordine amabit aliquem, in quo ordine aliquod bonum ipsi communicabit. Ergo si potentia obedientialis erit simplicitèr supernaturalis, formaliter scil. & entitatiuè, quibuscunquè hæc à Deo communicabitur, amabuntur à Deo dilectione supernaturali. Cùm ergò omnis creatura, etiam insensibilis, etiam ipsi Dæmones, dicant potentiam obedientialem (omnes enim ad nutū obediunt suo creatori, etiam aliquando contra propriæ naturæ inclinationē, sicut obediuit ignis, quando tres pueros nō vssit) omnes etiam creaturæ insensibiles, etiam Dæmones, diligerentur à Deo dilectione supernaturali. In quantùm haberent aliquid supernaturalitatis ab eo sibi cōcessum.

Probatur secūdò, quia si propter aliquam rationem potentia obedientialis debet esse entitatiuè supernaturalis, esset maximè ideò, vt sit proportionatum subiectum receptiuum actuum supernaturalium; Sed hæc ratio est nulla; ad hoc enim sufficit, quòd sit supernaturalis formalitèr, eo enim ipso dicet proportionem sufficientem ad actus supernaturales, qui etiam quandoque non sunt supernaturales entitatiuè, sed tantùm quantùm ad modum, vt patet in illuminatione cæci: Visus enim non est quid supernaturale respectu oculi, cui conceditur, sed modus tantùm est supernaturalis, in quantùm post amissionem est restitutus.

Vrgetur hoc ipsum. Nā si ideò

potentia obedientialis esset supernaturalis entitatiuè, quia esset receptiua alicuius supernaturalis, cùm iterùm illa ipsa potentia sit recepta in Creatura, & sit, secundùm aduersarios entitatiuè supernaturalis, petet aliam potentiam similiter supernaturalem. Ergò, vel dabitur processus in infinitum, vel dicendum est, receptiuum actuum supernaturalium non debere esse supernaturale entitatiuè, sed formaliter tantùm. Est ergò potentia obedientialis ipsa entitas Creaturæ, vt respiciens actum supernaturalem impressibilem ab agente supernaturali, nempè Deo, cui est omnis creatura ad nutum subiecta.

Supponendum est tertiò, hanc potentiam obedientialem non esse potentiam de genere qualitatis; cùm enim hæc potentia non distinguatur ab entitate Creaturæ, vt subiectæ Deo, rationeque huius subiectionis respiciente actus supernaturales impressibiles ab ipso, ad illud prædicamentum spectabit, ad quod entitas illa creata spectat, quæ ratione huius potentiæ dicitur esse Deo subiecta, vnde frequentissimè spectabit ad prædicamentum substantiæ, ad quod vt plurimùm creaturæ Deo subiectæ, & receptiuæ actuum supernaturalium spectāt.

Neque tamen dicta potentia consistet in sola non repugnantia, quia dicta potentia verè est causa materialis respectu actuum supernaturalium, quos recipit; verè enim illos recipit, & plures, habentes conditiones ad hoc requisitas, educuntur ex illa, vt docent Nost. Complut. in Phys. disp. 4. q. 5. Immò etiam instrumentaliter, & remotè, vt eleuata, potest aliquid efficere, sicut aqua gratiam in baptismate, & Intellectus cum lumine gloriæ visionē beatam, vel cum habitu fidei actū fidei, & voluntas cum habitu charitatis actū charitatis. Ergò hæc potentia non erit sola non repugnantia; Sola enim non repugnātia, cùm non sit quid positiuum, sed negatio repugnantiæ, non poterit efficienter, vel materialiter effectus positiuos causare: debet enim esse debita proportio inter causam, & effectum. His ergò suppositis.

Dicendum est, Creaturam non posse per suam puram potentiam naturalem recipere effectus supernaturales, ac per consequens potentia obedientialis, quæ est dictorum actuum receptiua, erit à potentia naturali distincta. Ità communiter Thomistæ, Caietan. in Opusc. tom. 3. tract. 3. q. 2. Nazarius 1. p. q. 1. ar. 1. controu. 2. Noster Andreas à Cruce 2. p. q. 12. ar. 1. d. 55. dubio 2. Nost. Salmant. tract. 2. d. 1. dub. 4. Nost. Complut. in Phys. d. 4. q. 5. & nouissimè Nost. Philip. à SS. Trin. 2. 2. summæ Philos. quæst. 46. num. 1.

Probatur primò hæc Conclus. ratione Caiet. Respectu actuum supernaturalium quoad modum tantùm, v. g. respectu resuscitationis mortui, vel illuminationis

cæci,

cæci, non datur potentia passiua naturalis. Ergò neque respectu actuum supernaturalium, non solùm quòad modum, sed etiam quòad substantiam, v. g. respectu gratiæ, fidei, spei, & charitatis. Consequen. patet, quia arguitur à minori ad maius negatiuè; qui modus arguendi est optimus, v. g. si arguerem; hoc non potest calefacere, vt tria ergò neq; vt octo. Et probat. Anteced. Respectu quorum datur potentia passiua naturalis, respectu illorum etiã potest dari potẽtia actiua naturalis; Sed respectu actuum supernaturalium quòad modum, idest respectu effectuũ miraculosè cõtingentium, non datur potẽtia actiua naturalis. Ergò neque passiua. Minorem cõcedunt communiter Theologi, etiam ipsi Scotistæ: Licet enim creatura possit esse causa sufficiẽs instrumentaliter miraculorum, nõ tamen principaliter, sicut nos hìc causam actiuam sumimus, vt probat Angel. Doct. 2. 2. q. 178. ar. 1. Maior autem prob. Cuilibet potentiæ passiuæ debet correspõdere proportionata potẽtia actiua, ità quòd in eo ordine, in quo datur potentia passiua, etiam actiua detur, aliàs & natura, & ipse Auctor naturæ frustrà posuissent potentiam passiuam in aliquo ordine, si non haberet in eodem ordine potentiam actiuã, quæ illam reduceret de potentia ad actum. Quod adeò vniuersaliter certum est, vt etiam ipse Philosoph. 3. de An. C. 5. huic principio innixus probauerit dari Intellectum in rerum natura agentem, quia datur Intellectus possibilis, vel passibilis, his verbis. *Cùm in omni natura sint quædam, quorum alterum quidèm vnicuique generi materies est, quod id esse patet, quod est potentia illa cuncta: alterum verò causa, & efficiens omnia, nimirùm efficiendo, atque agendo, talem subigens rationem, qualem ars conditionem ad materiam subit, necesse est, & in anima differentias has easdem inesse; atque quidam est intellectus talis, vt omnia fiat, quidam talis, vt omnia agat, atque efficiat.* Ergò respectu quorum datur potentia passiua naturalis, respectu eorundem etiam est dabilis potentia actiua naturalis.

Confirmatur primò. Potentia naturalis habet appetitum naturalem ad actum, quia hic est perfectio ipsius. Ergò intra suum ordinẽ debet habere aliquod agẽs, potens illi communicare talem actum, aliàs eius appetitus esset frustraneus.

Confirmatur secundò. Vbi datur transmutabile, ibi datur, & transmutatiuum; hæc enim sunt relatiua; Sed potentia passiua est transmutabilis, actiua verò transmutatiua. Ergò vbi datur potentia passiua, datur, & actiua; ac per cõsequens respectu omniũ actuũ, respectu quorum datur potentia passiua naturalis, debet etiam dari potentia actiua similiter naturalis. Sed

Obijcies contra hanc rationẽ, & confirmationes sic. Falsum est,

Digitized by Google

est, quòd debeat dari in eo ordine potentia actiua, in quo datur passiua, quòdque semper debeant se dictæ potentiæ concomitari. Ergò &c. Probatur anteced. In materia prima est potentia creata, & naturalis respectu animæ rationalis, & tamen non datur aliquod agens creatum naturaliter productiuum Animæ rationalis; illa enim per solam creationē fieri potest. Ergò &c.

Resp. negando anteced. ad cuius probationem, vt respondeamus, supponimus, Agens dupliciter posse esse causā alicuius formæ in materia. Vno modo eam producendo, & attingendo existentiam eius per suam actionem, sicut producuntur ab agentibus naturalibus omnes formæ corruptibiles. Alio modo dicitur agens causare formam ex hoc solo, quòd sufficienter disponat materiam, estque consequenter causa, non quòd forma sit absolutè, sed quòd sit talitèr, scilicet vnita materiæ. Et similiter dupliciter potest esse materia prima in potentia ad formas. Vel in potentia ad esse illarum, quando scil. formæ secundùm esse suum continētur in potentia ipsius, vnde etiam virtute agentis educuntur. Vel in potentia, non ad esse formæ, sed ad vnionem tantum. Dicimus ergò, quòd potentiæ naturali materiæ primi generis correspondet agēs naturale primi generis, quod scilicet est productiuū ipsius formæ. Potentiæ autem naturali secūdi generis agens similiter naturale correspondet secūdi generis; & talis est anima nostra, quæ cū non contineatur quantùm ad suū esse in materia, non habet agens naturale creatum productiuum ipsius quantùm ad esse: quia tamen continetur in potentia materiæ quantùm ad vnionem, habet agens naturale creatum vniens ipsam materiæ. Sicq; semper saluatur proportio inter potentiam actiuam, & passiuam.

Probatur 2. nostra conclusio: Si potentia obedientialis esset aliqua potentia naturalis, sequeretur, quòd Angelus naturali lumine posset cognoscere possibilitatem incarnationis. Sed hoc est falsum, vt communiter docent Patres, S. Aug. ep. 3. ad Volusiū, S. Chrys. homil. de S. Ioan. Baptista, Cirill. Alexandr. lib. de Incar. cap. 7. & alij passim Theologi cū suis Principibus. D. Tho. & Scoto, qui hoc in 3. Senten. disp. 1. fusè tractant. Vndè etiam à S. Paulo dicitur esse hoc mysterium absconditum à sæculis 1. ad Coloss. Ergò potentia obedientialis non est potentia naturalis; Minor, & conseq. patent. Maior autem prob. Angelus suis viribus relictus comprehendit omnia naturalia, prout naturale distinguitur à supernaturali, & libero. Ergò cùm potentia obedientialis non sit libera, vt patet, si nō erit supernaturalis, comprehendetur ab Angelo. Tunc sic subsumitur. Angelus comprehendit potentiā obedientialem. Ergò & omnes actus, ad quos terminatur hæc

Digitized by Google

potentia, cognoscit: Non enim potest aliqua potentia comprehendi, nisi ea cognoscantur, ad quæ terminatur, vel terminari potest. Illud enim, teste August. lib. 2. de ciuit. Dei c. 8. comprehenditur, quod scientis cognitione finitur, quatenùs nimirùm nihil est in re cognita, quod sit extra cognitionem comprehendentem illam, ac per consequens ad hoc, vt aliqua potentia comprehendatur, nihil debet esse in ipsa, quod non cognoscatur. Ergo debent omnes cognosci respectus, quos dicit ad actus sibi correspondentes ac per consequens etiam ipsi actus, termini illorũ respectuum, cognosci debent. Sed inter actus, ad quos terminatur potentia obedientialis, est vnio hypostatica humanitatis cum Verbo. Ergo si potentia obediẽtialis respiciens hãc vnionem, est naturalis, Angelus poterit cognoscere possibilitatem vnionis hypostaticæ, atque adeò etiam ipsum mysterium incarnationis in dicta vnione consistens.

Prabatur 3. Ad illum actum dicitur esse aliquid in potentia naturali (de qua nùnc loquimur) ad quem naturalitèr inclinatur. Sed nulla natura inclinatur naturalitèr ad actus supernaturales. Ergo respectu illorum non erit in potentia naturali. Ergo si sit ad illos in potentia ratione potentiæ obedientialis, potentia obedientialis non est potentia naturalis. Maior, & vtraq; consequentia patent. Minor verò prob. Si aliqua potentia inclinaretur naturaliter ad effectus supernaturales, haberet illam inclinationem, sicut & omnia alia naturalia, à Deo, vt est Auctor naturæ. Sed inclinatio ad supernaturalia non est à Deo, vt est Auctor naturæ, sed vt est Auctor supernaturalis; ad illa enim est inclinatio à Deo, vt est Auctor naturæ, ad quæ potest Deus creaturam perducere, operando, vt Auctor naturæ. Sed non potest perducere ad actus supernaturales, operando præcisè, vt Auctor naturæ; supernaturalia enim fiunt à Deo, vt Auctore supernaturali, vt ex ipsis terminis patet. Ergo &c.

Confirmatur. Inclinatio naturalis fertur in bonum proportionatum, & conueniens naturæ. Sed supernaturalia, nec sunt proportionata, nec conuenientia naturæ; sunt enim alterius ordinis superioris. Ergo &c.

Relinquitur ergo, potentiam obedientialem esse distinctam à naturali, ac per consequens rectè fuisse inter potẽtias diuisiuas potentiæ passiuæ, vt sic, numeratam.

Nec eneruant hanc doctrinam ea, quæ §. 1. huius quæst. fuerunt pro sententia Scoti adducta. Respondetur enim ad primam, quod, vt ex dictis patet, non ponitur à nobis potentia obedientialis, vt distincta entitas à potentia naturali, v. g. Animæ, vel intellectus, sed potentia obedientialis v. g. Animæ ad gratiam, est ipsa entitas Animæ, non absolutè sumpta, sed vt respiciens, tùm gratiam, quæ est quid supernaturale, tùm

agens gratiæ impressiuum; Vnde ratione horum respectuũ, & præcipuè ratione respectus ad actum supernaturalem, dicitur ipsa Anima in potentia supernaturali formalitèr, quia talis est potentia formalitèr, qualis est actus, quem respicit. Etsi ergo gratia, vel lumẽ gloriæ recipiantur in Anima, vel Intellectu, non tamèn recipientur in ipsis, vt sunt potentiæ naturales, sed vt sunt potentiæ obedientiales, quia recipiuntur in illis, vt formalitèr respiciunt actus supernaturales.

Similiter ad cõfirmat. resp. neg. hominem naturaliter inclinari in beatitudinem, & ad probat. in cõtrarium dicimus, Beatitudinem supernaturalem, seù visionem claram Dei, in qua dicta Beatitudo consistit, esse hominis perfectionem maximam, non naturalem, sed supernaturalem. Vnde etiã homo, etsi possit inclinari in ipsam, vt eleuatus per gratiam, quæ est quid supernaturale, non tamen potest, absolute sumptus, sed tantùm homo secundùm sua naturalia inclinabitur naturalitèr in cognitionem Dei abstractiuam, quæ habetur, ex creaturis quia in hac beatitudine eius naturalis consistit, vt communitèr docent Theologi.



QVAESTIO V.

Vtrùm sit dabilis Potentia Obedientialis proximè actiua.

PAtet quidèm ex supposito 2. quæst. 4. præcedenti, non esse dabilem potentiam obedientialẽ proximè actiuam; vt tamèn clariùs veritas agnoscatur, & argumenta soluãtur, excitatur sigillatim quæstio propter P. Suarez, qui 3. p. q. 13. d. 31. S. 5. 1. 6. præter potentiã obedientialem Passiuam, ponit obedientialem Actiuã, quà Deus, tanquàm instrumento physico, vtatur ad opera supernaturalia: Potentiam autem hanc Actiuam, sicut & Passiuam obedientialem, vult esse rei congenitam, & entitatiuè naturalem, prout diximus de Passiua. Vt autèm illam necessariò admittendam esse conuincat, ponit tria principia. Primum est; Nullam rem posse efficere sine proportionata virtute causalitati suæ. Secundum: in instrumẽtis diuinæ virtutis, prout talibus, virtutem instrumentariam non posse esse aliquam qualitatem superadditam; quod quidem principium, fusissimè discutiens, prosequitur. Tertium tandem principiũ est, diuina instrumenta formaliter, & propriè non constitui in actu primo ad agendum instrumentalitèr per motum aliquem Physicum ipsi instrumento superadditum; Quibus omnibus (quasi

quas-

quartum principium ſtabilire volens) adiungit, oſtendens, efficientiam Phyſicam per ſolam extrinſecã eleuationem ipſius, aut ſubordinationem ad ſuam cauſam non poſſe exire ab inſtrumento, ſi in illo nulla ſupponatur potentia. Ex quibus omnibus tandèm concludit, neceſſariò dandam eſſe potentiam obedientialem in inſtrumentis diuinæ virtutis, ſi ſemel Phyſicè influunt in effectum. Si namque ad hoc, vt detur Phyſica efficientia, debet ipſi proportionata virtus aſſignari, & hæc in inſtrumentis diuinæ virtutis non ſit aliqua qualitas ſuperaddita, aut motio, per quam inſtrumentũ conſtitueretur in actu primo, nec etiam ſubordinatio extrinſeca ad agens principale, ſcil. Deum, ſequitur à ſufficienti enumeratione, quòd ſit aliqua potentia actiua innata, non merè naturalis, hæc enim, ſicut effectum, ſic & agens tantùm naturale reſpicit. Ergo actiua obedientialis. Nihilominus in 2. & 3. principio ceſpitat nimis P. Suarez; excellẽter namq; & erudite noſt. PP. Complut. in Phyſ. diſp. 12. q. 1. §. 2. & ſequen. oſtendunt, virtutem inſtrumentariam in inſtrumentis diuinæ virtutis eſſe motionem quandam virtuoſam, vel qualitatem fluentẽ ſuperadditam, cum quibus.

Dicendum, potentiam obedientialem actiuam non eſſe dabilem. Hæc eſt communis Thomiſtarum, vt videre eſt apud P. Philippum 2. 2. ſummæ Philoſ. q. 46. a. 2.

Prob. 1. Potentia obedientialis actiua ponitur à Suarez in creatura ideò, vt, dùm aſſumitur à Deo, tanquàm inſtrumentum diuinæ virtutis, ſit in ea virtus ſufficiens ad attingendum effectum principalem, v. g. opus miraculoſum Dei, quæ quidem potentia obediẽtialis actiua, innata virtus, ab eo eſſe dicitur, ita ſufficiens in ordine cauſæ inſtrumentalis, vt quantum eſt ex parte actus primi, nil ſibi eleuans ſuperaddi poſtulet, ſed ſolo concurſu Dei ſupernaturali ad exeundum in actum ſecundum indiget. Sed talis virtus in creatura dari nequit. Ergo nec potentia obedientialis actiua. Maior eſt Suarez. Minor probr. Admiſſa tali virtute in creatura, iam quæuis creatura ex innata ſua virtute in ordine cauſæ inſtrumẽtalis cõtineret operationes ſupernaturales, & miraculoſas in actu primo proximo, & proportionato; Sed hoc eſt contra omnẽ Theologiam; nulla enim virtus naturalis, & innata, poteſt ordinis ſuperioris, ſc. ſupernaturalis cõtinere effectum ſecundùm ſenſum omnium Theologorum. Ergò &c. Maioris ſequel. prob. Repugnat actum ſecundum, alicuius cauſæ etiam inſtrumentalis, non cõtineri in ipſamet cauſa in actu primo, ſicut & ipſum effectum, quia actus ſecundus eſſentialiter præſupponit primum; Sed opus miraculoſum cauſaliter eſt actus ſecundus ſupernaturalis, (ſicut & obiectiuè ſumptum eſt quid ſupernaturale) virtutis ſufficienter potentis illum ponere in linea

Digitized by Google

causæ instrumentalis; & dicta virtus, secundum Suarez, est innata, ac connaturalis creaturæ; supponimus enim nunc illud opus miraculosum per creaturam, tanquã instrumẽtum Diuinæ virtutis fieri. Ergò admissa tali virtute in creatura &c.

Confirmatur. Data potentia obedientiali actiua in creaturis, iuxta sensum Suarez modò explicatum, concursus Dei supernaturalis titulo connaturalitatis esset debitus creaturæ, sed hoc est falsum; cùm concursus ordinis merè naturalis tantùm creaturis connaturaliter debeatur, vt ex terminis patet. Ergò potentia obedientialis actiua non poterit dari. Maioris sequela prob. Exigentia cõcursus proportionati ad actum secundum in quauis causa secunda non aliundè oritur, quam ità illam esse in actu primo, vt ex parte actus primi proximi nihil desit ipsi, quod posset addi actui ipsius primo, & proximo. Sed creaturæ habenti potentiam obedientialem actiuam, ex parte actus primi proximi in ordine instrumenti supernaturalis nil deesset, quod eidem addi posset, vt ipsemet Suarez fatetur. Ergò ipsi debebitur titulo connaturalitatis concursus Dei ordinis supernaturalis.

Probatur secundò. Si daretur potẽtia obedientialis actiua esset omnipotentia; Sed implicat creaturæ communicari omnipotentiã. Ergò & potentiam obedientialẽ actiuam. Minor ab omnibus admittitur, Maior prob. Virtus infinita in agendo est omnipotentia, idest, virtus potẽs in omnia, vt patet; Sed potentia obedientialis actiua, si daretur, esset virtus infinita in agendo, seù potens in omnia. Ergo &c. Minor prob. Virtus actiua inspiciens, tanquam obiectum proprium, & adæquatum omne quidquid non implicat contradictionem, est virtus infinita, & potens in omnia, quia sub eiusmodi obiecto cõtinentur omnia, & effectus infiniti se inuicem in perfectione in infinitum excedentes, quos non potest attingere, nisi virtus infinita; Sed potentia obedientialis actiua respicit, tanquàm obiectum adæquatum omne quod non implicat, sicut & passiua, cũ hac distinctione, quòd hæc respiciat passiuè, recipiendo, illa actiuè, & effectiuè producendo. Ergò &c. Nec valet, quod cõtenta sub huiusmodi obiecto, non attingat potentia obedientialis actiua, nisi cum concursu Dei supernaturali, & influxu, penes cuius influxum attenditur perfectio, & virtus huius potentiæ; cùm autem influxus hic semper sit finitus, & ad finitum, ac determinatum effectum requisitus, etiam ipsa virtus potentiæ obedientialis actiuæ debet esse finita, & limitata.

Non inquam hoc valet. Concursus enim ille Dei non se tenet ex parte actus primi, & ipsius potentiæ obedientialis, vt in actu primo consideratur; cum nil ipsi desit ex parte dicti actus primi, vt

ipse

ipsemet fatetur Suarez, præter concursum Dei supernaturalem, qui se tenet ex parte actus secundi, proindè non limitat potentiã actiuam talis concursus, & influxus secundùm ea, quæ importat secundùm se, & vt est actus primus proximus, sed tantum limitat (vt ità dicam) actum secundum ipsius. Cùm ergò secundùm se huiusmodi virtus actiua non limitetur, & vt talis respiciat effectus infinitos, vtpotè quæ respicit omne non implicans, sequitur, quod debeat esse virtus omninò infinita, nec enim per hoc, quod limitatum concursum Dei habeat ex parte actus secundi ipsius virtus infinita potentiæ limitatur, ipse namquè Deus, cuius est potentia actiua infinita ad extra nõ influit in infinitas operationes, aut effectus, sed determinatos, & tamen per hoc non desinit esse infinita: ergò à simili proportionaliter idem dicendum esset de potẽtiæ actiuæ obedientialis virtute, si daretur.

Dices. Illam potentiam obedientialem actiuam esse inchoatã virtutem instrumentariam, sicque dependentem, & participationem tantum quandam potentiæ actiuæ Dei, quæ est virtutis infinitæ, proinde non posse esse virtutem infinitam; quod enim participat aliud, quasi partem abscindit illius, & ità deficit à plenitudine perfectionis eiusdem. Sed

Contra est. Per hoc quod talis virtus esset instrumentaria, vel participata, non sequitur quod non posset esse infinita, si semel respiceret, vt obiectum adæquatum omne, quod non implicat. Participatio enim, aut subordinatio non obest directè infinitati in aliquo ordine, nam si daretur linea infinita, quoad extensionem (prout illam per absolutam Dei potentiam aliqui dabilem esse tenent) illa esset quid participatũ, vtpotè accidens, & tamen in ratione extensæ, esset infinita, quia extensio eiusdem nullum agnosceret terminum. Ergò similiter, etiamsi ista potentia actiua obedientialis esset potentia participata, & instrumentalis, nihilominùs hoc ipso, quod respiciat, vt obiectum suum adæquatum, nullos terminos agnoscens, omne scil. quod non implicat, proindè infinitum, licet intra lineam potentiæ instrumentalis; vt adæquetur in virtute tali obiecto debebit habere virtutem nullos terminos agnoscentem, sicque infinitam.

Quod si vrgeas. Virtutem participatam esse (qualis est potentia obedientialis), & simul infinitã implicat. Ergò ego etiam infero, implicabit dari potentiam obedientialem actiuam. Nam illa, & esset infinita, & non esset, quod implicat. Esset, quia virtus respiciens obiectum infinitum, tanquã obiectum adæquatum, quod in linea sua sit potens attingere, vt ipsi adæquetur, sicque respiciat, vt obiectum adæquatum, debet esse infinita, sed potentia obediẽtialis actiua respiceret, vt obiectũ adæquatum infinitum, omne sci-

licet, quod non implicat (vt modo dictum est). Ergò esset virtus infinita, deindè non esset, quia, vt modò dixisti, esset dependens, & participata virtus; virtutem autem participatam esse infinitam asseruisti implicare. Ergò debes fateri, quòd nec potentia obediētialis actiua possit esse virtus infinita. Ergò de primo ad vltimū, si daretur, esset infinita, & non esset, quod implicat. Ergò ipsam implicat dari.

Probatur tertiò. Potentia obedientialis indispensabiliter dicit relationem subiectionis ad agens superiùs, obedire enim est subijci, & subesse. Ergò potentia, quæ non admittit istam relationē subiectionis ad agēs, nō est obediētialis. Sed potentia actiua, qua talis, non dicit relationem subiectionis ad agens; subijci namq; importat moueri, & non mouere: Potentia verò actiua, hoc ipso, quia actiua, non mouetur, quin potius mouet, vt patet. Ergò etiā potētia actiua eo ipso, quod actiua, nō poterit esse obedientialis.

Confirmatur. Potentia obediētialis actiua non dicitur relatè ad agens superius: (relatio siquidē ad illud importat potius rationē passi, quàm agentis, vt est potentia actiua, prout modò dictum est) sed ad operationem, quam elicere potest. Tunc sic; ista operatio, vel est proportionata respectu illius, vel non; si improportionata. Ergò potentia obedientialis actiua respectu talis operationis non est actiua ex se, & influxiua in illam: potentia namq; actiua non influit ex se, & præcisa eleuatione, nisi in operationē sibi proportionatam; nemo enim dat in genere causæ efficientis, quod non habet. Si autem sit proportionata. Ergò iam non est respectu talis actionis potētia obedientialis, sed connaturalis: potentia siquidem proportionata actioni, connaturaliter efficit eandem. Ergo de primo ad vltimum non est dabilis potentia, quæ simul sit, & obedientialis, & actiua.

Respondetur ad Argumenta in contrarium: Sententiam suam Suar: probat in primis plurimis author: SS. PP. August. etiam D. Tho: & aliorum, tùm etiam Scholastic. vti est Caiet. & alij. Sed vt bene consideranti, & discutienti poterit patere, citati non loquuntur, nisi de potentia obedientiali passiua, in quantùm per aliquid in se receptum eleuata potest operari effectus supernaturales, prout nostri Complut. eruditè ostendūt in Phys. disp. 12. q. 1. §. 5. Nihilominus.

Obijcitur primò. In fauorem sententiæ P. Suar. Datur potentia obedientialis passiua. Ergo etiam debet dari actiua, quia omni potentiæ passiuæ debet correspondere actiua eiusdem ordinis.

Confirmatur. Non minus spectat ad plenum dominium Dei, vt ipsi creatura subijciatur in agendo, quam in recipiendo. Ergo si ratione istius subiectionis in patiendo datur potentia obediētialis passiua, debebit etiam dar. & actiua.

Con-

Confirmatur 2. Calor, vt procedit ab igne, tanquam instrumẽtum ipsi subordinatum, potest aliquid producere super suam naturam, scilic. ignem. Ergo à fortiori creatura, quia procedit à Deo, & magis ipsi subordinatur, quàm calor igni, poterit habere hoc ipso vim aliquam actiuam, per quam possit instrumentaliter aliquid producere super suam naturam.

Resp. ad hoc argum. negand. conseq. quia Potentia actiua, cum sit in Deo formaliter inuenta, est perfectio simpliciter simplex, & si esset obedientialis, esset infinita, (prout supra ostensum est), quam in creaturis implicat inueniri. At verò potentia passiua dicit secundùm suum conceptum imperfectionem, cùm dicat indigentiam, & carentiam perfectionis sibi cõmunicandæ; Vnde quò maior fuerit talis potentia, tantò erit maioris imperfectionis, vtpotè maiorem priuationem perfectionis inuoluens, ideò poterit competere creaturis potentia obedientialis passiua. Ad probat. autẽ resp. Potentiæ passiuæ debere correspondere potentiam actiuam in eodem subiecto, in quo est passiua. Negat. in alio, conced. & sic potentiæ obediẽtiali passiuæ correspondet potentia obedientialis actiua proxima, in Deo, cui subiecta sunt omnia, (licet obedientialis actiua remotè etiam in creaturis inueniatur, quæ est ipsamet potentia obedientialis passiua, prout recipit aliquid sibi ab agẽte supernaturali impressum in ordine ad agendum); efficitur enim tunc actiua instrumentaliter ratione illius eleuationis sibi superadditæ.

Ad primam confirm. Resp. negando consequent. Quia omnimoda subiectectio creaturæ, tàm in agendo, quàm in recipiendo respectu Dei meliùs saluatur per solam Potentiam obedientialem passiuam, quam saluaretur, si daretur obedientialis actiua. Ratio huius, quia, licet per obedientialem actiuam saluaretur subiectio creaturæ in agendo, per hoc, quod talis potentia esset in illa, vt instrumentum quoddam, proinde faciens creaturam in agendo dependentem, & subiectam, tamen quia esset illa potentia connaturalis creaturæ, & ita quodammodo propria, per hoc subtraheretur aliquo modo à subiectione ad Deum, vtpotè non ipsum solum, sed & id, cuius esset connaturalis, respiciens. At verò posita sola potentia obedientiali passiua saluatur plena subiectio creaturæ ad Deum in recipiendo, vt patet, deinde etiam in agẽdo magis, quàm admissa potẽtia actiua, quia maior est dependentia, in operando semper de nouo vim recipere à superiori ad agendum, quàm semel receptam, & sibi connaturalizatam habere, vt patet; Primum contingit in potentia obedientiali passiua, Secundum in actiua. ac per conseq. maior est subiectio, & dependentia creaturæ cum sola potentia obedientiali passiua

ad Deum, quàm esset cum actiua.

Ad 2. confirmat. Resp. neg. similiter consequent. calor enim, vt subordinatus igni, est proprietas, & virtus ipsa ignis naturaliter ab ipso dimanans: proindè nil mirum, quod sine alia superaddita virtute possit instrumentaliter in aliquid suprà se, scilicet ignem. At creaturæ non sunt virtus Dei, sed effectus procedentes ab ipso, non necessario, sed liberè, & ideò, vt possent supra suam naturam operari, indigent aliqua superaddita naturæ suæ eleuatione.

Obijcitur 2. Imperium Dei est efficacissimum, itaut per illud solum producantur omnia ex nihilo iuxta illud Psalm. *Dixit, & facta sunt.* Ergo multò magis poterunt per illud solum creaturæ sine aliquo de nouo superaddito operari supra suam naturam. At illud ratione, cuius operarentur supra suam naturam non potest esse aliquid aliud, quàm obedientialis potentia (vtpotè parens imperio Dei) actiua, quia operans. Ergo illa dabitur.

Respondetur negando primam consequentiam, quia imperium Dei efficax, cũ sit in infinitæ virtutis, potest omne quidquid non implicat, & quia non implicat aliquid fieri ex nihilo, ideò illud producit: At verò, quia creaturam sine aliquo superaddito operari supra suam naturã implicat, hinc est, quòd imperium Dei, etsi efficacissimum, hoc facere nequeat; quod autem supra suam naturam operari implicat creaturæ, ostenditur. Implicat causam efficientem producere aliquem effectum, vel operationem aliquam exercere, respectu quorum non sit in actu primo, & proximo, & proportionato, quandoquidem, vt supra dictũ est, actus secũdus essentialiter præsupponit primum, & effectus, virtutem in causa efficiẽti, in qua contineatur. Sed creatura sine aliquo superaddito non est in actu primo proximo, & proportionato ad ea, quæ sunt supra naturam; aliàs naturaliter in se contineret actus, & operationes supernaturales, (siquidẽ actus secundus continetur in actu primo proximo, & proportionato) quod est cõtra omnes Theologos, vt superius diximus. Ergo creaturam operari supra suam naturam omninò implicabit. Cætera argumenta ex dictis facilè solui poterunt, & à nostris Complut. loco supra citat. soluta sunt.

Iam igitur exclusa ista potentia obedientiali actiua iterum manifestum est, subdiuisionem potentiæ passiuæ in naturalem violentam obedientialem esse adæquatam.

QVAESTIO VI.

Quidnam importet de formali potentia Obedientialis passiua?

POstquàm ostensum est in præcedenti quæst. quod nulla detur in rebus potẽtia obedientialis acti-

actiua, sed quòd tota sit passiua restat, pro quidditate talis potentiæ explicanda videndum, quid importet de formali: quamuis enim supra videatur determinatum, quid sit, tamen non erit superfluū alio modo penitùs difficultatem pro exercitio ingenij excitare; in hac re satis difficili, variæ sunt sententiæ, quarū præcipuas breuiter adducam, vt ex illarum satis clara impugnatione appareat, quod necessarium sit conari ad mentem quietandam aliquid noui luminis in re tàm obscura, ex doctrina Angel. Doct. eruere.

§. I. *Ponuntur aliquæ authorum sententiæ, & refutantur.*

EST igitur prima sententia Nazarij, & aliorum, qui dicunt: Potentiam obedientialem de formali nihil dicere positiuum, sed meram negationem repugnantiæ, ad omne id, quod non implicat contradictionem à Deo fieri in creatura; cùm enim virtus Dei sit infinita, non indiget capacitate positiua in creatura, vt ex illa aliquid fiat, siquidem etiam ex nihilo res creet, sed sufficit non repugnantia terminorum, qualis reperitur in possibilitate creaturarum.

Cæterum hæc sententia nimis difficilis est, & videtur æquiuocare in ratione potentiæ: nam aliud est loqui de potentia obiectiua rerum possibilium, quæ vti que est, non repugnantia terminorum, & nihil dicit positiuum extra Deum, & aliud loqui de potentia reali subiectiua, qualis est obedientialis, in qua positiuè recipiuntur formæ supernaturales, & ex qua verè, & realiter educuntur, cùm non creentur, & sic per modum causæ materialis concurrit ad illarum causalitatem, quæ omnia repugnant, vt patet, puræ negationi; nam certè fieri ex negatione repugnantiæ, est fieri ex nihilo, & non educi, rursus, ex anima, & gratia fit vnū compositum, tanquam ex actu, & potentia, quod dicitur gratū. Ergò verè, & Physicè gratia recipitur in anima, & consequenter hæc habet Physicam, & realem potentiam receptiuam gratiæ; neq; enim gratia est forma subsistens. Ergo recepta non in negatione. Ergo in potentia positiua.

Secunda, & tertia sententia, à nostris Cōplut. & à nobis supra, ut probabilis admittitur, quarum prior dicit, quòd hæc potentia obedientialis nullam addat formalitatem positiuam supra ipsā entitatem naturalem creaturæ: sed quod in recto dicat ipsam entitatem creaturæ naturalem, connotando terminatiuè, & in obliquo agens, & formam supernaturalem.

Hæc sententa est valdè communis Inter Thomistas, & fundatur præcipuè in hoc, quod vt res creatæ obediant Deo, nihil debet superaddi entitati earum, cùm sit intima vnicuique creaturæ subiec-

Digitized by Google

ctio ad Deum. Ergo potentia obedientialis erit ipsa earum entitas, vt subiecta agenti supra, vel præter cursum naturæ. Maximè quia illud superadditum, vel esset naturale, vel supernaturale, si primum. Ergo iam ipsa entitas naturalis, absque tali superaddito posset æque benè esse potentia obedientialis: si secundùm, inquiritur, in quo recipitur illud supernaturale superadditũ? non in alio supernaturali, quia sic procederetur in infinitum. Ergo in ipsa entitate naturali, non secundùm potentiam naturalem, quæ non datur ad supernaturale recipiendum, vt supra. Ergo secundum obedientialem,& sic ante tale superadditum iam datur potentia obedientialis.

Verùm hæc sententia, licet dicatur probabilis, nõ tamen quietat intellectum, quin potiùs confundit; neque enim ostendit, cur potentia ad formam naturalem, & subdita agenti naturali, sit eò ipso naturalis, non solùm terminatiuè, sed etiam entitatiuè,& tamen potentia ad formam supernaturalem, subdita agenti supernaturali, non sit supernaturalis; Differentia enim, quod sit terminatiuè supernaturalis,& entitatiuè naturalis, est id, de quo quæritur; quare scilicet entitas naturalis possit terminari ad supernaturale, quin eò ipso specificetur secundùm talem habitudinem (siuè sit primarium, siuè munus secundarium) à supernaturali, & sic euadat supernaturalis.

Respondet Curiel, Potentiam passiuam non specificari ab agente, vel actu, sed à receptione; hæc autem, inquit, etiam respectu formarum supernaturalium est naturalis; nam anima non eget eleuatione, vt recipiat gratiam. Sed

Contra 1. quia cùm ipsa receptio sit respectiua, est vlteriùs specificabilis, & de illa currit difficultas, quare sit receptio naturalis, & specificetur ab actu, & agente supernaturali?

Secundò, quia repugnat, quod potentia, vt naturalis terminetur ad agens supernaturale; cùm omnipotentiæ passiuæ naturali, vt tali correspondeat in natura aliquid actiuum, quod possit illam reducere in actum, vt sæpè docet Aristot. & D. Tho:

Quod si dicas, hoc esse verum in potentia purè naturali, non verò in obedientiali. Ecce quomodo sic respondens cogitur assignare ex parte entitatis in recto importatæ, aliquid tollens puritatẽ potentię naturalis, vt sic subdatur agenti supernaturali, non naturali, & sic non soluit, sed petit principium.

Tertio, quia si potentia obedientialis esset entitatiuè naturalis, causaretur à Deo, vt authore naturæ. Sed hoc non; Primò, quia ab illo, vt tali non cognoscitur, cùm sit formalissimè ad formas supernaturales, nec possit sine illis definiri, vel concipi; Deus autem, vt author naturæ, non cognoscit formas supernaturales. Secundo, quia hæc potentia non

ordi-

ordinatur ad Deum, vt est author naturæ, prout fatentur aduersarij, cum terminetur ad eum, vt authorem supernaturalem. Ergo nunquam causatur ab eo, vt est author naturæ, quia omnia Deus causat ordinando ad se secūdùm rationem, qua causat. Ergo &c.

Hæc, & alia difficilia, quæ militant contra relatam sētentiam, mouerunt quosdā modernos Thomistas, vt aliam viam extremam arriperent statuendo, quod potentia obedientialis, addat de formali supra entitatem naturalem rei creatæ quandam formalitatem supernaturalem, ex natura rei distinctam ab entitate naturali: ratione cuius res omnes creatæ subdantur Deo, vt agenti supernaturali, & concurrunt in genere causæ materialis ad effectus supernaturales. Hanc tenet Manca, & fusè probat 2. Phys. disp. 5. q. 6.

Sed hæc sentētia, graues etiam patitur difficultates, & fortè plures, quàm secunda. Nam in primis, si hæc potentia esset formaliter supernaturalis, potiùs esset dicenda potentia naturalis, quàm obedientialis; nam naturale, seù connaturale est potentiæ supernaturali recipere formas supernaturales sui ordinis, sicut connaturale est gratiæ habere secum virtutes infusas, licet sint supernaturales. Secundò, quia si hæc potentia esset formaliter supernaturalis, iam non esset obedientialis; quia obedire est inferioris non existentis in eodem ordine. Tertiò, quia iuxta hanc sententiam, quæuis substantia creata, etiam completa, diceret ordinem immediatum ad Deum, vt est in se, tanquam ad specificatiuum ordinis totius supernaturalis, cū in illis inueniretur formalitas supernaturalis potentiæ obedientialis, cum eisdem realiter identificata. Ergo sic dari posset substantia supernaturalis. Quartò, quoniam Deus non posset creare hominem in puris naturalibus, quia haberet hanc formalitatem supernaturalem. Quintò, quia hæc potentia passiua æquè esset completa in suo ordine, ac actiua, quam posuit Suarez. Ergò æquè exigeret reduci ad actum per formam sui ordinis, ne esset frustranea, ac exigeret potētia actiua dicti Auctoris cōcursum sui ordinis; & sic formæ supernaturales essent debitæ naturæ creatæ, &c.

Ecce igitur, in vtraque hac sētentia, quæ probabilis iudicatur à NN. PP. quantæ lateant difficultates, quis non videat? quæ certè ostendunt, quanti sit æstimanda via media inter vtramq; sententiam, si tamen tuta, & in doctrina Angelici Doct. fundata inueniri possit. Pro huius ergò elucidatione.



Digitized by Google

§. 2. *Præmittuntur aliquæ notationes.*

NOtandum primò, quòd ſicut in obedientia morali (vnde ſūpta eſt metaphora phyſicæ obedientiæ, ſecundùm quam res omnes per potentiam obediētialem ſubduntur Deo) duo conſiderantur; Primò, titulus inferioritatis, vel naturalis, vel voluntariæ in ſubdito; & ſecundò titulus ſuperioritatis, vel dominij in eo, qui præcipit; ità in obedientia phyſica (de qua loquimur) rerum omnium ad Deum attendi debet primò, ex parte creaturæ ratio illa, ſeu titulus, ſecundùm quem formalitèr ſubditur Deo, & ex parte Dei ratio, ſecundùm quam exercet dominium, ſeù plenipotentiam, præter curſum ordinarium, reſpectu creaturæ: his enim duobus benè perpenſis, facilè poterit formari iudicium de ipſa formali ratione obedientiæ in actu primo, quæ conſtituit potentiam obedientialem.

Videamus ergò, quænam ſit ratio illa, ſecundùm quam res creatæ ſubduntur Deo. Optimè ſimul, ac profundè, more ſuo, id nobis explicuit S. Thom. 1. p. q. 105. ar. 9. c. & alibi, aduertendò, quòd ſicut inter ordinē agentium ſibi ſubordinatorum eſt ordo effectuum, ſeù graduum in eodem effectu ſimiliter ſubordinatorum, quando dependet à pluribus agentibus ſibi ſubordinatis; ità etiam in eadem re eſt ordo ſubiectionum ad præfata agētia, ſic nimirùm, vt effectus recipiat impreſſionē ſuperioris agentis in ordine ad aliquos effectus ſibi præternaturales ſecundū illā rationem, ſeù gradum, ſecundùm quem pendet à tali agente: vnde videmus, quòd, quia res, ſecundùm quòd participant de humido, ſpecialitèr pendent à Luna, ideò in aqua eſt potentia obediētialis ad motum præter naturalē impreſſum à Luna. Ex hac ergò doctrina, quam etiam magis expreſſit idem S. Doct. q. 13. de verit. ar. 1. ad 2. Et q. 1. de potentia, ar. 3. ad 7.

Infertur, quòd, cùm ratio formalis, ſecundùm quam creaturæ terminant influxum Dei, & gradus illi, vt vniuerſaliſſimè agenti, correſpondens, ſit gradus communiſſimus entis participati, ità ſubiectio creaturarum ad Deum fundari debeat in iſta ratione entis participati. Per hoc ergò manet explicatum primū, quod propoſuimus indagandum, ſcilicèt, quænam ſit ratio ex parte creaturæ, ſecundùm quam ſubditur Deo ſupremo agenti. Iam verò pro explicatione ſecundi.

Notandum ſecundò, quòd ratio ſubiectionis, vel obedientiæ non inducitur ab aliquo agente præcisè ratione excellentiæ influxus, vel formæ, quam inducit, ſed ratione modi nominatiui, & independentis ab exigentia, vel inclinatione naturæ inferioris, ſecundùm quam inducitur; non ſecùs ac (ſiſtendo in exēplo obedien-

dieu;

Digitized by Google

dientiæ moralis) obedientia moralis, ex parte superioris attenditur penès modum, quo aliquid ordinat, scil. independentèr à voluntate inferioris; nàm quantumcunque heroicum sit opus, si tamen fiat à subdito ex propria electione, & independentèr à lege præscripta ab alio, non est obedientia: Quod ergò facit voluntas in moralibus, id proportionalitèr facit appetitus innatus, inclinatio, propensio, pondus naturæ, seù exigentia naturalis in rebus ad perfectiones sibi debitas: Vnde quantùmuis sit sublimis perfectio, quam Deus creaturæ communicat, si tamen id faciat accommodãdo se debito naturæ illius rei, planum est, quòd tùnc non operatur Deus subdendo sibi obediẽtialitèr talem rem, sed potiùs sequendo ipsius appetitum, & inclinationem: Hinc fit, & est valdè.

Aduertendum, quòd Deus, vt ponens obedientiam in Creatura, etiam quando in illa producit formas supernaturales, non sit ipse Deus præcisè, vt author supernaturalis: Et ratio est aperta ex dictis; Nam Deus, vt Author supernaturalis, operatur iuxta exigentiam, & inclinationem ordinis supernaturalis, sicut, vt Auctor naturæ, operatur iuxtà exigentiam, & inclinationem rerum naturalium; & sicut facit aliquando quasi miracula naturæ, & sic operatur cum dominio obedientiæ, ità etiam facit aliquando miracula gratiæ, vt dùm eleuat obedientialitèr actum attritionis in Sacramento Pænitentiæ, vt sit causa gratiæ, etsi priuaret eandem gratiam aliqua sua proprietate. Non nego quidem, quòd dum Deus producit in anima gratiam, agat tunc, vt agens obedientiale, seù ponens obediẽtiam, tamen id non facit, quia Author præcisè supernaturalis est, cùm etiam, vt sic, influat modo connaturali: debet ergò videri, quid addat iste modus obediẽtialitèr actuandi creaturam supra influxum ordinis naturalis, & supernaturalis. Pro quo.

Notandum Tertiò, quòd sicut ratio entis participati in tota sua amplitudine abstrahit ab exigentijs, ac legibus ordinis naturalis, & supernaturalis, cum sit determinabilis per vtrumq; ordinem, sic etiam Deus, vt concipitur attingere rationem entis participati, concipitur, vt operans independentèr à legibus, & exigentijs rerum, quibus tamen se posteà obligat de cursu ordinario, quando ratio entis participati concipitur descendere ad differentias particulares rerum; Vnde Deus, vt terminans habitudinem entis participati, vt sic, concipitur quodammodo exlex, & sine obligatione sui ad sequendas leges particulares rerum, & sic, vt verè Superior. Ex quo videtur intulisse D.Thom. quòd creaturæ non sit violentum, quod Deus operatur in illa, quia datur in ipsa natura quædam vniuersalis, cui nihil est repugnans, quod Deus inducit, sed potiùs

ma-

maximè subditur ratione illius Deo. Hinc ergo fit, quòd sicut in rebus distinguimus, & ordinem naturalem, & ordinem supernaturalem, & formalitatem entis participati præuiam ad vtrumque ordinem, & ad leges eorum; ita nõ sine fundaméto distinguere possumus in Deo triplicem modum operandi. Vnum, accommodando se legibus naturalium rerum, & sic agit, vt Author naturæ, & terminat habitudinem potentiæ naturalis: Alterum, accommodando se legibus rerum supernaturalium, & sic agit, vt Author supernaturalis: Tertium deniq; prout operatur, vt exlex, nulli exigentiæ, vel legi vllius ordinis se accommodando, sed attendendo ad capacitatem meram entis participati, nec curando de exigentijs rerum particulariũ; & sic operatur proprijssimè, vt agens obedientiale, seù ponens obedientiam, vt magis patebit ex sequentibus. His ergo statutis.

§. 3. *Determinatur, quid sentiendũ de ratione formali potentiæ obedientialis.*

DIcendum conformitèr ad mentem D. Thom. potentiã obediẽtialem formalitèr sumptã, neque exprimere naturalitatem, neque supernaturalitatem, sed importare rationem ab vtroq; modo essendi abstrahentem. Vnde in recto dicit ipsam rationẽ entis participati, vt præuenit modos naturalitatis, & supernaturalitatis, cõnotat verò per modum termini Deum, vt plenipotentem, seù exlegem, agentem modo supremo, & independenti à legibus, & exigentijs vtriusque ordinis, tàm naturalis, quàm etiam supernaturalis.

Conclusio sic statuta probatur; seù potiùs explicatur ex præsuppositis notatis. Nam cùm obedientia sit inferioris ad superiorem, duo in illa considerari possunt, scilicet ipsa ratio, secundùm quam fit subiectio, & terminus, cui fit. Sed ex nullo istorum capitum habet potentia obedientialis importare naturalitatem vel supernaturalitatem. Ergò rectè dicitur abstrahere ab vtroq; Minor probatur quòad vtramq; partem. Et inprimis prima pars, quòd potentia obedientialis secundùm rationẽ subiectionis Deo abstrahat à ratione naturali, & supernaturali, sic probatur. Ratio illa, secundùm quam omnia subduntur Deo, est ratio entis participati (vt ostensum est ex D. Thom. 1. not.) & latè probat P. Nazar. 3. par. Sed ista ratio abstrahit à naturali, & supernaturali; nam inde docent nost. Salmat. obiectum extensiuum intellectus, neq, esse naturale neq; supernaturale, quia obiectum eius est ens, vt ens, quod aliquando est naturale, aliquando supernaturale. Hoc autem idem contingit in ente participato, vt sic. Præterea ipsi aduersarij fatentur, potentiam obedientialem abstrahere à substantia, & acci-

den-

dente, quia aliquando eſt accidens, aliquando ſubſtantia, ſed etiam potentia obedientialis aliquando inuenitur in naturalibus, vt quando fiunt miracula naturæ, aliquando in ſupernaturalibus, quando fiunt miracula gratiæ. Ergo debent admittere iidem Auth. quòd potentia obedientialis ſecundum eam rationem, ſecundùm quam ſubditur Deo, abſtrahat à naturali, & ſupernaturali.

Secunda Pars Concluſ. quòd ſcil. terminus formalis, cui fit ſubiectio in hac obedientia, abſtrahat à naturali, & ſupernaturali, prob. Tum ex dictis modò in probat. primæ partis; Nam cum illa ratio entis participati verè pendeat à Deo, & non pendeat ab illo, vt eſt Author naturalis, vel ſupernaturalis, cùm abſtrahat (vt dictum eſt) illa formalitas ab vtroque ordine, oportet, quòd dependeat à Deo, vt conſtituto in ordine agēdi ſuperiori ad vtrumque hunc ordinem; nam ſecūdùm ordinem effectuum debet eſſe ordo cauſarum, ac etiam modorum agendi in Deo. Tùm etiam hoc ipſum colligitur ex dictis in 2. not. ibi enim oſtenſum eſt, Deum, vt Authorem naturalem, & etiam ſupernaturalem, accommodare ſe legibus, ac curſui illorum ordinū reſpectiuè: At verò, vt terminat habitudinem potentiæ obedientialis, agit modo independenti à talibus legibus; Ergò modo ab illis legibus abſtrahente. Cæterùm maior Concluſ. probatio apparebit ex ſolutione argument. vbi videbitur, quomodo iſta via tuta procedat ab argumentis propoſitis contra alias ſententias ſupra impugnatas, & pauca habeat contra ſe.

Vt ergò magis ordinatè proponantur obiectiones omnes, quæ occurrunt contra noſtram ſententiam, primò proponentur illæ, quæ militant contra rationem, ſecundùm quam obedientia poteſt abſtrahere à naturali, & ſupernaturali. Secundo loco adducentur omnia quæ militare poſſunt cōtra abſtractionem termini inſpecti ab vtroque ordine.

§. 4. *Obiectiones, & earum ſolutio.*

OBijcitur primò. Videtur, quòd ratio entis participati in tota amplitudine non poſſit eſſe ratio, ſecundùm quam res ſubduntur Deo. Primò, quia illa ratio eſt determinabilis per potentiam naturalem, & obedientialē. Ergò non eſt obedientialis. Secundò, quia illa ratio eſt eſſentia entis, quæ eſt ad eſſe, & propter hoc dicunt Salmat. quòd potentia obedientialis non eſt de eſſentia intellectus.

Reſp. quòd, ſicut eadem ratio entis, vt eſt ad eſſe, eſt eſſentia, vt eſt ad intellectum, eſt veritas, & vt connotat voluntatem, eſt bonitas, ità eadem ratio entis participati, vt eſt ad eſſe, eſt eſſentia rei, vt ſic determinabilis per naturalitatem, immò & obedientialitatem, tamen, vt conno-

tat Deum plenipotentem, & exlegem in operando, dicit formalissimè rationem potentiæ obedientialis, quæ debet esse æquè vniuersalis, ac ratio entis participati.

Dices. Si hoc esset verùm, iam materia prima haberet potentiã obedientialem ad operandum; nã vt ens est; hoc illi non repugnat.

Resp. quòd ratio entis participati, cum sit transcendens, diuiditur per inferiora, & sic non potest recipere impressiones, quæ contradictoriè opponuntur inferioribus: Sicut etiam fatentur aduersarij, quòd potentia obedientialis abstrahat à substantia, & accidente, & tamen, vt in substantia, non potest habere prædicata essentialitèr propria accidentium.

Obijcitur secundò. Videtur, quòd Argumenta facta contra 2. sentent. supra relatam, etiam militent contra hanc nostram; nam quidquid sit de potentia obediẽtiali, vt sic in tota latitudine sua, saltim non potest negari, quin potentia obedientialis animæ ad gratiam non terminetur ad formam supernaturalem, illamque causet: de illa ergò erit difficultas, quomodo possit inspici, & causari ab aliqua potentia, quæ non specificetur ab illa, illamque contineat in genere causæ materialis.

Resp. illa argumenta non habere vim contra hanc nostram sententiam; pro quo aduertendũ est, & benè notandum (quia in hoc apparebit maxima veritas Senten. nostræ), quòd sicut materia prima est pura potentia in ordine ad formas naturales, & ideò non sumit speciem ab ipsis formis, sed à modo amissibili illas recipiendi, propter quod tota materia sublunaris est vna in specie, immò & numero per remotionem omnium principiorum distinguentium; ità pariformitèr potentia obedientialis est pura potentia, seù pura capacitas, vt loquuntur Nost. Salmant. in ordine ad formas præter omnem ordinem inducendas, siuè sint naturales, siuè supernaturales; & insuper habet hoc speciale, quòd non solùm est pura puritate potentiæ actuabilis per remotionem omnium actuum iam dictorum, in quo assimilatur materiæ primæ, sed etiam est pura puritate ordinis, remouens à se omnem ordinem naturalẽ, & supernaturalem; in quo distinguitur à materia prima, & consequenter debet assimilari puræ potentiæ in modo specificationis, ità quidem, vt licet recipiat aliquando actus entitatiuè supernaturales, aliquando actus naturales, sed præternaturaliter impressos, in sua tamen specificatione remoueat hæc omnia, & specificetur à modo, quo hæc omnia recipit, scil. Præter naturali ad omnes ordines, tàm naturæ, quàm gratiæ; sicut dictum est, materiam primam specificari à modo, quo agens amissibiliter, vel inamissibiliter illi imprimit formam.

Ad id autẽ, quod tãgitur in argumẽto, quomodo possit causari

Digitized by Google

materialitèr formam supernaturalem, cùm non sit supernaturalis. Respondetur, causam purè materialem, quæ est talis puritate ordinis, non debere esse eiusdem ordinis cùm effectu, sicut quia materia prima est pura puritate actualitatis, non debet habere actualitatem, vt causet materialitèr actum. Quòd si quæras, quare materia prima non est pura puritate ordinis? Resp. quia est pars connaturalis compositi, habetq; inclinationem naturalem ad formam. Sed.

Dices. Iuxta hanc solutionem, omnia argumenta facta contra secundam sententiam supra reprobatam, non habent vim; nam cùm pura potentia non recipiat speciē ab actu, sed à modo recipiendi illum, fit, quòd potentia entitatiuè naturalis, cùm aliunde sit pura in ordine ad actus supernaturales, non necessariò specificari deberet à talibus actibus, & sic posset esse terminatiuè supernaturalis absq; eo, quòd euaderet in sua entitate supernaturalis.

Resp. Negando Anteced. Nam potentia exprimens naturalitatē non est pura puritate ordinum, sed est determinata ad vnum ordinem, scilicet naturalem, proinde non est indifferens ad omnes: sicut si materia haberet aliquem actū, non esset in pura potentia ad omnes; vnde naturalitas est prædicatum repugnans puritati potentiæ obedientialis; quandoquidem, vt sic, petit formam, & agens naturale. Hoc autem explicari potest exemplo intellectus humani, qui dicitur in potentia omnia, quia nullam habet naturam determinatam, quæ intus existens prohibeat extraneum, vt profundè ex D. Thom. ostendunt nost. Compl. in lib. de An. Sic ergò, vt potentia obedientialis sit in pura potentia ad impressiones supernaturales, non debet habere in se naturam determinatam in genere modi actuabilis; talis enim prohiberet extraneum modum; Certum est autem, quòd prædicatum naturalitatis sit natura determinata in esse actuabilis, cùm petat actuari modo connaturali, &c. Patet igitur, argumēta illa benè impugnasse secundam sententiam, nihil autem facere contra nostram.

Obijcitur tertiò. Videtur, repugnare medium inter naturale, & supernaturale. Ergò, & quòd potentia obedientialis consistat in formalitate abstracta à naturali, & supernaturali. Anteced. prob. quia videntur opponi contradictoriè; nam idem est esse supernaturale, ac esse supra totam naturam creatam, & creabilem. Ergò cùm esse, & non esse opponantur contradictoriè, eodem modo se habebit, & naturale, ac supernaturale.

Rursùs, quia inquiritur de illa formalitate entis participati; aut est supra debitum naturæ creatæ, in qua imbibitur, aut non? Si primum, erit supernaturalis, si secundum, erit naturalis. Præterea, aut est intra ordinem naturæ, aut extra. Si primum, erit naturalis, si se-

tundùm, supernaturalis.

Resp. Hæc omnia æquè militant contra formalitatem conceptus essentialis intellectus, quam nost. Salmat. fatentur abstrahere à naturali,& supernaturali; & idē de eius obiecto, quod est verum, vt sic, abstrahens à naturali,& supernaturali: Quare dicitur, quòd licet nulla detur entitas in rerum natura, quæ non sit,aut naturalis, aut supernaturalis, tamèn non omnis formalitas inuēta in rebus, aut vnum, aut alterum exprimit, vt patet in exemplo nuper allato: Iuxta hæc ergo.

Resp. ad Argumen. Negando Anteced. Si intelligatur de formalitate cōstituente potentiam obedientialem. Ad cuius improbationem resp. naturale non esse idem,ac non esse supra totum ordinem naturæ, sed petit, quòd sit determinatum intra ordinem naturæ,exigens formas,& agens naturale. Et quando postea instatur, quòd potentia obedientialis, si non sit intra ordinem naturæ,debeat esse extra. Distinguo, per modum habentis se præter illum ordinem. Concedo;per modum habentis se supra illum. Nego. Igitur, cùm hæc potentia sit abstracta ab vtroque ordine,est præter vtrumque,& sic per hoc,quòd sit extra vnum, non debet statim inferri,quòd sit intra alium. Quādo tandèm petitur,an hæc potentia sit supra debitum rei, in qua imbibitur, vel non? Resp. esse supra debitum superioritate potentiali,non actuali, sicut gradus cōmunis est supra inferiora, sed per modum potentialioris; debitum autem sequitur ad naturas particulares, sicut & inclinationes,non autèm ad illam rationem vniuersalissimam,cui omnia æqualiter se habent, & non debetur potiùs vnum, quàm aliud; At supernaturalitas consistit in eo, quòd sit supra debitum superioritate actuali dicente perfectionem, & non potiùs imperfectionem, vti est illa ratio communis.

Dices;Quod est necessariò connexum cum prædicatis naturalibus, est necessariò, & naturalitèr debitum naturæ,ac proinde naturale. Sed illa ratio communis est necessariò connexa cum prædicatis naturalibus. Ergò est debita naturæ, & verè naturalis. Minor patet, nàm non potest dari in rerum natura ipsa natura particularis,quin sit ens participatum.

Res. disting. Maiorem. Est naturale,& debitum identicè,& implicitè; Conced. explicitè, & formalissimè. Nego. Nam prout sic, cùm antecedat omnem determinationem naturæ particularis, non exprimit in suo conceptu,illi naturæ deberi. Quod potest alitèr explicari, si dicatur cum Nazario, quòd hinc solùm probetur illud prædicatum esse naturale subiectiuè,quia identificatur cum natura,non verò formalitèr,quia, vt sic,abstrahit.

Obijcitur quartò.Data hac potentia sic abstracta, non videtur repugnare potentia obedientialis actiua; nàm illi potentiæ sic abstra-

stra,

Digitized by Google

stractæ correspondere debet actus etiam abstractus; hunc autem attingi sine eleuatione, nō repugnat.

Secundò. Quia impediret, ne res posset creari in puris naturalibus; cùm haberet sibi identificatum prædicatum non naturale.

Tertiò. Quia Deus, vt Author naturæ, non posset producere entitatem rei: quia non cognosceret illam formalitatē sic abstractam, iuxta dicta contra secundam sententiam.

Resp. Negando, vllum ex assignatis inconuenientibus sequi in nostra sententia. Et quoad primū respond. Negan. sequelam. Nam licèt hæc potentia ex parte modi recipiendi abstrahat à naturali, & supernaturali, tamèn ex parte rei receptæ verè recipit formas supernaturales: sicut materia prima sublunaris, licet ex parte modi recipiendi abstrahat ab hac, & illa forma, & solùm specificetur, suo modo, à modo recipiendi amissibilitèr, tamèn ex parte formæ inspectæ recipit formas, quæ sunt determinatæ in ordine sublunarium. Licet autèm non repugnet, puram potentiam passiuam puritate ordinis recipere formam supernaturalem (vt dictum est supra) repugnat tamèn efficere actiuè, quin præcontineat in actu.

Ad secundum resp. quòd, vt reponatur in puris naturalibus, sufficit, quòd nihil habeat supernaturale, licet inueniatur in illo prædicatum non exprimens naturalitatem.

Ad tertium resp. Illam instantiam non militare in sentētia nostra, cùm ponamus in Deo rationem Authoris non exprimentis, nec naturalitatem, nec supernaturalitatem. Vnde quando attingit ens, vt sic, participatum, nondùm concipitur operari, vt Author naturæ, accommodans se exigentiæ naturæ particularis, quæ nondùm concipitur, sed, vt vniuersalissimum agens.

Dices. Ergò quoties Deus producit res, operatur, vt agens obedientiale miraculosè.

Resp. neg. sequel. Quia Deus non operatur obedientialiter, aut miraculosè, nisi quando existente ente in natura particulari, operatur iuxtà capacitatem entis, non accommodando se exigentiæ rei particularis. Nam cùm ens nullā habeat inclinationem particularem, non est capax obedientiæ: hæc enim est subiectio sui proprij appetitus ad aliū superioris; Ens ergò habet inclinationem vniuersalem ad bonum diuinum: Vndè docet D. Tho. Quòd quidquid Deus facit, est iuxtà inclinationem vniuersalem creaturarum. Quando ergò Deus attingit rationem entis, nō agit, vt Author naturæ formalissimè, neque vt Author faciens obedire, sed producens rationem, secundùm quam res omnes teneantur obedire.

Hæ obiectiones militant contra primam partem nostræ concl. quòd sc. potentia obediētialis ex parte creaturæ, prout scil. dicit rationem, secundùm quam subditur Deo, abstrahat à naturali, &

Digitized by Google

supernaturali. Nũc remanent aliæ obiectiones, quæ militant contra secundam eiusdem Conclusionis partem, nempè, quòd etiam ex parte termini per se inspecti abstrahat à naturali, & supernaturali.

Obijcitur primò. Videtur inauditum ponere in Deo aliam prouidentiam distinctam à naturali, & supernaturali. Ergò malè diximus, terminum per se inspectum potentiæ obedientialis esse talem modum agendi Dei: Deindè: dato, quòd sit possibilis talis modus agendi in Deo, tamen ille non inspicitur à potentia obediētiali: nàm Anima, vt recipiens gratiam, subditur Deo secundùm potentiam obedientialem; Sed, vt sic, respicit Deum, vt est agens supernaturale. Ergò terminus, cui subditur potentia obedientialis, est Deus, vt agens supernaturale. Minor prob. quia Anima, prout sic, subditur Deo, vt est causa gratiæ. Sed Deus, vt est causa gratiæ, est Author supernaturalis. Ergò Anima in hoc casu subditur illi determinatè, vt est Author supernaturalis.

Resp. ad primum negando, esse inauditum, dari illam prouidentiam mediam: Nam frequentèr distinguunt Theologi duo; modũ agendi de lege ordinaria, & de lege extraordinaria; primus modus diuiditur in prouidētiam naturalem, & supernaturalem, nam in vtroque ordine datur ordinaria lex. At secũdus modus abstrahit à legibus vtriusque ordinis. Nõ solent autem ex professo tractare de ista prouidentia extraordinaria, quia contingit, & raró: Scientia autem non est de raró contingentibus, & euenientibus, quasi per accidens, ex aliquo motiuo Dei.

Ad secundam probat. vt respõdeatur: Aduertendum est; quòd gratia, cùm sit formalissimè ipsa natura Dei sub modo essendi limitato, ideò subiectum, seù quasi subiectum sibi ex lege ordinaria debitum, est solus Deus, & est extraordinarium quid, & præter debitum, aut exigentiam illius, tàm excellentis formæ, quòd ponatur in creatura; quòd verò simul ac ponitur ex gratuita benignitate Dei in creatura, habeat annexas proprietates, & alia spectantia ad ordinem gratiæ, hoc est debito sui ordinis.

Hinc ergò resp. quòd licet Deus, vt tribuit gratiæ omnia debita suo ordini, agat formalissimè, vt Author supernaturalis, tamen, vt ponit gratiam in Anima, agit, vt vtens sua plenipotētia non subdita legibus vllius ordinis, modo supra dicto: & sic non formalissimè, vt Author supernaturalis. Sed

Dices. Dùm Deus communicat gratiam Animæ, verè producit gratiam. Ergò agit, vt Author supernaturalis, cùm producat effectum supernatur.

Resp. disting. conf. agit, vt Author supernatur. quoad rem productam; Conced. quoad modum producendi; Negatur. Nam

mo-

Digitized by Google

modus producendi non est alligatus legi vllius ordinis; Obedientia autem formalitèr est ad modū dominatiuum, & independentem à lege inferioris, & de materiali se habet res producta, vel imperata. Sed rursùs.

Instabis. Quia lex gratiæ petit, quòd sit in substantia spirituali, tanquàm in subiecto, & ad hoc inclinatur, sicut accidens ad subiectum.

Resp. disting. quòd sit in substantia spirituali creata: Nego: Diuina, Concedo. Et licet, vt accidens est, exigat subiectum creatum, tamen est præter legem suæ naturæ, quòd sit accidens, seù habeat modum essendi accidentarium, cùm sit formalitèr ipsa natura Dei: immò reduplicatiuè, vt accidens est, ponitur in creatura, veluti in subiecto alieno, sicut calor, adhùc, vt accidens commune est, ponitur in aqua, tanquam in alieno subiecto, ex eo, quòd proprius eius modus essēdi est, quòd sit proprietas ignis. Vndè sicut calor non inclinatur ad aquam, neque in aqua ponitur exigentia connaturalis caloris, ità neque in gratia respectu creati subiecti, aut è contra: Quod si adhuc

Instes, quia gratia, vt accidens est, nullum aliud habet subiectū, præter creatum.

Resp. propterea, quòd, cùm sit hic modus essendi præternaturalis illi, nullum habet subiectum proprium, cùm non fluat ab vllo gradu naturæ creatæ, sed adueniat merè ab extrinseco; vnde non definitur per subiectum, sed per naturam Dei, cuius est formalis participatio.

Obijcitur secundò. Deus, vt agens modo illo extraordinario, non accommodando se legibus vllius ordinis, vel agit iuxtà exigentiam rerum creatarum, vel supra exigentiam earum, si primū, agit, vt Author naturæ; si secundum, agit, vt Author supernaturalis. Ergò non videtur, posse cōcipi in Deo modum agendi medium.

Resp. agere potiùs præter exigentiam omnium ordinum, tùm naturalium, tùm etiam supernaturalium, non accommodando se legibus vllius ordinis, non supra exigentiam; hoc enim secundum solet communiter accipi pro modo influendi supernaturali: licet possit etiam dici, quòd agat supra exigentiam, superioritate tamen potentiali, & perfectibili, non superioritate actuali, modo supra dicto in solutione 3. argum. Sed.

Dices. Videtur, quòd modus iste respiciendi Deum, vt operantem independentèr à legibus rerum, sit nobilior, quàm si respiceret, vt agentem iuxta leges ordinis supernaturalis: Ergò iam hæc potentia esset supra exigentias rerum, superioritate actuali. Ant. prob. Nam Deus, vt sic potens operari, abstrahit à modo proprio ordinum abstractione formali; cum contineat in se perfectiones ordinum, potens in singulis pro suo libito operari; vnde

ex-

exprimit maiorem perfectionem, quàm, vt est Author naturæ, vel gratiæ; Sicut Epicheia, quæ in casibus extraordinarijs, non tenetur legibus particularibus, habet principatum supra omnes leges, & essentia Diuina continens eminentèr alias lineas, est omnibus perfectior. Ergò etiam potentia obedientialis, respiciens Deum præfato modo operantem, erit nobilissima potentiarum.

Confirmatur primò; quia ideò dicitur, potentiam entitatiuè naturalem non posse habere terminum supernaturalem, quia deberet ab illis specificari, & sic poni in eodem ordine. Ergo Potentia obedientialis deberet poni in eodem ordine cum termino per se primò inspecto; cùm autē hic sit nobilissimus, consequentèr dici debet, potentiam obedientialem esse nobilissimam.

Secundò, quia sicut potentiæ naturali correspondet actus naturalis, & supernaturali, supernaturalis, ita illi potētiæ abstractæ, actus abstrahens. Ergo sicut hic actus est eminentior alijs actibus, ita potentia erit alijs potentijs eminentior.

Resp. quidquid sit de anteced. Neg. conseq; Tantùm enim abest, quòd ex maiori perfectione potentiæ actiuæ in Deo colligatur maior perfectio potentiæ passiuæ, de qua loquimur; quin potiùs exindè colligitur ipsius maxima imperfectio; nam quo maior est actiuitas in Deo, eò minorem coaptationem petit potētiæ passiuæ cum actu, & maiorem eius distantiam à perfectione actus potest vincere: vndè videmus, quòd à suo nihilo infinitè distantem ab esse potest rem perducere ad esse. Itaquè potentia naturalis, & supernaturalis habent proportionem cum suis actibus respectiuè; quare ex parte modi operandi, Deus non ita perfectè operatur in illis actuandis, sicut, cùm actuat potentiam obedientialem: quidquid sit, verùm ex parte rei productæ nobilius quid faciat, sicut cùm creat etiam rem ignobilem, nobiliori modo influit, quàm, cùm producit eductiuè formam supernaturalem. Modus ergo educendi ex potentia obediētiali valde accedit ad modum creandi ob improportionem huius potentiæ cùm effectu, licet non pertingat, cùm nihil magis distet ab esse.

Ad probationes resp. Ad primam neg. sequel. Nàm cùm hæc potentia sit pura puritate ordinis, non sumit speciem, nequè à termino, neque ab ordine termini, vt dictum est supra, sed formaliter à modo operandi, non curando de ordine, in quo sit. Ad secundam probat. resp. actum illum in Deo abstrahere, abstractione formali arguente maximam perfectionem, ab ordine naturali, & supernaturali. At verò potentiam obedientialem abstrahere potiùs abstractione potentiali, arguente maximam imperfectionem, cùm sit (vt dictum est superiùs) gradus potētialissimus en-

tis

Digitized by Google

tis participati. Ex qua doctrina.

Infero, non improbabilitèr dici, purè potentiam obedientialem esse imperfectiorem in ratione potétiæ materia prima: Nàm hæc non est pura puritate ordinis, cum sit in eodem ordine cum forma, & connaturalitèr illam exigat, appetatquè, & sic, vt ait D. Tho: habeat bonitatem quandam in ordine ad actum; At potentia hæc obedientialis, sub suo explicito conceptu, licet identificetur cum actualitate rei, in qua imbibitur, tamen formaliter est pura potentia etiam puritate ordinis, in quantùm remouet à se omnem exigentiam actus, siue naturalis, siue etiam supernaturalis, proinde magis elongatur ab actu, quàm materia prima, quæ saltim in illum propendit, eumq; connaturalitèr exigit. Atque hìnc concludi potest, dari potentiam formaliter in suo conceptu imperfectiorē materia prima; quod aliqui Thomistæ existimant impossibile, etiam de potentia absoluta.

Obijcitur tertiò. Communitèr Thomistæ negant cū Caiet. Opusc. de potent. neut. dari potentiam neutram; Hæc autem, quam ponimus, videtur potentia neutra, quia nequè est naturalis, nequè supernaturalis; Ergò non debet admitti.

Resp. Caiet. loc. cit. loqui de potentia neutra, media quasi inter potentiam naturalem, & violentam, & expresè excipit potentiam obedientialem, de qua cap. seq. ex professo tractat; & videtur illam ponere mediam inter naturalem, & supernaturalem, vt illum intelligit hic, & alibi Curiel, licet in modo explicandi sit diuersus à nobis, & hæc quantùm ad conceptum formalissimū potentiæ obedientialis passiuæ.

QVAESTIO VII.

Per quid constituantur, & in quo formaliter distinguantur membra illius diuisionis, qua ens communitèr diuiditur in Cōpletum, & Incompletum.

PRo resolutione huius difficultatis.

Supponendum est primò, dupliciter posse dici aliquam rem esse completam, & incompletam; physicè, scil. vel metaphysicè. Et quamuis ad præsens institutum non spectet agere de rebus physicè acceptis, Metaphysicam enim prosequimur, quia tamen gradus, & rationes metaphysicæ fundantur supra physicas; non possemus enim explicare rectè, per quid ens constituatur in ratione completi, vel incompleti metaphysicè, nisi explicemus, per quid physicè in esse talis constituitur; Ideò

Supponendum est 2. incompletum ens physicè esse illud, quod potens est physicè cōplere aliud, vel compleri ab alio, siue vt pars, siue vt modus, siue vt terminus; &

& hoc modo dicuntur esse entia incompleta omnes partes, quæ sunt veræ partes. Dixi, quæ sunt veræ partes, vt excludam illa, quæ sunt potentiales tantùm, in quantùm possunt cum alio identificari, & esse partes, vt patet in aqua, quæ separari realiter, & iterùm separata identificari potest; de quo vide Nost. Complut. in lib. de Gener. & Corr. disp. 5. q. 5. vbi fusè, & eruditè explicāt, quomodo illa, quæ erant antea realitèr substantialitèr identificata, possunt realiter substantialitèr diuidi, stante perpeti sententia Thomistica, quæ substantiæ intra lineam substantiæ partes substantiales denegat. Similitèr hac ratione possunt dici entia incompleta omnes modi, omnesque termini intrinseci, quales sunt existentia, subsistentia, &c. excipe tamèn subsistentiam, & existētiam increatam Verbi; hæc enim licet compleat intrinsecè Humanitatem Christi, quia tamen Eam complēt sine vlla mutatione reale ex parte sui, vt docent cōmunitèr Theol. in mat. de Incarn. inde est, quòd sicut ante terminationem Humanitatis vtraque, subsistentia, scil. & existentia increata Verbi erant quid perfectè completum, ità etiam post terminationem manent in esse completo, quia sine vlla mutatione, & dependedentia termināt. Immò, hoc genere incompletorum, etiam ipsa Natura totalis, v. g. Humanitas, & Essentia Angeli, secundùm quòd comparantur ad existentiā, & subsistentiam, sunt quid incompletum, quia componunt intrinsecè subsistens, vel existens. Ex quo facilè intelligi datur, quid sit ens completum physicè. Cùm enim contraria per rationes oppositas constituantur, illud ens erit physicè completum, quod nullo modo ordinatur ad complementum alterius, siuè illud sit in se compositum quacumquè compositione, tàm ex materia, & forma, vt materialia, quàm ex esse, & essentia, vt omnis creatura; siue sit in se quid simplicissimum, qualis est Deus Opt. Max.

Supponendum est 3. Ens completum physicè habere suam latitudinem, neq; omnia eodem modo dicuntur esse completa: sed aliqua perfectiùs, vt aduertit Ortiz in Log. tract. 4. confer. 3. §. 3. Nam in primis compositum ex materia, & forma, præciso ordine ad existentiam, vel subsistentiam, est ens in se completum intra lineam essentialē, vel specificam. Sed hoc complementum est infimum, quia magis est completa res, quando intelligitur, vt subsistens, & magis, iamque maximè, quando concipitur, vt existens, & indiuidua: quia tunc intelligitur esse in vltimo complemento, quo non datur aliud perfectius.

Ex his ergo, quæ de ente completo, & incompleto physicè diximus, facilè possumus inferre, in quo consistat ratio entis completi, & incompleti metaphysicè loquendo.

Dicimus ergò, quòd sicut illud

est

est incompletum physicè, quòd potest compositionē alicuius intrare, quod verò non potest intrare, est ens completum; ita ens completum metaph. est illud, quod ita est in sua natura constitutum, vt alterius compositionem non intret, tàm ut pars, quàm vt modus constitutiuus rei. Incompletum verò ens illud est, quod dictam compositionem intrat, vel saltèm intrare potest. Neque in hoc est immorandum, clara siquidem sunt omnia ex terminis ipsis, & ex proportione, quæ inter gradus physicos, & metaphysicos intercedere debet.

Maior est difficultas in explicando, quænam entia sint hoc modo completa, quæ verò incōpleta. Nam in primis dubitari potest de ipsa ratione vniuersalissima entis realis; An illud secundùm se sit completum, an verò non? & si non est in se completum, per quid in esse completi constituatur? Secundò dubitatur de generibus generalissimis, v. g. de Substantia, Quantitate, &c. Immò idem dubium procedit de generibus intermedijs, quia hæc omnia videntur esse entia incompleta, omnia enim possunt intrare compositionem metaphysicā, & de facto intrant, constituendo speciem cum differentia, à qua contrahuntur. Et vrgetur magis hæc difficultas, quia nulla substantia, v. g. est completa, præcisè vt continetur directè, & immediatè sub genere generalissimo substantiæ; immò neque, vt continetur sub alijs generibus intermedijs: etenim, vt intelligitur esse immediatè sub illis, adhùc est complebilis per differentias varias, per quas trahitur ad determinatam speciem. Ergo neque substantia, aut aliud genus supremum, neque genera intermedia erunt entia completa. Patet consequentia, quia si genera tàm suprema, quàm intermedia essent entia completa, tùnc indiuidua immediatè contenta sub ipsis essent sub ipsis entia completa, vtpote naturam illorum generum, quæ entia completa esse dicerentur, participantia: Cùm ergò hæc, formaliter, vt sub ipsis contenta, non sint completa, vt ex discursu facto patet, neque illa erunt.

Dices, Genera intermedia esse completa, quia sunt in suo gradu constituta ex genere, & differentia. Sed

Contra est. Quamuis genera intermedia sint constituta ex genere, & differentia, in quo differunt à generibus supremis, quæ vtpotè conceptus simplices, dicta compositione carent, non tamen sunt vltimatè completa, neque, vt sic dicam, completè composita, quia per se ordinantur ad vlteriorem compositionem, vlteriusque complementum; sicut animal ità est constitutum in suo gradu, vt adhùc possit trahi per differentias ad constituendum, & componendum hominem, vel leonem. Ergò erunt entia incompleta, sicut in compositis physicis, si esset vera illa opinio, quæ ponit formam

corporeitatis coæuam materiæ ab omnibus formis substantialibus,& accidentalibus distinctam, (quam tamen reijciunt communiter Thomistæ, eruditèque impugnant Nost. Complut. in lib. de Gener. & Corr. disp. 2. quæst. 4.) procul dubio compositum ex materia prima, & forma corporeitatis esset ens incompletum physicè; idque non ob aliam rationem, nisi quia hoc compositũ esset actuabile per alias formas, essetq; pars intrans compositionem, v. g. leonis, vel hominis. Ex alia autem parte videntur,hæc omnia esse entia completa, quia omnia ponuntur in directa linea prædicamentali, à qua tamen, communi Philosophãtium calculo, entia incompleta arcẽtur. Pro huius difficultatis decisione.

Dicendum est primò, omnia genera tàm generalissima, quàm intermedia esse entia completa. Ità Ioan. à S. Tho. quæst. 14. Log. ar. 2. Ortiz tract. 4. Log. confer. 3. §. 3. Fons. 5. Metaph. cap. 7. q. 7. Sect. 2. Suarez d. 33. Metaph. Sect. 1. & plures alij; Vt autem hæc Conclusio radicitùs probetur.

Supponendum est ex Nostris Complut. in Log. d. 5. q. 5. Genera, siuè generalissima, siuè intermedia, dupliciter sumi posse, vel vt tota, vel vt partes. Tunc sumuntur, vt tota, quando concipiuntur, vt continentia in confuso inferiora: Tunc autem accipiuntur, vt partes, quando intelliguntur, vt inclusa actu, vel potentia in gradibus inferioribus, v. g. gradus corporis,cùm ex suo conceptu significet compositum ex materia, & forma, secundùm illã perfectionem, à qua profluit quantitas, potest duobus modis concipi: Primò, vt præscindit ab vlterioribus, quæ ad conceptum dicti compositi non spectant; & hoc modo sumptum corpus est pars viuentis contrahibilis per partem formalem, sc. per differentiam ipsius. Secundo modo potest dictum corpus sumi, non vt præscindit ab vlterioribus perfectionibus, sed potiùs, vt est in potentia ad ipsas, continens eas in confuso; sicque est totum respectu inferiorum; vndè cùm nulla pars prædicetur de suo toto, gradus superiores non prædicantur de inferioribus, vt sunt partes respectu ipsorum, sed vt sunt tota ipsa inferiora in potentia continentia, quod egregiè docuit, & explicuit S. Tho. Cap. 3. de ent: & ess. vbi sic habet. *Quia natura speciei est indeterminata respectu indiuidui, sicut natura generis respectu speciei, inde est, quòd sicut id, quod est genus, prout prædicatur de specie, dicit implicitè in sua significatione, quamuis indistinctè, totum id, quod determinatè est in specie, ità id, quod species, secuncundùm quòd prædicatur de indiuiduo, oportet, quòd significet totum, quod essentialiter est in indiuiduo, licet indistinctè; & hoc modo essentia speciei prædicatur nomine hominis, vnde homo de Socrate prædicatur.* Ex quo vlteriùs sequitur, quòd

quòd gradus generici non ponũtur in linea prædicamentali, vt sunt partes, sed vt sunt tota: Cùm enim prædicamenta sint coordinationes prædicabilium, eo modo ponitur aliquid in linea prædicamentali, quo erit prædicabile. Quia ergò, vt ex S. Thoma constat, gradus generici non prædicantur de interioribus, ac per consequ. neque prædicabilium rationem respectu illorum sortiũtur, vt sunt partes, sed vt sunt tota, vt tota, non verò vt partes, collocabuntur in linea prædicamentali. Hoc ergò supposito.

Probatur nostra Concl. primò. Omnia, quæ ponuntur in recta linea prædicamentali, sunt entia completa prædicamentorum, vt communitèr docent Philosophi. Sed genera, & species, secundum quòd sunt tota, ponuntur in recta linea prædicamentali, vt ex communi omnium Dialecticorum consensu patet. Ergò genera, & species, vt sunt tota, erunt entia completa.

Confirmatur, & explicatur ista ratio; Nam, vt patet ex supposition. genera, & species possunt dupliciter considerari; vel vt sunt tota quædam, vel vt sunt partes. Ergò secundùm quòd considerãtur, vt tota, non considerantur, vt partes; ac per consequens considerata, vt tota, non intrant per se, & formaliter, vt talia, compositionem alterius, aliàs rationem partis inducerent. Ergò cùm omne ens non intrans compositionem alterius sit ens completum, vt ex supra dictis patet, genera, & species sumpta, vt sunt quædã tota, erunt entia completa.

Confirmatur secundò. Nam gradus metaphysici fundãtur supra physicos; illisque proportionantur. Ergò sicut inter gradus physicos datur in esse completi sua latitudo, ità vt aliqua sint magis completa physicè, quàm alia, v. g. magis est completum indiuiduum existens, quàm compositum ex materia, & forma, quia tale compositum etsi in genere naturæ sit completum, tamẽ in genere existendi est incompletum, vndè petit compleri, & terminari per existentiam; ità etiam inter gradus metaphysicos erit sua latitudo in ratione completi, ac per conseq. etsi genera suprema, vel intermedia non intelligãtur esse sub vltimo complemento, non ideò debent ex albo entium completorum deleri.

Probatur secundò. Si aliquid eo ipso esset ens incõpletum, quia est ordinabile ad aliud, sequeretur, quòd sola indiuidua essent entia completa, sicq; nullus gradus communis, & præcisus à conditionibus indiuidualibus esset ens completum; quod tamen est falsum, quia hi gradus ponuntur in recta linea prædicamentali, à qua tamen, vt diximus, reijciuntur entia incompleta.

Vrgetur hoc ipsum; quia etiam ens reale, vt sic, esset incompletum, quia est complebile per suos modos, quod tamen falsum est: Tũ quia diuiditur in completum,

 & in-

& incōpletum, ac per consequens ipsum non potest esse incompletum, aliàs diuisum coincideret cum vno membro diuidente. Tùm etiam, quia ens reale, vt sic imbibitur in entibus completis, de illisque essentialitèr prædicatur. Ergo, &c.

Nec argumentum in contrariũ adductum aliquid conuincit. Fatemur siquidem indiuidua generica, vt formaliter contenta sub gradibus genericis, non esse ex hac parte entia completa: tamèn negamus ex hoc sequi, ipsos gradus genericos entia completa nō esse. Cuius ratio est, quia nos dicimus, gradus genericos esse entia completa, vt sunt tota non ordinata ad componendum alia: Iàm autèm quando sumis indiuiduum genericum, v.g. hanc substantiam, vel hoc viuens, sumis substantiam in illo, vt habentem esse indiuiduum, quod quia substantia non potest habere, nisi vt habens alias actualitates intermedias, & consequentèr, vt componit gradus intermedios cum illa actualitate, inde est, quòd substantia sumpta in indiuiduo sumitur, vt pars componens gradus inferiores cum differentijs ipsorũ, estque ens incompletum; Vnde etsi hæc substantia dicatur talis, quia participat rationem substantiæ vt sic; tamèn hæc substantia non erit ens cōpletum, licet substantia, vt sic sit ens completum, quia hæc substantia non participat rationem substantiæ secundùm rationẽ incomponibilitatis cum alio, secundùm quam ratione nem est completa, vt iam explicatum est.

Per quod patet ad impugnationem solutionis inter arguendum datæ. Dicimus enim, omnes gradus genericos, immò & specificos, esse quidèm secundùm illam rationem incompletos, secundùm quam ordinantur ad componendos alios gradus; tamèn secũdùm aliam rationem, secundùm quam à tali ordine præscindunt, esse entia completa.

Dicendùm est secundò. Ens reale, vt sic, abstrahit à completo, & incompleto: Constituitur autẽ in esse completi per modos intrinsecos prædicamentorum: vnde idem est ens completum reale, ac ens diuisum in decem Prædicamenta. Ita Ioannes à S.Tho: & Didacus Ortiz locis supra cit.

Probatur breuitèr conclu. Ens reale, vt dictum est, commune est completis, & incompletis. Ergo debet habere aliquem modum, per quem trahatur ad esse completi, & incompleti; per differentias enim trahi non potest, quia genus non est. Ergò cùm modi immediatè afficiẽtes ens, & complentes illud, sint modi constitutiui prædicamentorum, ens in esse completi cōstituetur per modos constitutiuos prædicamentorum; idemque erit ens completum, quod ens diuisum in decem prædicamenta. Quod autem de ente diximus, hoc idem de accidente tenendum est. Ac proinde sicut ens, ita, & accidens, vt sic, ab-

abstrahit ab esse completo, & incompleto: Et sicut ens constituitur in esse completo per modos constitutiuos omnium prædicamentorum, ita accidens tùnc intelligitur esse completum, quando cōcipitur esse sub modis constitutiuis nouem generum accidentis.

DISPVTATIO QVARTA.

De Proprietatibus Entis in communi.

HVcùsque egimus de natura, & multiplicitate entis; restat, vt ad ipsius affectiones, seù proprietates explicandas descendamus. Hæ namque sicut naturam entis immediatè consequuntur, ita post illam cognitam immediatè cognosci debent. Priùs tamen agemus de illis in communi, vt sic iuxtà methodum, quam assumpsimus in principio huius Tractatus, ab Vniuersalioribus ad minus vniuersalia procedamus.

QVAESTIO I.

Vtrùm Ens habeat veras, & reales proprietates, seù passiones.

PRo intelligentia,& resolutione præsentis difficultatis.

Supponendum est primò, Proprietates,seù passiones esse in duplici differentia. Aliæ enim sunt demonstrabiles. Et aliæ sunt veræ, & reales. Passiones demonstrabiles sunt illæ, quæ possunt concludi de subiecto per syllogismum demonstratiuum, quòd vt habeant, non exigitur distinctio earum realis positiua à subiecto,sed has tantummodo duas conditiones requirunt. Primò, vt ratio subiecti sit prior solùm conceptibilitèr rationibus illarum; debet enim demonstratio procedere ex prioribus. Secundò, vt consequantur per se illam rationem subiecti, vt possit esse causa saltèm virtualis illarum; Nam etiam demonstratio procedit ex causis conclusionis, non tantùm in cognoscendo,sed etiam in essendo,si sit demonstratio propter quid, quæ sola est propriè talis,solaque perfectè generat habitum scientiæ,vt docēt nost.Complut.in Log. d. 18. Passiones reales sunt illæ, quæ verè, & realiter consequuntur essentiam subiecti, tanquàm quid distinctum realitèr ab ipso, v.g. risibile est passio hominis, quia hoc modo eius essentiam, nempè essentialiter, consequitur. Vnde, vt optimè notauit Suarez in sua Metaph. disput. 3. Sect.1. n. 5. quatuor conditiones requirunt. Primò,vt sint verè res; si enim sint nihil, reales proprietates esse non poterunt. Secundò, vt aliquo modo distinguantur à parte rei ab illo, cuius sunt proprietates; Nàm si sint idem om-

ninò

ninò cum illo, potiùs erunt essentia, vel de essentia, quàm proprietates. Tertiò, vt adæquatè illi conueniant, cum illoque conuertantur, quia debent omni, & soli conuenire, vtpotè fluentes ab esentia. (Hæc tamen cōditio etiam proprietatibus demonstrabilibus potest conuenire, vt consideranti patebit.) Quartò denique, vt subiectum, siue id, cuius est proprietas, nō sit de intrinseca ratione, & esētia ipsius, aliàs sicut à sua essentia, ita neq; à subiecto, quod esset de eorū essentia, realitèr distinguerentur; quod secundæ conditioni repugnat. Vnde etiam Arist. 7. Metaph. cap. 5. tex. 18. & 1. Post. cap. 18. tex. 35. docet, subiectum non essentialitèr, & intrinsecè, sed vt additum poni in definitionibus passionum. Ex quo colliges. Et

Supponendum est secūdò, non benè docuisse nost. P. Philippum à SS. Trinit. 3. p. Summæ Philosophicæ 9. 3. a. in corp. attributa realia, seù proprietates veras, & reales non necessariò distingui ab essentia, cuius sunt proprietates, sed sufficere inter illa, & essentiam distinctionem rationis: Falsa enim est hæc doctrina intellecta de proprietatibus realibus, vt contradistinctis à demōstrabilibus; si enim sunt veræ, & reales proprietates, ergò verè, & realitèr consequuntur essentiam. Ergo debent esse quid realitèr ab illa distinctū; idē enim nō potest realiter seipsū cōsequi, & precipuè eo consecutionis modo, quo veræ, & reales passiones essentiā cōsequuntur, ita vt illa sit causa aliquo modo efficiens illarum, non tantùm virtualis (hoc enim est passionum demonstrabilium proprium, vt distinguuntur à realibus) sed etiam formalis. Nec iuuat P. Philip. exemplum de attributis diuinis, quod pro se adducit: diuina enim attributa nō sunt proprietates reales, vt hæ distinguuntur à demonstrabilibus, quia non habent causam formalē sui esse, vt communiter docent Theologi.

Supponendum est tertiò, non quodlibet reale distingui ab alio reali realiter; sed benè possunt entia realia distingui sola ratione; quod licet multis exemplis confirmari possit, pro nùnc tamen illud sufficiat, quòd in homine v, g. sunt plures gradus, v. g. gradus corporis, viuentis, animalis, &c. qui gradus, etsi sint reales, vt cōmuniter admittunt Philosophi; collocantur enim in prædicamento substantiæ, à quo, sicut, & ab alijs, excluduntur entia rationis, non tamen sunt realiter distincti; aliàs deberent dari in homine plures formæ realiter distinctæ, à quibus illi gradus communicarentur; quod tamen implicat, vt communiter docent Thomistæ; & eruditè probant nost. Complut. in Phys. d. 3.

Ex quo sequitur, quòd aliud est quærere, an passiones entis sint reales, & aliud, an sint realiter ab ente distinctæ? Vnde etsi enti concederentur passiones reales; non ideò concederentur ab ente realiter distinctæ. Passiones enim, seù proprietates demonstrabiles

biles verè sunt quid reale, cùm tamen non sint ab ente realiter distinctæ. Vnde si in hoc sensu intellexit passiones reales P.Philip. quando illas dixit, posse non distingui realiter ab essentia, cuius sunt passiones, potest eius doctrina sustineri. Satis tamen impropriè locutus est, quia, presè, & metaphysicè loquendo, passiones, seù proprietates demonstrabiles sunt contra reales distinctæ: pro cuius vberiori intelligentia.

Supponendum est quartò, non esse idem aliquid esse ens reale, & esse passionem realem: quia aliunde sumit denominationem in esse entis, & aliundè in esse passionis; Dicitur enim aliquid ens reale à realitate essendi, siue illam habeat distinctam ab alio, siue non. Realitas autem passionis sumitur à realitate distincta realiter à realitate essentiæ, quia passio realis sicut realitèr dependet ab essentia, cuius est passio, vt causa ab effectu, ita debet distingui realiter ab illa: Vnde bene potest esse aliqua passio ens reale, & tamen non esse passio realis. Nec valet argumentum. Hoc est passio, & est reale. Ergo est passio realis. Committitur enim hic fallacia accidentis similis illi, si diceremus: iste canis est pater, & est tuus; Ergo est pater tuus. Vnde passiones demonstrabiles etsi possint esse quid reale, nō tamèn possunt dici passiones reales, quia, vt iā sæpe diximus, ad hoc, vt aliqua passio sit realis, debet realiter dimanare à subiecto, ac realiter distingui ab illo.

Ex quo iam facile colligere poteris præsentis difficultatis sensum. Quærimus enim an ens habeat proprietates, per se loquendo, siue demonstrabiles, siue reales. Neque tamen hìc volumus vltimate decidere, quomodo hæ passiones ab ente distinguantur, quia hoc in sequentibus commodiùs determinari poterit, quando specialitèr de singulis agemus, vbi ostendemus, quid quælibet supra ens addat, si enim addent aliquid reale, distinguentur ab ente realitèr; si autem nullam enti realitatem addent, neque ab illo realiter distingui poterunt. Pro nunc autem quærimus, an, & quales ens, vt sic, habeat proprietates, seù passiones. In quo est multiplex Auctorum sententia: Omnes tamen opiniones ad tres classes possunt reuocari. Prima sententia est Scoti in 1. d. 3. q. 2. & metaph. 4. c. 2. & in alijs locis, quem etiam sequuntur communiter Scotistæ docentes, ens habere reales, & positiuas proprietates ex natura rei ab illo distinctas.

Fundamentum huius opinionis primum est. Vnitas, Veritas, & Bonitas addunt aliquid reale, & positiuum enti, ab ipso ex natura rei distinctum. Ergò sunt passiones reales. Patet cōsequētia ex suppositionibus: Anteced. prob. Si Vnitas, Veritas, & Bonitas nihil reale adderent supra ens ab ipso realiter distinctum, sequeretur, quòd in prædicationibus, in quibus enunciātur de ente, vt v.g.

quan-

quando dicitur: Ens est bonum, vel verum, vel vnum: aut de ente enunciaretur aliquod ens rationis, aut illæ prædicationes essent identicæ; vtrumque est falsum. Ergò, &c. Maior patet. Nam in primis illæ passiones, cum formaliter non sint nihil, si non sunt ens reale, erunt entia rationis, si verò sunt realia, ab ente tamen non distincta, erunt idem cum ipso. Ergò quando prædicabuntur, vel erit prædicatio identica, vel prædicabitur aliquod ens rationis de ente. Falsitas autem vtriusque ex eo patet, quia aliàs illæ prædicationes vel essent nugatoriæ, vel falsæ; nugatoriæ, si essent identicæ, quia idem omninò diceretur de seipso, quod est nugatorium; falsæ verò, si ens rationis prædicaretur de ente reali, quia falsum est, ens reale esse aliquod ens rationis.

Secundum fundamentum. Passiones entis demõstrantur in Metaphys. de ente. Ergo sunt reales. Patet anteced. probatur consequ. Scientia realis demonstrat de suo obiecto passiones reales. Sed obiectum eius est ens. Ergo habebit passiones reales, quæ de illo demonstrentur.

Confirmatur; nàm Aristotel. 4. Metaph. c. 1. dicit, hanc scientiam contemplari ens, quatenus ens, & quæ illi per se insunt: hoc est, vt ibidem explicat S. Tho. entis per se accidentia, &c. Ergo hæc accidentia entis, seù passiones sunt quid reale, enti enim reali non potest per se inesse, quod reale non est, vt ex terminis ipsis patet.

Fundament. tertium. Nullo intellectu cogitante, ens est verum, bonum, & vnum. Ergo istæ passiones dicunt aliquid positiuum, & reale additum enti. Patet antec. prob. conseq. quia quod competit alicui indepẽdẽter ab operatione intellectus, competit ipsi realiter, tanquam quid reale additum ipsi. Ergo, &c.

Confirmatur. Quæ in Deo distinguuntur ratione, in creaturis distinguuntur realiter. Sed ens, vnũ, verum, & bonum in Deo distinguuntur ratione, ergo in creaturis distinguentur realiter. Ergo. &c.

Secunda sententia dicit, ens nõ habere passiones reales, sed rationis tantum. Ita Iauellus 4. Metaph. q. 2. Niger. q. 7. Clypei. Fonseca 4. Metaph. q. 2. §. 5. sect. 2. Quæ etiam sentẽtia ab aliquibus Thomistis tribuitur Francisco Suarez, sed immeritò; nàm ipse non absolutè dicit, passiones entis reales non esse, sed talem illis realitatem denegat, quæ sit à realitate entis distincta: quod non est dicere, passiones entis non esse simpliciter reales, sed rationis tantùm, vt ex infra dicendis patebit.

Fundamentum huius opinionis est; Quia proprietates entis tales debent esse, & dici, quale est illud, quod superaddunt enti: Sed non superaddunt aliquid reale, sed tãtùm aliquid rationis. Ergo non sunt reales, sed rationis. Maior patet, quia proprietates habent rationem proprietatum ratione illius superadditi; Ens enim non

po-

Digitized by Google

potest esse sui ipsius proprietas. Minor verò probatur: Si proprietates entis superadderent aliquid reale enti, illud superadditum vel realiter erit ens, vel non ens; si ens, non distinguetur ab ente, ac per consequens non erit passio entis; si autem realiter erit non ens; ergo erit realitèr nihil,& per conseq. non poterit esse passio entis, quia nihil proprietas entis esse nequit.Ergo illud,quod passiones entis addunt,per quodque in esse passionum constituentur, erit aliquid rationis.

Potest hæc sententia roborari insigni auctoritate S. Thom. q. de verit.a.1.in c. vbi S. Doct. sic habet. *Bonum,verum,& vnum non possunt addere supra ens,nisi aliquid rationis,negationem scil. sicut facit vnum, quod addit supra ens negationem diuisionis, vel relationem, sicut faciũt verum, & bonum, quorum primum addit supra ens respectum rationis ad intellectum, secundum verò respectum ad voluntatẽ.* Ecce quàm clarè S. Tho.docet,illud additum enti,quod constituit proprietates, seù passiones ipsius in esse talium, non esse aliquid reale,sed rationis. Ergo &c.

Tertia tandem sententia dicit, passiones entis non esse quidem reales ita, quòd addant enti aliquid positiuum,& reale ex natura rei distinctum ab ipso, neq; etiam esse quid rationis. Ita Flan.4. Metaph.q.1.a. 1. Arauxo 4. Metaph. q.4.a.1.nost. Blas.d. 20. Metaph. q.1. nost.P. Philip. à SS. Trint.3. p.Sum. Philos. q.3.a.1.2. Idemq; fere docet, & Soncin. 4. Metaph. q. 17. vbi concedit enti passiones demonstrabiles,negat verò reales. Hęc opinio procul dubiò vera est. Ideoq; pro eius declaratione.

Dicendum est primò, passiones entis non esse verè,& propriè reales.Ita omnes Auctores pro tertia sententia;immò etiã pro secunda citati.Probat. primò hæc sentẽtia auctor. D.Thom. nàm in primis q.1.de; verit.a.1.dicit. *Enti non potest addi aliquid,quasi extranea natura per modum, quo differentia additur generi, vel accidens subiecto,quia qualibet natura essentialiter est ens*. Idemque docet vbicũq;loquitur sigillatim de passionibus entis.Ita 1.p.q.11.a.1.dicit, quòd *Vnum non addit suprà ens,rẽ aliquam,sed tantùm negationem diuisionis*: similiter 1.p.q. 5.a. 1. dicit. *Bonum,& ens sunt idem secundùm rem, sed differunt secundùm rationem tantùm*. Ergo ex eius mente non sunt passiones verè, & propriè reales, quia istæ debent importare aliquid realiter distinctum ab illa essentia, cuius sunt passiones, vt ex suppositionibus constat.

Deinde eadem concl. probatur ratione.Passiones verè,& propriè reales debent enti aliquid addere reale realiter ab ipso distinctum. Sed passiones entis nihil possunt reale addere enti, realitèr distinctum ab ente. Ergo passiones entis non sunt verè, & propriè reales. Maior ex suppositionibus patet: Minor verò probatur. Omnẽ reale claudit intrinsecè rationem

entis; ita quòd nihil sit in eo accipere, de quo ens formalitèr non prædicetur; Ens enim est transcēdens respectu omnium realium, vt ex dictis in d. 1. huius Tract. patet. Ergo etiam illud reale, quod dicis enti addi, claudet rationem entis intrinsecè. Ergo non poterit addi enti, vt quid realiter distinctum ab ente.

Confirmatur. Illud additum, quod dicitur addi in passionibus entis ipsi enti, & ratione cuius dicuntur passiones entis esse reales, illud, inquam, additum, si reale est, vt volunt aduersarij, non poterit esse intrinsecè, & realiter nihil; quod enim nihil est, reale esse non potest, quia reale dicit esse positiuum; Nihil autem est totius entis negatio. Ergo illud additum erit intrinsecè, & realiter ens; nàm si intrinsecè, & realiter ens non esset, esset vtique intrinsecè, & realiter nihil, quia ens, & nihil opponuntur contradictoriè, vt ex supradictis patet; ac per conseq. implicant in adiecto, quicunque docent, enti addi aliquid reale positiuum distinctum realiter ab ente; quia, vt modo diximus, positiuum, & reale esse nequit, quodcunq; ponitur distinctum ab ente.

Dicendum est secundò, Passiones entis non esse quid rationis. Ita ijdem Auctores, quos pro tertia sententia citauimus. Prob. breuitèr. Id, de quo ens reale formaliter prædicatur, non potest esse aliquid rationis. Sed de passionibus entis prædicatur ens reale. Ergo non sunt quid rationis. Maior patet, quia ens reale non potest prædicari de entibus rationis. Minor verò prob. Illæ prædicationes sunt veræ. Vnum est ens, verum est ens, bonum est ens. Sed hìc non dicitur de Vno, Vero, Bono ens rationis; aliàs nihil esset à parte rei Vnum, Verum, Bonum, quod est falsissimum. Ergo dicitur ens reale. Ergo, &c.

Confirmatur. Quando dico: Deus est bonus, vel Deus est verus: non prædico de ipso aliquod ens rationis, sed aliquid reale: aliàs Deus non esset realiter verus, & bonus. Ergo verum, & bonum non sunt entia rationis, si enim entia rationis essent, quando de Deo prædicarentur, nihil de illo diceretur reale, sed ens rationis tantùm.

Dicendum est tertiò. Passiones entis sunt reales aliquo modo, ita scil. vt nō sint reales per aliquam entitatem superadditam enti, sed per ipsam rationem entis, quam in suo conceptu claudunt, non absolutè sumptam, sed vt modificatam; seù, quod idem est, sunt passiones, seù proprietates demonstrabiles, non autem verè, & propriè reales, vt loquitur Soncin. loc. sup. cit.

Explicatur, & prob. conclus. Dicimus enim, passiones entis esse aliquo modo reales, vt denotemus, eas absolutè reales dici non debere propter superiùs dicta; quia scil. non dicunt aliquid reale superadditum enti. Vocamus ergo illas reales, in quantùm non sunt entia rationis. Quod

potest

Digitized by Google

potest explicari, si dicamus; sunt reales in esse entis, non autem in esse passionis. Vnde etiam ab aliquibus vocantur passiones demonstrabiles, quia scil. demonstrantur in metaph. de ente. Ex quo vrgetur, illas non posse esse entia rationis, quia scientia realis, qualis est Metaph. de obiecto reali, quale est obiectum ipsius, non demonstrat passiones rationis. Nec obest simplicitas conceptus entis ad tales passiones ponendas; nàm proprietates demonstrabiles non repugnant simplicitati essentiæ, cuius proprietates esse dicuntur: Vnde etiam in ipso Deo, quamuis simplicissimo, inueniuntur, vt communiter docent Theologi. Concedendæ ergò sunt enti aliquæ proprietates, non purè reales, sed demonstrabiles, illæ scil. affectiones, quæ naturam entis vbique, & semper, & solam consequuntur; de quibus quæst. sequenti.

Soluuntur Argumenta.

AD primum primæ sentent. resp. negan. anteced. ad cuius probat. similiter negat. anteced. quòd scil. si passiones entis nihil adderent supra ens, ab ente realiter distinctum, prædicationes, in quibus de ente dicerentur verum, & bonum, vel essent identicæ, vel aliquid rationis enunciarent de ente. Et ratio negationis est; quia etiamsi dictæ propositiones non enuncient aliquid distinctum realiter ab ente, tamen enunciãt aliquid distinctum secundùm rationem, quod sufficit, ne prædicatio sit identica: sicut in sententia valdè probabili, & fortè in via S. Thom. tutiori, tenente, actionem, passionem, & motũ sola ratione ratiocinata distingui, hæc prædicatio: actio est motus: non est idẽtica, propter dictam distinctionem rationis: immò ipsi etiam gradus, v.g. corporis, vel substantiæ in homine, sunt in ipso idem realiter, & tamen non est prædicatio identica, quando dico: Substantia est corpus; quia, stante identitate reali, est inter illos distinctio rationis ratiocinatæ, in quantùm videns intellectus, in aliquibus esse Substantiam sine corpore, sumit fundamentum etiam in ipsis corporeis distingere gradum corporis à gradu substantiæ. Quod etiam in Attributis diuinis videri potest, vtpotè inter quæ, & essentiam nulla realis actualis distinctio cadere potest, & tamen propter distinctionẽ rationis essentia prædicatur de illis formaliter. Sic ergò etiam in præsenti philosophandum est, quòd sc. etsi inter ens, & verum, v. g. sola distinctio rationis ratiocinatæ intercedat, tamen quando verum prædicatur de ente, non est prædicatio identica. Cuius fundamẽtum hoc est, quia nimirùm prædicationes non fiunt de rebus secundùm, quòd sunt à parte rei, sed secundùm, quòd sunt in intellectu, vnde etiam distinctio, quam in illis intellectus ponit cum fun-

Digitized by Google

damento in re, sufficit, vt de re formaliter prædicentur.

Ad secũdum concesso anteced. disting. conseq. passiones entis sunt reales realitate entis, concedo, realitate passionis nego. Ad hoc enim, vt possint in scientia reali demonstrari, sufficit, quòd habeant realem entitatem, nec requiritur, quod habeant realitatẽ passionis. Quomodo autem inter se differant passio, vt habens realitatem passionis, & vt habens realitatem entitatis, patet ex dictis in suppositione quarta.

Ad Confirmat. similiter resp. ex illa auctor: Philos. aliud non haberi, nisi quòd illæ passiones entis sint reales realitate entitatis, nõ autem realitate passionis. Potest clariùs tùm ad hanc confirmationem, tùm ad ipsam rationem responderi, dicendo, passiones entis esse reales, prout reale opponitur enti rationis, non autẽ prout opponitur reali demonstrabili. Vtraque tamen solutio idem sonat: nam idem est passio realis realitate entitatis, non autem passionis, quòd passio demonstrabilis, quæ est realiter ens, non autem propriè passio realis, sicut etiam idem significat passio realis realitate entitatis, & passionis, quòd passio propriè, & rigorosè realis, talis scil., qualem nos enti denegamus.

Per quod patet solutio ad 3. argument. Passio enim, quæ competit alicui independentèr ab intellectu, est realis, prout reale opponitur enti rationis, non autem prout opponitur enti demonstrabili.

Ad quartum respondet ipse S. Tho: q.21. de Verit.a.1. vbi sic habet: *Dicendum est, quod dupliciter possunt esse aliqua vnum in Deo secundùm rem; Vno modo ex parte eius, in quo sunt tantùm, & non ex propria ratione, sicùt scientia, & potentia; non enim scientia ex hoc, quod scientia est idem cum potentia secundùm rem, sed ex hoc, quod est Diuina. Et quæ sic sunt vnum in re in Deo, in creaturis inueniuntur secundùm rem differre. Alio modo ex ipsa ratione eorum, quæ dicuntur esse vnum realiter, & sic Bonum, & Ens sunt vnum in Deo realiter, quia de ratione Boni est, quod non differat secũdùm rem ab Ente, & ideò vbicunque inuenitur Bonum, & Ens, sunt idem secundùm rem.* Eandemque solutionem alijs verbis affert S. Doctor simili argumento, q.1. de verit.a.1.ad 5. ex obiectis, sed contra, vbi dicit. *Etsi Ens, Vnum, Verum, & Bonum magis vniantur in Deo, quàm in rebus creatis, non tamen oportet, quod ex quo in Deo ratione distinguuntur, in creatis realiter distinguantur.*

Ad primum verò secundæ sententię resp. abstrahendo pro nũc, an illud additum, quod passiones dicuntur addere enti, sit reale, vel rationis, immò admisso, vt vult argumentum, quòd sit aliquid rationis, negamus ab illo debere determinari passiones entis esse aliquid rationis: illud enim additum, si non sit reale aliquid, sed

pu-

purè ens rationis, non potest intrare ad constitutionem entis intrinsecè, sed ad summum intrabit per modum alicuius connotati extrinseci. Vndè non denominabit passiones esse quid rationis intrinsecè, sed ad summum denominabit illas esse quid rationis extrinsecè, & connotatiuè tantùm, quod etiam nos non negamus. Benè enim possunt passiones entis dici extrinsecè aliquid rationis fundamentaliter, scil. in quantùm potest in illis habere intellectus fundamentum ad formanda entia rationis, v.g. in bono habet fundamentum ad formandam relationem rationis ad voluntatem.

Ad confirmationem non potest sufficienter responderi, donec ostendamus, quid sit illud, quod passiones entis addunt enti, dicimus tamen pro nunc, quod ic. S.Doct. ideò dixit, passiones entis non posse addere supra ens, nisi aliquid rationis, quia illud reale, quod addunt, non distinguitur realiter ab ente. Vnde S.Doct. loquens de additione alicuius realiter ab ente distincti, dixit, passiones entis addere supra ens tàtùm aliquid rationis, quia hoc tantùm potest ab ente realiter distingui, non quidem realiter positiuè, sed realiter negatiuè: sed horum intelligentia pendet ex dicendis in sequentibus.

QVAESTIO II.

Quot sunt passiones Entis? et quem ordinem inter se habent?

POstquàm enti aliquas proprietates concessimus, earũque naturam, quantùm pro nunc licuit, explicuimus, statim ad earum multiplicitatem explicãdam accedimus. Pro quo sit.

§. 1. *Supponuntur aliqua pro intelligentia, & quæstionis decisione.*

SVpponendum est primò, Proprietates entis esse in duplici differentia. Aliæ sunt complexæ, & aliæ incomplexæ. Complexæ sunt, quæ pluribus terminis explicantur, & sub quadam disiunctione enti conueniunt, v.g. contingens, vel necessarium, causa, vel effectus, actus, vel potentia, & similes, de quibus negari non potest, quòd sint sub hac complexione proprietates, seù affectiones entis consequentes omne ens; quodlibet enim ens debet esse necessarium, vel contingens, causa, vel effectus, actus, vel potentia, &c. vt discurrenti per omnia entium genera patebit. Sed de his in præsenti non agimus, quia de illis in alijs Philosophiæ partibus tractari solet, v. g. de causis, & effectibus in physicis, de

ne-

necessario, & contingenti in Logica, &c. Passiones verò incomplexæ sunt, quæ vnico termino incomplexo significantur, & harum numerum in præsenti inuestigamus.

Supponendum est secundò, eãdem esse quæstionem de numero passionum, ac de numero transcendentium, quia ens cum suis passionibus sunt ipsa trascendentia: quot ergo fuerint transcendẽtia præter ens, tot erunt passiones entis. Communiter autem cum ente simul numerantur sex illa voce REVBAV significata, scil. Res, ens, verum, bonum, aliquid, vnum; ex quibus, dempto ente, quod vicem essentiæ gerit, quinque remanebunt proprietates entis, & de his procedit tota difficultas, an scil. omnes istæ, vel tantùm aliquæ illarum debeant, tanquã distinctæ proprietates entis, numerari, & quem inter se ordinẽ habeant: quod vt fundamentalius decidatur, explicandum est, quid vnumquodq; ex recensitis transcendentibus importet, quidque nomine ipsius exprimatur, inde enim constabit, quæ ex illis, tanquàm diuersæ proprietates entis, sint numerandæ. Pro cuius enucleatione.

Supponẽdũ est tertiò, S. Doct. id optimè explicuisse, etiam rationem innuendo, quarè non plura his quinque numerantur transcendentia, quæ primum transcẽdens, nempè ens, tanquam proprietates, consequuntur. Verba autem Angelici Doct. sunt, quæ sequuntur. *Modus generalitèr consequens omne ens dupliciter accipi potest, vno modo secundùm quòd consequitur omne ens in se; alio modo secundùm quòd cõsequitur vnũquodque ens in ordine ad aliud. Si primo modo, hoc dicitur, quia in ente exprimit aliquid affirmatiuè, vel negatiuè, non autem inuenitur aliquid affirmatiuè dictum absolutè, quod possit accipi in omni ente, nisi essentia eius, secundùm quam esse dicitur, & sic imponitur hoc nomen, res, quòd in hoc differt ab ente secundum Auicennam in principio Metaphysicæ, quod ens sumitur ab actu essendi, sed nomen rei exprimit quidditatem, siuè essentiã entis. Negatio autem, quæ est consequens omne ens, absolutè est indiuisio, & hanc exprimit hoc nomen, vnum, nihil enim est aliud, vnum, quàm ens indiuisum. Si autem modus entis accipiatur secundo modo, sc. secundùm ordinem vnius ad alterum, hoc potest esse dupliciter. Vno modo secundùm diuisionem vnius ab altero, & hoc exprimit hoc nomen, aliquid; dicitur enim aliquid, quasi aliud quid, vndè, sicut ens dicitur vnum, in quantum est indiuisum in se, ità dicitur aliquid, in quantum est ab alijs diuisum. Alio modo secundùm conuenientiam vnius entis ad aliud, & hoc quidem non potest esse, nisi accipiatur aliquid, quòd natum sit cõuenire cum omni ente: hoc autem est anima, quæ quodammodò est omnia, sicut dicitur in 3. de Anima: in Anima autem est vis cognoscitiua, & appetitiua, conuenientia ergò*

entis

entis ad appetitum exprimit hoc nomen, bonum; Vnde in principio Ethicorum dicitur, bonum est, quod omnia appetunt, conuenientia verò entis ad intellectum exprimit hoc nomen, verum. Hucusque S.Doct. q. 1, de Verit. ar. 1. in corpore. Ex quibus habes acceptionem supra recensitorum transcendentium, quid vnumquodque illorũ significet, & in quo ad inuicem distinguantur.

Supponẽdum est quartò, quòd, quamuis communiter sex ista transcendentia numerentur Res, Ens, Verum, Bonum, Aliquid, Vnum, tamen si presse, & in omni rigore loquamur, Aliquid, à ratione trãscendentis deficit; quia transcendens in omnibus rebus, formalitatibus, differentijs, & modis rerum debet necessariò imbibi. Aliquid autem non in omnibus imbibitur. Quod sic ex doctrina Angelici Doct. deduci potest. Nam, Aliquid, si propriè, & rigorosè loquamur, non qualẽcũque entitatem, seù realitatem significat, sed realitatem absolutã. Aliquid enim communiter distinguitur contrà ad aliquid, quod insinuauit S. Thom. q. 2. de Potent. ar. 4. vbi loquens de Personis diuinis, sic inquit. *Quamuis paternitatem Filius non habeat, quã Pater habet, non sequitur, quòd aliquid habeat Pater, quod non habet Filius. Nam ipsa Relatio secundum rationem sui generis, in quantùm est relatio, non habet, quod sit aliquid, sed solum ad aliquid; quod sit verò aliquid secundùm rem, habet ex illa parte, qua inest, vel vt idem secundum rem, vt in Diuinis, vel vt habẽs causã in subiecto, sicut in Creaturis.* Ex quo infertur, relationes secundum præcisum, & formalissimum suum conceptum, qui exprimitur per esse ad, non esse aliquid, ac per consequens, Aliquid, non erit transcendens, quia non in omnibus entibus, sed in solis absolutis imbibitur.

Supponendum est quintò, nullum esse dubium, Vnum, Verum, & Bonum esse proprietates entis, inter se, & ab ente distinctas tali genere distinctionis, qualis satis est ad diuersificandas illas in ratione passionum entis. Tùm quia id habetur ex cõmuni Philos. consensu, qui vno omnes ore eas numerant, tanquam passiones veras entis. Tùm etiam, quia habent diuersitatem rationum sufficientem ad hoc, vt possint, tanquàm distinctæ entis proprietates, numerari, vt patebit inferiùs, quando de ipsis in particulari agemus. Tantùm ergò difficultas est de, Re, & de, Aliquid, an scil. debeant cum enumeratis, tãquam distinctæ passiones entis, recenseri.

§. 2. *Refertur opinio affirmatiua cum suis fundamentis.*

Aliquí ergo Philosophi censent, Rẽ, & Aliquid, esse veras proprietates entis, proindeq; illis tribus annumerandas, ac per

con-

consequens dicunt, passiones entis esse quinque, videlicet, Rem, Verum, Bonum, Aliquid, Vnum. Ita Arauxo 4. Metaph. 9. 4. ar. 2, quem secutus est Noster P. Philip. à SS. Trinit. 3. p. Summæ Philosophiæ, q. 3. ar. 3. citatque pro hac sententia Fland. 4. Metaph. q. 1. ar. 1. sed immeritò. Nam Flandria tantùm ibi simpliciter, vt vulgò numerantur, recenset transcendentia, non determinando, an illa omnia sint distincta, an non. Et quod magis mirabar, addit P. Philipp., hanc esse communem Thomistarum sententiã, cũ potius opposita sit inter Thomistas communior, Sanctiq; Doct. menti conformior, neque aliquẽ ex Thomistis vidi, solo Patre Philipp. excepto, qui post Arauxum defenderit quinarium numerum passionum entis. Quidquid tamẽ sit de hoc.

Probatur hæc opinio primò, auct. S. Tho. illa, quam adduximus supra in suppositione 3. in qua non solùm numerat dictas quinque affectiones entis, verùm etiam rationem sufficientiæ illorum assignat, dicitque, illas competere omni enti, neque aliquid, vel minimum innuit, ex quo saltem à longe colligi possit, aliquas nõ esse proprietates entis distinctas ab alijs. Immò oppositum docere videtur, vniuscuiusque rationem formalem constitutiuã, & distinctiuam assignans, vt consideranti ipsa eius verba patebit: Ergò ex mente S. Doct. omnia illa quinque communiter transcẽdentia vocata sunt passiones entis sexti transcendentis.

Probatur secundò ratione Patris Philipp. Illa est proprietas entis, quæ exprimit aliquem modum generaliter conuenientem omni enti, qui nomine entis non exprimitur, & sola ratione ab ente distinguitur. Sed Res, & Aliquid, exprimunt talem modum. Ergò sunt veræ proprietates entis. Maior patet ex dictis, & ex dicendis in sequentibus disputationibus ampliùs patebit. Minorem verò prob. nam nomine entis exprimitur præcisè ordo ad esse; Ens siquidem est id, quod habet esse: nomine autem Rei exprimitur entitas per modum quidditatis præcisè, aut essentiæ conuenientis absolutè omni enti in se considerato, suppresso ordine ad esse: habere autem quidditatem, siue esse per modum quidditatis præcisè, est modus entis. Similiter Aliquid significat peculiarẽ modum entis, qui est fundamentum diuisionis à quolibet alio. Ergò &c.

Probatur tertiò specialiter de Re. Res enim consequitur omne ens, tàmquam aliquid additum enti, distinctum secundùm rationem ab ipso. Ergo est passio eius propriè loquendo. Consequentia patet, immò, & antecedẽs quantũ ad primam partem, quod scil. Res consequatur omne ens, quia cùm Res significet quidditatem, vt ex S. Doct. in suppositione 3. diximus, sicut omne ens habet quidditatem, ita omne ens est res; quo-

Digitized by Google

ad secundam verò partem, quòd scil. res sit additum enti, distinctum secundùm rationē ab ipso, sic idem anteced. prob. Illa, quorū vnum multiplicatur, non multiplicato alio, distinguuntur saltem ratione. Sed Res multiplicatur, nō multiplicato ente: nàm in diuinis sunt plures res, non autem plura entia, vt docet Sanctus Thom. primo distin. 25. q. 1. a. 4. Ergo &c.

Probatur quartò de Aliquid. Proprietates entis multiplicantur iuxta multiplicitatem modorum entis, qui nomine entis non exprimuntur. Sed, aliquid, habet aliquem modum specialem distinctum ab alijs, qui nomine entis non exprimitur. Ergo est passio distincta ab alijs. Maior, & consequentia patent. Minor verò prob. Modus, quem dicit, aliquid, est esse diuisum ab alio. Sed hunc modum Ens, non exprimit, vt patet, & insuper est distinctus à modis aliarum passionum: nàm distinguitur à Vero, & Bono, quia illorum modi sūt respectiui, Verum enim respicit intellectum, Bonum verò voluntatem. Similiter, & ab Vno differt: quia Vnum dicit esse indiuisum in se primariò; esse autem indiuisum in se, & diuisum ab alio sunt modi diuersi, nec vnus infert alium; bene enim potest esse aliquid in se indiuisum, & tamen nō esse diuisum ab alio, vt patet in Deo, qui ante creationem erat indiuisus in se, quia fuit vnus, non tamen erat diuisus ab alio, quia ante creationem, nihil erat aliud à Deo, à quo Deus diceretur diuisus. Ergo &c.

§. 3. Resolutio Quæstionis.

Dicendum tamen est primò; Rem, & Aliquid non esse verè, & propriè proprietates entis, ac per consequens tātum esse tres entis passiones, seù proprietates, scil. Vnū, Verum, & Bonum. Ita ex recentioribus Thomistis noster P. Blasi. à Concept. ex antiquioribus enim nullus, quem vidi, hanc quæstionem tractauit, præter Capreolū, qui aliquid circa ipsam habet in 2. dist. 2. q. 1. ad 12. cont. 5. concl. vbi etiam in nostram inclinat sententiam. Ita etiam, & plures Neoterici. Suarez d. 3. Metaph. sect. 2. Fonseca l. 4. c. 2. q. 5. sect. 2. citatq; pro nostra senten. Tho. Argen. Alexan. Alens. Picum Mirandul.

Probatur primò generaliter nostra cōclusio quantùm ad omnes partes. Nam licet S. Tho. & alij Metaph. vulgò numerent inter transcendentia hæc quinque, quando tamen de illis, vt distinctis, separatim loquendi offert se occasio, nunquàm agunt de omnibus quinque, sed omissis Re, & Aliquid tantùm, tractant de Vno, Vero, & Bono, vt videre est apud S. Th. 1. p. q. 5. ar. 11. & 16. Immò etiā ipsi Auctores, qui contrariam defendunt sententiam, tantùm de istis tractant, vt videre est apud P. Philip. in 3. p. cit. ergo signum est, has tres, scil. Vnum, Verum, & Bonum, esse proprietates distinctas, non verò illas duas, scil. Aliquid, & Rem.

Nec valet, si dicas, quod innuit

P. Philip. in Procæ. quæst. 4. ideò nihil de istis duabus à Metaphysicis disputari in particulari, quia nullam specialem inuoluunt difficultatem.

Contra enim est, quia non stat, duas illas addere, & explicare aliquem modum, qui nomine entis non exprimitur, esseque passiones eius, & nullam specialem difficultatem inuoluere; Saltem enim de illis quæri posset, quod etiam de alijs quæritur, quid sit illud, quod addunt: an sit positiuum, an negatiuum? an, & quomodo conuertantur cum ente? Deinde specialiores quæstiones etiam de illis excogitari possent, vt v.g. concesso iam, Rem esse distinctam ab Ente, ex eo, quia Ens dicitur per ordinem ad esse, Res verò quidditatem solam significat ab ordine ad esse præcisam, ego quærerem, an quidditas, vt per nomen Rei significata, pręscindat negatiuè ab esse, an verò purè pręcisiuè? Quærerem secūdò, an res imbibatur intrinsecè in modis? essetque hæc quæstio grauissima, quæ, si determinaretur, Rem includi intrinsecè in modis, rueret communis opinio Philosopho: inter res, & modos distinguens. Si autem diceretur, non includi, falsum diceretur, quia modi habent suam quidditatem modalem. Ergo cùm res significet quidditatem, deberet in illis includi. Tertiò quæri posset, an essentiæ rerum, sicut ab æterno poterant dici quidditates, ita etiam poterant res appellari. Et similes aliæ quæstiones, tùm de Re, tùm de Aliquid, iuxta vniuscuiusq; ingenij acumē, excogitari possent, quæ ad naturam harum proprietatum (si semel essent veræ proprietates entis) explicandam non parum conducerent, immò omninò necessariæ essent. Ergo &c.

Probatur secundò specialiter de Re, nam secūdùm Doct. Angel. loco supra citato, in hoc differt res ab ente: quòd ens sumitur ab actu essendi, sed nomen rei exprimit essentiam, siuè quidditatē entis. Ergò Res nō erit passio Entis. Patet conseq. quia passiones entis debent aliquid addere entis jam autem si Ens significat essentiam cum aliquo ordine, seù capacitate ad existentiam; Res verò eandem quidditatem, seù essentiam significat, ad summum præciso ordine, & capacitate ad esse, (quamuis hoc ex vi verborum S. Doct. non habeatur, quod dictū ordinem debeat supponere) non solùm res superaddet aliquid enti, sed potiùs detrahet, quia præscindet ordinem, seù capacitatē ad existentiam, quam ens exprimit. Immò potiùs dicendū esset, ens ipsum esse proprietatem rei, quia addit illi capacitatem ad esse, quæ nomine, rei, non exprimitur.

Confirmatur. Nam, res, non ita supprimit ordinem ad existentiā (si semel supprimit illum) vt præscindat ab esse præcisione negatiua, hoc enim est impossibile, quia aliàs omnibus rebus repugnaret esse, quia præcisio negatiua

Digitized by Google

ua est idem, quod repugnantia; vnde, res, tantummodò purè præcisiuè se habebit ad esse, vel ad ordinem ad illud. Ergo eo ipso nihil exprimet, quod non sit expressum ab alijs omnibus passionibus: immò cõceptus rei erit cõmunis cæteris omnibus passionibus entis, quod sic manifestè deducitur. Omnes enim passiones entis, quamuis aliquid superaddant enti, ratione distinctum ab ente, tamen etiam ipsum conceptum entis includunt intrinsecè, aliàs essent intrinsecè nihil, cùm ergo conceptus entis significet essentiã connotantem existentiam, vt supra dictũ est, & infrà in hac eadẽ quæst. fusiùs declarabitur, omnes passiones entis in suo significato exprimant essentiam; quia tamen eam debent differenter exprimere, ac exprimit ens, nè earum conceptus cum conceptu entis confundatur, ideò non exprimunt cũ ordine, vel capacitate ad esse, sicut exprimit nomen entis, sed Vnum exprimet essentiam, vt indiuisam, Verum, vt intelligibilem, Bonum, verò, vt amabilem, seù volibilem; omnes tamen in hoc conueniunt, quod supprimunt ordinem, seù capacitatẽ ad esse, seù, quod idem est, præscindunt secundum suum conceptum explicitum ab esse. Ergò cùm Res nihil positiuum, vel negatiuum addat supra essentiam, quam exprimit, nisi præcisionem ab esse, cum hæc sit omnibus proprietatibus entis communis, Res non cõstituet distinctam proprietatem entis ab alijs.

Confirmatur 2. Nullus gradus superior, & determinabilis habet semper modum passionis respectu inferioris, & determinatiui; Sed conceptus rei habet se per modũ gradus superioris, & determinabilis respectu entis, si semel distinguitur ab ente aliquo modo. Ergo non erit passio respectu ipsius. Maior patet, quia neque viuens habet rationem passionis respectu animalis, nec animal respectu hominis, & sic de alijs. Minor verò prob: nam, res, vt distincta ab ente, dicit essentiam absolutè sumptam, & præciso ordine ad esse, vt volunt aduersarij; Ens verò dicit eandem essentiam cum dicto ordine ad esse; Sed essentia absolutè sumpta, & præciso ordine ad esse, est quid superius, & determinabile respectu essentiæ connotantis esse: hæc enim habet se, vt quid determinatum respectu illius, quia addit aliquid essentiæ absolutè sumptæ, quod illam determinat, limitat, ac contrahit ad talem modum essentiæ, nempè respicientis, seù connotantis esse. Ergo &c.

Aduertendum est tamen, *Rem* non esse in nostra sententia quid superiùs ad Ens, quia illam non distinguimus ab ente: cùm enim Res significet quidditatem, cuilibet autem quidditati est intrinsecus ordo ad esse, ità quòd hic ordo sit impræscindibilis ab illa; nam sicut est ab illa impræscindibile, quòd sit ens, quia hoc est

prædicatũ transcendens respectu omnium, vt ex supra dictis patet, ità & hoc, quòd dicat ordinem, siuè capacitatem ad esse, siuè distinctum à se, siuè non, siuè alterius, siuè eiusdem lineæ secum; Vnde idem omninò sunt *Ens*, & *Res*, quamuis aliquando ens sit prius, & vniuersalius, quia est indifferens ad significandam essentiam, & existentiam, secundùm quòd potest nominaliter, vel participialiter sumi. Quam primitatem entis innuit S. Tho. q. 1. de Verit. ar. 1. dicens: Illud, quod primò intellectus concipit, & in quod omnes conceptiones resoluit, est ens.

Nec refert, si obijcias, hanc doctrinam non cohærere cum dictis in disp. 1. huius Tract. 1. q. 2. Ibi enim docuimus, ens ratione suæ transcendentiæ imbibi non solùm in omnibus entibus, sed etiam in omnibus modis rerum; hi enim, quia non sunt intrinsecè nihil, sunt intrinsecè entia: Iam autem si Res est omninò idem cũ Ente, non posset Ens imbibi intrinsecè in modis, quia neque Res in ipsis imbibitur, aliàs non essent modi, sed res. Debet ergò Res aliquo modo distingui ab Ente, quia ea, quæ sunt omninò idem, non possunt separari, sicut separarentur, si vnum imbiberetur, aliud verò non.

Huic obiectioni posset responderi ex doctrina Suarez, dicendo, modos non habere aliam entitatem vllam, nisi entitatem rei, cuius sunt modi; vnde sicut ab illa entitate sunt entia, ità etiam sunt res. Hæc autem doctrina Suarij sustineri non potest, nam, vt patebit ex disp. vltima tract. 2. in qua de modis agemus, modi debent habere aliquam entitatem modalem, etsi debilissimam, distinctam non quidem realiter, sed modaliter ab entitate rei, quam afficiunt; quod etiam nunc vnico exemplo sufficienter conuincitur. Nam dependentia luminis à Sole, vel caloris ab igne, quæ est aliquis modus, habet distinctam entitatem ab entitate luminis, vel caloris dependentis; ergò & alij modi habebunt distinctas entitates à rebus, quarum sunt modi. Consequentia patet à paritate rationis; Anteced. probat. ex separatione ad distinctionem arguendo. Quæ enim à parte rei possunt separari, à parte rei distinguuntur. Sed dependentia est separabilis ab entitate luminis, vel caloris; si enim Deus suspenderet suum concursum, nec concurreret cùm igne v. g. vt conseruet calorem, sed ipse Deus illum conseruaret, (quod procul dubio facere potest, quia etsi non possit producere calorẽ ignis sine igne, potest tamen iam productum cõseruare sine ipso, quia calor non pendet in esse, sed solùm in fieri ab igne, vnde etiam, amoto igne, conseruatur). In hoc ergò casu esset entitas caloris, & tamen nõ dependeret ab igne: Quæro ergò; an modò deperijt aliqua entitas, quæ fuit in entitate caloris, quando depẽdebat ab igne, an non? si

dixeris, quòd deperijt, habeo intentum, quod sc. modus dependentiæ est aliqua entitas distincta ab entitate caloris, quæ perijt, calore cum sua entitate remanente: Si autem dixeris, quòd nulla entitas perijt, quæ fuit ante in entitate caloris, quando dependebat ab igne; ergò calor non mutabitur realiter, quia nihil realiter acquirit, vel amittit; ac per consequens, sicut antea erat dependẽs, ita & modò; quod est inimaginabile. Sed hæc ampliùs in cit. disp. patebunt: Eademque instantia fieri potest de lumine Solis, quod non dependeret à Sole, si Deus suspenderet suum concursum; sed quia non est ità certum, an Deus possit conseruare lumen Solis sine Sole, ideò adduximus exemplum de calore ignis, de quo certum est, posse conseruari sine actuali influxu ignis, cùm hoc etiam naturaliter fieri possit, vt ex dictis, & ex ipsa experientia constat.

Potest hoc ipsum amplius roborari. Nam sessio, quæ est modus quidam animalis, potest tolli manente entitate animalis: quando enim animal surgit, manet entitas ipsius, & tamen entitas sessionis perit. Ergò, &c.

Hac ergò Suarij solutione reiecta, aliter ad argumentũ respondendum est, supponendo priùs, Rem dupliciter sumi posse: Primò, vt est transcendens, significans, iuxta S. Tho., quidditatem, & hæc etiam imbibitur in omnibus, quæ aliquam habent quidditatem, estque idem cum ente, vt diximus. Secundo modo sumitur *Res*, prout dicit quidditatem perfectam, potentem saltem de potentia absoluta inueniri sine alio, à quo dependeat, tanquam à fulciente se: & hoc modo Res distinguitur contra modos, qui etiã de potentia absoluta sine rebus esse non possunt, propter debilitatem suæ entitatis. Hoc ergò supposito, ad obiectionem resp. Rem, primo modo, non autem secundo, esse idem cum ente, ac proinde sicut ens, ita & Res primo modo accepta in ipsis etiam modis imbibitur, quia etiam illi sua quidditate gaudent, per quã formaliter constituuntur extra nihil.

Probatur tertiò conclusio nostra quantùm ad *aliquid*. Nam, vt habetur ex auct. S. Thom. supra in suppositionibus relata, *aliquid* nihil aliud addit enti, nisi esse diuisum ab alio. Sed hoc non sufficit ad hoc, vt aliquid numeretur, tanquam distincta passio entis, quia clauditur in adæquato conceptu Vnius, quod (licet secundariò) dicit indiuisionem: definitur enim Vnum, quòd sit ens indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio.

Nec eneruat vim huius argumenti solutio, quam adhibet P. Philip. à SS. Trin. dicit enim ille, Vnum, & Aliquid multiplicari in ratione passionum entis, quia Aliquid alium modum entis exprimit, & aliũ Vnum, nàm Vnum exprimit primariò indiuisionem,

se;

secundariò verò diuisionē ab alio. Iam autem Aliquid totum contrarium dicit, nàm primariò diuisionem ab alio, secundariò autem indiuisionem in se significat; qui modi sunt valdè diuersi, & vnus potest esse sine alio: Quod prob. quia ante creationē mundi Deus erat indiuisus in se, erat enim vnus, non tamen erat diuisus ab alio, quia nihil fuit, à quo diuideretur. Hoc idem videtur docuisse Iauellus in tract. de transcend. c. 3. in quantùm docuit, Deum ante creationem mundi non fuisse aliquid, quia non fuit aliud quid, cùm ante creationem nihil fuerit aliud à Deo.

Non, inquam, hæc solutio vim nostræ rationis eneruat, vnde sic contra illam arguitur. Passiones entis non multiplicantur, nisi in quantùm vna exprimit aliquid, quod non exprimit alia supra ens. Sed, vt ipse P. Philipp. fatetur, Aliquid nō exprimit aliquod, quod non exprimit Vnum, sed tātùm alio modo idem exprimit; quod non sufficit ad multiplicationem passionum; modus enim ex natura sua non multiplicat id, cuius est modus, vt patet in homine, qui non est alius stans, & alius sedens. Ergò Aliquid non distinguetur ab Vno, sicut passio, & passio, sed sicut eadem passio diuersimodè accepta secundum suum primarium, & secundarium significatum, eo proportionali modo, quo accidens non diuersificatur penes suum primarium, & secundarium actum, videlicet penes esse, & operari: idem enim accidens immultiplicatū respicit operari primariò, propter quod est additum substantiæ, secundariò autem esse, de quo vide Nost. Complut. in Phys. d. 10. q. 4. & seq.

Nec illud est verum, quod ad probandam suam sententiam adducit dictus P. Philip. Nunquàm enim potest inueniri Aliquid sine Vno, nec Vnum sine Aliquid; sicut neq; esse indiuisum in se sine esse diuiso ab alio, vel è contra, quia implicat, aliquid concipi sub indiuisione in se, quin statim concipiatur sub esse diuiso ab alio, vel è contra. Si enim cōcipis, aliquid esse indiuisum in se, statim illud concipis distingui ab omni alio, quod non est illud, aliàs in se indiuisum non esset, quia esset cōmunicans huic, & alteri. Similitèr si concipis, esse aliquid diuisum ab alio, de necessitate concipis illud indiuisū in se, quia repugnat, aliquid non manens in se vnum, & indiuisum, distingui ab alio.

Vnde illa instantia de Deo falso nititur fundamēto: Deus enim etiam ante creationem, sicut erat quid vnum, & indiuisum in se, ita erat aliquid, & diuisum ab alio, non quidèm actualitèr, sed aptitudinalitèr, quia scil. deficiebant, à quibus actu diuideretur: quantùm verò ex parte intrinsecorum sibi, habuit semper actu, per quæ ab aliis distingueretur; vnde, positis rebus aliis à Deo per creationem, statim Deus, sine aliquo sibi superaddito, per solam con-

Digitized by Google

notationem positorum per creationem, cæpit in actu exercito esse diuisus ab alijs: quod proculdubio conuincit, illum ante creationem habuisse omnia, quæ ad talem diuisionem requirebātur, fuisseq; verè Aliquid; quod definitur, siue describitur, quòd sit ens diuisum à quolibet alio; verè enim, sicut iam dixi, Deus erat ens diuisum ab alio, non quidem actu, sed aptitudine: verba autèm in definitione posita nō sonant actum, sed aptitudinem.

Immò, stāte hac opinione Iauelli, quam amplexus est etiam P. Philip. quòd scil. ante creationē Deus non erat aliquid, quia non erat diuisus ab alijs, sumitur efficacissimum argumentum contra eundem ad probandum, *aliquid* non esse passionem entis, nam passiones entis sunt conuertibiles cum ente, ita vt, cui ratio entis competit, eidem etiam rationes passionum competere debeāt; Ergo, quod non competit omni enti, non erit passio entis. Sed ante creationem Deus erat ens, & non erat aliquid, iuxta opinionem P. Philip. Ergo Aliquid non est passio Entis, quia non conuertitur cum Ente, neque omni enti competit.

Objicies in gratiam P. Philip. contra doctrinam huius argumenti, in qua diximus, passiones entis non multiplicari penès rationes, & formalitates, quas secundariò exprimunt; sic. Actus primarius, & secundarius multiplicant potētias etiam realitèr, vt patet in substantia, quæ primariò respicit esse, estque potentia ad esse, secundariò autèm respicit operari, respectu cuius tamèn datur alia potentia distincta à potentia ad esse, vt fusè probant Nost. Complut. in Phys. d. cit. Ergò etiam passiones entis multiplicabuntur ex eo, quòd vna primariò exprimit, quod ab alia tantùm secundariò exprimebatur; sicut substantia distinguitur à potentia operatiua, quia hæc respicit primariò operari, quod erat secundariò inspectum à substantia, vtpotè primariò respiciente esse; ac per consequēs etiam Vnū, & Aliquid different in ratione passionum, quia Vnum respicit secundariò esse diuisum ab alio, quod tamen est primariò ab Aliquid inspectum.

Resp. primò negando antecedens vniuersaliter intellectum; etsi enim hoc sit in substantia propter specialem rationem verum, in alijs tamen potentijs est falsum, vt patet in accidenti, quod etsi primariò respiciat operari, secundariò verò esse, non tamèn distinguitur, vt est potentia ad operari à seipso, vt est potentia ad esse. Quod adeò verum est, vt etiam in ipsis habitibus, qui sunt determinationes potentiarum, ac per consequens magis restricti, magisque limitati, quam ipsæ potentiæ, inueniatur; non enim multiplicantur habitus penès actus primarios, & secūdarios, sed vterque iste actus ab vno, & eodem habitu inspicitur. Cùr autèm hoc specialitèr inueniatur in substan-

tia

tia, quòd respectu operationis, quæ est actus secundarius ipsius, requirat distinctam potentiam, vide apud nost. Complut. D.cit.in Phys.à q.4.vsq; ad 8.

Resp. secundò, admisso antecedenti, negando consequentiam. Etsi enim verum esset, potentias distingui penès distinctionem actus primarij, & secundarij, hoc tamen falsum est in passionibus Entis. Et ratio disparitatis est, nàm potentiæ, sicut specificantur ab actibus per se primò inspectis, ita & multiplicantur: Vnde si cõtigerit, aliquem actum respici ab vna potentia primariò, ab alia verò secundariò, quæ scil. habebit alium primarium, quem respiciat, illæ potentiæ diuersificabuntur, quia diuersos actus primarios respiciunt. Cæterùm passiones Entis in tantùm distinguuntur, in quantùm vna exprimit aliquid, quòd neque nomine Entis, neque nomine alterius passionis exprimitur, non attendendo, siue illud exprimat primariò, siue secundariò; hoc enim est respectu illarum per accidens; siue enim hoc, siue alio modo exprimat, tandem exprimit: inde est, quòd non sunt multiplicandæ passiones Entis penès hoc, quòd alia exprimat primariò, quod ab alia exprimebatur secundariò. Vnde neque erit necesse, Aliquid, distinctam passionem Entis constituere ab Vno, quia id, quod per ly Aliquid exprimitur primariò, nomine Vnius secundariò exprimitur.

Probatur secundò nostra conclusio, quantùm ad eandem partem, quòd scil. Aliquid non sit proprietas Entis. Proprietates Entis sunt transcendentes, sicut & Ens, quia sunt conuertibiles cum Ente, vt infrà dicetur. Sed Aliquid non est transcendens, vt ex suppositionibus patet. Ergo, &c.

Confirmatur. Aliquid significat diuisionem vnius ab altero; Sed esse diuisum ab altero non conuenit omni enti per se, sed per accidens tantùm ex coexistentia alterius entis. Ergo Aliquid non est passio entis: passio enim competit subiecto per se, vnde etiam per se de illo prædicatur.

§. 4. *Soluuntur Argumenta pro contraria opinione adducta.*

AD primum contrariȩ sententiæ resp. ex illa auct. S.Thom. non conuinci Rem, & Aliquid debere numerari, tanquàm distinctas passiones Entis. Ibi enim S. Thom: tantummodo recenset simpliciter, & explicat illa omnia, quæ vulgò transcendentia dicuntur, nec innuit, saltem leuitèr, illa omnia esse distincta eo modo, qui requiritur ad distinctas passiones Entis, quod est primum transcendens, vt consideranti ipsa verba S.Doct. patebit. Nos autem non negamus, illa omnia esse transcendentia, sed quod negamus, est, illa omnia habere

rationes ita diuersas, vt possint distinctas entis passiones constituere. Vnde etiam ipse S. Doct. quando inferiùs q. sc. 21. de verit. ar. 1. in corp. eandem doctrinam repetit, non numerauit inter passiones entis Rē, & Aliquid, sed illas dūtaxàt tres, Vnū, Verū, & Bonū.

Ad secundum resp. disting. maiorem. Illa est proprietas entis, quæ addit supra Ens, quod nomine entis non exprimitur, nec nomine alterius passionis. Concedo. Nomine Entis tantùm. Nego. Ad ponendam enim distinctam passionem ab alijs non solum requiritur expressio alicuius rationis, non expressæ nomine entis, sed etiàm non expressæ nomine alterius passionis. Vnde cùm res non exprimat aliquod, quod nomine entis non exprimatur, sicut & Aliquid non exprimit, nisi idipsum, quod nomine Vnius exprimitur, vt ex dictis pro nostra Conclusione patet, nec Res, nec Aliquid distinctas passiones entis constituent.

Ad tertium negatur anteced. quantùm ad secundam partem, quòd scil. Res addat aliquid enti secundùm rationem distinctum ab Ente. Ad cuius probat. dicimus, Ens dupliciter accipi posse. Primò, vt contradistinguitur à nihilo, ita vt quidquid non est intrinsecè nihil, sit hoc modo intrinsecè ens. Secundò, vt significat Essentiam, quæ vel existit, vel est radix existentiæ. Quando ergo communiter negant Patres, & præcipuè S. Thom. in diuinis non esse tria Entia, non loquuntur de Ente primo modo, videlicèt, vt opponitur nihilo, sed de Ente secundo modo, prout scil. est radix existentiæ. Ita explicant S. Doct. & communem Thomistarum sententiam Nost. Salmant. vt videre est apud illos Tract. 4. disp. 10. dub. 1. §. 2. Quod vt fundamentaliùs intelligas.

Scito, quòd quamuis quælibet Essentia, hoc ipso, quòd talis, dicat ordinem, seu capacitatem ad esse, quælibet enim connaturaliter est potens existere per existētiam sibi proportionatam, v. g. Diuina per diuinam, creata per creatam, ac tandèm essentia realis per realem existentiam, & rationis per rationis; Existentia enim est, per quam essentia constituitur in actu completo, & absolutè extra nihil: vnde sicut quęlibet potest esse extra nihil, & in actu completo, ita quælibet potest existere abstrahēdo pro nùnc, an existat per existentiam propriam, vel alienam, suæ, vel alterius lineæ. Quamuis ergo, vt dixi; quælibet essentia dicat capacitatem ad existentiam, non tamen quælibet est radix existentiæ, quales sunt omnes illæ essentiæ, quæ non tàm dicuntur existētiæ, quàm coexistentiæ capaces. Si autèm huius discriminis rationem petas, quærens, cùr aliquæ essentiæ sint radices existentiæ, aliæ verò non? ecce illam. In quolibet enim supposito plura sunt distinctas entitates, distinctasq; naturas, seu essentias habentia, v. g. in homine alia est essentia totius hominis, alia est

essentia formæ, alia materiæ primæ, alia subsistentiæ, aliæ existentiæ; vnaqueque enim ex his rebus, si definiri deberet, alia definitione explicanda esset, nec definitio explicans, quid sit subsistentia hominis, explicaret, quid sit materia, vel forma, vel existētia, vel essentia, ac proinde sicut ista omnia haberent differentias diuersas, ita & essentias, quia definitio explicat naturam, seu essentiam rei. Sunt ego in vno supposito plures entitates, seù essentiæ, tamen non sunt plures existentiæ, hæc enim omnia, & omnes gradus generici, & specifici per eandem indiuisibilem existentiam existunt: quod idem de omnibus alijs compositis, rebusque omnibus sentiendum est, quia in omnibus repugnat, dari existentias partiales, vt Tract. sequenti ostendemus, & innuunt Nostri Cōpl. in Phys. disp. 3. q. 5.

Ex quò facilè intelligi potest id, quod explicare intendimus, quomodo non quælibet essentia sit radix existentiæ: essētiæ enim, quæ existunt, seu potiùs coexistunt ad existentiam alterius, sicut non possunt habere existentiam particularem distinctam ab existentia essentiæ totalis, ita neque propriè dicuntur esse radices existentiæ; quod adeò verū est vniuersaliter, vt non solùm in creatis, verùm etiam in diuinis verificetur, vbi per vnicam existentiam absolutam, quæ est propria Essentiæ diuinæ, ad eandem cum ipsa lineam spectans, quæcunque sunt in Deo, omnia existunt, non solùm absoluta; sed etiam Relationes, vt docent communiter Thomistæ, de quo videri possunt Nost. Salmat. de Trinit. Tract. 4. Cursus Theolog. disp. 7. dub. 1. per totum. Hinc

Infertur, Relationes Diuinas posse dici Entia in vno sensu, in alio verò non. Cùm enim vt ex dictis in hoc Tract. disp. 1. q. 1. constat, Ens significet essentiam, si essentia sumatur, vt est radix existentiæ, Relationes non poterunt ratione talis essentiæ dici entia, quia non habent essentiam, quæ sit radix existentiæ, nàm per ipsā existentiam absolutam Diuinæ Essentiæ existunt. Et in hoc sensu negāt Theol. sequaces S. Tho. dari in Diuinis tria Entia, vt ex illorū rationibus constat, quas semper in hoc principium resoluunt, quia Relationes nō habent essentiam, quæ sit radix existentiæ. Si verò essentia non pro illa sumatur, quæ est radix existētię, sed pro illa, quę tantùm est capax ipsius, sic Relationes Diuinæ entia dici possunt habent enim aliquam essentiam realem, (cum sint quid reale) quæ hoc ipso quod sit essentia debet dicere ordinem ad qualemcunque existentiam, saltem alterius lineæ. Quæ doctrina valde notanda est. Nā præter quā quod noua sit, est plurimum necessariā ad saluādas plures abstrusas difficultates, quæ occurrere possunt tùm circa transcendentiam entis, tùm circa Diuinas Relationes. De his siquidem communiter docent Thomistæ, non posse dici entia. Idemque expressis verbis asserit

S. Tho.

Digitized by Google

S. Tho. Vnde nisi illa duplex acceptio essentiæ, quam nomen entis significet, admittatur, vel ruet transcendentia] entis communiter in Scholis recepta, vel admittendum erit, Relationes Diuinas habere proprias existẽtias, vereq; dici entia, quod est directè contra S. Tho. Cæterùm hac distinctione essentiæ admissa, optimè consonant Philosophica dogmatibus Theologicis, & vtraque D. Thomæ, Thomistarumque cõmunis doctrina saluatur, quòd sc. & ens transcendens sit, & Relationes Diuinæ sint in aliquo sensu, & in alio non sint dicendæ entia: Ens siquidem non est transcendens, vt significat essentiam, quæ est radix existẽtiæ, quia plura sunt, quæ hoc modo entia non sunt, habent enim essentiam, quæ non est radix existentiæ, quia potiùs ad coexistendum, quàm ad existendum est apta, sed ens trãscendens est, secundùm quòd significat essentiam capacem qualitercùnque existentiæ, siue propriæ, siue alienæ, siue eiusdem lineæ, siue diuersæ. Hoc modo enim essentia sumpta, est prædicatum vniuersalissimum omnibus competens, in omnibus inclusum, ac per consequ: transcendens respectu omnium. Quia nulla res est, quæ saltem capacitatem ad esse non dicat, cùm & ipsa possibilia dicantur talia per ordinẽ ad esse. Illud enim est possibile, quod esse potest, vt ex ipsis terminis constat. Relationes ergò Diuinæ, vt claudentes hanc rationem entis, entia dicuntur, quia tamen ita eam claudunt, vt ipsarum essentia non petat propriam, sibique correspondentem existentiam, ideò non dicuntur entia, quia illarum essentia relatiua non est radix existentiæ.

Nec refert, si objicias ex Salmant. (qui censent Relationes Diuinas non debere dici absolutè entia, quia credunt, nomen entis significare existentiam) contrà hucusque dicta; quia in Concilio Lateranensi sub Innocen. III. celebrato c. 3. dicitur, quòd *Pater totam suam entitatem dederit Filio*; quod etiam docuit Cyril. lib. 1. in Ioann. c. 4. Hilarius l. 3. de Trinit. Isidorus l. 1. de summo bono c. 15. Ergò ex mente Concilij, & P.P. Relationes non sunt entitates, ac per consequens nec entia; nam alioquin esset falsa illa propositio, qua vtuntur; cùm enim non dederit illi Paternitatem, hæc enim est incommunicabilis, si Paternitas erit aliqua entitas, falsum erit, quòd Pater dederit Filio totam entitatem, siquidẽ non dedit illi Paternitatẽ.

Resp. explicando mentem cõcilij, & PP. conformitèr ad modo dicta, ideò scil. Concilium, & PP. dicere. Quòd pater æternus totã suam entitatem dederit filio, vt innuerent, dedisse illi totam essentiam suam, ne scil: filius crederetur esse alterius naturæ, vel essentiæ à Patre. Quod enim Hieronymus Epistola ad Damasum de Hyposthasi dixit; hoc de entitate dici potest, sub illius scil. nomine venenum latere. Plures enim Hæretici crediderunt, relationes di-

binas talitèr esse distincta entia, vt constituant distinctas personas in essentia, & existentia diuersas, sicut v. g. Petrus, & Paulus, vel, quod absurdiùs est, sicut Petrus, & equus: quia aliqui crediderunt imperfectiorem longè naturam esse in filio, quam in patre, sicut Arius, qui dixit filium Dei, Deum verum non esse, fundans se in illo loco scripturæ, vbi Christus de seipso inquit. Pater maior me est. Concilium ergo, & PP. ne saltem in verbis, & præcipuè in illis, quæ ambiguitatem aliquam habent, cum Hæreticis conuenirent, dicunt, Patrem totam entitatem suã dedisse filio, nõ quod crediderint relationem paternitatis (quam certum est, quòd non dederit Pater filio) non esse ens aliquod, aliàs credidissent personam diuinam, in esse talis, constitui per nihil, sed vt crederent Patrem diuinum suam essentiam, seù naturam integram dedisse filio, ac per consequẽs illos esse eiusdem immultiplicatæ naturæ, adeoque tàm verum Deum filium, quàm verus est Deus pater; vnde secundùm præcisiones metaph. de ente scil. vt transcendens est, & secundùm ipsius vniuersalissimum conceptum, relationes diuinæ sicut per suas rationes proprias formalitèr ab essentia diuina distinctas constituentur extra nihil, ita entia dici possunt, non quidem prout *Ly ens* significat essentiam, quæ est radix existentiæ, sed illã, quæ, etsi radix eius non sit, vnde ipsi proprium esse non respondet, est tamen capax ipsius, vt iam explicatum est.

Et in hoc sensu explicandi sunt etiam ipsi Salmat. quorum argumentum soluimus: ibi enim nihil aliud nituntur ostendere, quã id, quòd relationes diuinæ non possint dici entia, prout ens significat essentiã, quæ est radix existentiæ, non autèm quòd entia non sint, prout ens opponitur nihilo, qualitèr nos de illo in prçsẽti loquimur.

Ad quartum patet solutio ex dictis §. 3. huius quæstionis in impugnatione solutionis nostræ quartæ rationi adhibitæ.

§. 5. *Proponuntur, & soluuntur aliquæ obiectiones, quibus probatur, vnum, verum, & bonum non esse passiones entis propriè loquendo.*

Obijcitur primò. Membrum diuidens aliquam naturam communem, nõ est proprietas ipsius. Sed vnum diuidit ens. Ergo non est eius proprietas. Minor patet, quia Philosoph: vt ex supra dictis patet, diuisit ens in vnum, & multa. Maior verò prob. Passio debet conuerti cum essentia, cuius est passio, quia debet competere omni soli, & semper. Sed membrum diuidens non conuertitur cum diuiso, est enim inferius illo. Ergo &c.

Respd. distinguendo maiorem. Membrum diuidens aliquam naturam, ita, vt simul cum illo etiam aliud membrum participet eandem naturam simplicitèr, non est propria passio eiusdem naturæ,

con-

concedo. Membrum diuidens aliquam naturam, ita, vt illud solum participet naturam, quam diuidit, aliud verò non nisi secundùm quid, non potest esse passio talis naturæ. Nego. Et sic se habent vnum, & multa ad ens; quia, vnum participat simpliciter, & adæquatè naturam entis, multa verò secundùm quid tantum, & vt induunt naturam vnius; quæ doctrina sumitur ex S. Thom. 1. p. q. 11. a. 1. ad 2. Cuius verba sunt, quæ sequuntur. *Nihil prohibet id, quod est vno modo diuisum, esse alio modo indiuisum, sicut quod est diuisum numero, est indiuisum secundùm speciem: & sic continget, aliquid esse vno modo vnum, alio modo multa; Sed tamen si sit indiuisum simpliciter, vel quia est indiuisum secundùm id, quod pertinet ad essentiam rei, licet sit diuisum quantùm ad ea, quæ sunt extra essentiam rei, sicut quod est vnũ subiecto, & multa secundùm accidentia, vel quia est indiuisum in actu, & diuisum in potentia, sicut quod est vnum toto, & multa secundùm partes, huiusmodi erit vnum simpliciter, & multa secundùm quid: si verò aliquid è conuerso sit indiuisum secundùm quid, & diuisum simpliciter, vtpotè quia est diuisum secundùm essentiã, & indiuisum secundùm rationem, vel secundùm principium, siue causam, inerunt multa simpliciter, & vnum secundùm quid; & quæ sunt multa numero, & vnum specie, vel vnum principio. Sic igitur ens diuiditur per vnum, & multa, quasi per vnum simpliciter, & multa secundùm quid; Nam, & ipsa multitudo non contineretur sub ente, nisi contineretur aliquo modo sub vno: dicit enim Dyon. vlt. C. de diuin. Nom. quòd non est multitudo non participans vno, sed quæ sunt multa partibus, sunt vnum toto, & quæ sunt multa accidentibus, sunt vnum subiecto, & quæ sunt multa numero, sunt vnum specie, & quæ sunt speciebus multa, sunt vnum genere, & quæ sunt multa processibus, sunt vnum principio*. Hucùsque S. Doctor.

Obijcies, secundò, *Verum* non esse proprietatem entis. Et probatur sic. Nulla passio latiùs patet sua essentia; quia debet competere soli. Sed verum latiùs patet ente. Ergo non est passio eius. Maior, & consequ. patent, Minor verò probatur. Quod potest cõpetere etiam non entibus, latiùs patet ente. Sed verum potest etiã competere non Entibus: Verum enim de Chymæra dico, quod nõ sit Ens. Ergo &c.

Resp. primò, negando Minorem. Ad cuius probation. dicimus, veritatem trãscendentalem, quæ est passio entis, non competere non entibus. Vnde in illa propositione, qua dicitur; verum est, Chymeram esse non ens, non importatur aliqua veritas non enti, sed veritas competens propositioni ipsi; est enim sensus, quod Intellectus verũ dicit, Chymeram non esse ens, quia illam intra sphæram, & ambitum entiũ non videt, immò videt illi nullam posse competere entitatem.

Resp.

Resp. 2. ex S. Thom. q. 1. de verit. ar. 1. ad 2. vbi simile soluens argumentum, sic inquit. *Verum non est in pluribus quàm ens: Ens enim aliquo modò acceptum dicitur de non ente, secundùm quòd non ens est apprehensum ab Intellectu.* Vnde in 4. Metaph. dicit Philos. *quòd negatio, vel priuatio entis vno modo dicitur ens.* Vnde etiam Auicenna dicit in Metaph. suæ principio, quòd non potest formari enunciatio, nisi de ente, quia oportet, illud, de quo propositio formatur, esse apprehensum ab intellectu. Ex quo patet, quod omne verum est aliquo modo ens. Ex qua eius doctrina habes, quòd non ens in tantum participat rationem veri, in quantū participat etiam ipsam rationem entis; non ens enim sub concepto non entis, neque potest ab intellectu apprehendi, neque de illo potest aliquid enunciari: Vnde quando dicimus: Verum est, entia nōn esse, primò non ens apprehēdimus sub conceptu entis, & deinde aduertens intellectus, illum conceptū entis, sub quo apprehēdit non entia, nec aliquem alium qui entitatem sapiat, in non entibus inueniri, spoliat non entia illa mutuata entitate, & dicit, illa verè non esse entia, quia videt, illa esse omni entitate priuata.

Obijcies 3. Ex S. August. in soliloq. c. 6. vbi definiens verū, dicit: *Verum mihi videtur esse id, quod est.* Ergò verum ex mente S. August. definitur per ordinem ad esse, ac per consequens, cum simili modo definiatur ens, est enim ens, cui competit esse, verum, & ens nullo modo distinguentur: ac per consequens, verū non poterit esse passio entis; nam passio debet aliquo modo ab essentia distingui, ratione cuius distinctionis alia definitione petit definiri, vti discurrenti per omnia genera essentiarum, & passionum patebit.

Nec refert, si resp. Ens, & verum conuenire quidem entitatiuè, sed differre formaliter proprijs rationibus.

Contra enim est: quia, quæ cōueniunt definitionibus conueniunt rationibus, nam definitio explicat rationem rei. Sed inhærendo definitioni S. August. Verum, & ens conueniunt definitionibus. Ergò conueniunt, & rationibus. Ergò, &c.

Respond. primò, illam definitionem non esse formalem, sed causalem, datur enim per esse, quod est subiectum veri; vnde hæc definitio videtur esse ex genere earum, quibus communiter accidentia definiuntur per proprium subiectum. Vnde vera est solutio inter arguendum data, nec eius impugnatio conuincit; Nam illa quidem necesse est conuenire in suis rationibus, quæ definiuntur eadem definitione, si respectu vtriusque sit formalis, nō autem quando respectu vnius est formalis, & respectu alterius causalis; nàm hoc ipsum arguit aliquam diuersitatem, quòd illis diuersimodè definitio competat; si

enim

Digitized by Google

enim essent omninò idem, non esset inter illa respectu definitionis aliqua diuersitas. Sic ergò in præsenti verum, & ens definiuntur per esse, sed ens definitur per illud formaliter, verùm autem causaliter, vnde distinguuntur formaliter, quamuis entitatiuè conueniant, vtpotè in vno, & eodem esse communicantes.

Resp. secundò ex S.Thom.q.1. de verit. ar. 1. ad 1. Cuius verba sunt. *Cùm dicitur: Verum est id, quod est, non accipitur ibi, secundùm quòd significat actum essendi, secundũ quod est nomen intellectus compositi, scil. prout significat affirmationem propositionis, vt sit sensus: Verum est id, quod est, idest, cùm dicitur esse de aliquo, quod est.* Vbi Angel. Doct. dicit S. Aug. ibi definiuisse veritatem propositionis affirmatiuæ, quia nimirùm propositio affirmatiua, quæ importat verbum *est*, tùnc habet veritatem, quando illud, quod dicit de se, reuera ità est: iuxta illud vulgare. *Ex eo quod aliquid est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa.* Vnde ex hac eius definitione nihil contra nos adduci potest, quia hìc, non de veritate propositionum, sed de veritate transcendentali agimus.

Obijcies quartò. Verum, & Bonum in tantum dicuntur esse passiones entis, in quantùm addunt aliquem respectum supra ens, scil. Verum ad Intellectum, Bonum autem ad Voluntatem. Ergò Verum, & Bonum erunt de Prædicamento Relationis, ac per consequens non erunt passiones entis, quæ debent, sicut & ens, per omnia Prædicamenta vagari.

Resp. distingu. anteced. Verũ: & Bonum addunt aliquem respectum prædicamẽtalem supra ens, nego: transcendentalem, fundantem tamen relationem rationis: Concedo: & deinde negatur consequ. In prædicamento enim Relationis, neque relationes rationis, neque transcendentales respectus ponuntur. Isti enim respectus transcendentales non distinguuntur ab entitate rei absoluta; vnde ad ipsius prædicamentum spectabunt, si illa res fuerit alicuius prædicamenti, si per omnia prædicamenta vagetur, sicut ens, etiã illi respectus transcendentales per omnia vagabuntur: Idemque de relationibus rationis, hos respectus consequentes, sentiendum est: Vnde non solùm substantia, sed & qualitas, & quantitas, & reliquæ res dicent respectum ad intellectum, & voluntatem, quia sunt intelligibiles, & appetibiles.

Obijcies quintò. Illud, quod addit aliquid supra aliquam naturam, determinando, limitando, & contrahendo ipsam, non potest esse passio illius naturæ. Sed Vnum, Verum, & Bonum addunt aliquid supra Ens, determinãdo, limitando, & contrahendo ipsum. Ergo non possunt esse passiones ipsius. Minor patet: Ens enim, vt formaliter respicit intellectum, non respicit voluntatem; nec vt formaliter dicit indiuisionem, importat aliquem respectum ad

voluntatem,& intellectum. Ergò Ens, cùm ex se sit indifferens, vt subſtet indiuiſioni, vel relationi; per Vnum autē determinatur ad hoc, vt indiuiſioni, non autem relationi ſubſtet; per Verum autem, & Bonum ad hoc, vt ſubſtet relationi, non autem indiuiſioni, determinabitur,limitabitur, contrahetur, per Vnum, Verum, & Bonum. Maior verò probatur. Tùm quia illam docet expreſsè S. Tho: q. 21. de verit. ar. 1. in corp. Tùm etiam,quia,quod contrahit aliquam naturam communem ad aliquem determinatum modum naturæ, potiùs eſt differentia, vel modus conſtituens ſpeciem determinatam talis naturæ,quàm paſſio eius, vt diſcurrenti per omnia entium genera patebit. Tùm denique, quia paſſio debet conuenire omni participanti illam naturam, cuius eſt paſſio, ſicut riſibilitas, quæ eſt paſſio hominis, conuenit omni homini: Quod autem contrahit naturam communem, non poterit competere omni participanti illam naturam, vt patet in rationalitate, quæ ex eo, quòd contrahat naturam animalis, non poteſt competere omni animali. Ergo, &c.

Reſp. neg. minorem. Ad cuius probationem dicimus, quòd etſi ens, quod eſt ex ſe indifferens,vt ſit Vnum, Verum, & Bonum, per indiuiſionem determinetur ad eſſe Vnum, & per relationem ad intellectum ad eſſe Verum,per relationem verò ad appetitum ad eſſe Bonum, hæc tamen determinatio non eſt propriè contractio, vel limitatio propriè dicta, quæ ſit ſufficiens ad hoc, vt indiuiſio, vel relatio habeant rationem modorum quaſi differentialium, quibus Ens ad inferiora contrahatur. Cuius ratio fundamentalis eſt, quia differentiæ, vel modi contrahentes aliquam naturam communem ita eam limitant, vt natura iàm cōtracta per aliquam differentiam, vel modum non poſſit ſubeſſe alteri modo, non tantū formaliter,& reduplicatiuè, ſed etiam ſpecificatiuè, ideſt,non tantùm natura, vt ſubſternitur vni, non ſubſternitur alteri, ſed etiam natura, quæ vni ſubeſt, alteri non ſubeſt; v. g. natura generica animalis, quæ de ſe eſt indifferens ad eſſe rationalis, vel irrationalis, quando per rationalitatem contrahitur, non poteſt eadem ſimul contrahi per irrationalitatem, quia idem animal non poteſt eſſe ſimul rationale, & irrationale. Et ſimiliter in naturis tranſcendentibus, quale eſt Ens, contingit:Ens enim licet ſit indifferens ad hoc, vt contrahatur per eſſe per ſe, & in alio, ſeù, quod idem eſt, per Subſtantiam, & Accidens, tamen poſtquam contractum eſt per Subſtantiam, non poteſt quamdiù ſub hac contractione concipitur, per Accidens contrahi; aliàs idem ſimul eſſet Subſtantia, & Accidens, quod implicat. Cæterùm in paſſionibus Entis non ſic ſe res habent. Quamuis enim Ens for-

ma-

maliter, & reduplicatiuè, vt per indiuisionem contrahitur ad esse Vnius, non contrahatur ad esse Boni, vel Veri per relationem ad intellectum, & voluntatem, tamen specificatiuè illud idē Ens, quod per indiuisionem est Vnum, potest esse per relationem Bonum, vel Verum. Immò etiam, vt formaliter substat indiuisioni, & est Vnum, potest substare relationi, vel ad intellectum, vel ad voluntatem, ac per consequens esse Verum, & Bonum, quia etiam, vt substat, est appetibile, & intelligibile. Notanter autem dixi, vt formaliter substat indiuisioni, potest substare relationi, non autem actualiter, vt formaliter substat indiuisioni, substat relationi, quia licet ipsa indiuisio non sit formalis ratio respiciendi intellectum, vel voluntatem, potest tamen fundare dictos respectus, quia Ens, etiam vt indiuisum, potest intelligi, & appeti; Vnde Verum, Bonum, & Vnum non habent se, vt modi, vt sic dicam, differentiales, sed vt passiones Entis, quia formaliter non determinant Ens, neque formaliter contrahunt, sed potiùs trahunt integram naturam Entis ad propria significata, quia Vnum non excludit Verum, vel Bonum à ratione Entis, sicut modi differentiales excludunt, vt iàm explicatum est. Possumus huius rei appositum adducere exemplum in passionibus aliarū naturarum, non ita vniuersalium: nam v.g. natura hominis, etsi, vt substat admirationi, non substet risibilitati, quia tamen specificatiuè eadem natura hominis, quæ substat admirationi, substat risibilitati, admiratio, & risibilitas non erunt inferiora hominis, sed passiones ipsius.

§. 6. *Ordinantur passiones Entis inter se.*

Circa ordinem passionum Entis (de quo in secunda parte tituli quærebamus) nulla est dissēsio inter Philosophos: ideòq;

Dicendum est, primam passionem Entis esse Vnum, deinde Verum, ac tandem Bonum. Ita communiter Philosophi cum S. Thom qui q.21. de Verit. ar.3. in corp. sic istas passiones ordinat, sicut sunt in conclusione ordinatæ: Dicit enim, quòd *Bonum præsupponit Verum, Verùm autem præsupponit Vnum, cùm Veri ratio ex apprehensione intellectus perficiatur; Vnumquodque autem intelligibile est, in quantùm est Vnum; Qui enim non intelligit Vnum, nihil intelligit, vt dicit Philosophus 4. Metaphysic. Vnde istorum nominum transcendentium talis est ordo, si secundùm se considerentur, quod post Ens est Vnum, deinde Verum, deinde post Verum Bonum.* In qua auctoritate.

Nota, S. Doct. addidisse illam particulam restrictiuam (si secūdum se considerentur) nam si cōsiderentur Verum, & Bonum ex parte perfectibilium, sic Bonum est prius Vero. Nam Bonum ad

plura se potest extendere, pluraque potest perficere, quàm Verũ. Verũ enim solùm natũ est cognoscitiua perficere, quia hæc sola illud possunt apprehendere. Bonum autem etiam insensibilia: vnde etiam lapis appetit suum centrum, &c. vt ex discursu S. Doct. quem ibidem adducit, deducitur. Dicit enim S. Tho. *A Vero non sunt nata perfici, nisi illa, quę possunt aliquod Ens percipere, vel in seipsis habere secundum suam rationem, & non secundum illud esse, quod Ens habet in seipso; & huiusmodi sunt solùm ea, quæ immaterialiter aliquid recipiunt, & sunt cognoscitiua; Species enim lapidis est in anima, non autem secundum esse, quod habet in lapide: Sed à Bono nata sunt perfici illa, quæ secundùm materiale esse, aliquid recipiunt, cùm ratio boni in hoc consistat, quòd aliquid sit perfectum, tàm secundùm rationem speciei, quàm secundùm esse, vt prius dictum est: & ideò omnia appetunt Bonum, sed non omnia cognoscunt Verum; in vtraque enim ostenditur habitudo perfectibilis ad perfectionem, quæ est Verum; & Bonum, sc. appetitu Boni, & cognitione Veri.* Cum quo stat, quod in ratione proprietatum, siue affectionum entis prius sit Verum, quàm Bonum, priusque est à nobis numeratum, quia nos hic de Vero, & Bono secundùm se, & vt sunt proprietates Entis, non autem ex parte perfectibilium ab ipsis agimus.

Potest hoc ipsum confirmari quantùm ad Verum, & Bonum, de quibus est principalis controuersia, alia auct. S. Thom. quæ habetur 1. p. q. 16. ar. 4. in Corp. *Dicendum* (verba ipsius sunt) *quod licet Bonum, & Verum supposito conuertantur cum Ente, tamen ratione differunt, & secundùm hoc Verum, absolutè loquẽdo, prius est, quàm Bonum: quod ex duobus apparet: Primò quidem ex hoc, quòd Verum propinquiùs se habet ad Ens, quod est prius, quàm Bonum; nàm Verum respicit ipsum esse simpliciter, & immediatè, ratio autem Boni consequitur esse, secundùm quòd est aliquo modo perfectum, sic enim appetibile est. Secundò apparet ex hoc, quòd cognitio naturalitèr præcedit appetitum; vnde cùm Verum respiciat cognitionem, Bonum autem appetitum, prius erit Verum, quàm Bonum secundùm rationem.* Hanc S. Thomæ doctrinam, vt faciliùs capias.

Scito, dupliciter posse has passiones comparari inter se, vel secundùm naturam, quam significant, vel secundùm ipsarum proprias, & peculiares rationes. Vnde cùm inter passiones Entis ex parte naturæ, quã significant, non possit esse prioritas, vel posterioritas; omnes enim vnam, eandemque naturam Entis significant, inde est, quòd tantùm secundum proprias rationes possint prioritatem sortiri; & hoc expressit S. Doct. illa particula restrictiua *secundum rationem*; quæ, vt optimè notauit Caiet. ibidem, non appellat propriè supra *prius*, sed supra *Verum*, & *Bonum*; ità scil.

quod

quòd quando S. Doct. dixit, Verum esse prius secundùm rationē, quàm Bonum, sensus est, quòd ratio Boni est prior ratione veri.

Probatur Conclusio nostra rationibus.

PRima ratio est, qua prob. *Vnum* esse primam passionem Entis. Vnum est prius Vero, & Bono. Ergò est prima passio Entis. Consequ. patet: & probat. Anteced. Absoluta priora sunt respectiuis, quia hæc in illis fundantur. Sed vnum dicit rationem absolutam, Verum autem, & Bonum relatiuam, vt ex dictis patet, & ex dicendis amplius patebit. Ergò &c.

Secūda ratio probās, *Verū* esse prius *Bono*, ac per consequēs esse secundā Passionē Entis, iam autē *Bonum* tertiam. Qualis est ordo inter potentias, talis est & inter earum obiecta. Sed Intellectus est prior Voluntate. Ergò & Verum Bono, quia Verum est Obiectum Intellectus, Bonum verò Voluntatis. Maior patet: Minor verò prob. Sicut se habet actus ad actum, ità potentia ad potentiā. Sed actus Voluntatis præsupponit actum Intellectus, quia nihil volitum, nisi cognitum. Ergò & ipsa Volontas præsupponit Intellectum, ac per consequens Intellectus prior erit Voluntate.

Confirmatur primò. Voluntas dimanat ab Anima mediante Intellectu, vt docent Nost. Compl. in lib. de An. disp. vlt. quæst. 4. & habetur expressè ex S. Thom. 1. p. q. 8. ar. 3. ad 3. Ergò intellectus est prior voluntate. Ergo & obiectum illius obiecto huius. Ergò &c.

Confirmatur secundò, quod ab alio de necessitate præsupponitur, est prius illo. Sed Verum de necessitate præsupponitur à Bono. Ergò est prius illo. Maior, & Consequentia patent: Minor verò prob. In tantùm est aliquid Bonum, in quantùm est potens mouere appetitum. Sed non mouet, nisi vt apprehensum, siue apprehensio requiratur tantùm, vt conditio, sine qua non, siue vt ratio formalis constituens bonum in esse appetibili; de quo tractant Philosophi in lib. Phys. vt videre est ap. nost. Complut. in Phys. d. 14. q. 6. Quod adeò vniuersaliter est verum, vt etiam ipsa insēsibilia, omnisque cognitionis expertia, non ferantur in bonum, nisi vt apprehensum, non quidem propria cognitione, (hac enim carent) sed cognitione Motoris sui: vnde illud axioma promanauit: *Opus naturæ, opus intelligentiæ*. Ergò &c.

Quæ confirmatio non contradicit doctrinæ in hoc §. datæ supra, vbi docuimus ex S. Tho. plura perfici à Bono, quàm à vero, quia Verum sola cognoscitiua, Bonū autē etiā non cognoscitiua perficit: Quamuis enim debeat quodlibet Bonum præcognosci saltem ab agente superiore, à quo in suos fines mouentur insensibilia, tamen ab ipsis insensibilibus,

quæ appetunt Bonum, nō apprehenditur Verum. Sicque vera est doctrina illa, stante veritate huius confirmationis: nàm Verum ad sola cognoscitiua extenditur, Bonum autē etiam ad non cognoscitiua, vt iam explicatum est.

Tertia ratio: quia conceptus boni præsupponit conceptum veri. Ergo hic est prior illo. Patet Conseq. & prob. Antec. nàm in Conceptu Boni quodammodo includitur Conceptus veri, quia Bonum in tantum est appetibile, in quantùm est verum bonum, seu in quantum induit rationem veri boni, sicut v.g. sanitas in tantum appetitur, in quantùm est, vel videtur esse vera sanitas, & sic de cæteris Ergo,&c.

Quarta ratio ex S.Thom.q.21. de verit. a.3.in argumen.sed contra: Estque talis. *Quantò aliquid immaterialius, tantò est prius Bono. Sed Verum est immaterialius, quàm Bonum, quia Bonum in rebus naturalibus inuenitur, Verum autem solùm in mente immateriali. Ergò Verum est naturalitèr prius Bono.* Omnia verba sunt S. Thom.

Nec valet, quòd ipse S. Doctor hanc rationem soluat, quia illam soluit, dicendo, quòd procedit de Vero,& Bono, prout secundùm se considerantur, proindeque vt sunt passiones Entis, sicut,& nos de illis, loquimur, quando eorum proprietatem inquirimus, vt ex modò dictis constat.

Aduertendum tamen est, Nos hic loqui de Vero,& Bono vt sic, non autèm de Vero, & Bono tali & in particulari accepto; sic enim, prius Bonum esse potest Vero, in quantùm Verum est aliquod Bonum; cuius radicem optimè aperuit S. Doct. 1. p.q. 16.a.4. ad primum his verbis. *Dicendum: Voluntas, & Intellectus mutuò se includunt, nàm Intellectus intelligit Voluntatem, & Voluntas vult, Intellectum intelligere. Sic ergo inter illa, quæ ordinantur ad obiectum voluntatis, continētur etiam ea, quæ sunt intellectus, & è conuerso. Vnde in ordine appetibilium bonum se habet, vt vniuersale, & Verum, vt particulare, in ordine autem intelligibili est è conuerso. Ex hoc ergo, quòd Verum est quoddam bonum, sequitur, quòd bonum sit prius in ordine appetibilium, nō autèm quòd sit prius simpliciter.* Sed contra dicta.

Obijcies probando, bonum, & Verū esse prius vno, & consequētèr Vnum non esse primam passionem Entis. Omne positiuum est prius negatiuo, vel priuatiuo. Ergo etiam passiones positiuæ sunt priores negatiuis, vel priuatiuis. Sed vnum dicitur negatiue, vel priuatiue, quia significat indiuisionem; Verum autèm, & Bonum dicitur positiue, quia significant relationem. Ergo Verum, & Bonum sunt priora vno.

Resp. distinguen. Maior. Omne positiuum, quod est fundamētum priuationis, vel negationis, est prius negatiuo, vel priuatiuo. Concedo. Omne positiuum abso-

solutè loquendo, est prius negatiuo, vel priuatiuo, Nego. Et similiter distinguendũ est Consequens, & concedenda Conseq. de passionibus positiuis fundantibus priuatiuas, vel negatiuas, neganda verò de non fundantibus. Eodemque modo distinguitur subsumpta Minor: Bonum, & Verum dicuntur positiue. Vnum autem priuatiue, vel negatiue, ita quòd vnum fundetur in Vero, & Bono. Negatur; ita quòd non fundetur, Conceditur: Et tandem negatur Consequentia.

Explicatur hæc solutio. Dupliciter possunt naturæ positiuæ cõparari ad negatiuas, vel priuatiuas. Primò, ita vt positiua sint fundamenta negatiuorum, vel priuatiuorum; v.g. oculus cæcitatis; & talia positiua debent, semper præcedere priuatiua, quia comparantur per modum subiecti ad illa. Secundo modo possunt comparari positiua cum negatiuis, vel priuatiuis absolutè, & tùnc non est necesse, quodlibet positiuum esse prius negatiuo, vt in mille exemplis patet. Nàm homo v.g. vel cætera animantia sunt quid positiuum, & tamen non fuerunt priùs ante tenebras, quæ sunt quid priuatiuum, quia nec homines, nec animantia tùnc fuerunt, quãdo fuerunt tenebræ super faciem abyssi. Sic ergo in præsenti dicimus, quòd Vnum, vtpotè natura negatiua, debet aliquid positiuũ supponere, quod sit eius fundamentum, & hoc dicimus esse Ens. Ceterùm non supponit Verus; neque Bonum, quia in his non fundatur.

Obijcies secundò, probando, Bonum prius esse vero. Prius est aliquid esse in se perfectum, quàm quòd sit perfectiuum alterius; nàm esse in se perfectum sonat rationem absolutam, esse autem perfectiuum alterius est aliquid respectiuum; absoluta autem sunt priora respectiuis. Sed Bonum dicitur aliquid, in quantùm est in se perfectum, Verum autem in quantùm est perfectiuum alterius. Ergo Bonum est prius, quam Verum.

Resp. neg. Minorẽ. Sicut enim bonum non est ita perfectũ, quòd non sit simul perfectiuum alterius, scil. Voluntatis, ita neq; Verum ita est perfectiuum Intellectus, quòd non sit in seipso perfectum, Verum enim transcendentale, vt infra patebit, consistit in conformitate Intellectui diuino, seù idæis ipsius; vnde res quælibet in tantum erit vera, in quantùm dictis idæis inuenitur conformis: In idæis autem diuinis repræsentantur res secundùm totum esse, quod ipsis competere potest, & consequenter res, quæ erit cõformis idæis, habebit totum suũ esse, aliàs, si non totum habebit, idæis, quæ totum representant, conformis esse nõ poterit; ergo erit perfecta eo ipso, quòd erit conformis idæis, quia perfectum est, cui nihil deest. Ergo, quia res ideò sunt veræ, quia sunt idæis diui-

Digitized by Google

nis conformes, de primo ad vltimum, quod erit verum, erit, & perfectum. Ergo &c.

Obijcies tertiò contra idem. Illud, quod est in rebus, est prius, quã id, quod est in apprehẽsione tantùm, eo quòd apprehensio nostra causatur, & mensuratur à rebus. Sed secundum Philos. in 6. Metaph. Bonum est in rebus; Verum autem in mente. Ergo Bonum est priùs, quàm Verum secundùm rationem. Hæc obiectio ponitur in terminis à S. Thom. q.21. de verit.ar.4., quam etiam ipse S.Doct. sic soluit. *Dicendum, quòd ratio illa procedit de ordine Veri, & Boni ex parte perfectibilium, non autem ex parte ipsius Veri, & Boni; mens enim sola perfectibilis est vero, sed omnis res perfectibilis est bono.*

Nec refert, si contra hanc S. Tho. solutionem vrgeas. S.Doct. videtur in hac ratione concedere, vt etiam in corp.artic:concessit, nosque cum illo supra concessimus, quòd Bonum sit priùs Vero ex parte perfectibilium. Ergo etiam debebit concedere, illud esse prius secundùm se. Sicut enim Verum, & Bonum, in esse talium, non possunt concipi sine ordine ad sua perfectibilia, (quia in ratione Veri includitur ordo ad intellectum, in ratione autem Boni ordo ad appetitum) ita debent illum inter se ordinem seruare, secundùm se considerata, quem habuerunt ex parte perfectibilium, ac per consequens, si Bonum est prius Vero ex parte perfectibilium, erit illo prius etiam secundùm se.

Non, inquam, hoc refert. Resp. enim, concesso anteced; neg. conс. ad cuius probat. dicimus, quòd in ratione Veri, vel Boni claudatur ordo ad perfectibilia, quando tamen Verum, vel Bonum considerantur secundùm se, non aspiciunt, nisi proprium perfectibile, vt sic, v.g. Verum, Cognoscitiuũ, vt sic: Bonum verò, Appetitiuum similitèr, vt sic: eo proportionabili modo, quo Omnipotentia Dei respicit factibile, vt sic. Vnde Bonũ secundùm se consideratum non extenditur in plus, quàm Verum. Cæterùm quando considerantur ex parte perfectibilium, tunc sicut cum perfectibilia considerantur in esse perfectibilium, considerantur secundùm amplitudinem, quam habent, quæque consequitur esse illorum, vt talium, proinde, quia plura sunt perfectibilia à Bono, quàm à Vero, ex parte perfectibilium latiùs extendetur bonum, quam Verum, ac per consequens illud erit priùs isto.

Obijcies quartò. Bonum dicitur per ordinem ad causam finalem, verum autem per ordinem ad causam formalem. Sed causa finalis est prior formali, quia finis est causa causarum. Ergo Bonum est priùs, quam Verum. Etiã hæc obiectio est in terminis S. Thom. loco nuper cit. cui cum eodem Angel. Doct.

Resp. Dicendum est, quòd finis est prior in causando, quam aliqua alia-

aliarum causarum; causatum autem perficitur per suam causam: Vnde ratio ista procedit secundùm ordinem perfectibilis ad perfectionem, in quo Bonum est prius. Sed absolutè considerando formam, & finem, cùm ipsa forma sit finis, prius est ipsa forma in se considerata, quã secundum quòd est finis alterius. Ratio autem Veri ex ipsa specie consurgit, prout est intellecta, sicuti est.

Objicies 5. Probando, quòd Vnum non sit prior Entis passio. Passio vnita est prior passione disiuncta. Sed Vnum est passio disiuncta, quia Ens diuiditur per vnum, & multa, sicut numerus per par, & impar; Bonum autem, & Verum sunt passiones vnitæ, quia non potest Ens diuidi in verum, & falsum, neque in bonum, & malum, quia malum, & falsum formaliter, qua talia, non sunt entia, vt ex infra dicendis patebit. Ergo, &c.

Resp. cum Soncin. 4. Metaph. q. 14. ad 4. quòd passio disiuncta est duplex. Alia est, cuius nulla pars conuertitur cum subiecto, sicut se habet paritas, & imparitas ad numerum; non enim quilibet numerus est par, nec impar. Alia est, cuius aliqua pars conuertitur cum subiecto, & tale est Vnum, hoc enim conuertitur cum Ente; nam multa in tantùm participãt de entitate, in quantùm participant & de vnitate vt ex supradictis patet.

QVAESTIO III.

Vtrùm passiones Entis conuertantur cum Ente.

HÆc quæstio potissimùm excitatur propter Bonum, quod non videtur cum Ente, sicut aliæ passiones, conuerti. Multa enim inueniuntur entia, quæ tamen nõ possunt dici Bona, v.g. possibilia, mathematica, & similia, quæ, quia abstrahunt ab existentia, etiam à bonitate abstrahere debent. Immò ipsæ etiam essentiæ rerum non videntur posse dici bonæ, quia ex suo conceptu non dicunt esse, sine quo bonitas in rebus intelligi non potest. Quamuis ergo de Bono sit principalis controuersia, vniuersaliter tamen de omnibus passionibus quæstionem decidemus, vt communiorem doctrinam tradamus.

Supponendum est primò, conuersionem, seu reciprocationem aliquorum pluriũ tripliciter dari posse; secundùm rem sc., secundùm rationem, & secundùm attributionem. Illa conuertuntur, seu reciprocantur secundùm rem, quæ vnam, & eandem rationem, seù naturam adæquatè significant, vt animal rationale, & homo, & quælibet definitio cum suo definito conuertuntur. Illa reciprocantur secũdùm rationem, quorum est vnus, aut idem conceptus, vt sunt ea, quæ synonima nuncupantur, v.g. vestis, & indumen-

mentum, gladius, & ensis, &c. Illa denique conuertuntur secundùm attributionem, quæ sunt ita inter se affecta, vt de illo subiecto, de quo vnum effertur, efferantur & reliqua; & hoc genere conuersionis reciprocantur passiones cum suis subiectis, quia de quocunque subiectum effertur, dicuntur de eodem & passiones ipsius, quæ eo ipso, quod tales, debent conuenire omni, cui conuenit ratio subiecti, vt v. g. homo, & risibile hoc modo conuertuntur, de quocunque enim effertur homo, effertur, & risibile, & è conuerso.

Supponendum est secundò, quòd cùm quærimus, an passiones Entis conuertantur cum Ente? non quærimus de conuersione secundùm rem, vel rationem; vtrumque enim ex superioribus constat, passiones sc. Entis & non conuerti cum illo secundùm rationem, quia alia est ratio Boni, alia Veri, alia Vnius, & alia Entis, & conuerti secundùm rem, quia omnes passiones Entis includunt in se ipsam Entis entitatem, per eamque, non verò per aliquã aliam, in esse entium constituuntur. Tota ergo difficultas deuoluitur ad conuersionem in tertia acceptione, an scil. ita passiones Entis cum Ente conuertantur, vt de quocunque Ens prædicatur, de eodem prædicentur & ipsæ. Quod vt meliùs capias.

Supponendum est tertio, id, quod aliàs innuimus, dupliciter scil. Ens accipi posse, nominaliter, & participialiter. Nec repeto supra datam, inferiusque amplius discutiendam horum nominum explicationem, sed aduerto, titulum quæstionis loqui indeterminatè de Ente, prout abstrahit ab ente nominaliter, & participialiter sumpto, quia specialis quæstio, & meo iudicio difficillima, excitabitur in quæstione sequenti, in qua quæremus, vtrùm passiones Entis conuertãtur cum Ente nominaliter, an verò participialiter sumpto? simulque ibidem decidetur de conuertentia Boni, non differendo ad disputationem de Bono. His suppositis breuiter.

Dicendum est, Passiones Entis in sensu à nobis explicato, conuerti, seù reciprocari cum Ente. Ita Philosoph. 4. Metaph. C. 2. docet expressè de Vno, his verbis. *Ens, & Vnum idem ac vna natura sunt, propterea quòd se inuicem sequuntur*. Vbi duplicem modum conuersionis inter ens, & Vnum innuit, scil. secundum rem, dicendo, quòd sunt vna natura, & secundum attributionem, addendo, quòd se inuicem consequuntur. Et in 2. Metaph. tex. 4. dicit; *Eadem est dispositio rerum in esse, & veritate*. Idemque docet Angelicus Doct. 1. p. de Bono q. 5. ar. 5. cùm dicit; *Omne ens, in quantùm est Ens, est Bonum*, Et dè Vno q. 11. ar. 1. in corpor. hæc habet. *Vnum conuertitur cum Ente; nàm omne ens aut est simplex, aut compositum; quod autem est simplex, est indiuisum, & actu*

&

& potentia: quod autem est compositum, non habet esse, quamdiu partes eius sunt diuisæ, sed postquã constituunt, & componunt ipsum compositum: Vnde manifestum est, quòd esse cuiuslibet rei consistit in indiuisione; Et inde est, quòd unumquodque, sicut custodit suum esse, ita custodit suam unitatem. Et tandem q. 16. a. 3. dicit, quòd sicut *Bonum conuertitur cum Ente, ita & Verum.* Docuitque hoc totum clarè S.Tho.in 1. distinct. 19.q.5. a. 1.ad 5. cùm inquit. *Verum addit supra Ens, sicut Bonum, & Vnum; Nullum tamen addit aliquã differentiam contrahentem ens, sed rationem, quæ consequitur omne ens, sicut Vnum addit rationem indiuisionis, & Bonum rationem finis, & Verum rationem ordinis ad cognitionem; Et ideò hæc quatuor conuertuntur ens, Bonum, Vnum, & Verum.* Ergo ex mente S.Thom. & Aristot. passiones Entis conuertuntur cum ente. Subscribunt huic omnes communiter Philosophi.

Probatur tali ratione primò. Nam proprium est illud, quod omni, soli, & semper competit, & conuersim prædicatur, vt habetur ex Porphir.c. 4. introduct. in Cathehor. Aristot. vbi describens quarto modo proprium, quod solùm est verè, & propriè proprietas, & passio essentiæ, sic inquit: *Quod soli, & omni, & semper, quodammodò, homini est risibile, nam etsi non semper rideat, tamen risibile dicitur, non quòd semper rideat, sed quòd aptus sit ad ridendum, hoc autem semper ei naturale est, quemadmodum, & equo hinnibile. Hæc autem nominantur uere propria, quoniam etiam conuertuntur; quidquid enim est equus, hinnibile est, & quidquid est hinnibile, est equus:* Ergo Vnum, Verum, & Bonum, quæ sunt veræ, etsi non reales passiones entis, vt supra demonstratum est, conuertentur cum Ente. Quod enim reales, non sint, conuersioni non officit, immò prodest, quia solùm tollit distinctionem realem inter passiones entis, & Ens; quod tantùm abest, vt destruat earum conuertibilitatem cum ente, quin potiùs eam asserit, nàm quæ sunt eadem realiter, & entitatiue, faciliùs conuertuntur, quàm ea, quæ realiter entitatiue distinguuntur, sicut distingui debent passiones demonstrabiles à proprijs essẽtijs; estque hoc adeò verum, vt passiones Entis ex eo præcise, quia non sunt reales, neque important aliquam entitatem realem ab Ente distinctam, etiam secundùm rem, conuertantur cum Ente, vt ex suppositionibus constat: plus autem est conuerti secundum rem, quàm secundùm attributionem tantùm, vt vim terminorum perpendenti patebit.

Probatur secundò discurrendo per singulas passiones. Nam inprimis *Bonum* (de quo est maxima difficultas) conuertitur cum Ente ita, quòd omne ens sit bonum. Nàm omne ens est in actu, ergo perfectum; actus enim est, qui perficit, Vnde in tantùm est aliquid imperfectum, in quantùm

Digitized by Google

illi deficit aliquis actus; Ergo omne Ens erit appetibile, quia secundùm quòd aliquid perfectum, ita appetibile. Ergo etiam omne ens erit bonum; Nàm, vt infra patebit, Bonum in esse boni per appetibilitatem constituitur. Ergo, &c. Similiter omne ens est Verum, cùm omne sit cognoscibile, cognoscibilitas enim sequitur rationē ētis, sicut visibilitas rationem coloris, sicut enim color est obiectū visus, ita ens, intellectus; Vnde sicut ōnis color est visibilis, ita omne ens est cognoscibile. Tandem etiam ōne Ens est vnum: Omne enim ens, aut est simplex, aut compositum; si simplex sit, erit Vnum, quia erit omninò indiuisum; si compositū, non poterit rationem Entis compositi sortiri, nisi in quantùm partes vnitas habebit, (compositio enim sine vnione partium intelligi non potest) ac per Consequens, nisi in quantùm Vnum erit. Ergo omne ens erit Vnum, Verum, Bonum, ac per Consequēs passiones Entis conuertentur cum Ente secundùm attributionem; quem modum conuersionis nos in præsenti inquirimus, vt ex suppositionibus patet.

Sed obijcies primò. Si veritas conuerteretur cum Ente, vel conuerteretur cum Ente nominaliter, vel participialitèr sumpto. Sed nō potest conuerti cum Ente nominalitèr sumpto, iam autem, si cum ipso Ente participialiter sumpto conuertitur, non saluatur, quòd sit passio entis. Ergo, &c. Maior patet, Minor autem prob. quoad vtramq; partem, Et primò quantùm ad primam, quod scil. non possit Verum conuerti cum Ente nominaliter sumpto. Verum enim constituitur primariò per hoc, quòd adæquetur aliqua res idæis in intellectu diuino existentibus, quòd scil. talis sit aliqua res, qualis esse per idæam propriam ostēditur, sed ens nominalitèr sumptum non adæquatur idæis diuinis, quia illæ repræsentant rem secundùm omnem perfectionem, quam habere potest; sicut enim quælibet res dependet à Deo secundùm omnem possibilem sibi perfectionem, ita etiam repræsentatur in idæis, quæ rem repræsentant, secundùm quod factibilis est à Deo, ideoq; secundùm quòd dependens ab ipso: Ens autem nominalitèr non habet omnem perfectionem; quia deest ipsi maxima, scil. ipsum esse. Ergo, &c.

Confirmatur. Nàm relationes diuinæ non dicunt proprias veritates, sed omnes tres Personæ dicuntur Veræ vna veritate prima omnibus Personis diuinis communi, vt docet S. Tho. & alij SS. PP. Ergo cùm relationes diuinæ possint dici Entia in sensu à nobis supra explicato, non omne ens erit verum, ac proinde passiones Entis nō conuertentur cum ente.

Obijcies secundò. Multa sunt entia, quibus ratio Boni competere nequit, v.g. possibilia, mathematica, & similia, quæ sicut ab existentia, ita, & à bonitate abstrahunt. Quibus adde etiam relationes diuinas, quæ nullam ex se per-

perfectionem, bonitatemque afferunt, vt Thomistæ docent, & tamen sunt Entia, vt dictum est. Ergo, &c.

His obiectionibus commodè responderi non potest, nisi explicemus, quodnam sit Ens, cum quo passiones conuertuntur, an Nominaliter, an verò participialiter sumptum? tangemus autem hic aliqua de Bono, & Vero, vt sic de passionibus in communi agendo, quæ dictis passionibus sunt communia, absoluamus. Sic ergo,

QVAESTIO IV.

Vtrùm Passiones Entis conuertãtur cum Ente Nominaliter; an verò participialiter sumpto.

QVæstionẽ aggredimur meo iudicio difficillimam, hactenusque inter Philosoph. non solùm indecisam, sed etiam vix agitatam. Quamuis enim aliqui occasionaliter de aliqua passione entis in indiuiduo aliquid determinatè dixerint, nullus tamen, quem viderim, generaliter disputauit, cui enti passiones entis (quæ tamen communiter in ore omnium circumferuntur) conueniãt, & cum quo conuertantur? Et certè hoc generaliter determinare, satis difficile est; quia enim aliquæ istarum passionum in suis rationibus inuoluunt existentiã, aliæ verò non, perplexum, suspensumq; intellectum reddunt, an omnes enti, v.g. Nominaliter, vel è contra omnes enti participialiter sumpto attribuere debeat; an verò eas inter ens vtroque modo acceptum partiri, ita vt aliquas enti Nominalitèr, reliquas verò adscribat enti participialiter sumpto. Et hæc est huius quæst. difficultas maxima, quam, Deo auspice, aggredimur.

§. I. *Variæ Doctorum sententiæ.*

LIcet ex professo hæc quæstio à Philos. non fuerit tractata, ex ijs tamen quæ in diuersis materijs, tàm philosophicis, quàm theologicis occasionaliter Auctores tractant, diuersitas opinionũ, in explicanda præsenti difficultate, potest assignari.

Est ergo prima sententia, quæ indiscriminatim omnes passiones entis docet, competere enti participialiter sumpto, cum eoque cõuerti. Ita Nostri Salmant. tract. 4. de Trinit. d. 10. d. 1. §. 2. idemque docent tract. 4. de Volunt. Dei d. 5. d. 1. Quæ Salmant. opinio non sic est intelligenda, vt credamus, eos docere, passiones entis ita conuerti cum ente participialiter, vt omnes, & singulæ pateant ampliùs, quàm dictum Ens patet. Hoc enim non docuerunt, nec docere potuerunt; Nam, quidquid sit de Vero, & Bono, saltem de Vno certum est, illud non soli Enti participialiter, sed etiã Nomi-

minaliter competere. Res enim non solum, vt sunt sub existentia, sed etiam secundùm suam essentiã, sicut indiuisionẽ, ita, & vnitatem habent, vt mox declarabitur. Vnde, & ipsi Salmant. cit. dub. & dis. ex tract. de Trinit. n. 10. fatentur, quòd Vnum, sicut, & Res, cuilibet formalitati competunt. Et similiter in dub. & disp. tract. de volunt. adductis n.24. expresse dicunt, ex illis transcendentibus, quæ communiter vulgari illo verbulo, REVBAV, recensentur, aliqua conuerti cum ente nominaliter sumpto, aliqua verò minimè. Quod ergo intẽdunt, quando docent, passiones entis cum solo ente participialiter sumpto conuerti, est, solum Ens participialiter sumptum esse illud, cum quo omnes passiones Entis, & non solùm aliquæ, sicut cum Ente nominaliter sumpto, conuertuntur; quod ideò docent, vt ostendant formã significatam per hoc nomen, *Ens*, non esse essentiam, sed existentiã. (Nam vt ipsi ratiocinantur) quẽadmodum hoc nomen, homo, absolutè, & simpliciter dictum, significat id, cum quo omnes passiones hominis conuertuntur, itá etiam hoc nomen, Ens, significat id, cum quo debent omnes passiones conuerti. Ex quo inferunt, quòd Ens non significet essentiã, sed existentiam, quia non omnes passiones Entis conuertuntur cũ Ente nominaliter, seù significante essentiam, sicut cum eodem participialiter sumpto, siue, vt denotat existentiam.

Fundamentum dictæ opinionis suæ nullum adducunt, quo generaliter probent, omnes passiones Entis conuerti cum Ente, immò neq; in speciali id de aliqua passione probant, quia non ex professo, sed incidenter tantummodò hanc difficultatem tractant: Potest tamen ex eorum doctrina, sic ipsorum opinio demonstrari ostẽdendo, singulas Entis passiones cõuerti cum Ente participialiter, non vero nominaliter sumpto.

In primis enim. Vnum, etsi, in omnium opinione, etiam cum Ente nominaliter conuertatur, vt infra declarabimus, tamen etiam negari non potest, illud conuerti, etiam cum Ente participialiter Tum, quia vnitati non derogat existentia, quam ens participialiter supra ens nominaliter addit. Tùm etiam, quia existentia affert maximam vnitatem, scil. numericam; quidquid enim à parte rei existit, est singulare, nam vniuersalia à parte rei non dantur, sed fiunt beneficio intellectus, vt cõmuniter contra Platonem docent Peripatetici. Tùm deniq; quia Philos. 4. Metaph. tex. 3. dixit, tot esse Vnius species, quot entis. Ergo sicut ratio entis non in solo ente nominaliter, sed etiam in ente participialiter inuenitur, itá & ratio Vnius enti vtroque modo accepto conuenire debet, & consequenter Vnum etiam conuertetur cũ ente participialiter sũpto.

Deinde *Verum* non conuerti cum ente nominaliter, sed participialiter sumpto, sic probatur. Quo-

Quorum vnum latiùs patet, quã aliud illa non conuertuntur. Sed ens latiùs patet, quàm Verum. Ergò ens nominaliter non conuertitur cum Vero. Maior patet Minor verò ex Salmant. doctrina sic probari potest. Nam Relationes Diuinæ sunt entia nominaliter, (intelligendo per ens nominaliter, sicut in rei veritate intelligi debet, ens prout opponitur nihilo,) & dicunt, aliquam entitatem, seu realitatem, quia non sunt nihil, & tamen non sunt veræ, quia non dicuntur tres veritates in Diuinis; quod fusè probant Salmant. cit. d. & q. ex materia de Trinit. tùm auctoritate, tùm ratione. Auctoritatẽ S. Tho. adducunt primam ex primo sententiarum d. 19. q. 5. ar. 3. ad 1. vbi S. Doct. dicit. *Dicendum, quòd sicut trium Personarum una est essentia, quia qualibet habet esse, quãuis sint plures proprietates, quibus distinguuntur, quæ tamen omnes non differunt secundùm rem ab essentia; ità etiam est vna veritas trium Personarum ex parte ipsius rei, de qua est enunciatio.*

Auctoritatem secundam adducunt ex q. 1. de verit. ar. 6. in solut. ad 18. vbi hæc habet. *Dicendum, quòd ratio veri fundatur supra Ens, quamuis autem in Diuinis ponantur plures Personæ, vel proprietates, non tamen ibi ponitur, nisi vnum esse: quia esse in Diuinis, non nisi essentialiter dicitur, & omnium istorum enunciabilium, Patrẽ esse, uel generare, Filium esse, uel genitum esse, secundùm quòd ad rẽ referuntur, est ueritas una, quæ est ueritas prima, & æterna.*

Deinde idipsum probant à ratione. Primò: Personæ Diuinæ simul sumptæ non sunt quid verius, quam sit aliqua illarum; cùm enim veritas quandam perfectionem dicat, sicut non sunt simul sumptæ quid perfectius seipsis sigillatim acceptis, ita neque quid verius. Sed si Relationes Diuinæ dicerent proprias veritates, tunc Personæ duæ, v. g. Patris, & Filij essent veriores Persona Spiritus S. quia, vltra veritatem absolutã, dicerent illæ duas veritates relatiuas, hæc verò non, nisi vnicam. Ergò &c. Estque fundamentum huius rationis in insigni quadam auctoritate S. Augustini, quam cit. Salman. adducunt ex eius lib. 8. de Trinit. C. 1. in hæc verba: *ubi magnitudo ipsa ueritas est, quidquid plus habet magnitudinis, necesse est, ut plus habeat ueritatis. Quidquid ergo plus ueritatis non habet, non habet plus etiam magnitudinis. Porrò quidquid plus habet ueritatis, profectò uerius est, sicut maius, quod plus habet magnitudinis. Hoc ergo ibi est maius, quod uerius. Non autem uerius est Pater, & Filius simul, quàm singulus Pater, aut singulus Filius. Non igitur maius aliquid utrumque simul, quàm singulum eorum. Et quoniam æquè uerè est etiam Spiritus S; nec Pater, & Filius simul maius aliquid est, quàm ipse, quia nec uerius est: Pater quoque, & Spiritus S. simul, quoniam ueritate non superant Filium, neque enim uerius*

sunt,

Digitized by Google

sunt, neque magnitudine superant. Atque ita Filius; & Spiritus S. simul tàm magnum aliquid sunt, quã Pater solus, quia tàm uerè sunt, sicut, & ipsa primitas tàm magnum est, quàm unaquæque ibi Persona, Non enim ibi maior est, quæ ueri or non est, ubi est ipsa ueritas magnitudo, quia in essentia ueritatis hoc est uerum esse, quod est esse; & hoc est esse, quod est magnum esse: hoc est ergo magnum esse, quod uerum esse. Hucusque S. Augustinus.

Secunda verò ratio, qua vtuntur dicti Salmant. est talis. Ratio Veri fundatur supra esse, non solùm generali quadam ratione, secundùm quòd omnis realitas illud vtcunque respicit, sed specialiter, tanquam id, per quod fundamentaliter sumptum definitur; sicut definiuit illud S. August. in soliloquijs, vt refert, & explicat mentem August. D. Thom. q. 1. de verit. ar. 1. vbi inquit. *Tripliciter Veritas, & Verum definiri inuenitur. Vno modo secundùm id, quod praecedit rationem ueritatis, & in quo uerum fundatur; & sic August. definiuit in lib. soliloq. Verũ est id, quod est, &c. ac ex consequẽti ratio ueri fundabitur supra entitatem, quę erit principium essendi.* Sed in diuinis tantùm est vna entitas, scil. Essentia Diuina, principium essendi, quia ibi tantùm est vnum esse, vt communiter docent Theologi. Ergò etiam tantùm vna erit veritas: ac proinde Relationes Diuinæ non dicent propriam veritatẽ, sed erunt veræ veritate absoluta Essẽtię Diuinæ.

Tertia ratio ipsorum est. Idipsum est fundamentum veri, quod etiam est fundamẽtum speciei intelligibilis, vt ad lineam intelligibilem spectat: Quælibet enim res, sicut intelligibilitatem, ita & veritatem habet per ordinem ad dictam speciem. Sed fundamentum speciei intelligibilis, vt ad lineam intelligibilem formaliter spectat, non est quæuis realitas, sed illa tantùm, quæ, vel est existens, vel principium existendi; vnde ijdem Salmant. 1. tom. tract. 3. d. 3. n. 32. docent, ex eo Relationes Diuinas non posse habere rationem speciei intelligibilis, quia non sunt principia essendi. Et in eodẽ tom. tract. 4. d. 1. n. 22. & in 2. tom. tract. 6. disp. 2. dub. 3. dicunt, existentiam in ordine intelligibili esse effectum, seu quasi effectum prouenientem à specie intelligibili. Et tandẽ in dicto tract. 4. d. 1. à n. 21. vsque ad n. 29. explicuerunt, quomodo species intelligibilis debet sibi vendicare propriam existentiam in ordine naturali, & entitatiuo ad hoc, vt possit esse causa, aut quasi causa intellectionis, quæ est existentia ordinis intelligibilis. Ergò &c.

Tandem *Bonum* etiam cum solo Ente participialiter sumpto cõuerti posse, ex ijsdem Salmant. multis probari posset. Sed quia quantùm ad hanc passionem ab eorum sententia non discedemus, ideò commodiùs eorum fundamenta pro nostra sententia adducentur.

Secunda sententia è diametro

huic

huic opposita dicit, Passiones entis conuerti cum ente nominaliter sumpto. Ita Vasquez 1. p. q. 5. ar. 3. & Hurtado d.7. Metaph. q. 3. Tribuo autem hanc opinionem dictis Auctoribus, non quòd eam expresſè habeant: (apud nullum enim, vt iam supra monui, ex Auctoribus hanc quæst. sub his, sub quibus hìc à me tractari terminis vidi), sed quia hoc de Bono, de quo est maxima controuersia, asserunt, idem eos consequenter de alijs duabus passionibus existimo credidisse.

Probant primò hāc suam opinionem auct. S. Thom. 1. p. q. 5. ar. 3. vbi affirmat: omne ens, in quantùm ens, est bonum. Ergò cùm ens significet primariò essentiam, vt ex supra dictis patet, ex mente Angelici Præceptoris, ens secundùm quòd significat essentiam, ac per consequens; ens nominaliter sumptum illud erit, cum quo Bonum conuertitur.

Secundò probant. Vbicunque inuenitur integritas, ibi inuenitur bonitas. Sed etiam in ente nominaliter sumpto sua inuenitur integritas. Ergò & bonitas. Maior probatur, quia cùm Bonū, & perfectum conuertantur, quidquid perfectum est, & bonū erit: Illud autem dicitur perfectum, cui nihil deest, illi verò nihil deest, quod suam integritatem habet. Ergò de primo ad vltimū, vbicunque inuenitur integritas, inuenitur, & bonitas. Minor similiter probatur, quia ens nominaliter sumptum, seù essentia, si sit composita, non poterit essentia verè, & propriè dici, nisi habeat suas partes vnitas, quando verò habet partes vnitas, habet integritatem. Ergò quando concipitur, vt essentia, concipitur integra; Si autem fuerit simplex, nihil ad sui complementum desiderabit; aliàs si per additionem alicuius compleretur, propriam simplicitatem amitteret. Ergo etiam hæc semper erit integra, ac per consequens omnis essentia habebit suam integritatem, & consequenter bonitatem; Quod enim integrum est, bonum est, vt ex supra dictis patet.

Ab hac opinione Vasquezij nō differt longè Nost. P. Philip. à SS. Trinit. (estq; hæc tertia sententia) qui 3. p. Summæ Philosophiæ distinguit duplicem Boni acceptionem, sc. in Bonum, quod cum perfecto conuertitur, Et in Bonum absolutè sumptum, prout præuenit rationem perfecti. Hanc autē distinctionem Boni fictitiam non esse, probat ex S. Doct. qui eam aliqualiter innuere videtur 1. par. quæst. 5. art. 1. ad 1. vbi hæc habet. *Bonum dicit rationem perfecti, quod est appetibile, & per consequens dicit rationem vltimi: Vnde id, quod est vltimò perfectum, dicitur bonum simpliciter, quod autem non habet vltimam perfectionem, quam debet habere, quamuis habeat aliquam perfectionem, in quantùm est actu, non tamen dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter, sed secundùm quid: Sic ergo secundùm primum esse, quod est substantiale,*

dici-

dicitur aliquid, ens, esse simpliciter, & bonum secundùm quid, id est in quantùm ens est, secundùm verò vltimum actum, dicitur aliquid, Ens, secundùm quid, & bonum simpliciter. Videtur ergo ex hac authoritate posse colligi prædicta distinctio.

Cæterũ pace, dixerim, P. nost. Philip. , nisi S. Tho. violenter torqueatur, hæc distinctio bonitatis, quam dictus nost. P. Philip. ponit, in S. Tho. inueniri non potest. In illa namque solutione tãtum abest, vt S. Doctor dictam distinctionem afferat, quin potiùs totum oppositum doceat; quod vt clariùs pateat, integram hic responsionem ad *primum* transcribere placuit, cuius tenor est talis. *Ad primum ergo dicendum, quòd licet bonum, & Ens sint idem secundùm rem, quia tamen differunt secundùm rationem, non eodem modo dicitur aliquid Ens simpliciter, & bonum simpliciter. Nam cùm Ens dicat aliquid propriè esse in actu, actus autem propriè habeat ordinem ad potentiam, secundùm hoc simpliciter dicitur aliquid, Ens, secundùm quòd primò discernitur ab eo, quod est in potentia tantùm: hoc autem est esse substantiale rei vniuscuiusque: Vnde per suum esse substantiale dicitur vnumquodque, ens; simpliciter, per actus autem superadditos dicitur aliquid esse secundùm quid, sicut esse album significat esse secundùm quid, non enim esse album aufert esse in potentia simpliciter, cùm adueniat rei iam praexistenti in actu. Sed Bonum dicit rationem perfecti, quod est appetibile, & per consequens dicit rationem ultimi: Vnde id, quod est ultimo perfectum, dicit bonum simpliciter; quod autem non habet ultimam perfectionem, quam debet habere, quamuis habeat aliquam perfectionem, in quantùm est actu, non tamèn dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter, sed bonum secundùm quid. Sic ergo secundùm primum esse, quod est substantiale, dicitur ens simpliciter, & bonum secundùm quid, id est in quãtùm est ens; secundùm verò ultimũ actum, dicitur aliquid, ens, secundùm quid, & bonum simpliciter. Sic ergo, quod dicit Boetius, quòd in rebus aliud est, quòd sunt bona, & aliud, quòd sunt, referendum est ad esse bonum, & ad esse simpliciter, quia secundùm primum actum, est aliquid, ens, simpliciter, & secundùm ultimum, bonum simpliciter, & secundùm primum actum, est quodammo Bonum, & secundùm ultimum, est quodammodo ens.* Vbi, vt vides, S. Thom. etsi distinguat Bonum in bonum simpliciter, & bonum secundum quid, nunquàm tamen dixit, Bonum secundum quid præuenire rationem perfecti; quia apud S. Doct. ita se habet res ad esse boni, sicut & ad esse perfecti. Vnde, vt in verbis solutionis aduertere potes, S. Doctor secundum distinctionem perfecti, ponit distinctionem boni, illudq; dicit esse bonum simpliciter, quod est simpliciter perfectum, vtpotè habens omnia ad complementum suæ perfectionis requisita: illud verò secundũ quid

Bonum, quod est secundum quid perfectum, quia sc. multa in illo desiderantur; quæ ad illud perficiendum concurrere possunt.

Sed quidquid sit de hoc, & admisso gratis, hanc distinctionem bonitatis, eo modo, quo à P. Philippo explicatur, habere fundamentum in S. Tho. Opinio eius nùnc est referenda: Dicit ergò ille, supposita dicta distinctione Boni, Bonum prout præuenit rationem perfecti, esse passionem entis nominaliter sumpti; Bonum verò, prout est idem, quòd perfectum, dicit esse passionem entis participialiter sumpti. Probat primam partem sic. Quælibet res est bona secundùm propriam essentiam. Sed non est bona, prout bonum est idem, quòd perfectum. Ergò erit bona saltim secundùm quòd bonum præuenit rationem perfecti. Minor patet. Perfectum est, cui nihil deest. Ergò cui deerit existentia, quæ est principalis actus, primaque perfectio vniuscuiusque rei, non erit perfectum: cùm ergò essentiæ rerũ secundũ se consideratæ non dicant existẽtiam, non erunt bonæ secundùm quòd Bonum conuertitur cũ perfecto. Maior autem patet ex doctrina P. Philip. & potest probari primò: Aliæ passiones entis competunt enti nominaliter sumpto, seu prout significat essẽtiam, cũ eoque cõuertuntur; quælibet enim res, secundùm suam essentiam, est vna, & vera. Ergò etiam & Bonum, propter paritatem rationis, saltim, vt præuenit rationem perfecti, conuertetur cum ente nominaliter sumpto.

Secundò eadem Maior potest probari. Ens reale, prout præuenit existẽtiam, est Obiectum Voluntatis saltim Diuinæ; ergò habet rationem appetibilis. Ergò boni, quod in esse talis, per appetibilitatem constituitur. Tertiò. Per id res sunt bonæ, per quod graduantur in bonitate, & perfectione. Sed per suas vltimas differentias essentiales graduantur in bonitate, ac perfectione saltim essentiali, nàm, seclusis actualibus existentijs, Natura Angelica est nobilior, & perfectior, quàm humana, & humana, quàm lapidea. Ergò &c.

Cum hac opinione P. Philippi omninò coincidit opinio P. Blasij à Concept; quamuis in terminis differre videatur. Dicit enim P. Blasius disput. 24. Metaph. q. 2. §. 1. Bonum transcendentale esse passionem entis nominaliter, & in actu signato, non verò participialiter, & in actu exercito. Vt autem seipsum explicat P. Blasius disput. eadem, quæst. 1. §. 2. in respons. ad 1. pro eodem sumit Bonum transcendentale, & bonũ absolutè sumptum, prout sc. nondùm intelligitur esse sub omnimoda perfectione, siue (vt terminis Patris Philippi vtar) bonum, vt præuenit rationem perfecti: Vnde idem omninò secundùm rẽ vterque dicit.

Rationes autem Patris Blasij sunt istæ. Prima. Propria passio debet conuenire omni, soli, & sem-

ſemper, vt patet ex iis, quæ docet Porphyrius de proprio. Sed exiſtentia non poteſt competere sẽper enti participialiter, ſed tantùm nominaliter ſumpto, quia etiam ipſa exiſtentia, à qua ens dicitur participialiter eſſe, non ſemper rebus competit; aliquando enim res exiſtunt, aliquando verò non, vnde communiter docent Philoſophi, exiſtentiam contingenter competere Creaturis. Ergò &c.

Secunda. Propoſitiones, in quibus propria paſſio prædicatur de ſubiecto, ſunt æternæ veritatis, vt patet diſcurrendo per ſingulas; æquè enim eſt propoſitio æternæ veritatis hæc: Homo eſt riſibilis, ac hæc: homo eſt rationalis; vtraq; enim neceſsariò competit homini. Ergo illa propoſitio, qua bonum enunciabitur de proprio ſubiecto, erit æternæ veritatis; Sed non eſset æternæ veritatis, ſi cõpeteret enti participialiter, ſeù ratione exiſtentiæ; ſicut enim ipſa exiſtentia contingenter competit rebus, ita & omne id, quod habet rationem ipſius. Ergo &c.

Quarta opinio eſt Noſt. P. Andreæ à Cruce 1. p. q. 5. d. 27. vbi, relicta diſtinctione entis in nominaliter, & participialiter ſumptum, dicit, ens eſſe bonum, etiam ſecundùm ſuam eſſentiam, non quidem abſolutè ſumptam, ſed vt connotantem exiſtentiam, vel tanquàm habens ipſam, vel tãquàm ordinata ad ipſam; vnde dicit, quod licet exiſtentia non ſit ratio formalis Boni, eſt tamen conditio neceſſariò requiſita ad ipſum, non quidem ſemper vt habita, ſed ſaltim vt determinatè inſpecta.

Probat ſuam opinionem ſatis efficaci argumento. Res ſine exiſtentia, & præciſo ordine omni ad ipſam, intelligitur eſſe ſub ſtatu puræ poſſibilitatis. Sed res ſub tali ſtatu non eſt bona. Ergo &c. Minor patet, quia res vbi incipiunt habere ordinem ad exiſtendum, ſtatim extrahuntur extra ſtatum puræ poſſibilitatis, & trãſeunt ad ſtatum futuritionis. Minor probatur. Quod bonum eſt, appetibile eſt, Bonum enim in eſſe talis conſtituitur per appetibilitatem, vt infra patebit. Sed res poſſibilis, quatenus talis, non eſt appetibilis, quia ſtatus poſsibilitatis eſt ſtatus nõ eſſendi, nullum autem appetit non eſſe, quatenùs tale.

Hæc eſt diuerſitas opinionum circa præſentem quæſt. quam ex Auctoribus colligere potui. Licet enim plurium circa hoc poſſem referre ſenſum, omnes tamen opiniones ad numeratas reducuntur ſicut opinio Caiet. quam habet c. 4. de ente, & eſſentia, eſt omninò eadem cum ſententia noſtrorum Salmat. ſupra à nobis relata, ſicut & opinio Suar. quam in ſua Metaph. diſ. 10. ſ. 3. fusè proſequitur, parùm, vel nihil differt à ſenſu Gabrielis Vaſquez. Iam ergò noſter ſenſus, quantùm ad præſentem difficultatem ſpectat, eſt aperiendus. Quod, vt fũdamentalius fiat, ſuppoſitiones ali-

aliquæ de necessitate sunt præmittendæ.

§. 2. *Aliqua præmittuntur pro solutione quæst. necessaria.*

QVia præsens difficultas plurimùm dependet ab intelligentia, quid ens nominaliter, quid participialiter sumptum importet; hoc enim etsi communi Philosophantium voce, ità explicetur, vt ens nominaliter dicitur esse illud, quod significat essentiam, participialiter verò, quod significat existentiam, nondùm tamen sufficienter explicatū est, an requiratur existentia, vt in actu exercito habita, an verò sufficiat, vt habenda, vel per modū connotati importata ad constituendum ens participialiter acceptum. Pro cuius explicatione.

Supponendum est primò, quòd licet ens absolutè sumptum significet essentiam, & non existentiā, vt supra disp. 1. huius tract. determinatum est, tamen necessariò, & indispensabiliter debet cōnotare existentiam, siue vt habitam, siue vt determinatè, vel saltem posibiliter, habendam, sine qua connotatione essentiæ rerum, sicut essent simpliciter, & omninò nihil, ità entia dici nullatenùs possent. Cū enim iuxta Angel. Doct. quodlib. 2. q. 2. ar. 3. *Ens sit illud, cui competit esse*: essentia, cui nullo modo competit esse, non est ens.

Supponendū est secundò, quod alibi iam etiam notauimus, hunc ordinem ad existentiam, quem essentiæ rerum ex suo intrinseco conceptu afferunt, duplicem esse, seu potiùs in duplici differentia esse Essentias, quantùm ad hunc respectum; Aliquæ enim respiciunt existentiam propriam, per quā illæ propriè, & connaturaliter existunt: Aliæ verò non respiciunt existentias proprias, quia illas non habent, sed alienas, id est alteri naturæ, à qua illæ, saltim distinctione includentis, & inclusi distinguuntur, debitas: Vnde etiam per illas, non tàm existere, quàm coexistere dicuntur.

Supponendum est tertiò, quòd, cum omnis essentia dicat ordinē aliquem ad existentiam, siue propriam, siue alienam, idest ratione alterius sibi communicatam, ratio entis participialiter sumpti non potest esse essentia connotās aliquo modo existentiam, Cùm enim hanc, vt diximus, aliquo modo omnis essentia connotet, omnis essentia esset ens participialiter, nulla verò nominaliter sumptum, & consequentèr tolleretur illa communis distinctio entis in ens nominaliter, & participialiter acceptum, quàm tamen communi plausu omnes admittunt Philosophi, ij præcipuè, qui S. Thomæ inhærènt vestigijs. Ex quo sequitur id, quod in his notationibus intendimus explicare.

Supponendum est quartò, ens participialiter sumptum esse essētiam, vt actu existentem, seu importantem existentiam actu. Ens verò nominalitèr acceptum esse

eandem essentiam secundùm se, se cõnotantem aliquo modo existentiam, quod idem est; nàm, vt supra dictum est, Ordo ad existentiam à conceptu essentiæ præscindi nullatenus potest. Congruitque hæc expositio cum natura Nominis,& Participij: Nam, vt aduertunt Nost. Complut. l. 2. Summul. C. 1. Participium in hoc differt à Nomine, quòd Participium, sicut & Verbum, significat cum tempore, Nomen verò quãuis possit connotare tempus, non tamen cum tempore significare potest. Proindeq; existentia, vt exercita, vtpotè quæ ad sui exercitium requirit tempus, vel aliquam aliam durationem conuenientem rebus existentibus, importabitur, & significabitur per Ens participialiter sumptum. Ens verò nominaliter significabit essentiam, vt connotantem existentiam exercibilem in tempore, vel alia duratione proportionata rei existenti, sicut & ipsum *nomen* dictum tempus connotare potest. Hæcq; est communis acceptio entis Nominaliter, & participialiter accepti, quam alijs terminis pulchrè explicuit Ferrarien. 1. con. gen. c. 25. cuius verba sunt. *Considerandum est, quòd licet ens tàm Nominaliter, quàm participialiter sumptum importet esse, vtroq; enim modo ens significat, quod habet esse, tamen aliter importatur per vnum modum, quàm per alterum, si enim participialiter sumatur, vt idem est absolute, quòd existens, esse importatur, tanquàm principale, & formale significatum, eo quod est abstractum huius concreti, ens; id autẽ, quod habet esse, importatur secundariò, tanquam susceptiuum esse, sicut album primò, & formaliter importat albedinem, quæ est eius abstractum, secundariò autem importat subiectum, eo quòd ipsam albedinem significet per modum alteri inhærentis. Si autem Nominaliter sumatur, sic esse non est eius abstractum, sed essentia, ideò principaliter eius significatum non est esse, sed essentia, esse autem importatur per ipsum, tanquàm id, à quo nomen imponitur, sicut cum lapis dicitur, esse id, quod offendit pedem, offensio pedis importatur secundariò, tanquàm id, à quo imponitur nomen, essentia autem eius, tanquàm principale significatum.* Huculq; Ferrarien. Ex quibus habes, Ens, Nominaliter, significare essentiam, connotando existentiam, à qua nomen Entis imponitur, & sine qua, vel sine ordine ad ipsam, essentia rationem entis amitteret, vt supra diximus. Ens verò participialiter significat existentiam, connotando essentiam, vt habentem ipsam, seù essentiam, vt actualiter, & in exercitio existentem.

Ex quibus notationibus statũ nostræ difficultatis vides in hoc consistere; An passiones Entis, videlicet Vnum, Verum, & Bonum conuertantur cum Ente, prout significat essentiam actu, & in exercitio existentem; An verò, vt significat eandem essentiam, connotantem existentiam, eamq; secundariò importantem.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. *Vera Sententia explicatur.*

Dicendum itaq; est, Omnes passiones Entis, sc. Vnum, Verum, Bonum conuerti cum ente Nominaliter sumpto, seù cum ente, vt significat essentiam, connotando existentiam, non verò cum Ente participialiter accepto, siue, vt significat essentiam actu. Hæc concl. est bimembris. In 1. p. enim affirmatur, passiones entis conuerti cum ente Nominaliter accepto. In 2. verò negatur, easdem cum Ente participaliter sumpto conuerti. Et quidem hæc secunda pars satis liquet ex prima, quia hoc ipso, quòd passiones Entis conuertantur cum Ente Nominaliter, seù, quod idem est, cum Ente, vt significat essentiam connotantem existentiam, non autem actuatam per ipsam, planè sequitur, quòd passiones Entis ampliùs pateant, de pluribusq; prædicentur, quàm ens existens, seù ens participialiter sumptum, proindeq; non conuertetur, quia ad conuersionem requiritur, quòd vnum non amplius pateat, quàm aliud.

Quantùm autem ad 1. p. prob. hæc concl. primò illa auct. S. Tho. quam supra retulimus ex 1. senté. d. 19. q. 5. a. 1. ad 3. vbi S. Doct. dicit. Quod hæc quatuor conuertuntur: Ens, Vnum, Verum, Bonum. Ergò ex mente S. Doct. cũ eodem ente conuertentur Verũ, & Bonum, cũ quo cõuertitur & Vnũ. Cùm ergò in omnium sententia, (vt mox explicabitur) Vnum cõuertatur cum ente Nominalitèr sumpto, etiam Verum, & Bonum cum eodem conuertentur.

Deinde hæc eadem Conclusio probatur fusiùs, discurrendo sigillatim de omnibus passionibus; & primò de Vno, de quo, quamuis nullus sit, qui neget, illud cum ente Nominaliter conuerti, tamen, vt hoc fundamentaliter constet, prob. Omnis essentia, præcisa existentia (quamuis cum ordine ad ipsã, quia sine ordine, essentia non esset) est in se vna, ita quidem, vt nulla sit formalitas, nulla entitas, vel entitatis modus, quæ suã vnitatem non habeat. Sed essentiæ, præcisa existentia, sunt Entia Nominaliter, vt ex supra dictis patet. Ergò nullum est ens Nominaliter, quod non sit Vnum, ac per consequens. Vnum conuertetur cum ente Nominaliter sumpto. Minor cũ vtraque consequentia patet. Maior verò probatur ex Arist. 5. Metaph. tex. 11. vbi dicit. *Vniuersaliter, quæcunque non habent diuisionem, in quantùm non habent, sic vnum dicuntur, vt si in quantùm homo, non habet diuisionem, vnus homo, si autem in quantùm animal, vnum animal.* Quæ ergo non habuerint diuisionem, illa vnum dicuntur: Vnde etiam Vnum definitur, quòd sit *Ens indiuisum in se*, vt seq. disp. dicetur. Sed quælibet essentia, præcisa existentia, immò quælibet formalitas, & modus est indiuisus in se, quia, cùm prius sit esse indiuisum in se, quam esse diuisum à

quolibet alio, ficut quælibet essentia, etiam præcisa existentia, & quælibet formalitas, & quilibet modus est diuisus ab alio, qui non est ipse, ita etiam in se indiuisus erit. Ergò, &c.

Confirmatur primò, quia præcisa existentia, essentia hominis nō est essentia Leonis, vel arboris. Ergò præcisa existentia, essentia hominis habet propriam vnitatē, per quam diuiditur ab alijs, quæ non sunt ipsa. Ergò, &c.

Confirmatur secundò. Vbi potest esse numerus, ibi debet esse & Vnitas, quia numerus ex vnitatibus constat. Sed essentiæ, etiam præcisa existentia, faciunt numerum; verè enim, præcisa existētia, sunt plures. Ergò &c. Possent huius plures rationes adduci, sed in re apud omnes certa immorari non libet, dando difficilioribus locum.

Probatur ergò, secundam passionem entis, sc. *Verum* cum ente nominaliter sumpto conuerti, & primò authoritate S. Tho. q. 1. de verit. Ratio Veri consistit in entitate habente conformitatem cum intellectu, vt infra explicabitur. Sed hæc ratio omni enti nominaliter sumpto cōpetit. Ergò & ratio Veri, ac per consequ. Verum conuertetur cum ente nominaliter sumpto. Maior patet cum vtraq. consequ. Minor autē probatur. Nàm ens nominaliter sumptum significat, & ambit, vt iam explicatum est, omnem essētiam connotantem existentiam, siue illa sit essentia propriè dicta, quæ sc. est radix existentiæ, siue sit essentia impropriè, siue formalitas, quæ non connotat propriā existentiam, quia eam non habet, sed alienam, per quam sc. vel coexistit, vel coexistere potest. Sed hæc omnia important entitates habentes conformitatem cum intellectu, omnia enim hæc sunt intelligibilia, quia omnia sunt entia, ergò &c.

Confirmatur. Ità se habet res ad veritatem, sicut & ad entitatem, sicut in pluribus locis loquitur Aristot. & S. Tho. Ergò, quæ erunt verè, & propriè entia, erunt verè, & propriè vera. Sed entia nominal. sumpta, cùm nihil non sint, sunt verè, & propriè entia; ens enim, & nihil, vt ex supra dictis patet, immediatè opponuntur. Ergò &c.

Probatur secundò euertendo fundamētum oppositæ sententiæ. Si propter aliquam rationem entia nominaliter non essent vera, vel maximè ideò, quia sub conceptu entis nominaliter sumpti clauduntur essentiæ, quæ non sūt radices existentiarum; iàm autem ex pluribus auctor. S. Tho. constat, hoc requiri ad veritatem. Sed hæc ratio est nulla, quia, vt ex solutionibus argument: constabit, licet ad veritatem requiratur cōnotatio existentiæ, non tamen requiritur, quòd essentia sit ipsius radix. Ergò &c.

Confirmatur. Relationes Diuinæ, & similiter Attributa Diuina non sunt radices existentiarū, quia ibi est tantùm vnicum esse. Sed Relationes, & Attributa dicunt

Digitized by Google

cunt proprias veritates distinctas à veritate Essentiæ Diuinæ. Ergò &c. Maior, & consequ. patent. Minor autem probatur multiplic. primò ex illo 1. Ioannis cap. 5. *Vt simus in vero Filio eius, hic est verus Deus*: vbi veritas non solùm attribuitur Filio, vt Deo, sed etiam, vt Filio. Ergò relatio filiationis dicit veritatem distinctam à veritate Deitatis, siue naturæ; aliàs non contradistinxisset Apostolus, istas veritates, quà sc. Filius Dei est verus, vt Deus, & qua est verus, vt Filius, Ergò ob paritatem rationis habebunt veritatem aliæ Relationes, & Attributa.

Nec valet, si dicas cum Nost. Salmat. tract. 6. de SS. Trinit. disp. 10. dub. 1. n. 35. Filium, & dici verum Deum, & dici verum Filium, non multiplici veritate, sed eadem, quia sc. vnica veritas essentiæ Diuinæ, quæ, absolutè sumpta, facit illum Deum verum, inclusa in Filiatione, facit illum verum Filium.

Nam contra est. Essentia Diuina non includitur in Relationibus Diuinis per modum transcendentis transcendentia rationis, sed per modum transcendentis transcendentia rei. Hoc est autem discrimen inter Transcendēs transcendentia rei, & transcendens transcendētia rationis quòd transcendens transcendentia rationis non retinet suam vnitatē, sed plurificatur ad plurificationē illorum, in quibus imbibitur, quia non distinguitur virtualiter ab ipsis; sicut ratio Entis diuini imbibita in relatione est relatio, in sapientia, est sapientia, in voluntate, voluntas &c. & sic de alijs; Sicut & ratio Entis, vt sic, imbibita in substantia, est substantia, in Accidenti, est accidens, propter eandem transcendentiæ rationem: Hoc autem posterius, sc. transcendens transcendentia rei, etsi in pluribus includatur, tamen retinet suam vnitatem, quia adhuc, vt inclusum in ipsis, distinguitur virtualiter ab ipsis, Et hoc modo essentia diuina transcendit Attributa, & relationes. Quæ omnia fusè explicant Nostri Salmant. in Tract. de Trinit. disp. 5. dub. 3. & in pluribus alijs huius tract. locis. Ergo id, quod competit Filio ratione essentiæ, vt inclusæ præcisè, non competit illi, vt Filio, sed vt Deo, quia essentia, ratione cuius illi competit, non spectabit ad lineam relationis filiationis, sed ad propriam vnitatem, ac per consequens si ipsa veritas illi præcisè, ratione essentiæ inclusæ competet, non erit propterea verus Filius, sed tātùm verus Deus. Concedenda ergo est propria veritas filiationi, ratione cuius dicatur propriè verus filius.

Respondebit fortè quis, essentiam Dei tribuere quidem Filio, vt sit verus Deus, si sumatur absolutè, tamen si sumatur, vt connotat relationem filiationis, & vt inclusa in ipsa, tribuit illi, vt sit verus Filius, eo proportionali modo, quo eadem essentia consistens in intelligere primordiali, si absolutè sumatur, nec generat, nec

gene-

generatur; Si tamen sumatur, vt connotat relationem Paternitatis verè generat; Vnde dictio ex parte recti non distinguitur ab intellectione primordiali, vt constitutiua essentiæ, sed tantùm ratione connotati, vt eruditissimè explicant nost. Salmant. Tract. disp.cit. Sed.

Contra est. Nam licet verum sit, posse multa prædicata competere essentiæ diuinæ ratione connotatorum, quæ non competunt ipsi absolutè sumptæ; non tamen ipsi potest aliquod prædicatum competere de nouo, nisi etiam de nouo addatur aliquod connotatum, vt patebit discurrenti per omnia prædicata de nouo essentiæ competentia. Ergo quia filiatio connotata ab essentia in ipsa inclusa iam tribuit essentiæ sic inclusæ denominationem genitæ, quia illud complexum ex essentiâ, & filiatione genitum dici potest, non tribuet illam nouam denominationem eidem essentiæ, nisi ratione alicuius noui prædicati, quod in ipsa connotaretur. Ergo nisi ponatur in ea aliqua veritas ipsi propria, non poterit essentia, etiam vt connotans filiationem, facere filium Dei verum Filium, sed tantùm verum Deum. Ergo &c.

Secundo probat. minor. Quidquid conuenit Relationibus creatis, (si in suo conceptu non inuoluat imperfectionem) conuenit etiam & Diuinis, quia in Deo sunt omnes perfectiones creaturarum, demptis imperfectionibus. Sed Relationes Creatæ afferunt propriam veritatem, & hoc nullam inuoluit imperfectionem. Ergò & Diuinæ illam afferent. Maior, & Consequentia patent. Minor verò probatur. Primò quoad 1. p., quod sc. Relationes creatæ afferant propriam veritatem, quia dicunt propriam intelligibilitatem, quod nullus negare potest, cùm intelligantur per proprias species distinctas à speciebus suorum fundamentorum. Deinde quoad 2., quòd afferre propriam veritatem nullam inuoluat imperfectionem, satis ex se liquet, quia veritas tãtùm abest, vt dicat ex suo conceptu imperfectionem, quin potiùs summa perfectio est.

Tertiò probatur eadem Minor. Nam Verbum Diuinum procedit ex cognitione Personarum, vt docent Nostri Salmãt. cit. iam tract. de Trinit. disp. 12. dist. 1. Ergò procedit ex cognitione Trinitatis, qua Trinitas est, quia Personæ sunt, quæ constituunt Trinitatẽ. Ergò Trinitas, qua Trinitas, cognoscitur; Ergo qua Trinitas habet veritatem, quia cognitio in obiecto supponit veritatem. Sed Trinitas, in ratione talis, constituitur per Relationes, quia per hoc, in ratione talis, Trinitas constituitur, per quod Personæ ad inuicem distinguuntur, quas tamen certum est, distingui per Relationes; In Diuinis enim omnia sunt idem, vbi non obuiat oppositio relationis, iuxta vulgare Theologorum axioma, Ergò de primo ad vltimum procedendo, Relationes

di-

Digitized by Google

dicent propriam veritatem, quæ competit Trinitati, vt tali: Neq; enim potest dici, quòd hæc veritas sit essentiæ, vt inclusæ in Relationibus, & connotantis ipsas; Tū propter superiùs in probatione prima huius minoris dicta; Tùm etiā, quia, quod competit Personis ratione essentiæ, etiam vt inclusæ in Relationibus, competit ipsis, vt sunt vnum, seu, vt sunt vnitas, non autem, vt sunt Trinitas:quod enim ipsis competit, vt in hac ratione omninò indistinctis pertinet ad rationem vnitatis illarum, Iam autem quod competit ipsis ratione essentiæ, adhuc vt inclusæ in Relationibus, competit ipsis, vt omninò indistinctis, quia in Essentia, etiam, vt inclusa,nullo modo distinguuntur, vtpotè quæ in illis imbibitur per transcendentiam rei, ideoque sine iactura suæ vnitatis, vt ex dictis patet. Ergò &c.

Quartò probatur eadem minor, Insigni auctorit. S. Thom. ex qu.1. de Verit. art. 2. vbi S.Thom. cùm quæsijsset, Nùm veritas in Diuinis personaliter, vel essentialiter dicatur, in Corp. art. distinguit duplicem veritatem; aliam propriā aliam Metaphoricam. Et de propria quidem (quam dicit consistere in ęqualitate Diuini Intellectus & rei) affirmat, quòd essentialiter, dicitur, quia sola Essentia Diuina hanc æqualitatem importat: De Metaphorica autem subdit hæc, quæ sequuntur. *Metaphoricè autē, vel similitudinariè accipitur veritas in Diuinis, quando accipimus eam secundùm rationem illam,quæ inuenitur in rebus creatis, in quibus dicitur veritas, secundùm quòd res creata imitatur suum principium sc. Intellectum Diuinum: Vnde & similitèr hoc modò dicitur veritas in Diuinis summa imitatio principij, quæ Filio conuenit;& secundū hanc acceptionē veritatis, veritas propriè dicitur de Filio, & personalitèr.*

Pro cuius auct.intelligētia duo sunt adnotanda. Primum, quod S. Thom. veritatem illam propriam, dixit,importare æqualitatem Intellectus Diuini, & rei, ac proinde optimè attribuebat hāc veritatē soli Essentiæ, quia sola est quæ omninò conuenit in immaterialitate cum intellectu Diuino, nam illa sola est, quæ est suum esse absque distinctione virtuali, quod Attributis, & Relationibus non competit, quia existunt per esse distinctum virtualiter,sc. per esse ipsius Diuinæ Essentiæ, nàm tantùm est vnicum esse in Diuinis.

Secundum est, quòd cùm S. Thomas dixit, veritatem in secūda acceptione esse veritatem metaphoricam, non sic est intelligēdus, sicut illum explicant Nostri Salmat. tract.cit.de Trin.disp.10. dub.1.num.26. quòd sc. hæc veritas sit propriè Metaphorica;aliàs enim nulli Creaturæ veritas propria competeret, quia nullam aliam habent, præter hanc, quia semper, & intrinsecè respiciunt Intellectum Diuinum, vt principium; Sed vocauit Metaphoricā, propter analogiam, qua cum illa prima Veritate analogatur; iam

Digitized by Google

autem quælibet analogia diuersitatem claudit; Vnde etiam, (vt optimè aduertunt nostri Cōplut. in sua Log. in Antepræedic., docuitque expresse S. Thom. opusc. 48.tract.2.c.1.) Aristot. sub definitione æquiuocorum, quorum sc. ratio substantiæ, per idem nomen significata, est diuersa, comprehendit analoga. Ideóque, vt S. Doctor diuersitatem inter has veritates innueret, vnā dixit propropriam, alteram Metaphoricā. Et præcipuè cum S.Thom. veritatem competentē Creaturis vocauit Metaphoricam, attendebat ad analogiam attributionis, qua Creaturæ analogantur cum Deo, vt ex supra dictis disp. 1. huius tract.qu.4. patet.Quia enim analogia attributionis valdè symbolizat cum analogia proportionalitatis Metaphoricæ; vnde etiam ferè easdem conditiones vtraque habet,vt optimè aduertunt: nost. Complut.in Log.disput.10. qu.3. Inde est, quòd S. Doct. propter vtriusque analogiæ affinitatem vni alterius nomen indidit, & analogiam veri creati ad primam veritatem, quæ est analogia attributionis, (licet simul sit etiam proportionalitatis propriæ, vt supra de Ente diximus) Metaphoricam appellauit.

Hinc ergò iam ad dictam Minorem probādam tale ex hac nobili S. Doct. auctorit. eruitur argumentum. Nàm veritas, secundùm quam res illa dicitur vera, quæ imitatur suum principium, sc. Intellectum Diuinum,est veritas propria (quamuis à perfectione veritatis,quæ omnē æqualitatem cum eodem intellectu diuino dicit,non nihil deficiat;Vnde etiam hæc veritas Creaturis, quæ vtique habent veritatem propriam,competit(Sed veritas (verba sunt auctoritati S. Doct.) *Secundùm hanc acceptionem propriè, & personaliter dicitur de Filio.* Ergo veritas propria propriè, & personaliter ratione relationis competit Filio, ac per cōsequens Relatio filiationis dicet propriā, & personalem veritatem. Et cùm de cæteris relationibus, nec non & Attributis par sit,ratio, omnia ista proprias importabunt veritates, etsi tantùm sint Entia nominaliter,proindeq;enti nominaliter, qua tali, veritas competet, cum ipsoq;conuertetur.

Subueniebāt multò plures huius Minoris probationes;sed quia theologica est, ideoq;ad nostrum institutū minùs spectat, eas omittimus, quia & in his, vltra debitum Philosophi,diutiùs immorati sumus. Sed ita fieri debuit,quia præcipuam, tàm in hac, quàm in sequenti passione enti nominaliter sumpto applicanda, relationes diuinæ facessunt difficultatē, & ideò vtrobiq; hæc res paulò fusiùs discuti debet. Est ergo.

Tertia ratio qua prob.Enti nominaliter, seù vt prescindit ab existentia, quamuis connotet illam(etsi non sit radix illius) hanc secundam entis passionem,sc. Veritatem competere. Nam tantùm abest,vt existētia habita,faciensq;

Ens

Digitized by Google

Ens participialiter, requiratur ad rationem veri, quin potiùs rem maturiùs perpendenti videtur, de materiali tantùm importari ex communi ratione essentiæ, à qua, vt supra diximus, est impræscindibilis ordo ad existentiam. Quod euidenter ostenditur. Nam in primis res omnes ad hoc, vt sint intelligibiles (intelligibilitas autem, vt iam toties diximus, præsupponit veritatem, siue tanquam rationem formalem, siue tanquam conditionem necessariam obiecti; de quo disputant Philosophi in lib. de Anima) præscindunt ab hic, & nunc, à quo tamen nec ens participialiter, quod, sicut, & ipsum participium, importat respectum ad tempus, neque ipsa existentia, quæ est forma constitutiua Entis participialiter, præscindere nequit; quod manifestum signum est, nullo modo existentiam ad rationem Vnritatis spectare, nisi fortè materialiter, & præsuppositiuè.

Deinde quia; Entis rationis esse, siue existentia est actu obijci intellectui; priùs autem debet fingi, & concipi, quàm in esse quieto obiiciatur. Ergo priùs prioritate à quo, & independentiæ cognoscitur, per illam sc. cognitionem, per quam fingitur, quàm existat, ac proinde prima eius cognitio, per quam illi primò communicatur illud esse fictum, quod postmodùm in sequenti signo, in esse quieto obiectum intellectui, existet, non dependet ab existentia. Ergo cùm dependeat à Veritate, quia nihil cognoscitur, nisi verum, vel habens aliquam rationem, s. ù similitudinem veri, planè, & per euidentem consequentiam rem subtilius, paulò eleuatiùsquè perpendenti constabit, quòd ratio veri ab existentia non dependet, nisi ex communi proprietate essentiarum, quæ existentias impræscindibiliter, vt iam diximus, respicere debent.

Tandem id ipsum ex Mysterio Incarnationis ostenditur. Nam nisi quis impius, & blasphemus esse velit, negare nequit, quòd Christus Dominus fuerit verus homo. Quæro ergo; Vnde ipsi ista veritas, qua dicebatur, verus homo, cõpetebat? vtique quilibet dicet, quòd ab essentia. Non fuit autem illa essentia, in via D. Thom. actuata existentia creata, & humana, Immò neque appetitum ad ipsam habuit, quia eius inclinatio, qua ferebatur in connaturalem sibi existentiam, fuit satiata per existentiam perfectiorem Verbi, habuitque se in sensu composito, & formaliter, vt existens per existentiam Verbi, ad propriam existentiam, ac si non esset, nec possibilis esset. Et tamẽ adhuc, vt existens Christus per existentiam Verbi, in sensu composito, quatenus sic existens, erat verus homo. Ergo euidenter constat, non petere Veritatem ex conceptu Veritatis, vt sic, ordinem ad existentiam, quia Christo, præcisa ordine ad existentiam humanam, (quem, in sensu compositio eius existentiæ per existentiam Verbi, præscindi necesse erat) propter

solam essentiam per alienam existentiam, cuius ipsa radix non erat, existentem, veritas hæc, qua verus homo, & erat, & dici poterat, competebat. Ergo &c.

Tandem probatur, vltimā passionem Entis, sc. Bonum cum ente nominaliter, sumpto conuerti, non verò cum ente participialiter. Quamuis enim, & enti participialiter, seù enti existenti, competat, sicut & Verum, tamen latiùs patet, quia etiam ad ens Nominal; seù ad ens præscindens ab existentia, extenditur.

Prob. hoc 1. auct. S. Tho. (qua etiam dicta circa veritatem non parùm roborātur) Nàm S. Doct. in 1. d. 19. Q. 5. ar. 1. ad 3. dicit. *Quod hæc quatuor conuertuntur, Ens, Bonum, Vnum, & Verū.* Hinc enim ad nostrum intentum sic arguo. Eorum, quæ conuertuntur, vnum non potest latiùs patere, quàm aliud. Ergò si Vnū, Verum, & Bonum conuertuntur, non poterit latiùs extendi Vnū, quàm Bonum, & Verum. Sed, Vnum non tantùm inuenitur in entibus participialiter, sed etiam extenditur ad entia nominaliter, cùm res non solùm quantùm ad existentiam, sed etiam quantùm ad essentiam habeant suam vnitatem; vnde, vt communiter docent Logici, Naturæ in quauis abstractione habent suam vnitatem formalem, ratione cuius sunt materia Vniuersalis, vt optimè, & fusè docent Nostri Complut. in Log. d. 3. de essentia vniuersalium. Ergò, & Verum, & Bonum, si semel, vt vult Angel. Doct. conuertuntur cum Vno; debent extendi ad ens, etiam nominalitèr sumptum, cum illoque conuerti.

Prob. secundò. Vbicunque inuenitur perfectio, ibi inuenitur & bonitas, vt ex supradictis in hac eadem quæst. patet. Sed ens nominaliter sumptum, in sensu à nobis explicato, dicit perfectionem. Ergò & bonitatem. Maior, & consequentia patent. Minor autem prob. Nàm id, quod dicit integritatem, dicit, & perfectionem: Perfectum enim illud est, cui nihil deest. Sed ens nominaliter sumptum dicit integritatem, quia etsi existentiam non dicat, hæc tamen ad integritatem essētialem, & intrinsecam rerum (sola essentia Dei excepta) nō spectat, cùm existentia nulli Creaturæ sit essentialis, vt infra dicetur. Ergò &c.

Confirmatur primò. Si daretur aliqua essentia, cui aliqua formalitas, ad ipsius integritatem essentialem requisita, deesset, illa essentia imperfecta esset. Ergò essentiæ, quibus ad integritatem essentialem nihil deest, perfectæ sunt; Contrariorum enim eadem est ratio.

Confirmatur secundò. Quando concipis ens nominaliter, qua tale, concipis ens, vt ens, quia conceptus entis, & rei est idem cum conceptu entis nominaliter sumpti; Ens enim, vt ex supradictis patet, significat essentiam: Vnde (vt tacitæ obiectioni respondeatur)

tur) quando ens, vt sic, diuiditur in ens nominaliter, & participialiter, diuiditur eadem res in diuersos modos essendi, & significandi, quia eadem essentia, vt primariò significata constituit ens nominaliter, eadem verò essentia, vt secundariò significata à nomine primariò significante existentiam, dicitur ens partipialiter. Sed omne ens, in quantum ens, est perfectum, quia Ly, in quantùm est ens, reduplicat non deficientiam ab ente; ergò perfectionem; si enim imperfectum esset, aliquid ipsi deesset. Ergò cùm deficientia non sit, nisi non entis; deficientia enim est quædam carentia, quæ est non ens; quod autem reduplicat ens, reduplicat non deficientiam, aliàs si hanc diceret, esset potiùs ens, in quantùm non ens, non verò ens in quantùm ens. Ergò in quantùm ens, cum deficientiam non dicat, integritatem dicet. Ergò perfectionem, quæ in integritate consistit. Ergò bonitatem, quia bonum, & perfectum conuertuntur. Ergò &c.

Probatur tertiò. Nullum ens nominaliter, siue, quod idem est, nulla essentia creata, & realis assignabilis est, quæ suam bonitatem non dicat, vt ex solutionibus argumentorum patebit. Ergò Bonum conuertetur cum ente nominaliter sumpto. Ergò &c.

Non vtor hic ratione P. Blasij, qua ille vtitur ad probandum, rationem Boni soli enti nominaliter sumpto competere; quia Bonum non potest conuenire enti participaliter semper; Ergò non est passio ipsius, sed entis nominaliter sumpti, seu, quod idem est, entis præscindentis ab existentia, licèt non ab ordine ad ipsam. Cõsequentia patet, quia propria passio, sicut debet conuenire omni, & soli, ità etiam debet conuenire semper. Ergò si Bonum non conuenit semper enti participialiter, non erit passio ipsius. Antecedens autem prob. Ens participialiter, seù in actu exercito cõsideratum, non est semper, sed aliquando est, aliquando non est, cum existentia in actu exercito conueniat cõtingenter enti creato. Ergò &c.

Similiter eius confirmatione vtraque non vtor: Quarum prima est. Propositiones, in quibus propriæ passiones prædicantur de essentia, sunt æternæ veritatis, & in materia necessaria. Ergò cùm ens participialiter sumptum necessariò inoluat contingentiam (potest enim esse, & non esse) ens participialiter non poterit esse subiectum in propositione æternæ veritatis. Ergo &c.

Secunda est talis. Scientiæ, in quibus passio demonstratur de subiecto, sunt de æternis, & necessarijs. Ergo subiectum passionis, quatenùs tale debet absolui à tempore, esseque quid æternũ, Ergo Bonum non est passio entis, quatenùs exercetur in tempore, sed entis nominaliter sumpti, quatenùs ens ab omni prorsùs tempore absoluitur.

His, inquam, ipsius rationibus non vtor. Nam licet verum sit, quod

Digitized by Google

quod probant, tamen ex malis principijs probant. Illud enim fundamentum, cui ipsius ratio innititur, quòd sc. Proprium debet conuenire semper, non est intelligendum, quasi semper, siue existente, siue nō existente subiecto, debeat ipsi propria passio in exercitio conuenire, vt videtur supponere P. Blasius in sua ratione; hoc enim falsum est, quia risibilitas, quæ est hoc modo proprietas hominis, vt ipse Porphyrius dicit, non competit semper in exercitio homini, nàm homini non existenti, in exercitio competit: sed est intelligenda secundùm distributionem accommodā, itá vt existenti essentiæ cōpetat in exercitio, essentiæ vero futuræ, vel possibili competat, vt futura, vel possibilis. Et hoc modo, etiāsi cōcederemus, Bonitatem esse passionem Entis participialiter, competeret ipsi Bonitas semper, sicut homini risibilitas semper, modo explicato, competit; quia nimirùm enti in actu exercito existenti competeret actu, & in exercitio, enti verò possibiliter existenti, possibiliter competeret.

Et per hoc patet, in quo dictus P. Blasius in suis confirmationibus deficiat: Ad hoc enim, vt propositiones sint æternæ veritatis, non requiritur; quòd subiecta, de quibus fit enunciatio, ab æterno, & in æternum existant, aliàs de solo Deo propositiones æternæ veritatis enunciari possent, cùm solus ille ab æterno existat, & in æternum extiturus sit; sed sufficit indissolubilis colligatio inter prædicatum, & subiectum, siue illud existat, siue non; ratione cuius colligationis, seù identitatis intellectus cognoscit, hoc verè enunciari de illo. Et hoc modo, etiam dato, quòd Bonum esset passio Entis participialiter, esset propositio æternæ veritatis. (Ens participialiter est Bonum) quia semper hoc subiectum cum bono, tanquàm cum sua proprietate, connexum, colligatumque esset saltem negatiuè (de quo alibi,) sicut & homo cum sua risibilitate, vnde etiam non existente homine, verum est dicere Hominem esse risibilem.

§. 4. *Satisfit argumentis pro prima sententia adductis.*

IAm satisfaciendum est argumentis oppositarum opinionum: Et quidem incipiendo à prima, illud argumentum, quo probatur, Vnum etiam competere Enti participialiter sumpto, solutione non æget; id enim nos libenter concedimus. Sed, quod negamus, est, illud, ita competere Enti participialiter, vt non latiùs pateat, neque competat Enti nominaliter sumpto; Cuius contrarium, quia argumentum non probat, solutione non indiget.

Ad illud verò argumentum, quo probabatur, Verum non conuerti cum Ente nominaliter sumpto, resp. negando minorem, ad

cuius

cuius probationem negatur, Relationes Diuinas veras non esse: Sicut enim Relationes Diuinæ habent suas rationes formales relatiuas, ita habent, & veritates. Et ad instantiam, quia non sunt in Diuinis tres veritates, resp. distin; tres veritates entitatiuè, & fundamentaliter: Concedo; tres veritates formaliter: Nego. Pro cuius euidentia

Sciendum est, quòd Relationes Diuinæ, licet virtualiter distinguantur ab Essentia, quià æquiualent pluribus rebus in nobis realiter distinctis, & ad diuersas lineas spectantibus, nimirùm essentiæ, & relationi, tamen non distinguuntur realiter, tanquam res à re, vt volebat Gilbert. Porret., neque distinctione formali ex natura rei, vt affirmat Scotus, alias Relationes formaliter sumptæ nō essent Deus, quod dicere impium est. De quo videri possunt Nost. Salmat. Tract. 6. d. 5. dub. 2. per totum. Cùm ergo veritas consequatur entitatem, sicut passio suū subiectum, vbi, & quomodò erunt distinctæ entitates, ibi, & eodem modo erunt distinctæ veritates. Vnde cùm in Diuinis sit vna Entitas realis, entitatiuè, & realiter erit ibi vna veritas; quia verò Relationes distinguuntur ab Essentia virtualiter, formaliter erunt tres veritates, virtualiter ab essentia, à se verò realiter distinctæ, sicut ipsæ Relationes à se inuicem distinguuntur realiter.

Ex quo patet, Authoritates S. Thom: non pugnare contra nos: ibi enim clarè S. Tho: dicit, quod & nos dicimus; vbi, vt ostenderet in Diuinis non esse plures veritates dicit: *Trium personarum vna est essentia, quamuis sint plures proprietates, quibus distinguuntur, quæ tamen omnes non differunt secundùm rem ab Essentia, ita etiam est vna veritas trium personarum ex parte ipsius rei, de qua est enunciatio.*

Vbi duo sunt notanda. Primò, quòd S. Doct. inde negauit plures veritates in Diuinis, quia proprietates personales non differunt secundum rem ab Essentia; Vnde non negat, illas esse veras, sed negat, veritatem illarū secundum rē distingui ab essentia, atque ideò ostendit, quod ostendere intendebat, vnam esse realiter primam, & æternam Veritatem. Quod si S. Doct. existimasset, Relationes, secundum proprium conceptum, nullam dicere veritatem, planè se à difficultate in argumento proposito expediuisset, negando absolutè, Relationes, vel proprietates personales dicere aliquid veritatis; nec recurrisset ad earum cum essentia realem identitatem; quod tamen non fecit, ne veritati, sicut, & realitati Relationum Diuinarum detraxisse videretur; vnde & in argumento, sed contra, dicit, quòd *Veritas in Diuinis est vna tantùm, sicut & essentia*; vt innueret, quòd, sicut omnia Diuina cum Essentia Dei sunt idem realiter, quamuis distincta virtualiter ab ipsa, ita & veritates ipsorum, si cum essentia conferantur, sicut il-

illas cum illa confert S. Thom: restrictiuè. *Ex parte ipsius rei, de qua fit enunciatio, sunt vna Veritas realiter, quamuis sint uirtualiter plures.*

Secundò aduertēdum est, quod S. Doct. expresè in cit. auct. dicit, quòd in Diuinis vna est veritas trium personarum ex parte ipsius rei, de qua fit enunciatio. Ergo manifestè sentit, quòd in Diuinis veritas non sit simpliciter, & omnibus modis vna, itaut non sit vllo modo multiplex. Si enim hoc non sensit, ad quid, quæso, illam particulam restrictiuam, *ex parte ipsius rei*, addidit. Immò potest hinc efficax sumi pro nostra opinione argumentum. Exceptio firmat regulam in oppositum. Ergo cum S. Thom:, ex parte ipsius rei tantum, de qua fit enunciatio, dicat, vnam esse veritatem in Diuinis, ex parte formalitatum enũciatarum erit ex mente S. Doct. multiplex. Et per hoc patet solutio ad secundam auct. S. Thom. ex quæst. de verit. depromptam, nàm ibi etiam addit illam particulam restrictiuam, cum dicit: *Patrem esse, vel generare Filium, esse, vel genitum esse, secundùm quòd ad rem referuntur, est veritas vna.*

Sed obijcies. S. Thom. loc. cit. ex quæst. 1. de verit. in resp. ad 19. expresè dicit, quòd *ratio veritatis non fundatur super rationem Paternitatis, & Filiationis, in quantùm huiusmodi, sed super rationem Entitatis.* Ergo ex mente S. Doct. non erunt in Diuinis veritates, etiam formaliter plures; Si enim veritas non fundatur super Relationes, non est, vnde plurificetur.

Resp. quòd, adhuc concesso, veritatem super Relationes, qua tales, non fundari, possent dici in Diuinis plures virtualiter veritates, quia vnumquodque attributum dicit, sicut propriam formalitatem ab Essentia Dei virtualiter distinctā, ita & propriam veritatem à veritate essentiæ Diuinæ similiter distinctam. Sed de hoc alibi.

Ad obiectionem directè resp. admittendo auth. S. Thom:, & negando consequent. Quia enim in relationibus, adhuc secundùm esse *ad*, possumus eas considerare, seu, formaliùs loquendo, idem esse *ad*, possumus considerare dupliciter. Primò, secundùm suam præcisam rationē respiciendi terminum, non considerando tunc quidquam de entitate, & integritate in suo esse formali relationis. Secundò, comprehendendo illa cognitione relationem adæquatè secundùm totum suum esse relatiuum, in quo duo quodammodo concipi possunt, & quod ens sit, & quòd relatiuum sit. S. Thom. ergo, quando dixit, quòd Veritas non fundatur supra rationem Paternitatis, vel Filiationis in quantum huiusmodi, locutus est de Relationibus Paternitatis, & Filiationis primo modo, quod, vt innueret, addidit illam particulam reduplicatiuam, *in quantum huiusmodi.* Et profectò verissimum est, relationes, ex forma-

malissimo conceptu respiciendi aliud, non fundare veritatem, quia ex hoc conceptu solùm habent respicere terminum, non autem adæquari intellectui. Cæterùm cùm hoc stat, vt Relationes secundo modo acceptæ, secundũ quòd sunt aliqua entia Diuina in Diuinis, creata in creatis, fundent veritatem, quæ consequitur omnem entitatem. Sic ergò, vt breuibus totum comprehendam, ex mente S. Thomæ, & secundùm rei veritatem, illa entitas relatiua in Diuinis, v. g. Paternitas, vel Filiatio, fundat veritatem, vt est entitas, non autem in quantùm huiusmodi, vt loquitur D. Tho. idest non in quantùm relatiua, quia, & in vniuersum, Veritas est Passio entis, vt ens, non autem entis, vt est tale ens.

Ad secundam probat. resp. cõcessa Maiori. Neg. Mino. ad cuius probat. respondemus, non esse in illa formalem locutionem, non enim dicitur magis verum, sed pluriès verum, quod est aliquot veritatibus verum. Sicut enim ratio veritatis consistit in conformitate cum intellectu, ità magis veritatis in maiori conformitate: Iam autem res aliqua integrè in sua formalitate conformis intellectui, & per consequens simpliciter vera, non erit minùs vera, comparata cum alio, quod est pluribus veritatibus verũ, quia neque minùs conformis. Sicut in materiali exemplo, Quantitas tricubitalis est maior triplo quantitate cubitali, & tamen, si istæ duæ quantitates conformentur suis mensuris, quantitas sc. cubitans mensuræ cubitali, & quantitas tricubitalis mensuræ tricubitali, quis sanæ mentis dicet, quantitatem tricubitalem, quia cubitalem triplo excedit, magis conformari suæ mensuræ, quàm cubitalem suæ? Ità ergò & in præsenti Philosophandum est, quòd sc. etsi Relationes dicant proprias veritates, non ideò duæ Personæ sũt magis veræ, quàm vna, sed quòd illæ sint pluribus veritatibus veræ; quòd non videtur repugnare ipsarum æqualitati, sicut neque repugnat, quòd duæ Personæ sint pluribus realitatibus res, quàm vna, quod etiam ipsi Salmat. admittere debent, qui docent, res plurificari in Diuinis.

Resp. secundò ad eandem probationem. Pro cuius intelligentia supponendum primò, omnem perfectionem simpliciter simplicem reperiri in Deo formaliter; hoc enim postulat ratio perfectissimi entis, vt in eo omnis perfectio, nullam dicens imperfectionem, qualis est perfectio simpliciter simplex, reperiatur formaliter; aliæ verò perfectiones, quæ non sunt simpliciter simplices, reperiantur in Deo eminentèr, dẽptis sc. imperfectionibus. Ne autem lateat, quid sit perfectio simpliciter simplex.

Sciendum est, illam à S. Damasceno definiri sic. Perfectio simpliciter simplex est illa, quæ est melior ipsa, quàm non ipsa, vel quælibet incompossibilis cum

ipsa. Quam definitionem, & admittunt, & explicant Theologi.

Supponendum est secundò, aliquam perfectionẽ ex duplici capite posse nõ esse simpliciter simplicem. Vel propter limitationẽ, vel propter oppositionem: de limitatione clarum est; quòd autẽ & oppositio relatiua (de qua sola sermo) deroget perfectioni simpliciter simplici, hoc in creatis demonstrari non potest, in quibus omnis perfectio per limitationem coarctatur, vt non sit simpliciter simplex. Cæterùm in Diuinis Relationibus, de quibus etiam nùnc loquimur, aptum huius rei suppetit exemplum, cùm enim in Diuinis Relatio, v. g. Paternitatis non sit melior, quàm relatio Filiationis (quamuis relatio Paternitatis ratione oppositionis relatiuæ sit incompossibilis cum relatione Filiationis, & similiter è contra) planè sequitur, vtramque rationem oppositionis relatiuæ non esse perfectionem simpliciter simplicem, quia perfectio simpliciter simplex melior est ipsa, quàm non ipsa, vel quælibet incompossibilis cum ipsa. Ex quo fit, &

Supponendũ est tertiò, quòd in illa Diuinæ Naturæ perfectissima entitate omnes perfectiones, quæ non sunt simpliciter simplices, debeant contineri eminenter, (dẽptis sc. imperfectionibus), etiam formalitates Relationum, quamuis aliàs formaliter sint in Deo, (abstrahendo pro nunc ab hoc, an dicant, vel non dicant ex vi suæ lineæ perfectionem relatiuã, de quo paulò inferiùs) continebuntur in Essentia Diuina eminẽtèr, demdta scil. non quidem imperfectione, (qua omninò carent, quia Diuinæ sunt) sed oppositione, quæ intra lineam entis absoluti, qua talis, inueniri non potest; quamuis & alio modo Relationes Diuinæ contineantur in Essentia Diuina, virtualiter scil; tanquam in sua radice, & fonte totius entis Diuini. Quibus prænotatis.

Ad argument. resp. negando illam propositionem: Plures veritates habebunt Pater, & Filius, quàm Pater solus: quia vna Persona, etsi non formaliter, eminẽtèr tamen, siue virtualiter habebit veritatem aliarum. Vnde sicut Essentia non habet plus veritatis cũ Relationibus, quam sine ipsis, quia ipsæ Relationes cum suis veritatibus in ipsa includuntur, ità neque tres Personæ plus habebũt de veritate, quàm vna, quia in illius vnica proprietate personali includitur Essentia per modum transcendentis, quæ aliarum Relationum veritates in se continet: Per quod patet ad authorit. S. Augustini, cui hæc probatio innitur.

Ad tertiam probationem resp. Veritatem fundari quidem in entitate, non tamen supra illam solam, quæ est principium essendi, sed in omni illa, quæ aliquo modo respicit esse. Et hoc tantùm voluit Aug. quando dixit, *Verum esse id, quod est*; idest fundamentum veritatis, vel est essentia existens,

Digitized by Google

stens, vel capax existentiæ.

Nec refert, si vrgeas in fauorem Salmat. S. Augustinum per Ly, *quod est*, insinuasse, verba huius definitionis designare non qualemcumque essentiam, sed illam, quæ est radix existentiæ, quia sicut illi soli subsistere competit, ita & esse, vt quod. Nõ, inquã, hoc *refert*, nam S. August. per illa verba, *quod est*, solum insinuauit, essentiam quamcunque, & non existentiam esse fundamentum veritatis, ideoque per illam particulam, *quod est*, solam existentiam exclusit, quia hæc non est, *quod est*, sed *quo* aliquid est, non autẽ aliquam essentiam, cui competit aliquo modo esse, vt quod.

Ad vltimã probationem resp. Concedendo Maiorem, & negando Minorem: Ad cuius probat. resp. 1. probabile esse,)quod etiã ipsi Salmat. fatentur) Relationes Diuinæ posse habere rationẽ speciei intelligibilis, quamuis de facto hoc non contingat ex suppositione, quia nimirùm iam per Essentiam Diuinam Diuino Intellectui, in ratione speciei intelligibilis, intimè vnitam, repræsentantur.

Resp. secundò, admittendo, Relationes Diuinas non posse habere rationem speciei intelligibilis respectu Intellectus Diuini, quia non sunt principia essendi; hoc tamen non prouenit ex communi ratione specierum intelligibilium, sed ex speciali ratione in intellectione Diuina inuẽta: Quia enim ibi Intellectus, intellectio, & species intelligibilis debẽt esse omninò idem sine distinctione virtuali, nil mirum est, quòd Relationes ibi rationem speciei intelligibilis habere non possunt, vtpotè quæ sunt virtualiter ab intellgere Dei, sicut & ab Essentia ipsius, in illo primordiali intelligere consistente, distinctæ; quod eruditè nost. Salmat. loco in argumento, quod soluimus, citato deducunt. Cùm ergò in alijs intellectionibus tanta identitas nõ requiratur, planum est, non requiri ad rationem speciei intelligibilis, vt sic, vt tantùm illius naturæ sit, quæ est principium existendi.

Similiter illa, quæ in eadem probatione ex doctrina Salmat. objciuntur, non conuincunt; Cõcesso enim, (quod libenter facimus) existentiam in ordine intelligibili esse effectum, seu quasi effectum prouenientem à specie intelligibili, ideòque speciem intelligibilem debere sibi vendicare existentiam in ordine naturali, ad hoc, vt sit causa, seu quasi causa intellectionis, quæ est existentia ordinis intelligibilis, hinc nihil contra nos; nàm quòd species intelligibilis debeat supponi existens in ordine naturali, antequã causet intelligere, quod est existentia ordinis intelligibilis, hoc non requiritur ex ratione veritatis, vel intelligibilitatis, quasi ad hanc petatur natura existens, vel quæ sit radix existentiæ, sed ex generali ratione causæ efficiẽtis, quæ de necessitate existens

Digitized by Google

esse debet ad hoc, vt agat: Vnde cùm species intelligibilis concurrat in genere causæ efficientis ad intellectionem, nil mirum, quòd debeat supponi, vt existens in ordine naturali: Quæ ratio, cum non currat in obiectis, planum est, ipsa sicut intelligibilitatem, ità & veritatem posse habere absque eo, quod vel habeât exercitium existentiæ, vel sint radices existentiarum.


§. 5. *Satisfit argumentis aliarum opinionum.*

AD argumenta secundæ sententiæ nihil dicendum occurrit, quia nostram sententiam probant; Solumque in hoc Authores dictæ sententiæ à nobis differunt, quia ipsi non explicât an essentia, cui competit bonitas, debeat dicere ordinem ad existentiam, nec ne? Cæterùm supposito, quòd hic ordo est intrinsecus omni essentiæ, & inpræscindibilis ab illa, hæc secunda opinio coincidet cum nostra.

Ad illud autem argumentum, quo P. Philippus suam sententiã probat, quòd sc. Bonum solùm vt præuenit rationem perfecti, conuertatur cum ente Nominal. sumpto, resp. neg. minorem; ad cuius probationem dicimus, perfectum esse illud, cui nihil deest, debitum ipsi, ad ipsiusque integritatem requisitum, non autem illud, cui nihil absolutè deest. Hoc enim modo solus Deus perfectus est, qui omnes perfectiones in se complectitur, alijs autem à Deo, quæ limitatam perfectionem habent, hoc competere nequit; Sicut homo, licet ipsi desit spiritualitas, vel perpetuitas, seù immortalitas, (quæ vtique maximæ sunt perfectiones) non tamen imperfectus erit, quia ipsi hæ perfectiones debitæ non sunt, vnde carendo ipsis, perfectus tamen erit, quia nihil illi deerit, quod sit debitum ipsi. Cùm ergo enti Nominaliter non sit debita existentia, sed tantùm ordo ad ipsam, habita sua integritate essentiali, etsi existentia careat, perfectum esse, dicique potest.

Ad argumenta P. Blasij patet, quid dicendum sit ex his, quæ pro nostra assertione adduximus, vbi eadem soluimus quantùm ad hoc; in quo nostris principijs, & ipsi contrariantur veritati.

Vltima tandem opinio, quæ est P. Andreæ a Cruce ferè coincidit cum nostra, vnde argumentum ab ipso adductum non æget solutione, nisi, quòd notandum est, non benè in illo dici possibilia nullũ dicere ordinem ad esse; dicunt enim ordinem possibilem, & in hoc ab impossibilibus distinguũtur, quia hæc nullum ordinem ad esse dicunt, Immò esse repugnat istis, non verò illis, quibus possibile est esse.



QVÆ-

QVAESTIO V.

Vtrũ Ens prædicetur quidditatiuè, & formaliter de suis Passionibus.

AB hac quæstione breuiter nos expediemus, quia suppositis, quæ de Ente secundùm se disp. 1. huius tract. & postmodùm disp. 2. eiusdem tract. de conceptu Entis diximus, facilè constat, quid in præsenti sentiendum sit.

Dicendum est ergo, Ens formaliter, & quidditatiue de Passionibus suis prædicari. Ita sentire debent, quicunque Enti trascendentiam concedunt, vt ex rationibus pro assertione constabit.

Probatur ergo assertio primò Supponendo ex Complut. in log. disp. 4. q. 3. Prædicationem directam, seù formalem, quod idem est, (quia enim in prædicatione directa, id, quod habet in propositione rationem formæ, ponitur à parte prædicati, rectè propositio directa formalis dicitur) tunc esse essentialem, seù quidditatiuam prædicationem, quando prædicatum est de quidditate subiecti, cuius oppositum constituit prædicationem accidentalem. Quo supposito, sic probatur. Quandocunque prædicatum est de essentia subiecti, prædicatio est quidditatiua. Sed Ens est de essentia suarũ passionum. Ergo quando de illis prædicatur, prædicabitur quiditatiue, & formaliter, quia ex alia parte Ens, vtpotè quid superius, vel quasi superius, habet respectu illarum rationem formæ. Maior, & Consequentia constant. Minor aut. probatur. Passiones entis non sunt essentialiter, & quidditatiue nihil; Ergo essentialiter, & quidditatiue sunt entia, cùm ens & nihil opponantur contradictoriè, vt ex supradictis patet. Ergo &c.

Dices subiectum Passionum non est quid superius ad illas, essentialiter inclusum in ipsis, sed potius est quid extrinsecum ad ipsas. Ergo ens non prædicabitur de suis Passionibus formaliter, quia non prædicabitur, vt superius. Ergò neque prædicabitur quidditatiuè, cum prædicatio formalis diuidatur in essentialem, & accidentalem.

Resp. distinguendo: Subiectum Passionum verè realium, non est quid superius ad ipsas, essentialiter inclusum in ipsis. Conceditur. Passionum demonstrabilium. Negatur. Cùm enim ad rationem Passionum demonstrabilium hæc tantùm duo requirantur; primò, vt subiectum sit prius saltem conceptibiliter ipsis. Secundò, vt rationem subiecti consequantur; & vtraque hæc ratio non pugnat cum hoc, vt subiectum includatur quidditatiue in suis passionibus, vt consideranti patebit, poterit harum passionum subiectum de ipsis quidditatiue, & formaliter prædicari. Quia ergo passiones entis non sunt reales, seu demonstrabiles, poterit ens de ipsis for-

maliter,& quidditatiue prædicari, quod passionibus realibus, propter oppositam rationem,non conuenit.

Hic tamen aduertendum, notanter in nostra ratione dictum esse; quòd Ens sit superius, vel quasi superius respectu suarum passionum;propriè enim superius dici non potest, cùm conuertatur cum ipsis, sed quodammodò tantùm, quia sc. includitur in ipsis, tāquàm gradus aliquo modo cōmunis ipsis,cui quodammodo per proprios modos; seù rationes ipsorum fit, seù quasi fit additio,seù quasi additio.

Similiter aduertendum est pro cōpleta, circa has prædicationes, doctrina, quòd etiamsi concederemus, Ens nullo modo posse dici superius respectu suarum Passionum,tamen posset de illis prædicari ratione conuertibilitatis cum ipsis; quia vt docent Nostri Complut. in Log. d. & q. citata n.20. Non solùm tunc est prædicatio directa, seu so malis, quando prædicatur superius de inferiori, sed etiam quando prædicatur æquale de æquali.

Probatur 2. nostra Conclusio. De Vero prædicatur Ens essentialiter. Ergo,& de alijs Passionibus. Consequentia patet à paritate rationis. Antecedens prob. Quod est obiectum Intellectus, est essentialiter Ens. Sed Verum est obiectum Intellectus. Ergo est essentialiter Ens. Minor, & Consequentia patent. Maior autem probatur; quia, vt rectè docent nost. Complut.in lib. de An.disp. 16. quæst. 1. Obiectum terminatiuum Intellectus nostri, extra quod ferri nullo modo potest, est ens. Ergo &c.

Probatur tertiò. De omnibus inferioribus suis ens formaliter,& quidditatiue prædicatur, quia, cùm non sint essentialiter nihil, sunt essentialiter entia. Sed proprietates entis debent connumerari inferioribus entis, quia ens, vtpotè transcendens, in ipsis, earumq; differentijs, seù quasi differentijs imbibitur, estque quid aliquo modo commune ad ipsas. Ergo &c.

In contrarium est opinio Scoti locis supra cit.disp.1.& 2.huius Tractatus, vbi admittens vniuocationem entis, & illi attribuens Conceptum inferioribus cōmunē transcendentiam verò negans,negat quoque,illud, sicut de vltimis rerum differentijs, ita & de proprijs passionibus formaliter, & quidditatiue prædicari. Suffragatur Scoto, Fonseca 4. Metaphys. c. 2. q. 3. sect. 2. assert. 3. huius opinionis.

Fundamentum primum. Nullum,per se inclusum,est conuertibile cum includente.Sed ens conuertitur cum suis Passionibus, vt supra dictum est. Ergo non includetur in rationibus illarum, & consequenter non prædicabitur de ipsis formaliter.

Resp. distinguendo Maiorem. Nullum, per se inclusum, est conuertibile cum includente,si includens superaddat incluso aliquid

di-

Digitized by Google

distinctum ab ipso, sicut homo superaddit animali rationale; Conceditur; Si nihil superaddit distinctum ab ipso; Negatur, quia eo ipso erit æquale illi, & conuertibile cum ipso. Et hoc modo ens includitur in suis Passionibus, quæ nihil superaddunt enti, ab ente distinctum, vt supra innuimus, & fusiùs in sequentibus dicetur.

Fundamētum secundum. Quidquid continetur in definitione essentiali, tanquam additum, est extra essentiam rei definitæ. Sed in definitione Passionum subiectum continetur, tanquam quid additum, & extrinsecum, vt dicit Philos. 7. Metaph. c. 5. Ergo cùm ens sit subiectum respectu suarum Passionum, erit extra essentiam ipsarum, ac per Consequens non prædicabitur de illis essentialiter.

Resp. Conced. Maiorem, & disting. Minorem. Et si sensus sit, quòd subiectum Passionum realium ponitur in definitione ipsarum, tanquam quid additum: Conceditur; de Passionibus autem demonstrabilibus, (quales sunt passiones entis) Negatur, propter superius dicta.

Fundamentum tertium. Ens nō includitur essentialiter in aliis rebus. Ergo à fortiori neque in passionibus. Consequent. patet, & probatur Anteced. Quod est de essentia rei, debet exprimi in definitione essentiali ipsius. Sed ens in nulla definitione essentiali ponitur, vt constat discurrenti per singulas definitiones, v. g. hominis, equi, Ergo. &c.

Resp. Negando, omnia, quæ sunt de essentia, debere exprimi in definitione essentiali. Illa benè debent poni, quæ exprimunt gradum aliquem distinctum à rebus definitis, & à partibus definientibus, vt animal, quod exprimit gradum distinctum ab homine, & rationali, debet expresè poni in definitione hominis. Cùm igitur ens non significet gradum aliquē distinctum à conceptibus suorum inferiorum, vt supra docuimus, nō est necesse, quod ponatur in definitionibus ipsorum. Videatur circa hoc Caiet. cap. 4. de ente, & essentia.

DISPVTATIO QVINTA;

De Vno.

Postquam in præcedentibus de Passionibus entis in communi egimus, ordo doctrinæ petit, vt ad easdem in particulari, & sigillatim explicandas accedamus. Quia verò iuxta superiùs dicta Vnum inter Passiones entis primum sibi vendicat locum, de illo, ante alias, in hac disputatione tractandum est.



QVÆ-

QVAESTIO I.

Quid addit Vnum supra Ens; & quomodo ab Ente distinguitur.

DVo sunt, quæ in præsēti quæruntur, vtrumque tamen in eadem quæstione expediemus, quia eandem habent difficultatē. Notandùm tamen est pro dicendis tàm in hac, quàm in sequentibus quæst. nos hic non loqui de vnitate secundùm diuersos status, quos induere potest, v. g. de vnitate numerica, vel formali, &c. neque de illis modis vnitatis, de quibus tractant Aristotel. & D. Tho. 5. Metaph. Lect. 7. neque tandem de vnitate alicuius determinati generis, v. g. de vnitate numeri quantitatiui, sed loquimur de vnitate, vt sic, seù de vnitate, quæ cōsequitur omnem entitatem, & vocatur vnitas transcendentalis.

§. 1. *Nostra sententia aliquot Conclusionibus explicatur.*

DIcendum itaq; est primò, vnū nihil positiuū addere supra ens, neque ex natura rei, neq; sola ratione ab Ente distinctum. Ita Philos. & Angel. Doctor. 4. Metaph. lect. 2. & idem S. Doct. 1. p. q. 11. art. 1. c. 1. vbi respondet quæsito articuli. *Dicendum est, quòd Vnum non addit supra Ens rem aliquam, sed tantùm negatione diuisionis*. Sequuntur S. Doctorem eius discipuli, Caietan. loco ex 1. p. cit., Capreol. in 1. dist. 24. q. 1. a. 1. Soncinn. 4. Metaph. q. 4., Ioann. à S. Thom. 1. p. q. 1. a. 1. Noster Andreas à Cruce ibidem. Ex Neotericis verò Suarez in Metaph. d. 4. sect. 1., Fonseca, & alij plures. Antequam probetur Conclusio, explicandus est ille terminus, positiuum; Potest enim supponere, vel pro aliquo reali, vel pro aliquo rationis. Quando ergo negamus, Vnum addere aliquid positiuum Enti, loquimur de vtroque, tàm reali, quàm rationis: hic tamen de solo positiuo reali sermo erit; nam euidenter constat, illud positiuum non esse aliquid rationis: Cum enim Ens rationis habens fundamentum in re (de chymericis enim in scientijs nihil) adæquatè diuidatur in carentiam, & relationem, vt videre est apud Nost. Complut. in Log. d. 2. q. 4. Omne Ens rationis positiuum erit relatiuum; carētia enim, seu negatio comprehendēs sub se negationem, & priuationē propriè dictas, positiuum esse non potest, cum positiuum, & negatiuum opponantur. Ergo si Vnum adderet ens rationis positiuum supra Ens, illud additum esset relatio rationis. Sed hoc nō, quia Vnum in omnium sententia significat aliquid absolutum, vnde etiam ex isto capite, primum locum sibi, inter passiones Entis, vendicat. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia etiamsi fingendi

gendi licentia detur, nullum excogitari potest, sicut nec hucùsq; excogitatum est, ens rationis positiuum, quod Vnum pro formali dicat, & addat Enti: Nam si aliquod ens rationis excogitari possit, quod Vnum addit supra Ens, esset maximè relatio identitatis ad seipsum. Sed hoc dici non potest; Tùm quia Vnum, (vt iam dictum est) significat naturam absolutam; Tùm etiam, quia relatio identitatis fundatur in vnitate; ergo præsupponit Vnum, sicut & quælibet relatio suum fundamentum. Ergo non constituet Vnum in ratione vnius. Ergo non addet illam Vnum supra Ens: quod enim addit supra Ens, non præsupponit, sed facit vnum. Tota ergo difficultas est circa positiuum reale. Quòd verò hoc Vnum non superaddat Enti.

Probatur 1. Quod additur alteri, debet distingui ab illo. Ergo si Vnum adderet aliquid positiuũ enti, illud deberet distingui ab ente: Nihil autem positiuum reale potest ab ente distingui, quia omne positiuũ reale est ens, quia, si non est ens reale, est nihil, nihil autem est terminus negatiuus, negans ipsum ens. Ergo, etc.

Confirmatur. Si rationi Entis, vt sic, adhoc vt sit vnum, deberet addi aliqua ratio positiua, cum illa ratio, si positiua est, debeat esse ens; quæro, vtrùm illi rationi positiuæ debeat addi aliquid, per quod constituatur in esse vnius, an verò seipsa vna sit? Si dicas, quòd sic, ergo dabitur processus in infinitum, quia cùm illud positiuum sit etiam ens, fiet de illo argumentum, quod supra. Ergo, &c. Si verò dicas, illud positiuum ens esse per se vnum, cur hoc, quæso, de Ente ipso non dicis? & si ad euitandum processum in infinitum, assignas aliquod ens, & aliquam rationem realem, in qua sistamus, quæque sit ita vna, vt esse vnum, nihil positiuum addatur super entitatem ipsius, cur statim in ipsa ratione Entis nõ sistimus? Nihil enim est imaginabile in illa entitate, quod non sit in conceptu Entis, ob quod illi, non verò isti, sine additione alicuius positiui, cum sola negatione diuisionis, competat ratio Vnius.

Posset responderi ex doctrina Scoti ad hoc argumentum cum sua confirmatione. Ad argumentum quidem negat Scotus, illud positiuum, quod addit Vnum supra Ens, esse ens. Sed hoc manet impugnatum ex dictis in hoc eodem tract. d. 1. vbi ostendimus, ens, & nihil contradictoriè opponi, inter illaque non esse medium; ac proinde, quod non fuerit nihil (sicut omne positiuum debet non esse) erit necessariò ens.

Ad confirmationem quoque posset in fauorem Scoti responderi, illam rationem positiuam esse quidem ens, non tamen debere illi fieri additionem ad hoc, vt sit vna, quia illa est ratio formaliter faciens vnum, & est vna, *vt quo*: Sicut quia modus vnionis, quo nectuntur materia, & forma, quia est ipsa vnio *vt Quo*, non

Digitized by Google

petit alium modum, per quem vniatur, quamuis materia, & forma sine tali modo vnionis nequeant coniungi: Similiter, licet substantia, secundùm se, non sit extensa, ideoque indiget aliquo, per quod extendatur ipsa tamen quantitas, quia est ipsa ratio extensionis substantiæ, ipsumque, *Quo*, dictæ extensionis, non indiget alio, per quod extendatur. Et mille alijs exemplis idem posset roborari. Sed

Contra est; hæc enim responsio, etsi plurimum habeat apparentiæ, sed nihil veritatis. Tùm quia in conceptu simplici, qualis est conceptus vnitatis, sicut, & reliquorum transcendentium, non est distinctum *Quo*, & *Quod*; distingui autem deberet, si adderetur, quia additio sine distinctione intelligi non potest. Tùm etiam, quia quotiescunq; distinguo *Quo* à *Quod*, toties illud, quod est, vt Quo, dicit aliquam formalitatem, per quã & ipsum est tale, & aliud, cui communicatur, facit tale, v.g. in albedine, vnione, quantitate, & alijs similibus concipio esse albedinis, vnionis, quantitatis, &c. quę, communicata alijs, faciunt illa alba, vnita, quanta; Sed etiamsi fingendi licentia detur, nihil tale concipio in Vno; cum enim concipio, *Vnum*, non concipio aliquam formam receptam in Ente, & communicantem Enti suum esse formale, sed cõcipio solam indiuisionem in ente, eo enim ipso, quia cõcipio ens indiuisum, præcisis quibuscunque alijs formalitatibus, concipio Vnum, vt dicit Philos. 5. Metaph. lib. 8. Cuius verba sunt. *Vniuersaliter enim quæcunque non habent diuisionem, in quantùm non habent, sic vnum dicuntur; vt si in quantùm homo, non habet diuisionem, vnus homo, si verò in quantùm animal, vnum animal, & si in quantùm magnitudo, vna magnitudo.* Vbi nota, illã reduplicatiuam, toties à Philosopho repetitam (in quantùm, non habet diuisionem) quam profectò nec posuisset, nec totiès repetijsset Philos; nisi sensijsset rationem, per quam ens est vnum, esse ipsam indiuisionem. Vnde & in exemplis dicit, quòd præcisis alijs omnibus, si in quantùm homo, vel animal, vel magnitudo, dicit indiuisionem, est vnus homo, vnum animal, vna magnitudo, vt innueret, nihil aliud positiuum debere addi enti ad hoc, vt sit vnum, sed sola indiuisione addita enti, siue enti, vt sic, siue enti tali, ens erit Vnum.

Probatur secundò nostra Conclusio ratione. Præciso quocunq; siue realiter, siue modaliter, siue ratione, ab ente distincto, ipsiusq; superaddito, ens est vnum. Ergò nihil positiuum reale additur enti, per quod ens cõstituatur Vnũ. Consequentia patet, & prob. ant. Nam accepto quocunque ente, v. g. Deo, & præciso omni positiuo, siue re, siue ratione, ab ipso distincto, adhùc ens aliquod, v.g. Deus, ratione suæ simplicissimæ entitatis, erit indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio, quod

non

non est ipse; ergò erit vnum: Non enim potest intelligi, quid aliud ad vnitatem requiratur, si semel aliquid concipitur, vt indiuisum in se, & diuisum à quocũque alio, vt patet ex authorit. Philos. ex 5. Metaph. in præcedenti ratione adducta. Ergò &c.

Probatur tertiò specialiter, quòd non possit addere aliquid positiuum realiter distinctum ab ente, si Vnum adderet aliquid positiuum enti, realiter distinctũ ab ente, tunc ens, & Vnum distinguerentur realiter, saltem per modum includentis, & inclusi. Sed hoc est falsum. Ergò & illud, ex quo sequitur. Maior, & Conseq. patent. Minor autem prob. ab Aristot. efficaci ratione, quam S. Thom. sic proponit 4. Metaph. l. 2. *Quæcunque duo addita vni, nullam diuersitatem afferunt, sunt penitùs idem. Sed Vnum, & ens addita homini, vel cuicunque alteri, nullam diuersitatem afferunt. Ergò sunt penitùs idem. Minor patet: idem enim est dictu, homo, & vnus homo; & similiter est idem dictu, ens homo, vel, quod est homo; & non demonstratur aliquod alterum, cùm secundùm dictionem replicamus, dicendo, est ens homo, & homo, & vnus homo. Quodquidem probat sic. Idẽ enim est generari, & corrumpi hominem, & id, quod est homo: Quod ex hoc patet, quia generatio est via ad esse, et corruptio est mutatio ab esse ad non esse, vnde nunquam generatur homo, quin generetur Ens homo; nec vnquam corrumpitur homo, quin corrumpatur ens homo: Quæ autem simul generantur, & corrumpuntur, sunt vnum. Et sicut dictum est, quòd ens, & homo non separantur in generatione, & corruptione, similiter apparet in Vno. Nàm cùm generatur homo, generatur vnus homo, & cùm corrumpitur, similiter corrumpitur. Vnde manifestum est, quòd appositio in istis ostendit idem, & per hoc, quod additur, vel vnum, vel ens non intelligitur addi aliqua natura supra hominem. Ex quo manifestè apparet, quod Vnum non est aliud præter ens, quia quæcunq; vni, & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadẽ.*

In qua ratione Philosophi duæ probationes nostræ Minoris includuntur, quòd sc. Vnum non possit distingui realiter ab ente: Quorum prima est. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Sed ens, & Vnum sunt idem cũ homine, v. g. vnde, & addita ipsi, nõ faciunt plus; idem enim significat homo, quòd, ens homo, vel vnus homo, Ergo &c.

Secunda est talis. Quæ eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur, sunt vnum, & idem. Sed ens, & Vnum sunt huiusmodi, nam quando generatur ens, generatur etiam vnum, & quando interit ens, interit etiam vnum, & è conuerso. Ergo &c.

Dices, has probationes minoris falsis niti principijs, vel saltem non vndequaq; veris, ac proinde nihil conuincere: Nam in primis illud axioma Philos. *Quæcunq; sunt eadem vni tertio, sunt eadem*

inter se, non in omnibus verificatur. Ecce enim Actio, & Passio identificantur cum motu, non tamen inter se, quia Cathegorijs distinguuntur. Similiter illud principium Philosophi. *Quæ eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur, sunt vnum, & idem*, est falsum. Nam essentia, & passiones eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur; genito enim, vel corrupto homine, etiam risibile generatur, vel corrumpitur, aliàs passiones, si non simul generarentur, non cōpeterent subiecto semper, & si non simul corrumperentur, non competerent soli, quia corrupto hoc subiecto, adhuc manerent in alio; Vtrumque autem est contra rationem passionum. Ergo &c.

Resp. vtramq; propositionem Philosophi sanè intellectam verissimam esse. Vnde prima, si vult concludere identitatem omnimodam inter duo, ex coniunctione ad vnum tertium, debet intelligi sic: Quæ sunt eadem vni tertio re, & ratione, sunt eadem inter se. Vnde cùm Actio, & Passio non sint idem cum motu re, & ratione, nihil mirum, quòd non sint idem inter se. Si autem qualemcunque, licet non omnimodam identitatem, velis concludere, tunc illud axioma debet intelligi secundùm distributionem accommodam, ita sc. vt, si cum vno tertio sint vnum re, & ratione, eodem modo secum erunt vnum, si verò cum illo vno tertio tantùm, secundùm rem, sint vnum, & differant secundùm rationem, (quod contingit in Actione, Passione, & Moto, vt docent nost. Complut. in Phys. disp. 17. quæst. 2.) tunc etiam tantùm, secundùm rem secum vnientur, licet habeant rationes diuersas.

Similiter secūda propositio intelligenda est de his, quæ generantur ex æquo, ità vt vnum non prius, quàm aliud generetur, vt sunt homo, & hic homo; & quæ sic generantur, sunt vnum, & idē. Iam verò in essentia, & passionibus hoc non contingit, quia ibi primò, & per se generatur subiectum, passiones verò posteriùs, & quasi per accidens. Potest insuper negari, quòd passiones eadem generatione generentur cum subiecto; Etsi enim illa generatio sit vna realiter, non tamen formaliter, quia, vt terminata ad subiectum, est generatio simpliciter, vt verò terminata ad passiones, est generatio secundùm quid. Iam autem simpliciter, tale, & secundùm quid tale, non possunt non distingui saltém formaliter. Videantur pro completa huius solutionis intelligentia ea, quæ docent Nost. Complut. circa emanationem Passionū in Phys. disp. 10. quæst. 7.

Dicendum est secundò; Vnum transcendens addit supra ens aliquid negatiuum. Ità Angel. Doct. 1. p. q. 11. ar. 1. in corp. Quem sequuntur communiter ipsius discipuli, & Authores supra pro prima Conclusione citati. Probatur.

Digitized by Google

turque facilè, ens, & Vnum non sunt synonima, vt dicit Philos. 4. Metaph. sect. 2. Ergò debent habere rationes formales distinctas, alias synonima essent. Ergo Vnũ addit aliquid supra ens, aliàs si nihil adderet, ratio formalis Vnius esset ratio formalis entis. Sed id, quod, vnum, addit supra ens, non est aliquid fictum ab intellectu, quia esse vnum, rebus verè, & sine fictione competit; nullo enim intellectu cogitãte, Deus est vnus; neque potest catholicè dici, quòd cùm dico, Deus est vnus, aliquod figmentum de Deo prædicem, esse enim vnum est aliquod prædicatum reale Dei: Neque illud, quod addit Vnum supra ens, est aliquid positiuum, vt in præcedenti conclus. dictum est, & probatum. Ergò à sufficienti enumeratione debet esse aliquid negatiuum.

Dicendum est tertiò. Vnum non distinguitur formaliter ab ente, sed ratione tantùm. Hæc Conclusio apertè sequitur ex dictis. Si enim, vnum, nihil positiuum addit enti, realiter ab ente distingui non potest; & cùm addat negationem, ratione illius additi distinguetur secundum rationem ab ente. Vt autem scias, quæ sunt illæ rationes, in quibus ens, & Vnum differunt; Scito, Vnum addere enti indiuisionẽ, (vt mox explicabitur); ratio ergò Vnius erit esse indiuisum, ratio verò entis est habitudo ad esse: Vnde distinguetur ens ab Vno, sicut res subsistans negationi à seipsa absolutè sumpta.

§. 2. *Oppositæ Opiniones cum suis rationibus, & solutio ipsarum.*

IN contrarium est multiplex Authorum opinio, qui, etsi omnes conueniant in hoc, quòd Vnum addat aliquid positiuum enti, differunt tamen in modo, quo illud positiuum additum distinguitur ab ente. Auicẽna enim quia lib. 3. Metaph. Cap. 2. vocat Vnum accidens, & quid concomitans essentiam, lib. verò 7. cap. 5. dicit, illud non esse absolutè idem cum ente, ex istis locis elicitur ipsius opinio, quasi senserit, Vnum addere supra ens accidens aliquod positiuum, ex rei natura distinctum ab ente, per se tamen consequens ipsum ens.

Nec longè ab Auicennæ sententia discessit Scotus cum sua schola; docet enim ipse 4. Metaph. q. 2. & in 2. d. 3. q. 2. Vnum addere supra ens aliquid positiuum,) non determinando, quid sit illud, an modus aliquis substantialis, an aliqua formalitas, an tandem aliquod accidens, vt dicebat Auicenna) ex natura rei distinctum ab ente.

Alij tandem, vt D. Bonauent. in 1. d. 23. ar. 1. q. 1. Alexander Alensis 1. p. q. 13. m. 1. & 2. Soto in Log. C. de proprio, Q. 2. ad 2, qui tenent, Vnum addere supra ens proprietatem quandam positiuam, neque realiter, neque ex natura rei, sed sola ratione ab ente distinctam. Quæ istorum Autho-

thorum opinio, quantùm ad id, in quo secum conueniunt, & à nobis differunt (in quo enim inter se differunt, ipsi inter se decertent) potest multipliciter suaderi ex his argumentis.

Primum argumentum dicit, Vnum aliquid positiuum addere enti, quia Vnum in omnium sententia, addit enti indiuisionem. Ergò addit aliquid illi positiuũ. Licet enim indiuisio videatur significare negationem, re tamen ipsa significat aliquid positiuum; quod probatur sic. Nam indiuisio significat negationem diuisionis; ergò significat negationem negationis, cùm diuisio sit negatio, vt expressè docet Angelic. Doctor in quæst. disput. quæst. 9. de Potent. ar. 7. in Corp. vbi dicit. *Multitudo addit supra Ens duas negationes, prout sc. aliquid est in se indiuisum, & prout est ab alio diuisum; quod quidem diuidi, est, Vnum eorum non esse alterum*. Et in resp. ad 6. dicit. *Ex hoc, quòd aliquid intelligitur nõ esse hoc Ens, sequitur in intellectu esse diuisum ab eo*. Vbi, vt vides, S. Thom. diuisionem explicat per negationẽ. Ergò negatio diuisionis, quam dicit Vnum, est negatio negationis. Sed negatio negationis significat aliquid positiuum; vnde vulgò dicitur, quòd duæ negationes faciũt vnã affirmationẽ. Ergò &c.

Resp. huic argumento, admisso quod negatio diuisionis, quam dicit Vnum ratione indiuisionis, quam superaddit enti, sit negatio negationis, negamus tamen, quòd indiuisio significat aliquid positiuum. Ad probationem verò, quãdo dicitur: Negatio negationis significat quid positiuum; resp. cũ distinctione; Negatio negationis formaliter, significat quid positiuum. Concedo; Negatio negationis materialiter, significat quid positiuum. Nego. Vnde cùm indiuisio sit tantùm negatio negationis materialiter, vt statim explicabitur, Vnum, quod addit enti indiuisionem, non addit aliquid positiuum.

Explicatur hæc distinctio paulò fusiùs, hoc enim ipsius subtilitas poscit. Dupliciter potest intelligi negatio negationis: primò formaliter, ita vt intellectus reflectens se supra negationem, neget illam formaliter; Et quia negatio regulariter tollitur per aliquid positiuum, (quamuis aliquando non repugnet negationi, tolli per negationem, vt supra ostensum est disput. 1. huius tract. quæst. 3.) sicut non homo, non tollitur, nisi per esse hominem, & non videns, seù cæcum non tollitur, nisi per visum, inde est, vt negatio negationis formaliter, quia negando negationem, remouet illam à subiecto, seù (quod idem est) tollit ipsam, significet aliquid positiuũ, per quod illa negatio prior remouetur, ac tollitur; v. g. cùm dico: hoc non est nõ homo, vel hoc non est cæcum; significo, hoc esse hominem, vel esse videns. Secundo modo potest intelligi negatio negationis ita, vt non sit negatio negationis formaliter, sed materiali;

Digitized by Google

ter tantum. Et hoc præcipuè contingere potest in descriptione, seù explicatione simplicium. Quia enim, vt communiter docent Philosophi, simplicia non nisi per negationes à nobis concipiuntur, & explicantur, sicut Deus, quia est simplicissimus, eius natura, & proprietates meliùs à nobis per negationes, quàm per affirmationes explicātur; Vnde dicit Dionysius de Cœl. Hierar. lib. 1. cap. 2. *Negationes sunt maximè veræ in Deo, affirmationes verò sunt incompactæ.* Immò ipsæ affirmationes, quæ enunciantur de Deo, modum negationum induunt, quia ponuntur ad remouendum aliquid à Deo, vt docet S. Tho. quæst. 9. de Potentia a. 7. in Corp. Cuius verba sūt hæc. *Omnia, quæ affirmatiuè dicuntur de Deo, magis sunt introducta ad remouendum, quàm ad aliquid ponendum. Dicimus enim, Deum esse viuum ad remouendum ab eo illum modum essendi, quem habent res, quæ apud nos non viuunt, non ad ponendam vitam in ipso, cùm vita, & omnia huiusmodi nomina sint imposita ad significandum quasdam formas, & perfectiones creaturarum, quæ longè absunt à Deo:* hinc est, vt cùm aliquid simplex, cuius oppositum aliquam negationem inuoluit, explicādū est, vt simplicia solent per negationem, illa negatio, conceptum simplicem explicans; erit quidem negatio negationis materialiter, sed non formaliter, quia intellectus, illud simplex explicans, non se reflectet super negationem oppositam, nec formaliter negabit ipsam, sed merè materialiter se habebit circa ipsam, ac si ibi non esset. Res in subiecta materia patebit. Certum est enim, diuisionem dicere negationem vnius rei de alia, quæ explicatur per hos terminos; *Hoc non est illud*: quod essentialiter requiritur ad hoc, vt multa sint; Vnde & S. Thom. sub negatiuis, quasi sub nō entibus, multa, quæ, in esse talium, per diuisionem constituuntur, collocauit, cùm inquit. 1. p. q. 11. a. 1. ad 2. *Ipsa multitudo non contineretur sub ente, nisi contineretur aliquo modo sub vno.* Indiuisio ergo, per quam natura, Vnius, quod quidem est quid simplex, explicatur, sicut est negatio diuisionis, ita est negatio negationis, non tamen formaliter. Intellectus enim cùm explicat Vnum per indiuisionem, formaliter non vult negare diuisionem, sed explicare illud positiuum Vnius, quod caret illa negatione, ad quam tunc intellectus non attendit, sed merè materialiter se habet circa ipsam. Sicut v. g. intellectus vidēs omnia, quæ sunt in Petro vnita, & vnica entitate, vt ita dicam, reuincta, (Vnde in illo nō sunt plura in actu, de quibus possit dici: hoc actu non est hoc) non ad istas negationes (quamuis ibi de necessitate, licet de materiali, importentur) sed ad illam vnitatem partium attendēdo, enunciat, Petrum esse indiuisum, attribuitq; Petro negationem diuision is, non ab alijs, quæ non sunt ipse, (vt sic tacitæ cuidam obiectione, quæ ex Suario fieri

po-

poterat, occurratur) nec à seipso; (prior enim consequitur vnitatē, ac proinde ad rationem constitutiuam Vnius non spectat; secunda verò non est propria Vnius, sed est communis multitudini, quia etiam multitudo à seipsa diuisa non est, & insuper non potest fieri sine beneficio intellectus, primò rem referentis ad seipsam, & deinde negantis ipsam diuidi a seipsa), sed attribuit Petro, per indiuisionem, negationem diuisionis in seipso, negans scil. in ipso esse multa actu, quorum vnum non sit aliud: Quo fusiori discursu in compendium redacto, dicimus, intellectum, quando naturam Vnius per negationem, (per indiuisionem scil.) explicat, materialiter se habere circa illam aliam negationem multitudini propriā, quam indiuisioni negat, nec se flectere supra ipsam; ac proinde dicendum est, indiuisionem, licet materialiter, non tamen formaliter, esse negationem negationis, ideoq; nec aliquid positiuum significare, quod significat negatio negationis, non tunc, cùm materialiter tantùm, sed tunc, cùm est formaliter talis.

Secundum argumentum eiusdē opinionis. Aliquod ens potest esse magis vnum, quàm aliud, sicut simplicia sunt magis vnum, quàm composita. Ergo illud, quod Vnū addit supra ens, non potest esse negatio, quia negatio non suscipit magis, & minus.

Resp. primò consequenter ad dicta in hoc eodem Tract. disp. 1. quæst. 3. negando negationem nō suscipere magis, & minus; nam, vt ex ibidem dictis constat, quando forma habet latitudinem, tunc quò subiectum carebit ipsa secūdùm plures gradus, eò erit negatio maior: Et ita, cùm in diuisione, quam negat Vnum, sit latitudo, (potest enim aliquid diuidi in se, vel specie, vel numero, vel in partes, vel in rationes formales), indiuisio, quæ est negatio diuisionis, suscipiet magis, & minus. Vnde indiuisio, quæ negabit, aliquid esse diuisum in partes, vel rationes plures formales (quod contingit in ijs, quæ sunt per simplicitatem vnum) erit maior, quàm illa, quæ solùm negabit diuisionem in plura specie, vel numero, & ponet vnitatem specificam, vel numericam, non excludentem tamen pluritatem, vel partium, vel rationum formaliū, vt in compositis contingit.

Resp. secundò, quòd licet admitteremus, negationē, qua talem formaliter, non posse suscipere magis, & minus, negamus tamen, quòd negatio, saltim ratione fundamenti, non suscipiat magis, & minus: Sicut à simili, licet negatio ex se, suoque conceptu formali, non possit dicere perfectionē, potest tamen ratione fundamēti: Vnde, & indiuisio, quam Vnum addit supra ens, in Deo, ad maximā eius perfectionem spectat, quòd sit vnus tantùm; & quòd in eo omnia, quæ opposita non sunt, distincta non sunt. Sic ergò & in præsenti negatio, quā Vnitas ad-

Digitized by Google

addit enti, ratione fundamenti, idest ratione ipsius entis, cui superadditur, potest dicere magis, & minus, quatenùs illud ens erit magis, vel minus compositũ.

Tertium argumentum eiusdem opinionis. Si Vnum adderet enti aliquam negationem, adderet, vel maximè, indiuisionem. Sed Vnum non addit indiuisionem enti. Ergò &c. Maior patet, & prob. Minor. Ens, vt distinctum ratione ab Vno, est indiuisum. Ergò quia, vt distincto ab Vno, non competit indiuisio per vnitatem, competet ipsi secundùm se sumpto. Consequentia patet, & probatur antecedens: Non enim posset concipi distinctum ab alio, nisi concipiatur indiuisum, quia prius est, aliquid esse indiuisum in se, quàm diuisum à quolibet alio.

Resp. huic argumento negando Minorem; ad cuius probat. dico, ens, vt distinctum ab Vno, esse quidem indiuisum in se fundamentaliter, non tamen formaliter, quia formalem indiuisionẽ non habet, nisi per vnitatem. Vnde illud axioma: Prius est aliquid indiuisum in se, quàm diuisum à quolibet alio; intelligendum est (maximè loquendo de istis transcendentibus, quæ à se inuicem per solas præcisiones intellectus separari possunt) quòd priùs aliquod debeat esse indiuisum in se, vel fundamentaliter, vel formaliter, quàm sit diuisum à quolibet alio, non autem semper formaliter. Immò formaliter loquẽdo, in ipsis præcedit diuisio indiuisionẽ, sicut forma priuationem, nàm indiuisio est priuatio diuisionis. Et hoc expressè docet Angel. Doct. quæst. 9. de Pot. art. 7. in solut. ad 15. vbi hæc dicit: *Vnum autem dicitur] priuatiuè respectu diuisionis, cùm sit ens indiuisum; nõ autem respectu multitudinis. Vnde diuisio est prior secundùm rationem, quàm vnum, sed multitudo posterius, quod sic patet. Primum enim, quod in intellectu cadit, est ens, secundùm verò est negatio entis: ex his autem duobus sequitur tertiò intellectus diuisionis: ex hoc enim, quòd aliquid intelligitur ens, & intelligitur non esse hoc ens, sequitur, in intellectu, quod sit diuisum ab eo. Quartò autem in intellectu sequitur ratio vnius, prout sc. intelligitur, hoc ens non esse in se diuisum. Quintò autem sequitur intellectus multitudinis, prout sc. hoc ens intelligitur diuisum ab alio, vtrumque ipsorum esse in se vnum; quantumcunque enim aliqua intelligantur diuisa, nõ intelligetur multitudo, nisi quodlibet diuisorum intelligatur esse vnũ.* Vnde ne S. Thom. manifestè contradicat illi communi axiomati ex Philosopho desumpto, quo, & ipse sæpiùs vsus est, non censet, intelligendum esse semper de indiuisione formali, sed secundùm distributionem accommodam, de indiuisione formali, vel fundamẽtali. Scio aliter Soncin. respondere huic argum. 4. Metaph. quæst. 23. ad 1. Sed mihi eius solutio nõ arridet, nec habet saltem apparentiam veritatis, vt consideranti patebit.

Quartum argumentum. Negatio addita enti, destruit ens, sicut non homo, vel non iustus destruit hominem, & iustum, sed id, quod addit Vnum enti; nō destruit ens. Ergo id, quod Vnum addit enti, non est negatio.

Resp. cum Soncin. loco supra cit. in respons. ad Octauum, duplicem esse negationem. Aliam oppositam naturæ, cui additur, vt in exemplis in argumento allatis, & talis negatio destruit naturam, cui additur. Alia est negatio, quæ non est opposita naturæ, cui additur, sed potiùs conseruatiua ipsius; & talem negationem addit Vnum supra ens; Vnum quodque enim saluatur per hoc, quòd non diuiditur in se, si enim diuideretur, destrueretur.

Vel secundò, & meliùs responderi potest, negationem non destruere subiectum, cui additur, sed formam oppositam, sicut cæcitas non destruit oculum, sed visum; tenebræ non destruunt aerem, sed lucem, &c. Sic etiam indiuisio addita enti, nō destruit ens, quod est subiectum ipsius, sed diuisionem, quæ est forma opposita ipsi.

Quintò probatur. Negatio est nihil. Sed Vnum pro formali non est nihil. Ergo vnum pro formali, secundùm id, quod addit enti, non est negatio. Ad hoc argumentum patebit solutio ex ijs, quæ dicemus quæst. 3. huius Disput. Vbi ostendemus, quod licèt Vnum solam negationem addat enti, non tamen hanc solam pro formali dicit.

QVAESTIO II.

Quæ, & qualis est hæc negatio, quam Vnum addit supra Ens?

IN titulo quæstionis aliquid, vt certum supponimus, & aliquid in dubium vocamus. Supponimus enim, quod in præcedenti quæst. iam probatum est, Vnum nihil positiuum, sed solam negationem addere supra Ens. Vocamus autē in dubium primò; quæ est ista negatio? nam quamuis communi cōsensu, addat indiuisionem, quia tamen & indiuisio duplicem negationem inuoluit, sc. vel diuisionis in se, vel diuisionis à se, & in ipsa vnitate plures negationes, de quibus mox, videntur implicari, dubitari meritò potest, an sola indiuisio, & secundùm quam acceptionem, sit constitutiua vnitatis. Secundò quærimus, an indiuisio, vt est constitutiua vnitatis, sit priuatio, vel negatio propriè dicta, & an sit realis, vel rationis.

§. 1. *Circa primam partem Quæstionis referuntur opiniones Authorum.*

A Prima ergo difficultate incipiendo, vt certa ab incertis separemus, plures negationes in vno ente possunt concipi, de quibus posset dubitari, an pertineant

Digitized by Google

neant ad ipsius conceptum, qua talem. Primò enim in aliquo ente, e. g. in Angelo, possum concipere negationem diuisionis in se; secundò negationem diuisionis à se; tertiò negationem identitatis cum alio extra se; quartò negationem identitatis cum suo contradictorio, nempè cum non ente. Et quidem de prima negatione dubitari non potest, illam pertinere ad conceptum vnitatis. Tùm quia istud colligitur expresè ex verbis Philos., & S. Thom: qui sæpissimè dicunt, vnum esse ens indiuisum in se. Tùm etiam, quia posita diuisione vnius in se, ex vno fiunt plura, sicut patet in linea, quæ diuisa per ablationem termini communis partes ipsius copulantis, ex vna linea fiunt plures. Ergo negatio diuisionis, seu indiuisio, in se constituet vnum; contrariorum enim eadem est ratio. Nec in hoc est immorandum, quod est apud omnes in confesso. Secundam etiam negationem non pertinere ad conceptum Vnius, certum est. Tùm quia hæc non est propria negatio, quæ in re addatur Enti, qualis debet esse illa, quæ illud constituit in esse vnius, quia sicut ens est realiter vnum, ita debet illi, secundùm rem, addi illud, per quod in esse vnius constituitur; iam autem negatio diuisionis à se, vt supra diximus, fit per opus intellectus primò comparantis rem ad se, deindè negantis, ipsam esse aliam à se. Tùm etiam, quia, ut ibidem diximus, hæc negatio est communis multitudini, quia etiam multitudo est indiuisa à se, non minus, quàm vnum, sicut aceruus lapidum, u. g. non minùs est indiuisus à se, quàm Petrus, uel Angelus. Quarta similiter negatio identitatis, quàm dicit Ens respectu sui contradictorij, videlicet, non entis, non est aliqua negatio superaddita enti, cùm ens sine aliquo addito, per positionem sui, dicat negationem non entis, sicut quodlibet contradictorium negat suum oppositum. Neque hæc negatio cófert aliquid ad vnitatem, nisi ex generali ratione, in quantùm vnum est aliquod ens, ac per consequens negans non ens.

Cæterum de tertia acceptione est aliqua difficultas. Aliqui enim affirmant, negationem identitatis cum alio esse de conceptu vnitatis, alij verò negant, alij tandem sub distinctione loquuntur. Quidam ergo, quorum opinionem sequitur, & defendit P. Ioann. à S. Thom. 1. p. q. 11., tenent, in formali conceptu vnius, vt vnius, solùm includi positiuum cum negatione diuisionis in se, diuisio verò à quolibet alio non includitur formaliter in conceptu vnius, vt vnius, sed vt distincti, seu diuersi; sic enim respicit aliud extra se, à quo separatur, Vnitas autem magis importat conceptum absolutum, & ad se, quàm conceptum respectiuum extra se. Probatque suam sententiam primò Auth. S. Thom: ex q. 1. de ver. a. 1. vbi inquit, *Negatio, quæ est consequens omne ens absolutè, est indiuisio, &*

hanc exprimit hoc nomen, Vnum, nihil enim est aliud, vnum, quam ens indiuisum. Si autem accipiatur Ens secundùm ordinem vnius ad aliud, hoc potest esse dupliciter. Vno modo secūdùm diuisionem vnius ad aliud, & hoc exprimit hoc nomen, aliquid; dicitur enim aliqui d, quasi aliud quid. Vnde sicut Ens dicitur vnum, in quantum est indiuisum in se, ità dicitur aliquid, in quantùm est diuisum ab alijs. Ergo (infert P. Ioann. à S. Thom:) diuisio ab alio, secundum mentem S. Thom: non ingreditur rationem vnius, vt est Vnum formaliter, sed vt est formaliter *Aliquid*, quod vtique diuersam formalitatem importat.

Secundò probat idem alia auth. desumpta ex q. 9. de potentia ar. 7. vbi S. Doct. hæc habet. *Vnum, quod conuertitur cum Ente, non addit supra Ens, nisi negationem diuisionis, non quòd significet ipsam indiuisionem tantùm, sed substantiam eius cum ipsa; est enim vnum idem, quod ens indiuisum, multitudo autem correspondens vni nihil addit supra res multas, nisi distinctionem, quæ in hoc ostenditur, quòd vna earum non est alia.* Et concludit ibi S. Thom: *quòd Vnum addit supra Ens vnam negationem, secundùm quod aliquid est in se indiuisum, & diuisum à quolibet alio*, ergo ex mente S. Doct., ad rationem vnitatis solùm vna negatio pertinet, scil. esse in se indiuisum: esse autem diuisum à quolibet alio, magis ad multitudinem pertinet, quia id pertinet ad distinctionem vnius ab alio.

Ex quibus auth. talis ab ipso ad probandam suam opinionem ratio fundatur. Diuisio ab alio constituit ens separatum, & distinctum ab eo, quod est extra se. Ergo potiùs pertinet ad rationē multitudinis, quàm ad rationem vnitatis, vnitas enim sufficienter intelligitur in se constituta, quamdiù nō soluta; non soluitur autem vnitas, quamdiù non diuiditur in se; Ergo sola indiuisio in se sufficit ad vnitatis conceptum, diuisio verò ab alio supponit vnitatem in se constitutam, & solùm reddit illam ab alio extra se segregatā, & comparatam alteri extremo, vt cum illo, tanquàm cum separato, constituat multitudinem.

Confirmat hoc ipsum. Quia si vnum tantùm esset ens in rerum natura, et nihil aliud, à quo diuideretur (sicut erat Deus, quando nihil erat creatum) esset verè, & formaliter vnum, & tamen non esset diuisum ab alio positiuè, quia non esset aliud, à quo distingueretur. Ergo, &c.

Et ab hac opinione, nèc quoad vnguem recessit noster P. Andreas à Cruce, quamuis in verbis differre videatur, in quantum, supposita distinctione Vnius in vnum absolutè, & vnum relatiuè dictum, reiecta hac posteriori vnius acceptione, vtpotè ad præsentem difficultatem, non spectāte, de vno absolutè sumpto dicit, quòd in esse talis constituatur per solā negationē diuisionis. Quod, & probat primò; quia S. Thom: vbicumque de vno loquitur, definit

nit illud per solam indiuisionem, dicens: quòd *vnum sit ens indiuisum*, esset autem hæc definitio insufficiens, si vnum vltra indiuisionem diceret in suo conceptu diuisionem ab alio. Ergo, &c. Probat secundò. Eo ipso, quòd intelligamus aliquam rem in se indiuisam, sine vlla comparatione ad aliud extra se, intelligimus vnam. Ergo &c.

In contrarium est opinio Capreoli in 2. d.24. q.1. ar.1. Soncinatis 4. Metaph. 9. 4. Nazarij 1. p. q.11. a.2. contr. vnica, & aliorum, qui tenent, ad rationem Vnius non solùm indiuisionem, sed etiam diuisionem ab alio pertinere. Probantque primò suam opinionem ex definitione Vnius cõmuniter recepta; dicitur enim, Vnum esse ens indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio. Ergo ad rationem vnius non sola indiuisio, sed etiam diuisio à quolibet alio spectabit.

Secundò probant. Non esse diuisum in se est de cõceptu vnitatis. Ergo etiam esse diuisum ab alio extra se erit de cõceptu vnitatis. Ant. patet, & conseq. prob. Quod enim concipitur non diuisum ab alio extra se, de necessitate concipi debet diuisum in se, quia si concipitur non diuisum ab alio extra se, concipitur idem illi, quod est extra se. Ergo debet concipi diuisum in se, in illud sc. secundùm quod est idem illi, quod est extra se, & secundùm illud, secundùm quod est ab ipso distinctum.

Tertiò probant; Esse aliud à se non est de ratione Vnius, quia hoc cum indiuisione, quam dicit, pugnat. Ergo non esse aliud à se erit de ratione illius; cùm enim hæc contradictoriè opponantur, de necessitate vnum illorum vni competere debet: Tunc sic subsumo: Sed non esse aliud à se est idem, quod esse diuisum ab alio extra se, quia diuisio ab alio dicit negationem illam, quam exprimunt illi termini, *non est aliud à se*, vt ex ipsis terminis patet. Ergo, &c.

Confirmatur hoc totum, quia S. Thom. 1. p. q.11. ar.2. ad 4. & q. 9. de Potentia ar.7. ad 15. docet, conceptum diuisionis ab alio, secundùm rationem, esse priorem conceptu vnitatis. Vnde loco cit. ex 1. p. dicit. *Primò cadit in intellectu Ens. Secundò quod hoc Ens non est illud Ens, & sic secundò apprehendimus diuisionem. Tertiò vnum. Quartò multitudinem.* Ergo includetur in conceptu vnitatis, sicut prius in posteriori, sine quo illud posterius concipi non poterit. Ergo, &c.

§. 2. *Conatur P. Suarez conciliare Authores.*

PОrrò Franciscus Suarez d. 4. Metaph. sect. 1. n.16. 17. & 18. sub distinctione præsentem difficultatem determinat: dicit enim, dupliciter posse concipi diuisionem vnius ab alio, vel per modum relationis realis, seu ad

terminum realem, & existentem; vel per modum negationis. Iterum diuisionem vnius ab alio per modum negationis, dicit, tripliciter accipi posse. Primò per comparationem ad terminum positiuum realem realiter existentem, ita vt diuisio hoc modo sumpta neget identitatem inter duo realiter existentia; Vel secundò per comparationem ad terminum similiter positiuum, abstrahentem tamen ab existentia, itaut comparetur ad terminum positiuum absolutè sumptum, siue existentem, siue possibilem. Tertiò potest sumi hæc negatio per comparationem ad terminum negatiuũ, & contradictorium, sicut cùm dico: Ens est diuisum à non Ente, vbi *Ly*, est diuisum, negat ens esse non ens. Quibus distinctionibus præmissis.

Dicit primò. Si diuisio sumatur per modum relationis realis, seu ad terminum existentem, tunc si de illa formaliter loquamur, nõ spectat vllo modo ad conceptum vnitatis, quamuis si de illa fundamentaliter sermo sit, possit ad cõceptum vnius pertinere, non formaliter, sed consecutiuè, sicut cõsequitur ad quantitatem, quòd sit fundamentum æqualitatis. Vtrũque dictum probat. Primum quidem; Tùm, quia diuisio hoc modo sumpta est posterior vno, ideò enim est hoc diuisum ab alio, quia in se tale est, & vnum quid. Ergò non potest spectare ad conceptum constitutiuum vnitatis; Tùm etiam, quia Vnum de se est prius multitudine, & independens ab illa, esse autem diuisum ab alio per modum relationis realis, tanquàm à termino reali, & realiter existente, requirit multitudinem, immò inde consurgit multitudo, quia sunt plura vna, quorum vnũ non est aliud. Ergo &c. Secundũ autem dictum probat sic. De facto, & quodammodo ex intrinseca ratione entis secundum totam suam latitudinem considerati, cũ quolibet ente possibilis, est coexistentia alterius. Ergò ad omne ens, secundùm quòd est vnum, cõsequitur, vt possit esse distinctum ab alio, saltim aptitudine, & fundamentaliter.

Dicit secundò Suarius, quod si diuisio sumatur, prout significat negationem comparatam ad terminum positiuum existentem, non spectat ad conceptum vnitatis, propter easdem rationes, ob quas diximus, diuisionem, vt significatur per modum relationis realis, ad dictum conceptum non spectare; Vtrobiq; enim militant, vt eas perpendenti patebit.

Dicit tertiò, quòd si diuisio nõ comparetur ad terminum positiuum, sed ad negatiuum, seù contradictorium, sic quidèm concedit, hanc diuisionem omni enti hoc ipso, quòd vnum, ens est, competere, siquidem omni enti, sicut competit, quòd non sit non ens, ita competit, quòd sit diuisum à non ente: tamen dicit, hanc diuisionem non esse per aliquam negationem superadditam enti, nisi fortè per aliquam reflexionem in-

tel-

tellectus; Nam prout obiectiue intelligitur antecedere in ente, potiùs est affirmatio, quàm negatio, assignatque rationem huius dicti; quia affirmatio non distinguitur a negatione per aliam negationem, aliàs procederetur in infinitum; diuiditur ergò per seipsam, & sic etiam ens diuiditur à non ente, non per aliam negationem, sed per se, sicut & non ens diuiditur ab ente, non per aliam negationem, nec per aliquā aliam affirmationem, sed seipso, ita vt formalissimè, ens diuidi à non ente, nihil sit aliud, quam hoc esse ens, illud verò non ens. Hinc infert, diuisionem sumptam pro negatione contradictorij, non esse passionem entis, quia realiter nihil est, nisi ipsum ens, quatenùs verò per intellectum excogitari potest, est solùm extrinseca denominatio, vel relatio rationis, atque ideò intrinsecè ad rationem Vnius spectare non potest.

Denique quartò dicit, diuisionem, prout significat negationē comparatam ad terminum absolutè sumptum, siuè existentem, siuè possibilem, pertinere ad cōceptum vnitatis. Et rationem assignat. Quia sicut vni enti nullo modo potest conuenire, vt sit aliud, ità illi necessariò, & essentialiter competit, vt nō sit aliud, nā hæc sunt contradicentia, atque ideò si vnum illorum necessariò remouetur ab Vno, sc. esse aliud à se, alterum necessariò debet cōuenire Vni, scilicet non esse aliud à se; quod est esse diuisū ab alio. Limitat deinde suum dictum, cùm subdit, quòd hæc ratio non probat, hanc negationem primariò, & formalissimè intrare rationem Vnius, sed conuenire illi necessariò, siue per se primò, siue consequenter, & hoc posterius verius videtur. Et per hoc vult conciliare opiniones oppositas, dicens, quòd Authores primæ sententiæ negant, diuisionem pertinere ad rationem Vnius formaliter, & per se primò; Authores verò secundæ sententiæ affirmant, pertinere cōsequenter, ac per se secundò.

Sed quidquid sit de ista Authorum conciliatione; (licet enim aliqui possint explicari hoc modo, quo illos explicat Suarius, nā & opinio Soncinnatis est omninò eadem cum opinione Suarij, vt videre est apud ipsum 4. Metaph. q. 23. in fine corp. tamen alij, præcipuè recentiores, qui post Suarium scripserūt, etiāsi violenter trahantur, non possunt dictam interpretationem pati, sicut Nazarius, & P. Ioannes à S. Tho. & nost. P. Andr. à Cruce). Quidquid, inquam, sit de ista Authorum conciliatione, certè Suarij opinio (quæ eadem est cū opinione Soncinnatis) attenta profundiùs vnitatis natura, præ cæteris placet, immeritòque illū loco cit. reprehendit Nazarius, quasi in hoc suo discursu, (quem ipsius Suarij ipsis ferè verbis rescripsimus) à mente S. Doct. recesserit, & à veritate deuiauerit. Vtrumque enim falsò ipsi imputatur; Nam hæc eius opinio, quā-

Digitized by Google

tùm ad id, in quo opinioni Nazarij contrariatur, quòd scil. diuidi ab alio non sit ratio primaria, & formalissima Vnitatis, & est conformior menti Philos; qui vbicunq; vnitatē explicuit, semper illā per solā diuisionem explicuit, non quòd illa sola, sed quòd illa principaliter, & formalissimè rationem constitutiuam vnitatis intret. Vnde 5. Metaph. Textu Comment. 2. dicit: *Vniuersaliter quæcunq; non habent diuisionem, in quantùm non habent, sic vnum dicuntur*. Quæ reduplicatiua, si non solam, integrè, saltem solam, principaliter, indiuisionem denotat esse constitutiuam vnitatis. Similiter S. Tho. vbicunque de ratione constitutiua vnitatis agit, semper ad indiuisionem recurrit, & vix aliquando diuisionis ab alio meminit, vt patet 1. p. q. 11. a. 1. & 4. C. & q. 9. de Pot. ar. 7. & alibi sæpè, vt denotaret, quòd etsi diuisio ab alio consecutiuè, & secundariò, non autem formalissimè, & per se primò concurrat.

Et ratio idem cōuincit. Ex hoc enim, quòd aliquid concipiam, vt indistinctum in se, concipio, vt distinctum ab alio, quod non est ipsum; ita vt indiuisio in se sit ratio à priori diuisionis ab alio; non enim ideò sum indiuisus in me; quia distinguor ab alio, sed potiùs ideò distinguor ab alio, quia in me sum indiuisus.

Confirmatur, quia illa negatio, quam dicit diuisio ab alio, semper aliquid respectiuum inuoluit, quātalibet circa illam facta præcisione; vbi enim concipio aliud, & aliud, siue se inferentia, siue negantia, ibi aliquid respectus, & relationis concipere debeo, Indiuisio autem est ratio merè absoluta. Ergò hæc erit prior illa, quia absoluta sunt priora respectiuis.

Nec refert, si contra hanc confirmationem òbijcias, illam non cohærere cum dictis Angel. Doct. loco ex 1. p. pro secunda sententia, adducto. Ibi enim expresè S. Doct. dicit, quod diuisio est prior indiuisione, vt consideranti verba ipsius constabit. Dicit enim: *Primò cadit in intellectu ens: Secundò quòd hoc ens non est illud ens, & sic secundò apprehendimus diuisionem: Tertiò Vnum, &c.*

Resp. negando Anteced. Ad probat: dicitur primò, S. Doct. dixisse, diuisionem esse priorem Vno, ac per consequens indiuisione, per quam Vnum in esse talis constituitur, non simpliciter, & secundùm rem, sed secundùm quid, seù secundùm intellectus nostri apprehensionem; Et hanc esse genuinam mentem Angel. Doct. patet; tùm ex ipsius verbis in obiectione adductis, vbi, vt assignet dictam proprietatem, ad apprehensionem intellectus recurrit. Tùm etiam ex ipso solutionis ad 4. (vnde hæc verba deprōpta sunt) contextu. Dicit enim ibidem paulò superius. *Oportet, quòd diuisio sit prior vnitate, non simpliciter, sed secundùm rationem nostræ apprehensionis*. Quid clariùs pro nobis dici poterat?

Resp. Secundò, & fortè meliùs, Ne-

Negando similiter Anteced. ad cuius probationem, negamus, quòd S. Doct. vel verbulo, innuerit, indiuisionem esse posteriorem diuisione. De Vnitate id dixit; sed hoc indiuisioni, etsi constitutiua sit vnitatis, perperam applicatur. Quod vt fundamentaliùs pateat, sensus verborum S. Tho. (quem Caietanus, & simul Nazarius magis subtilitatibus suis implicarũt, quàm explicarunt, & quasi violenter ad confirmandum, quod negamus, traxerunt) planus fit, Verba S. Doctoris euidenter explico.

Quando ergò dicit Angel. Doct. quòd post diuisionem apprehendimus Vnum, attendebat ad rationem completam vnitatis, quæ, etsi formalissimè, & primariò constituatur per indiuisionem, tamen (vt diximus) etiam secundariò constituitur, & quasi completur per diuisionem ab alio, si non formaliter, saltem fundamentaliter, sumptam. Optimè igitur dixit, Vnum, completè sumptum, esse post apprehensionem diuisionis, cùm ad complementum Vnius diuisio, saltem fundamentaliter sũpta, requiratur. Vnde benè subiunxit, quòd post talem vnitatis apprehensionem sequatur multitudo, quia hæc intelligi non potest, nisi Vnum completè, idest cum diuisione vnius ab alio concipiatur. Cæterùm nunquam dixit, diuisionem esse priorẽ indiuisione. Et quãuis explicitè nõ posuerit, quando in apprehensionem intellectus cadat indiuisio, posuit tamen implicitè, quando dixit: *Primo cadit in intellectu ens*: est enim hæc negatio, quam dicit indiuisio, impræscindibilis ab ente, ita quòd ipsa multitudo non contineretur sub ente, nisi contineretur sub Vno, vt dicit S. Tho. 1. p. q. 11. a. 1. ad 2. ac per consequens, nisi aliquo modo participet de indiuisione, saltem secundùm quid.

Vrgetur, quia illud ens, quod cadit primò in intellectu, cùm non cadat, vt diuisum in se, (aliàs illud S. Tho. non vocasset, ens, sed entia) cadet vtiq; vt indiuisum, hæc enim contradictoria sunt, ac per consequens vnum illorum illi rationi entis competere debet.

Nec refert, si dicas, hanc secũdam responsionem nõ benè adaptari, verbis Ang. Doct. quia ille quando dixit, Vnum esse post diuisionem, locutus est de Vno secundùm indiuisionem; Quod ipse clarissimè ostẽdit, eandem doctrinam, quam hic tradidit, repetens in quæstionibus disputatis, quæst. 9. de Pot. art. 7. in solut. ad 15. vbi, cùm dixisset, vt ex ipsius verbis, quæ in quæst. præced. retulimus, constat. Primum, quòd cadit in intellectu, esse ens, deinde diuisionem; subiungit hæc verba. *Quartò autem in intellectu sequitur ratio vnius, prout scilicet intelligitur hoc ens non esse diuisum*. Ergo ex mente S. Tho. Vnum, secundùm quòd dicit indiuisionem, est posterius diuisione.

Resp. indiuisionem duos habere conceptus, adæquatum scili-

Digitized by Google

cet, & inadæquatum, quos in ipsa etiam vnitate, per indiuisionē constituta, possumus, immò debemus distinguere. Concipitur ergò indiuisio inadæquatè, quando concipitur secundùm suam rationem absolutam, in quantùm in hoc ente negat aliquam diuisionem; cæterum hic est inadæquatus indiuisionis conceptus; quia sicut differentia constitutiua speciei est statim distinctiua ab omnibus alijs eandem speciem non participantibus, ita indiuisio cōstitutiua entis in esse huius est statim, saltem fundamentaliter, distinctiua eiusdē ab omnibus alijs, quæ non sunt hoc ens. Vt autem adæquatè concipiatur indiuisio, debet concipi, vt inferens, vel saltem, vt connotans diuisionem ab alio, saltem fundamentaliter sūptam. Tunc ergò adæquatè ens cōcipitur nō esse diuisum, seu, quod idem est, esse indiuisum, quando concipitur cum dicta illatione, vel saltem connotione diuisionis vnius ab alio; Itaque S. Doct. attendendo ad hunc adæquatum Indiuisionis conceptum, dixit, *Vnum* secūdùm quòd indiuisum, supponere diuisionem, quam, vt modò diximus, saltem connotare debet. Nos autem locuti sumus de conceptu inadæquato indiuisionis, secundùm quem formalissimè, & primariò est constitutiua vnitatis. Et sic optimè nostra dicta cum doctrina Angelici Doctoris cohærent.



§. 3. *Respondetur argumentis oppositarum opinionum, in quantùm aliquid contra nos probare possunt.*

PRimò igitur argumentis primæ sententiæ respond. ad authoritatem primam, Angel. Doct., quam pro se adducit P. Ioannes à S. Tho: patet ex dictis disp. præc. quæst. 2., & ideò non est necessè ad ipsam respondere. Ad secundam verò authorit. quam adducit ex q. 9. de potent. respondetur, S. Tho:, quando dixit, quòd *Vnum nihil addit supra Ens, nisi indiuisionem*, locutus est, non de totali constitutiuo Vnius, sed de principali, vel etiam dici potest: quia, vt supra diximus, ipsa indiuisio, si adæquate sumatur, inuoluit diuisionem ab alio, hoc attēdens. Angel. Doct. dixit; quòd solam indiuisionem addit Enti, non excludendo ab integro constitutiuo Vnius etiam diuisionem ab alio, quam indiuisio adæquatè sumpta, vel inuoluit, vel connotat. Quando verò ibidem S. Tho: dicit, quod Vnum addit vnam negationem supra Ens, secūdùm quòd aliquid est indiuisum in se: Multitudo verò addit duas, prout sc. aliquid est in se indiuisum, & diuisum à quolibet alio, intelligendus est de additione principalis constitutiui, non autem de additione vtcūque, quia ergo Vnum solam indiuisionem de principali addit supra

Ens

Ens, diuisionem verò ab alio secundariò; Multitudo autem vtrũque de principali dicit; non enim possum concipere, etiam conceptu inadèquato, *multa*, nisi concipiam illa, & in suis vnitatibus per indiuisionem completa, & insuper inter se distincta. Quod clarissimè docet ibidem S: Tho. de potent. Dei. art. & quæst. cit. Vnde potuit optimè Angel. Doct. attendendo principalia, & formalissima constitutiua, dicere, quòd *Vnum addat unam negationem Enti, multitudo uerò, duas*. Viderit autem Nazarius, quid huic authoritati respondeat, qui contendit, secundùm mentem S. Thom: diuisionem ab alio æquè principaliter, ac indiuisio, ad constitutionem vnitatis pertinere.

Ad argumentum verò à ratione petitum, quod adducit P. Ioannes à S. Tho: responderur conced. anteced. & distinguendo consequens, quòd diuisio potiùs pertinet ad rationem multitudinis, quàm vnitatis, vt habet modum relationis, concedo: Vt habet modum negationis: iterum subdistinguo; Si primariò, & per se significetur, concedo: Si secundariò, & per modum connotati, nego. Quæ omnia cùm ex dictis pateant, explicatione non indigent.

Ad illud autem, quod in eodem argumento additur, quia nimirùm vnitas sufficienter intelligitur cõstituta, si non intelligitur soluta; quæ non solutio, quia fit per indiuisionem in se, per illam solam sufficienter intelligitur constituta vnitas, resp. non solutionem, ac proindè constitutionem vnitatis fieri quidem per indiuisionem in se formalissimè, & primariò, non tamen adæquatè, nisi addatur secundariò, & saltem per modum connotati, diuisio ab alio, quam indiuisio in se indispensabiliter infert. Quomodò enim aliquid intelligeretur adæquatè indiuisum in se, si non intelligeretur diuisum ab omni alio, quod non est ipsum. Ad confirmat. patet responsio ex dictis, disput. præced. quæst. in solut. 2. obiectionis contra nostram rationem, qua probabamus, *Aliquid*, non esse passionem Entis, ab Vno distinctam.

Argumenta P. Andreæ à Cruce ex dictis soluta manent. Dicimus enim, S. Tho. ideò definiuisse Vnum per indiuisionem, eiusque definitionem sufficientem esse, quia in conceptu indiuisionis inuoluitur, saltem per modum connotati, diuisio ab alio; et ideò explicanda non fuit (quamuis in alijs locis etiam diuisionem ab alio, explicitè posuerit) in definitione vnitatis.

Ad secundum autem dicitur; quòd licet eo ipso, quòd aliquid concipiamus in se indiuisum sine vlla cõparatione formali ad aliud, possumus intelligere vnum, sicut intelligimus Deum vnùm ante creationem, non tamen sine comparatione saltim fundamentali; vt ex dictis tùm in hac, tùm in quæst. 2. præced. disput. constat.

Argumenta secundæ sententiæ nihil plus probant, quàm quod &

Digitized by Google

nos dicimus, scilicet ad conceptum vnitatis diuisionem ab alio aliquo modo pertinere. Vnde solutione non ægent. Solùm quartum petitum, ex authoritatibus S. Tho. posset vrgere contra nos.

Sed eius solutio ex dictis in hac eadem solutione patet, insuper, vt fundamētaliùs soluatur, posset adhuc responderi, quòd licet admitteremus, diuisionem esse priorem indiuisione, non tamen sequitur, quòd primariò ad conceptum vnitatis spectet: Non enim omne, quod est priùs ordine alio, est præcipuum, & primarium; quod mille exemplis demōstrari potest. Et in potentijs operatiuis euidenter constat, quibus etsi prius competat esse, quàm operari, quia esse supponitur ad agere, (vnumquodque enim agit, in quantum est in actu) tamen priùs, & principalius respiciunt operari, quam esse, quia propter operari habent & ipsum esse; de quo videre poteris Nost. Complut. in Phys. disp. 10. quæst. 5.

§. 4. *Pars secunda quæstionis determinatur.*

IN Secunda quæstionis parte determinandum est, qualis est hæc negatio, quam addit Vnum supra Ens; an scilicet sit negatio, vel priuatio: Et an sit realis, vel rationis? A prima quidem parte facilè nos expedimus, &

Dicimus primò, indiuisionem, quam dicit Vnum, nec esse Negationem in ampla negationis significatione, nec priuationem propriè dictam, sed medium locum tenere. Pro ista Conclusione claram habemus mentem Angelici Doct. qui q. 9. de Potentia. ar. 7. ad 11. hæc habet. *Sicut in 5. dicitur Metaph. priuatio tribus modis dicitur. Vno modo propriè, quando remouetur ab aliquo, quod natum est habere, & in quo tempore natum est habere, sicut carere uisu est priuatio uisus in homine. Alio modo communiter, quando remouetur ab aliquo, quod ipsum quidem non est natum habere, sed genus eius, sicut si non habere uisum dicatur esse priuatio uisus in talpa. Tertio modo communissimè, quādo remouetur ab aliquo id, quod à quocunq; alio natum est haberi, non tamen ab ipso, nec ab alio sui generis; Sicut si non habere uisum dicatur esse priuatio uisus in planta: Et hæc priuatio medium est inter priuationem ueram, & simplicem negationem, habens commune aliquid cum utraq; cum priuatione quidem uera in hoc, quòd est negatio in aliquo subiecto, unde non competit simpliciter non enti; cum negatione uerò simplici in hoc, quòd non requirit aptitudinem in subiecto. Per hunc autem modum Vnum priuatiuè dicitur, & potest prædicari in Diuinis.*

Ex quo S. Thom: loco habes clarè decisum id, de quo Authores controuertunt. Clarè enim S. Tho. dixit, indiuisionem, quam dicit Vnum, nec esse negationem in ampla negationis significatione, nec priuationem propriè dictam,

sed

sed medium locum tenere. Quod etiam docere volebat Suarius 4. Metaph. sect. 1. noster Andrea à Cruce 1. p. q. 11. 1. a. dub. 2. quando dicebãt, indiuisionem esse quidem negationem, sed habere priuationis modum. In hoc tantùm Suarius reprehendi potest, quia dicit, indiuisionem absolutè debere vocari negationem, quamuis modum priuationis habeat, in quantùm versatur necessariò circa ens. Ex eo autem illam, negat, posse vocari priuationem, quia non negat formam, cuius sit capax subiectum, vt patet in essentia Diuina, quæ licet incapax sit diuisionis, tamen vocatur vna, & habet indiuisionem. Priuatio autem, inquit Suarez, debet negare formã in subiecto apto nato habere ipsam. Cæterùm nõ attendebat prædictus Author, esse in priuatione latitudinem, quam S. Doct. explicuit, vnde etiam illas negationes sub priuatione clausit, quæ remouent formas à subiecto, quas nec ipsum, nec aliquid eiusdem generis cum ipso aptum natum est habere, sed quæ à quocunque alio haberi possunt. Vnde etsi essentiæ Diuinæ v. g. Vel etiam alijs simplicibus, qua talibus, diuisio repugnet, non tamen repugnat enti vniuersalissimè accepto, quod, ratione suæ transcendentiæ, tàm in essentia Diuina, quàm in alijs simplicibus imbibitur.

Nec refert, si contra modò dicta Obijcias id, quod innuit Frãciscus Suarez, quod sc. etiam ipsa ratio entis non sit subiectum aptum natum diuidi. Ergo non possumus recurrere, ad ostendendum indiuisionem esse priuationem, ad ens, tanquàm ad subiectũ capax diuisionis. Antecedẽs probat Suarius, quia nullum ens à seipso diuidi potest, cum nihil sit separabile à seipso. Ergo &c.

Resp. enim ex supra dictis, indiuisionem, quam dicit Vnum, non esse negationem diuisionis à seipso, sed in seipso, quæ Enti cõpetere potest; potest enim ens in plura diuidi. Et mirum, quomodo Suarius hoc adduxerit, qui in eadem sect. & disput. docuit, quòd, & nos docuimus, diuisionem, quã dicit Vnum, non esse alicuius à se, sed in seipso.

Altera difficultas aliquã posset inferre perplexitatẽ propter nost. P. Andr. à Cruce, qui tenet, negationem, quam dicit Vnum, non esse realem, sed rationis. Sed etiã hæc patet ex dictis, & sic

Dicimus Secundò, indiuisionẽ esse negationem realem. Probatur facilè. Vnum, in esse talis, non constituitur per aliquid rationis. Tùm quia est affectio Entis realis. Tùm quia, nullo intellectu cogitante, quod est indiuisum, est vnũ, & Deus ante creationem mundi vnus erat, cùm tamen tùnc nullus intellectus fuerit formatiuus entium rationis, solus enim tunc fuit Intellectus Diuinus, qui ea formare nequit. Tùm denique, quia cùm prædico de aliquo vnitatem, non prædico aliquid rationis, verè enim Petro à parte rei competit, quòd sit vnus homo. Vnum

ergo

Digitized by Google

ergo, in esse talis, non cōstituitur per aliquid rationis, sed constituitur per indiuisionem. Ergo indiuisio nō est negatio rationis, &c.

Respon. nost. Andr. à Cruce, negando, in sua sententia Vnum, qua tale, constitui per aliquid rationis, & rationem istius assignat. Nam, vnum, in quantum vnum, secundum se, dicit entitatem realem, connotando diuisionem sibi impossibilem, atque sic constitutiuum vnius, in esse talis, non erit aliquid rationis, quia illa entitas, illudq; cōnotatum, verè est à parte rei.

Sed hæc verba sunt tantùm, in re autem fateri debet P. Andreas, constitutiuum vnitatis, in ipsius sententia, esse aliquid rationis, ac per consequens Vnum per illud constitutum, qua tale, esse ens rationis: Quod sic ex verbis ipsius deduco. Nam quando dicit, quòd Vnum dicit entitatem realem, cōnotando diuisionem sibi impossibilem; quæro: illa connotatio in illa entitate reali vnde est? Non potest negare, quòd sit per indiuisionē, aliud enim fundamentum huius cōnotationis assignare non poterit; Vnde omne ens carens indiuisione non potest connotare diuisionem sibi impossibilem. Ergo illa connotatio diuisionis, vt impossibilis ipsi enti, vel erit indiuisio, vel in indiuisione fundata. Ergo illi enti, vt sit vnum, sicut connotatio diuisionis, vt illi impossibilis, ita, & ipso indiuisio superaddetur. Sed indiuisio, secundùm te, est negatio rationis. Ergo illud, quod superadditur enti, per quodque ens constituitur in esse vnius, erit aliquid rationis. Ergo, &c.

Sed est difficilis valdè S. Thomæ locus, ex primo Senten. distinct. 24. Q. 1. ar. 3. ad 1. quem pro sua opinione citat nost. P. Andreas à Cruce, & videtur nostræ sententiæ euidenter cōtrariari. Dicit enim ibi S. Doct. *Dicendum, quòd in multitudine negatio est, secundùm quòd una res distinguitur ab alia per negationem. Vnde in multitudine est negatio, uel priuatio realis, secundùm quòd una res non dicitur esse alia; & huiusmodi distinctionem per negationem negat negatio importata per rationem unitatis: Vnde dico, quòd negatio ista, in qua perficitur ratio unitatis, non est, nisi negatio rationis tantùm; Omnis enim respectus, qui est Entis ad negationem, uel ad non ens, non est, nisi rationis. Vnde relatio, qua refertur ens ad non ens, non est, nisi tantùm in ratione: Et similiter priuatio, qua de ente negatur non ens, est in ratione tantùm, ut priuatio priuationis, uel negatio negationis*. Quid clarius contra nos dici potuit? Sed

Resp. supponendo prius, quòd licet diuisio habeat effectum negatiuum, causat enim hoc, quod est, vnum non esse aliud, adæquatè tamen non in sola negatione consistit, sed etiam in fundamento, & causa dictę negationis, quod est separatio, seu segregatio huius ab alio. Quòd antem hæc separatio, seu segregatio sit causa nega-

ga-

gationis, quàm diuisio importat, patet; Aliter enim negatio ista intelligi non potest; nisi enim intellexeris segregata, non intelliges diuisa, consequenter neque intelliges, hoc non esse hoc. Et hanc segregationem, seu diuisionem, quæ vnitatem soluit, tollit indiuisio, quæ talem segregregationem impedit, & consequenter illam negationem, quæ ad destructionem fundamenti tollitur, sicut qui destruit album, destruit & negationem nigri, quæ in illo est. Quia ergò indiuisio, quam Vnum addit supra ens, est negatio diuisionis, possunt in ipsa, adhuc inadæquatè sumpta, secundùm quòd præscindit à diuisione ab alio, & solam indiuisionem in se dicit, (de quo supra) distingui alij duo inadæquati conceptus; quorum vnus supponit alium, & fundatur in ipso. Primò enim potest concipi indiuisio, vt tollit illud fundamentum negationis à diuisione importatæ, illam scilicet segregationem vnius ab alio, quæ vnitatem soluit. Et hoc modo sumpta indiuisio, est negatio realis, quia negat aliquid positiuum, & reale; Estque fundamentum alterius cōceptus inadæquati, de quo statim. Secundò potest concipi indiuisio, vt negat formaliter ipsam diuisionem, prout diuisio significat illam negationem, quæ illis terminis exprimitur: hoc non est illud: Et hæc negatio, quia est negatio alicuius non entis, sicut est negatio negationis, itá est negatio rationis; & hæc supponit illum priorem inadæquatum conceptum, (sicut in ipsa diuisione, quam istæ negationes tollunt, prior est illa segregatio, quam negatio in segregatione fundata) ac per consequens quodammodo formalizat, & perficit illam in esse negationis, sicut omne aduenìens intelligitur suũ susceptiuum formalizare, & perficere. Quando ergò Angelicus Doctor dixit, quòd negatio ista, in qua perficitur ratio vnitatis, non est nisi negatio rationis tantùm, intellexit de negatione, seu indiuisione secundo modo accepta: vnde notanter posuit illum terminum, *perficit*, propter modò dicta. Cæterum ipsa indiuisio cōstituit primò, & principaliter Vnũ secundùm primum inadæquatum conceptum, vt ex supra dictis patet in quæst. præced. in solut. primi argumenti, & consequenter indiuisio, vt formalissimè, & principaliter est constitutiua vnitatis, sicut de illa nùnc loquimur, non est negatio rationis.

Quòd autem hæc solutio non sit fictitia, sed genuina mens Angel. Doct; euidenter ostendo. Aliàs enim S. Tho. non soluisset adæquatè argumentum, quod soluere intendebat, sed vna parte soluta, aliam insolutam (quasi fugiens argumēti difficultatem) reliquisset. Quod de Angel. Doct. nefas est cogitare. Vt hoc euidentiùs pateat, adduco argumentum primum, cuius solutio in citatis verbis continetur. Dicit ergo S. Tho. *Videtur, quod vnitas, & numerus*

ali-

Digitized by Google

aliquid ponant in Diuinis, & non dicantur secundùm remotionem tātùm, si enim per vnum remouetur aliquid, non remouetur, nisi pluralitas. Et similiter si per pluralitatē remouetur aliquid, non remouetur, nisi vnitas. Si ergò utrumque dicatur per remotionem, tunc utrumque non erit, nisi remotio remotionis. Sed priuatio priuationis nihil est, nisi secundùm intellectum, quia potest sic multiplicari in infinitum, sicut dicit Auicenna. Ergò secundùm hoc unitas, & numerus non essent realiter in Deo, sed in ratione intelligentis tantùm, & sic non possent dici plures Personæ, nec plures rationes, quod uidetur hæreticū. S. ergo Tho. debuit saluare conformiter ad intentum articuli, vtrumque, scilicet numerum, & vnitatem non esse aliquid rationis. Quod etsi saluauit, & deduxit de numero, non tamen de vnitate, (quæ non minus non potest esse secundùm rationem tantùm intelligentis in Diuinis, quā numerus, quia ibi sicut dicuntur plures Personæ realiter, itá dicitur vna Essentia realiter) immò nisi secundùm nostram explicationem verba ipsius intelligantur planè destruxit vnitatem, realem, vt consideranti patebit.

Et hinc etiam patet solutio ad argumentum, quod à nostro P. Andrea à Cruce adducitur ad probandum, indiuisionem esse negationem rationis. Sic enim ille argumentatur. Diuisio in Deo, & eius essentia, est omninò impossibilis, & consequenter non ens, & itá negatio huius diuisionis non potest esse vera negatio realis, nam non datur realiter negatio negationis, licet possit dari per intellectum, quatenùs imaginamur diuisionem per modum formæ, in quantùm diuisio dicit entium diuisorum pluralitatem, in quibus importatur positiuum, & sic diuisionis negationem in quocunque concipimus per modum negationis. Huius, inquam, argumenti patet solutio, tùm ex modò dictis, tùm ex dictis in præced. quæst. in solut. ad primū contrariæ opinionis, vbi ostendimus indiuisionē, secundùm quòd est formalissimum constitutiuum vnitatis, non esse negationem negationis, nisi fortè materialiter, formaliter autem, est negatio alicuius positiui, illius scilicet separationis entis in ens, & ens, seu pluralitatis realis in ente, quam consequitur negatio identitatis, explicata per illos terminos negationem significantes, hoc non est hoc: neque circa hoc aliquid ampliùs occurrit dicendum.

QVAESTIO III.

Vtrùm Vnum pro formali dicat solam negationem, quàm addit enti, vel potiùs entitatem cum negatione? & si vtrūque quid illorum formalius?

OStendimus in prima quæstione, Vnum solam negatio-

Digitized by Google

tionem addere enti, in præcedenti verò quæstione declarauimus, quæ, & qualis est hæc superaddita enti negatio, statim verò pulsat animum alia quæstio, an vnũ, sicut solam negationem addit enti, ita solam pro formali dicat? & ad hoc definiendum præsens quęstio excitatur. Pro qua.

Dico quantùm ad vtramque partem: Vnum dicit pro formali entitatem, priuatio autem importatur, tanquam connotatum, seu modus aliquis, intrinsecè ad constitutionem vnius petitus. Ita Sōcinn. 4. Metaph. quæst. 20. & 23. Flandr. etiam ibidem quæst. 3. ar. 8. Gonzales 1. p. disput. 28. Ioannes à S. Tho. 1. p. q. 11. difficult. 1. Nost. Andreas à Cruce itidem 1. p. q. 11. dub. 1. Eamque vt probabiliorem amplectitur Suarez disp. 4. Metaph. Sect. 2.

Probatur primò nostra Conclusio quantum ad primam partem, quòd scilicet Vnum pro formali dicat entitatem. Si Vnum pro formali non diceret entitatẽ, sed solam negationem, vel potiùs priuationem, Vnum formaliter esset terminus priuatiuus. Hoc dici nequit, quia omnis terminus priuatiuus dicit aliquam imperfectionem in re, cui tribuitur, Vnũ verò non dicit imperfectionem in re, cui tribuitur, vt patet; aliàs cùm dicimus, Deum esse vnum, diceremus, esse in Deo aliquam imperfectionem, quod repugnat, & ità sicut repugnat Deum esse imperfectum, ita repugnaret, esse vnum. Ergò &c.

Hæc ratio displicet Francisco Suarez, quamuis ei nostra Conclusio placeat; Vnde dicit, quòd hæc ratio non est magni momenti, non enim est necessè, priuatiuũ terminum imperfectionem importare, si forma, quam negat, ad perfectionem nō pertineat, vt patet in his terminis, infinitum, immateriale, qui licet sumantur omninò priuatiuè, nullam imperfectionem dicunt; idem ergò esse poterit de Vno, quia diuisio, quã negat, non dicit perfectionem simpliciter.

Instatque Suarius, quia eadem ratio procederet, etiamsi Vnum pro formali dicat ens cum indiuisione. Nam si priuatio purè sumpta dicit imperfectionẽ, etiãsi aliquid ei adiungatur, eandem dicet imperfectionem adiunctam perfectioni. Sed

Contra est. In primis enim, quod dicit Franciscus Suarez, nō omnem priuationem dicere imperfectionem, præcipuè in priuationibus formarum, quæ nullam dicunt perfectionem, subsistere nequit. Nam generaliter omne ens est perfectius non ente, & cōsequenter forma, quæ est ens, est perfectior priuatione, quæ semper est non ens. Deinde illud, quod addit ad probationem assumpti, sc. Infinitum, vel immateriale, quamuis sint termini priuatiui, nullam dicere imperfectionem, vel falsum est, vel non est ad propositum. Si enim hæc prædicata applicentur suo competenti subiecto, v. g. si infinitas applice-

Digitized by Google

tur Deo, tunc etsi quantùm ad sensum verbalem, sit aliquid priuatiuum, in re tamen ipsa significat aliquem gradum positiuum, & & aliquam perfectionem Diuinam, quæ tali priuatione explicatur ex eo, quia, vt supra ex S. Doct. diximus, perfectiones Diuinæ conuenientiùs explicantur per terminos negatiuos, quàm per positiuos, & sic non est ad propositum; & simile est, si Ly immateriale applicetur Deo, vel Angelo. Si verò dicta prædicata applicentur incompetentibus subiectis, vt si de homine v. g. dicā, quòd sit infinitus, vel de lapide, quòd sit immaterialis, vtraque priuatio dicit imperfectionem, quia & in homine non esse definitum terminis paruitatis, & magnitudinis, quos infinitum tollit, sonat imperfectionem, cùm vltra ipsos esset in via corruptionis; de quo vide nost. Complut. in Phys. disput. 17. & in lapide carere materia, quod per *Ly* immateriale significatur, etiam imperfectionem dicit, quia careret aliquo suæ naturæ debito, essetque sub statu suæ rationi essentiali, principijsque specificis, repugnanti. Vnde sicut nō esse lapidis est imperfectio in lapide, ita & esse immaterialem, seu carere materia erit imperfectio in ipso; idemque est de omnibus materialibus dicendum.

Secundò probatur nostra Conclusio ratione tali. Si Vnum pro formali diceret solam priuationem diuisionis, sequeretur, non illud futurum magis vnum, quod fuerit magis ens, sed illud, quod etsi sit minus ens, est tamen magis indiuisum. Consequens est falsum in sentētia S.Tho. Ergò & illud, ex quo sequitur. Falsitas Consequentis patet. Nam Angel. Doct. 1. p. q. 11. ar. 4. non ex eo præcisè probat, Deum esse maximè vnum, quia est maximè indiuisus, sed etiam ex eo, quia est maximè ens; dicit enim: *Cùm unū sit ens indiuisum, ad hoc, quòd aliquid sit maximè unum oportet, quòd sit & maximè Ens, & maximè indiuisum*. Et vrgetur magis falsitas consequentis ex eodem Ang. Doct. quæ cùm sibi in citato iam artic. obiecisset, dicens: *Nihil uidetur esse magis indiuisibile, quàm id, quod est indiuisibile actu, & potentia, cuiusmodi est punctus, & unitas, sed in tantùm aliquid dicitur magis unum, in quantùm est indiuisibile. Ergo Deus non est magis unum, quàm punctum, & unitas*: huic argumēto respondens, dicit: *Ad secundùm dicendum, quòd punctum, & unitas, quæ est principium numeri, non sunt maximè entia, cum non habeant esse, nisi in subiecto aliquo. Vnde neutrum eorum est maximè unum: Sicut enim subiectum non est maximè unum propter diuersitatem accidentis, & subiecti; ita nec accidens.*

In qua solutione, ut optimè aduertit Nazarius ibidem, duæ solutiones continentur, Vna principalis explicitè posita, negando scilicet, rationem formalem vnitatis, vel consistere, vel desumi ex in-

indiuisione, quia potiùs desumitur ex entitate, quæ est quid formalius in vnitate. Altera implicitè contenta, & quasi per modũ additamenti pro vberiori doctrina, qua negatur punctum, vel unitatem esse omninò simplicia, sicut Deus, & datur huius ratio, quia faciunt compositionem cũ subiecto. Ergo iuxta mentem S. Tho: ex excessu in entitate magis, quã in indiuisione, maior vnitas colligitur.

Sequela autem, quæ erat probanda in hac ratione, pro conclusione adducta, sic probatur; quia forma, quæ vel principaliter, vel totaliter constituit aliquid in esse talis, quantò magis participatur, tantò illud est magis tale, sicut v.g. quia album, in esse albi, constituitur totaliter per albedinem, ideò quò subiectum aliquod magis participat de albedine, eò erit magis album, etiamsi minùs sit perfectum, quantùm ad entitatẽ, quàm aliud; sicut licet perfectior sit homo pariete in esse entis, tamen si paries sit albus, vt 4. & homo, vt duo, magis erit paries albus, quàm homo. Et similiter, quia licet intellectus simul cum lumine gloriæ concurrat ad visionem beatificam, tamen, quia principaliùs ad illam concurrit lumen, quàm intellectus (ex eo, quia lumen, vtpotè dispositio ordinis supernaturalis, dat etiam simpliciter posse proximum intellectui in ordine ad visionem claram Dei, quamuis supponat radicale posse in ipso) tunc omnis inæqualitas reperta in visione beatifica, non refunditur in intellectum, sed in ipsum lumen, vnde perfectior intellectus cum æquali lumine gloriæ non videbit perfectiùs Deum. Ergo si indiuisio, vel sola, vel principaliùs constitueret Vnum in esse talis, maior vnitas potiùs ex maiori indiuisione, quàm ex maiori entitate sumeretur.

Probatur 3. ex ipsa natura, & conceptu proprio Vnitatis. Nam secundùm communem acceptionem, nomine Vnius non intelligimus puram negationem, vel priuationem, sicut intelligimus nomine cæci, v.g. Ergo non solùm materialiter, & ex parte subiecti, sed etiam formaliter in sua ratione formali includet Entitatem, illo enim priori modo, omnia priuatiua includunt subiectum, in quo exercentur.

Probatur 4. Si Vnum in suo formali significato solam negationem, vel priuationem includeret, non posset esse vera passio entis, consequens omne ens. Hoc est falsum. Ergo & illud, ex quo sequitur. Falsitas consequentis ex dictis in disp. præced. satis patet. Sequela verò maioris probatur primò, quantùm ad vltimam partem, quòd scil. si ratio formalis constitutiua vnius in esse talis, esset negatio, vel priuatio, non consequeretur omne ens: Quia cùm omnis negatio, vel priuatio sit alicuius entitatis negatio, vel priuatio, saltem illi enti non competeret, quod tollit. Ergo

Digitized by Google

iam non consequeretur omne ens. Ex quo etiam prima pars manet probata, quia passio debet competere omni. Adde, quia priuatio, & negatio opponuntur Enti, vt ex supradictis in prima disp. huius tract. constat. Ergo non sunt constitutiuæ passionum Entis, cùm passio debeat conuenire subiecto, & consequi illud, non autem opponi, vel repugnare ipsi.

Confirmatur hæc Conclusio euidentissimis S. Doct. authoritatibus, vt nullus de ipsius mente, quantùm ad hoc, remaneat dubitandi locus. In primis ergo S. Tho: 10. Metaphys. lect. 4. dicit. *Vnum non significat priuationem puram, non enim significat ipsam indiuisionem, sed ipsum ens indiuisum*. Deinde q. 9. de Pot. art. 7. dicit. *Vnum, quod conuertitur cum Ente, non addit supra Ens, nisi negationem diuisionis, non quòd significet ipsam indiuisionem tantùm, sed substantiam eius; cum ipsa est enim Vnum Ens indiuisum*. Similiter 10. Metaphis. cap. 5. docet, *Vnum, & multa opponi contrariè*. Ergò, vt egregiè arguit P. Ioannes à S. Thom: 1. p. quæst. 11. ar. 1. diff. 1. Oportet, quòd formale in Vnitate, penès quod fit oppositio, sit positiuum, aliàs non fundaret contrarietatem, de cuius ratione est, vt vtrumque extremum sit positiuum, & non pura priuatio. Et in alijs pluribus locis idem docet Angelicus Doct. quæ videre poteris apud P. Ioannem à S. Tho. loco ex 1. p. cit.

Aduertendum tamen hic est cum Suarez, quæstionem hanc non parum inuoluere quæstionis de nomine, seu de modo loquendi. Omnes enim in hoc conueniunt, Vnum in suo adæquato significato nihil aliud dicere, quàm Ens indiuisum, solamque indiuisionem addere Enti, ideòque omnes fateri debent, in Vno nihil esse, extra rationem Entis, vt sic, præter negationem solam. Ex quo alteriùs sequitur, quòd Vnum solum possit dici passio entis ratione negationis, quam superaddit enti, quia solùm est passio, secundùm quòd dicit aliquid extra rationem entis. Quidam ergo concipiunt, supposito ente reali, sola negatione illi superaddita, constitui Vnum; Et ideò dicunt, Vnum de formali solam negationem diuisionis dicere. Alij verò, & meliùs cōcipiūt, Vnitatem non esse, velut quandam priuationem additam enti, sed esse ipsam entitatem, quæ, vt indiuisa, cōstituit Vnum ens. Quæ licet vera sint, vt tamen satisfiat argumentis contrariæ sententiæ, hæc cum suis fundamentis adducitur.

Est ergo alia opinio, quæ dicit, Vnum pro formali solam negationem importare. Huius opinionis videtur fuisse Caietanus 1. p. q. 11. a. 2. ad 2. Scoti, vbi ait; *Vnum formaliter non esse magis extra nihil, quàm alia priuatiua, vel negatiua*. Eandemque tuetur Fonseca in sua Metaph. quæst. 5. sect. 5.

Fundamentum primum istius Sententiæ est hoc. Id solum dicit,

Vnum,

Digitized by Google

Vnum, de formali, per quod distinguitur ab ente; sed solùm distinguitur in negatione, quam addit. Ergo illã solam dicit de formali.

Resp. primò negando Minorem. Vnum enim non distinguitur ab ente per aliquam differentiam superadditam enti, sed per ipsam rationem entis diuersimodè acceptam: Impossibile siquidem est, in istis transcendentibus, vt propria passio omninò distinguatur à subiecto, aliàs trascendentia non essent, sed sufficit quòd distinguantur quòad modum concipiendi, vel ratione diuersorum connotatorum, vel ratione diuersorum modorũ, quos, important. Vnde S. Tho.q.1. de Verit.a.6.loquens de istis transcendentibus, dicit. *Secundùm hoc aliqua dicuntur addere ad ens, in quantùm exprimunt ipsius modum, qui nomine entis non exprimitur.*

Secundò resp. cum Suarez, vel potiùs magis præcedens solutio illustratur, distinguendo eandem Minorem. Vnum distinguitur ab ente ratione negationis, quam addit radicaliter, non tamen formaliter. Sic enim non distinguitur per negationem diuisionis, tanquàm per formam constitutiuam vnius, sed per entitatem indiuisam. Itaq; Ens de formali dicit entitatem vt sic, vnum verò dicit pro formali eandem entitatem, vt indiuisam.

Fundamentum secundum eiusdem opinionis. Si Vnum pro formali, vltra negationem, dicit aliquid, vel illud erit ens, vel aliquid distinctum ab ente. Neutrum dici potest. Ergo &c. Maior patet, & Minor prob. quantùm ad secundam partem, quòd scilicet Vnum, vltra negationem, nihil possit pro formali dicere distinctum ab ente. Tùm quia non ens, seù negatio, & ens contradictoriè opponuntur, vnde inter illa non datur aliquod medium. Tùm etiam, quia si illud pro formali importatum est aliud à negatione, positiuum esse debet, non potest autem esse positiuum rationis, vt ostendimus q. 1. huius disp. Ergo deberet esse positiuum reale, ergo ens, quia positiuũ reale est ens, sicut negatiuum reale est non ens. Nihil ergo potest esse distinctum ab ente, & negatione, quod Vnum pro formali dicat. Quantùm verò ad primam partem, quod scilicet illud, quod Vnum pro formali dicit, non possit esse ipsum ens, probatur. Tùm quia formale significatum Vnius esset idem cum adæquato significato ipsius. Tùm etiam, quia ens quidditatiuè, & formaliter prædicaretur de suis passionibus, quòd rationi passionum repugnat, vt de ipsis subiectum quidditatiuè, & formaliter prædicetur.

Respondetur huic argumento eligendo primam partem dilemmatis, quòd scilicet illud, quod Vnum pro formali dicit, sit ens; & ad probationes in contrarium resp. Ad secundam patet iam ex dictis in disput. præced. q. 1. vbi probauimus, ens formaliter, & quidditatiuè de suis passionibus

præ-

Digitized by Google

prædicari. Ad primam autem respondetur, in his simplicibus non esse necessarium, vt significatum formale, & adæquatum distinguãtur quantùm ad rem significatam, sed sufficit quòd differant quantum ad modum significandi. Vnde in ipsis idem est secundùm rẽ, abstractum, & concretum, v. g. entitas, & ens, Vnitas, & vnum, solumq; ex parte modi significandi differunt.

Fundamentum tertium, prædictæ opinionis: Si Vnum formaliter diceret ipsum ens, sequeretur, quòd omnia, quæ dicuntur de ente, deberent dici de Vno formaliter accepto; Sicut quia album dicit albedinem pro formali, quidquid dicitur de albedine, dicitur, & de albo formaliter sumpto. Ergo cùm de ente dicatur, quòd sit subiectum Passionum, etiam de vno diceretur idem: quod tamen falsum est.

Resp. cum distinctione. Si Vnum diceret pro formali ipsum ens absolutè sumptum, deberent dici omnia de vno formaliter sumpto, quæ dicuntur de ente. Quia verò ens non absolutè, sed ens, vt indiuisum, id est ut connotans, vel vt importans, tanquam modum intrinsecum, indiuisionẽ, est formale significatum *vnius*, non est necesse, vt omnia, quæ dicuntur de ente absolutè, de quorum numero est quòd sit subiectum Passionum, debeant dici etiam de Vno formaliter sumpto.

Alia argumenta huius opinionis vide apud Suarium disp. 4. Metaphis. Sect. 2. Nec non apud nost. P. Andr. à Cruce 1. p. quæst. 11. art. 1. dub. 2.

QVAESTIO IV.

Vtrùm vnum transcendens, & vnum, quod est principium numeri sint idem, necne?

EXplicata natura vnitatis trãscendentalis, restat, vt videamus, quomodo hæc ab vnitate, quæ est principiũ numeri, distinguatur de quo est præcipua difficultas. Sit ergo.

§. 1. *Notationes aliquot pro resolutione quæstionis necessariæ.*

SVpponendum est itaque primò, quòd cum vnitas consequatur Ens in quãtùm indiuisum, quot erunt modi indiuisionis, tot erunt & differentiæ vnitatis. Vnde quia Ens tripliciter potest esse indiuisum, triplex etiam potest esse vnitatis genus. Prima est vnitas transcendens, quæ est Ens indiuisum, in quantùm ens est. Secunda est vnitas formalis, quæ est indiuisio alicuius in formali constitutiuo, & quidditate; de qua agunt fusè nost. Complut. in Log. disp. 3. Tertia est vnitas numerica, quæ est induisio in principijs materialibus, vocaturque hæc vnitas in-

com-

Digitized by Google

communicabilis, cò quòd indiuiduũ sit infimum in gradibus essentialibus, vltra quod non fit communicatio, neque prædicatio in arbore prædicamentali.

Supponendum est secundò, Vnitatem transcendentalem consistere in indiuisione Entis, secundùm quòd Ens est absolutè, non autem in indiuisione Entis, vt præcisi ea præcisione, qua præscindi potest, imperfecta scilicet: Hæc enim vnitas est transcendentalis; ergo omnibus rebus participantibus rationem Entis competere debet. Non competeret autem omnibus, si cõsisteret in indiuisione entis, vt præcisi, quia hæc præcisio solùm est in intellectu, & per contractionem ad inferiora tollitur. Vnde vnitas transcendentalis Entis nihil aliud dicit, quàm quòd in conceptu, & ratione entis, eo modo, quo Ens fuerit, & vbicunque reperitur, ibidem, quantùm ad id, quod est entis, indiuisum reperiatur.

Supponendum est tertiò, quòd licet hæ omnes vnitates, transcendentalis scilicet formalis, & indiuidualis in qualibet re simul inueniantur (de vnitate abstractionis hìc nihil, quia hæc in solo intellectu est) neque distinguantur ex æquo, tanquam vnitas, & vnitas, atque adeò v.g. in Petro, sicut non sunt tres entitates, ita neque tres vnitates, distinguuntur tamen secundùm diuersas habitudines, seu respectus, secundum quos eadem entitas respectu diuersorum, diuerso modo, fit indiuisa, & impartibilis. Et sicut eadem entitas per varios gradus inferiores contrahitur, qui distinctam entitatem non addunt ad superiorem, sed eandem magis, secundum diuersas rationes, explicant, & determinant, ita vnitas transcendentalis per illas consequentes vnitates cõtrahitur, & determinatur quodammodo, in quantùm superaddunt ipsi, seu potiùs explicant in ipsa nouum indiuisionis modum, quem Vnitas transcendentalis ex suo conceptu non explicabat; Vnitas enim transcendẽtalis explicat indiuisionem in ratione Entis, sed non explicat indiuisionẽ in principijs formalibus, vel materialibus, quas indiuisiones, Vnitas formalis, vel numerica explicant. Quod intellige de principijs formalibus, vel materialibus, formalissimè qua talibus, quia cum illa principia sint intrinsecè, & secundùm atomam suam rationem entia, in ipsis, quatenùs entia, indiuisio spectat ad vnitatẽ transcendentalem. Ex quo habes, dictas vnitates à transcendentali non differre; nisi penès implicitum, & explicitum, in quantùm in eadem entitate, cuius indiuisionem in ratione entis explicat vnitas transcendentalis, implicando indiuisiones in proprijs rationibus, siue formalibus, siue materialibus, illæ dictas indiuisiones explicant.

Supponendum est quartò, duplicem esse Vnitatem, quæ est principium numeri, sicut etiam ipse numerus est duplex. Est enim numerus vel transcendentalis, vt cùm di-

dicimus, nouem esse Choros Angelorum, tres esse Personas SS. Trinitatis; vel prædicamētalis, qui est species quātitatis discretæ; ita Vnitas alia est principium numeri trāscēdentalis, alia uerò principiū numeri prædicamentalis. Hic ergo, vt ex terminis patet, quando quærimus, quomodo differat Vnitas transcendentalis ab vnitate, quæ est principium numeri, non quærimus de vnitate, quæ est principium numeri transcendendentalis, (hæc enim est ipsa vnitas transcendentalis, secundùm quòd supra negationem indiuisionis in se superaddit aliam negationem identitatis cum alio, quæ explicatur per esse diuisum ab alio,) sed loquimur de Vnitate prædicamentali, quæ vel est à quantitate, vel est in quantitate.

Supponendum est quintò, quod licet in quantitate, quatenus est ens quoddam, etiam inueniatur vnitas transcendentalis, tamen ibidem inuenitur, & alia quædam vnitas, quæ reductiuè spectat ad quantitatem discretam, tanquam principium vnius speciei ipsius, & ratione cuius quantitas, & hoc habet speciale inter accidentia, vt indiuiduetur quodammodo à seipsa, (de quo vide nost. Salmant. Tomo 1. Curs. Theol. Tract. 1. disp. 2. dub. 2.) & quod alijs omnibus, non quidem vt habita, sed ut præhabita in materia, sit principium indiuiduationis; de quo similiter uide nost. Salmant. Tract. cit. disp. 1. dub. 5. Et hæc Vnitas est, quæ tàm in ipsa quantitate formali; quam in alijs rebus aliorum prædicamentorum ex affectione quātitatis, & denominatione ab ipsa, est principium numeri prædicamentalis, qui est species Quantitatis discretæ. De qua etiam in præsenti quæritur, an, & quomodò ab Vnitate transcendentali distinguatur. Quibus suppositis, sit.

§. 2. *Vera Sententia explicatur.*

Dicendum est ergo, Vnitatem transcendentalem differre ab Vnitate, quæ est principium numeri, penès hoc, quòd illa nihil positiuum addit supra Ens, hæc uerò addit aliquid incompletum, reductiuè pertinens ad prædicamentum Quantitatis. Hæc sententia est Sanct. Thom. pluribus in locis, eamque expressè docuit S. Thom. 1.p. q.11.ar. 1. ad 1. vbi dicit. *Sic igitur dicendum est, quòd Vnum, quod conuertitur cum Ente, non addit aliquam rem supra Ens; Sed Vnum, quod est principium numeri, addit aliquid supra Ens, ad genus quantitatis pertinens.* Vbi, reprobatis opinionibus extremis, quarum vna dicebat, neutram Vnitatem addere aliquid positiuum, alia verò dicebat, vtramque aliquid positiuum addere. S. Doct. media via procedens, talem additionem Vnitati transcendentali negat. Vnitati verò quæ est principium

ge:

numeri cōcedit. Idemq; docet Angelicus Doct. in 1. dist. 24. q. 1. a. 3. vbi dicit. *Vnum, quod conuertitur cum ente, nihil positiuè addit ad id, cui adiungitur &c. Sed illud, quod est principium numeri, petit aliquid additum ad esse, scil. esse mensuræ, cuius ratio primò innititur in Vnitate, & deinde consequenter in alijs numeris, & deinceps in quantitatibus continuis*. Idemque docet S. Doct. Quodl. 10. a. 1. *Respondeo dicendo, quòd Vnum, quod est principium numeri, de necessitate aliquid positiuè dicit in eo, cui attribuitur*. Et in pluribus alijs locis, vt de ipsius mente, quantùm ad hoc, nefas sit dubitare. Ideoque S. Doct. sequuntur communiter eius discipuli, Capreolus in 1. dist. 24. quæst. vnica; Soncin. 4. Metaph. quæst. 25. Sanches l. 5. Log. q. 21. ad 1. Nost. Compl. disp. 13. q. 6. & alij. Eiusdem opinionis fuisse Commentatorē, constat ex 4. Metaph. Comment. 3. vbi dicit, reprobando opinionem Auicennæ. *Existimauit Auicenna, quòd vnum, dictum de omnibus Prædicamentis, est illud Vnũ, quod est principium numerorum, numerus autem est accidens. Vnde opinatus fuit, quòd hoc nomen, Vnum, significaret accidens in entibus*. Et clariùs 10. Metaph. Comment. 5. in fine dicit. *Illi, qui putabant, numeros esse substantias rerum, errauerunt ex hoc, & non distinxerunt inter Vnum, quod est principium numeri, & Vnum, quod est commune ad decem genera, quia licet Vnum, quod est Synonimum enti, dicat substantiam rei, quæ dicitur vna, tamen Vnum, quod est principium numeri, dicit accidens.*

Probatur ratione primò. Vnitas trāscendentalis differt ab vnitate, quæ est principium numeri per id, ratione cuius entia, & res (præter hoc, quòd sunt vnæ transcendentaliter), habent, quòd sint vnæ quantitatiuè. Sed ratione illius incompleti additi reductiuè ad quantitatem pertinentis habent, quòd sint vnæ quantitatiuè. Ergò penes illud incompletum distinguitur vnitas transcendentalis ab vnitate, quæ est principium numeri. Maior patet; ratione enim istius, quòd sint vnæ transcendentaliter, non differt ab ipsis, (dicit enim ipsas entitates rerum cum negatione diuisionis absque aliquo alio) immò nec à quantitate in esse entis sumpta, & prout est vna transcendentaliter. Minor prob. Ratione quantitatis continuæ non habent entia, & res, quòd sint vnæ quantitatiuè. Ergò tantùm ratione illius superadditi incompleti. Consequ. constat, nō est enim aliquid dabile tertium, à quo proueniat illa vnitas quantitatiua. Ant. prob. Quantitas ipsa continua non habet per se ipsam, vt est vna transcendentaliter, seu in esse entis sumpta, quòd sit vna quantitatiuè. Ergò ratione quantitatis non habent res, & entia, quòd sint vnæ quantitatiuæ. Consequentia liquet, quia nemo dat, quod non habet. Antecec. prob. primò. Si quantitas per se ipsam esset vna quantitatiuè, sem-

Digitized by Google

per hoc illi conueniret, (quod enim per seipsum alicui conuenit, semper, & in quouis statu ipsi cõuenit) nec posset deperdi, aut de nouo acquiri illa vnitas. Sed non semper quantitati conuenit esse vnam, quia manente quantitate continua, v. g. in ligno continuo, est vnitas, non numerus, & si diuidatur in partes, deperditur vnitas, & manet numerus: manifestum ergo est, illud incompletum distingui à quantitate ex natura rei, & ante operationem intellectus, cum separatio ab alio sit signum distinctionis. Secũdò prob. Anteced. idem. Si quantitas per seipsam esset vna quantitatiuè, faceret numerum per seipsam. Sed hoc non, quia per seipsam non est pars numeri; solæ autem vnitates, quæ sunt partes numeri, faciunt numerum, quæ est species quantitatis discretæ. Ergò &c.

Prob. Concl. 2. Vnitas, quæ est principium numeri, constituit cum alijs vnitatibus sui generis ens per se ponibile in determinato genere; constituit enim speciẽ quantitatis discretæ, scilicet Numerum, numerus autem prædicamentalis est ens per se. Ergò debet aliquid addere incompletum. Consequentia tenet; nàm si non adderet aliquid incompletum, sed potius completum, iam numerus resultans ex illa vnitate principiante, & alijs vnitatibus, non esset ens per se, sed esset aggregatum per accidens; diceret enim illud additum rationem cõpletam; vnde sicut ideò ex vnitatibus transcendentalibus nõ cõflatur numerus, tanquam ens per se, nec determinati generis, quia vnitas transcendentalis dicit quid completum, cum dicat ipsam entitatem completam rei, & sic ex illis, vt completis, fit ens per accidens, ita quoque si vnitas, quæ est principium numeri, adderet quid completum, esset cum alijs vnitatibus ens per accidens, non ens per se, vt patet.

§. 3. *Argumenta in Contrarium soluuntur.*

PRimum Argumẽtum. Vnitas, quæ est principium numeri, non addit aliquid supra transcendentalem, neque ad lineam absolutam, neque ad relatiuam pertinens. Ergo simpliciter nihil addit positiuum, etiam incompletum. Ergo non distinguuntur. Consequentia patet, quod enim per modum alicuius positiui, etsi incompleti, additur, debet esse, vel absolutum, vel relatiuum. Anteced. quoad primum prob. quòd non ad lineam absolutã, quia hoc deberet esse de linea ipsius quantitatis, nam alterius prædicamenti esse non potest; si sic; ergo cum non possit esse aliquid de quantitate discreta (vnitas enim potiùs dicit indiuisionem) erit de quantitate continua; ergò cum hæc importetur de materiali, addet solam negationem, non aliquid positiuum. Quoad secundum; quòd scilicet non pertineat ad lineam

neam relatiuã, prob. quia priùs est quantitas vna, quam intelligatur in illa relatio, præcipuè quia vnitas quantitatis est ratio fundandi talem relationem. Ergo. &c.

Resp. neg. Anteced. addit enim aliquid ex linea absoluta per modum alicuius incompleti. Ad probat. Resp. dicendo, illud incompletum esse de quantitate discreta, cum sit pars numeri. Ad probat. Vnitas dicit indiuisionem, disting. secundum se sumpta. Concedo; in ratione principij numeri, & vt pars numeri; nego: & sic nihil contra nos.

Secundum argumentum. Vnitas, quæ est principium numeri, non addit aliquid distinctum supra vnitatem quantitatis continuæ, consequenter nec supra ipsam quantitatem continuam. Ergo neq; supra vnitatem trascendentalem. Consequentia constat; ideò enim deberet addere, vt illa vnitas quantitatis sit pars, & numerentur quantitates; iam verò quantitates per se ipsas v. g. sunt duæ absque addito, sicut duæ qualitates, aut substantiæ sunt duæ per seipsas absque superaddita aliqua realitate. Ant. prob. Quantitas cõtinua per seipsam est vna, non per aliud, quia si per aliud; quæro de illo alio, per quid illud aliud est vnum? & sic, vel dabitur processus in infinitum, vel debet dici, quantitatem continuam esse per seipsam vnam. Ergo, &c.

Resp. neg. Anteced. Ad probat. resp. sub distinctione, quantitatẽ esse per se ipsam vnam transcendentaliter, non quantitatiuè, sit enim sic vna, & pars numeri ratione illius additi incompleti, quod est quid indiuisibile, quodq; sic se habet, sicut punctum respectu magnitudinis. Ad probat. negatur, dari processum in infinitum, sistitur enim in illo incompleto, illud enim indiuisibile est se ipso vnum, estque essentialiter ipsa Vnitas, & vt *Quo* quamuis, vt *Quod*, sit vna transcendentaliter: Vnde sicut relatio quia essentialiter est relatio, seipsa refertur, non media aliqua alia relatione, & actio, quia est essentialiter actio, seipsa fit, & non media alia actione distincta, ita & illud incompletum seipso est vnũ, non per aliud, quia essentialiter est vnitas. Alia argumenta, si quæ possunt afferri, facilè solui possunt ex suppositionibus.

DISPVTATIO SEXTA.

De Vero.

Absoluta prima Passione entis, scilicet, *Vno*, ad secundam, quæ est, *Verum*, descendimus explicandam. Et quia iuxta Nazarium hic 1. p. q. 16. Superfluum est quætere de an est Veritatis: (nam Veritatem esse, est notum per se teste ipsomet Doct. Angel. 1. p. q. 2. a. 1. ad 3. ideò omissa Quæstione de an est, aggredimur Quæstionem de Quid est Veritatis. Cùm autem Veritas sit duplex; Vna

transcendentalis, quæ in essendo, seù entitatiua dicitur; Altera formalis, quæ in cognoscendo nominatur, priùs agemus de Veritate transcendentali, vtpotè priori, & perfectiori, à qua regulatur formalis, acturi postea de formali Veritate. Sit Ergo.

QVAESTIO I.

Quid pro formali dicit Veritas Transcendentalis.

SVpponendum est primò, titulum Quæstionis ab alijs sic proponi: Vtrùm veritas transcendentalis addat aliquid supra rationem entis? & quid sit illud? sed in idem redit. Est enim sensus quæstionis; In quo consistit formaliter Veritas, vt est Passio entis? seù addit nè aliquid distinctũ conceptus veri supra conceptum entis?& si addit, est nè illud constitutiuum Veritatis trascendentalis? Et ideò consultò positum in titulo Quæstionis *Ly* pro formali, vt innuamus, nos non loqui in sensu identico; certum enim est de materiali, & idēticè *Verum* nō addere aliquid supra Ens, sed idētificari cum illo, formaliterque sic Veritas includit entitatem, & è conuerso. Tantùm igitur currit difficultas de *Vero*, & *Ente*, prout concipiuntur sub diuersis connotationibus, & vt sunt conceptus distincti, prout scil. sub vna connotatione exprimitur entitas in vno conceptu, sub qua non exprimitur in altero, nam inter transcendentia (& hoc notandum est) quæ se ad inuicem imbibunt, non potest se alio modo formari distinctio, nisi per habitudines, seù connotationes, & respectus diuersimodè exprimentes, docente id S.Tho. q.1. de Verit. a. 4. in fine corp. & a.8. in corp. Igitur quærimus, quid dicit Veritas transcendentalis? an illud, quod exprimit, seù connotat, distinguat ipsam, & constituat in ratione Passionis?

Supponendũ secundo. Veritatē transcendentalem dupliciter considerari; primò, vt est quid causatum realiter, participatumq; à Veritate diuina. Secundò, vt est quid perfectiuũ intellectus creati, moueteque illud ad cognitionem sui. Iuxta primam considerationem connotat, & respicit intellectum diuinum, seù potiùs Idæas diuinas, à quibus causatur, regulatur, & mensuratur; Ideæ enim, & veritas diuina respectu intellectus creati, & veritatis creatæ sunt prima regula, & mensura, non tamen respectu diuini intellectus, nàm in Deo Veritas non est per adæquationem ad aliquid, sed per identitatem cum Intellectu, & intelligere diuino. Iuxta secundam considerationem connotat, & respicit intellectum creatum perficiēdum, estque respectu ipsius mensura, atque perfectio, tanqnam obiectum ipsius, vnde etiam vocatur, (retinendo nomen transcendentalis ex defectu nominum) veritas obiectiua, & fundamentalis, quia sic considerata, est fundamentum veritatis

Digitized by Google

ritatis formalis, nec debent confundi istæ veritates, sed, iuxta imperfectum nostrum modum côcipiendi, distinguendæ, Vide S. Tho. q.1. de verit. a.2. in corp. & a.6.

Supponendum tertiò, falsum esse, Veritatem transcendentalem consistere in denominatione extrinseca proueniente à veritate formali, vt aliqui autumât. Primò, quia veritas causatur realiter ab Idæis, & ex vi respectus ad illas habet intrinsecam realitatem, in qua consistit. Denominationi auautem extrinsecæ non conuenit reali causatione causari. Secundò Quomodò enim denominatio illa constituet veritatem in ratione talis, si antecedit veritatem formalem? estque ante hanc constituta in ratione transcendentalis per respectum ad Idæas, tanquam principia, & causas sui? Non obstante igitur hac sententia Vasquezij, & aliorum dicentium, veritatē importare aliquid extrinsecum.

Dicendum est primò, quòd veritas transcendentalis dicat pro formali duos respectus, vnum primarium ad Intellectum Diuinum, vt idæantem, seu ad Idæas Diuinas. Alterum secundarium ad Intellectum creatum, consistitque in isto duplici respectu formaliter.

Probatur Côclusio quoad vtrâque partem. Primò Authorit. S. Tho. 1. de Verit. A. 2. in C. vbi sic dicit: *Res naturalis inter duos Intellectus cōstituta secundùm adæquationem ad vtrumque vera dicitur, secundùm enim adæquationem ad Intellectum Diuinum dicitur, in quantùm implet hoc, ad quod est ordinata per Intellectum Diuinum; secundùm autem adæquationem ad intellectum humanum dicitur res vera, in quantùm nata est de se formare veram æstimationem.* Idem ibidem ait 14. in fine Corp. & A. 6. *Res dicitur vera per comparationem ad Intellectum Diuinum, & humanum &c.* cùmque intelligatur S. Doctor loqui de Intellectu Diuino, vt idæante, & intellectu humano, vt mensurato à Veritate, sequitur, Veritatem transcendentalem dicere pro formali primariò respectum ad Idæas, secundariò respectum ad Intellectum creatum.

Probatur deinde ratione. Illud dicit primariò pro formali Veritas transcendentalis, quod est de primario conceptu illius (loquimur enim de Veritate in sensu formali, secundùm conceptum, quem exprimit, distinctum à conceptu Entis expresso, vt ex primo supposito constat), Sed respectus ad Intellectum Diuinum idæantem, seu Idæas ipsas, est de primario conceptu Veritatis transcendentalis, respectus verò ad intellectum creatum est de secundario conceptu eiusdem. Ergo veritas dicet formaliter vtrûq; respectum. Maior patet. Minor probatur. Veritas, vt in suppositione secunda dictum est, duos conceptus habet; Vnum, quòd sit entitas dependens in ratione adæquationis ab Idæis diuinis, seù quòd sit

Veri-

Veritas participata à Veritate diuina. Alterum, quòd perficiat intellectum creatum. Sed ille prior conceptus est primarius Veritatis, est enim principaliter cōstitutiuus Veritatis transcendentalis in ratione talis, siquidē per participationem ab Idæis, & per respectum ad illam primam Veritatem, velut ad suum principium reale, primariò habet esse in se; Alter autem conceptus est secundarius, est enim consecutiuus veritatem iam constitutam in se per illam habitudinem ad Idæas. Ergo rectè sequitur, respectus illos esse de primariò conceptu veritatis, priorem principaliter, alterum secundariò, & consecutiuè; Prius enim intelligitur in aliquo, quòd causetur in se, & perficiatur in se, quàm quòd causet, & perficiat aliud; Sicut in ente creato, vt tali, prius est, quòd constituatur in ratione talis per participationem à Deo, posteriùs autem, & consecutiuè, quòd ab illo ente creato deriuetur aliud ens creatum, vel perficiat aliud; Sic igitur in præsenti, priùs est in veritate, quod illa constituatur in se, vel conformetur Idæis, tanquā suo principio, & exemplari, quàm quòd habeat rationem obiecti, & perfectiui, vel fundamenti: cum hoc tamen stat, quòd respectu veritatis formalis eadem Veritas trascendentalis sit prior, vt obiectum intellectus, & vt fundamentū veritatis formalis, & ideò sortitur nomina obiectiuæ, & fundamentalis Veritatis, quæ omnia dicunt quid intrinsecum, non extrinsecam denominationem in Veritate.

Dicendum secundò respectum illum primariū in Veritate transcendentali esse realem, secundarium autem esse rationis.

Prima pars patet: Habet enim omnia requisita, vt sit realis, nam fundamentum est reale, ipsa scilicet realis participatio ab Idæis diuinis, & adæquatio cum ipsis: Terminus quoque realis, & realiter existens, scilicet Deus, Idææ, Veritas diuina: Subiectum similiter reale, scilicet ipsa entitas Creaturæ, quæ realis est. Ergo &c.

Secunda pars Conclus. sc. quòd sit rationis, etiam patet; Veritas enim transcendentalis habet se, vt obiectum, & mensura, iam autē intellectus humanus habet se, vt potentia, & mensuratum. Sed inter mensuram, & mensuratum, obiectum, & potentiam (cùm non sit mutua relatio) ex parte obiecti, & mensuræ, est relatio rationis, quamuis ex parte mensurati, & potentiæ sit realis. Ergo &c.

Si autem inquiras: An iste respectus in Veritate debeat esse semper actualis? Respondetur facilè cum distinctione, respectū illum Primarium, qui est ad intellectū Diuinum, seu Idæas, debere esse semper actualē, semper enim Veritas, sicut & Entitas, actu pendet, & participatur à Veritate Diuina, seu Idæis, non autē in potentia, nisi desinat esse: Respectus autē, & habitudo ad Intellectum humanū non debet esse actualis,

sed

ſed ſufficit, quòd ſit aptitudinalis, non enim ſemper debet actu mouere intellectum creatum veritas ad ſui cognitionem, nec sẽper actu cognoſci; hoc enim pendet ab Intellectu Diuino. Vnde ſi Deus tolleret omnes intellectus creatos, & relinqueret creaturas ſine hoc, quòd actu mouerent, adhuc illæ Creaturæ haberẽt Veritatem, eſſentque veræ. Sufficit ergò ad Veritatem tranſcendentalem, quòd poſſit mouere,& non actu moueat, conſequẽter quòd ſit quid perfectiuum, quamuis non actu perficiens. Sic S. Thomas quæſt.1. de verit. a.2. ad 4. dicens. *In definitione rei veræ poteſt poni viſio in actu Intellectus Diuini, non autem viſio Intellectus humani, niſi in potentia.*

Diluuntur Argumenta oppoſitæ Sententiæ.

PRimum ex authorit. Philoſ. & D. Tho: Ariſtoteles 6. Metaphiſ. cap.2. text. 8. dicit, *Verum, & falſum non eſſe in rebus, ſed in mente.* Deinde D.Tho. 1. p. q.16. ar. 1. & 1. de verit. ar.2. comparat veritatem ſanitati. Sicut ergo ſanitas non dicit quid intrinſecum in rebus, v.g. in cibo, ſed tantùm eſt extrinſecè ex eo, quòd cauſet ſanitatem, ſic Veritas. Ergo cùm reſpectus illi ſint quid intrinſecum, non dicet illos Veritas pro formali.

Reſp. primò ad authoritatem Philoſophi, intelligendum eſſe Ariſtotelem de Veritate formali, non tranſcendentali, vt explicat Doctor Angel. 1. Periherm. lect.3. ibi: *Veritas in aliquibus inuenitur dupliciter, &c.*

Secundò ad authorit. S. Thom. reſp. S. Doctorem comparare ibi Veritatem formalem, non tranſcendentalem; & ſic nihil contra nos, immò ex iſta authorit. poteſt colligi, veritatem tranſcendentalem eſſe intrinſecè in rebus; nàm cùm hoc, quòd Veritas formalis ſit intrinſecè in intellectu, & denominatiuè in rebus, optimè ſaluatur ratio intrinſecitatis Veritatis in rebus, veritas enim habet ſe per modum analogi attributionis, & ſic dicitur de alijs veritatibus: iam autem in analogis attributionis hoc, quòd ratio analogi ſit intrinſecè in vno, & per denominationem extrinſecam in alijs, non impedit, quominùs analogata minùs principalia dicant aliquid intrinſecum, ratione cuius denominẽtur ſimul intrinſecè, reſpiciantque principale analogatum. Sicut ergo ſanitas, quamuis ſit intrinſecè in animali, & denominatiuè in cibo, &c. poteſt tamen cibus denominari intrinſecè ſanus (quamuis non ſit in illo ſanitas formalis) ratione illius qualitatis ſanatiuæ in ſe intrinſecè inuentæ, & ſic intrinſecè eſt fundamentum, & cauſa ſanitatis formalis, conſequenter eſt in cibo ſanitas cauſatiua: Sic de Veritate diſcurre. Clarè id habet Doct. Angel. 1. de Verit. a.4. ibi; *Denominantur autem res veræ à Ve-*

Veritate, quæ est in Intellectu Diuino, vel in intellectu humano, &c.

Secundum argumentum. Respectus iste, & habitudo ad intellectum non additur supra Ens. Ergo non dicet illum pro formali Veritas. Consequentia patet: illud enim dicit pro formali, quòd superadditur, vt quid distinctum, ad rationem passionis Entis pertinens. Antecedens autem probatur. Illud additur supra Ens, quod est distinctum ab entitate. Sed respectus ille non est distinctus, nihil enim est aliud, nisi dependentia realis fundata in reali causatione Idæarum, hoc autem pertinet ad entitatem, & realitatem. Ergo, &c.

Resp. disting. non addit per modum constitutiui formalis; cōcedo. Non addit per modum alicuius connotati, aut modi requisiti ad distinguendum in ratione passionis; nego. Cùm enim formale constitutiuū Veritatis transcendentalis debeat esse transcendentale, atque reale, etiam passio eius realis erit, non aliquid rationis, aliàs nihil esset in re, aut fictum, & sic non posset esse passio; passio enim, quæ est nihil, non potest esse passio.

Tertium argumentum. Si Veritas diceret pro formali prædictū respectum, vbicunque inueniretur, diceret hunc respectum. Sed hoc est falsum. Ergo, &c. Sequela constat, quia est de intrinseca ratione eius. Minoris falsitas suadetur, quia inuenitur in Deo, & tamen non dicit istam habitudinem ad intellectum, quia nulla dependentia est ibi.

Resp. dist. sequelam, si inueniretur sub adæquato conceptu Veritatis per regulationem, concedo; Si non; nego: Et sic inuenitur in Deo veritas ista, sed non sub conceptu regulationis, aut mensurationis, non supponit enim aliquid mensurabile, v.g. Intellectum Diuinum, sed sub conceptu veritatis per identitatem cum Intellectu, & intelligere Diuino. Et sic dispar ratio; quamuis posset dici, non esse inconueniens, inueniri vbique sub conceptu abstrahentis à creata, & increata.

Quartum argumentum. Respectus ad Intellectum Diuinum nō constituit in se Veritatem. Ergo Veritas non dicet saltim istum respectum pro formali. Consequentia patet, quia aliàs pertineret ad constitutiuum veritatis. Anteced. probatur. Respectus ad Intellectum Diuinum supponit Veritatem iam in se constitutam, fundatur enim in veritate, quia fundatur in entitate creata, vt dependenti, & causata ab his potiùs, quàm ab alijs Idæis, quod infert ipsam Veritatem transcendentalem. Ergo, &c.

Resp. negando anteced. ad probat. resp. disting. fundatur in veritate, tanquam in fundamento relationis prædicamentalis; nego; tanquam in fundamento relationis transcendentalis, concedo. Tale autem fundamentum non præsupponit entitatem priorem, super quam fundetur, sed

se:

relatio transcendẽtalis per seipsã respicit, & ordinatur ad aliam ex sua intima entitate. Et hoc manifestum est in pluribus exemplis, v.g. Materia per suam entitatem respicit relatione transcendentali formam, forma materiam, potentia obiectum, &c.

Quintum argumentum. Natura veritatis transcendentalis sufficienter potest explicari per definitionem rei, vel per prædicata quidditatiua, vel per accidentia cum negatione falsi. Ergò Veritas dicet pro formali ista, vel aliquid horum. Consequentia sequitur; quod enim sufficienter explicat naturam alicuius, de formali importatur. Antecedẽs patet. Cui enim conuenit definitio auri, aut prædicata quidditatiua, & accidentia auri, v. g. color, fulgor, pondus, soliditas, conuenit quoque veritas auri. Ergo &c.

Resp. distingu. Potest explicari inadæquatè, & imperfectè; Cõcedo, adæquatè, nego. Sine connotatione enim ad suam idæam, & ad suum principium originale non intelligitur veritas in auro, & sic nec enumerata possunt constituere veritatem rei, sed supponunt constitutam. In primis enim Accidentia, & proprietates supponunt essentiam, vt veram, à qua dimanant, & pendent in sua veritate: Veritas quoque prædicatorum, & definitionis non possunt mensurare essentiam rei; nihil enim potest esse mensura sui; veritas autem debet sumi penès mensuram aliquam. Supponunt ergo prædicata essentiam veram, veritas autem essentiæ supponet Veritatem primam, tanquam primam regulam, & mensuram; Negatio quoq; falsi, & ficti non constituit veritatem, sed consequitur illam, & supponit in ratione talis, quod enim est verum non est falsum, sicut quod non est tenebrosum, est lucidum, & tamen lucidum non constituitur per negationem tenebrosi; sic quod non est falsum, est verum, non tamen per illud constituitur. Præcipuè, quia cùm negatio falsi fundetur in aliquo positiuo, & sequatur ad illud, veritas autem sit quid positiuum, non constituet illam, sed supponet.

Sextum argumentum. Falsitas rerum non dicit formaliter respectum inadæquationis ad intellectum Diuinum, & Idæas. Ergo neque Veritas dicet respectũ adæquationis. Consequentia liquet: Falsitas enim, & Veritas contrariantur sibi: Iam autem contrariorum eadem ratio esse debet. Anteced. patet, quia iste respectus inadæquationis solùm potest esse ad intellectum creatum, resque possunt esse tantùm falsæ per ordinem ad intellectum creatum, non per ordinem ad Diuinum, & Idæas, non enim res deficiunt ab Idæis, quæ est prima regula idæatorum. Idæa namque Diuina est indefectibilis, & infallibilis. Ergo.

Resp. Concesso antecedenti, neg. Consequentiam: Ad probat. resp. Falsitatem non contrariari

Veritati adæquatè, & ex omni parte, sed solum, prout fundat respectum ad intellectum nostrū. Ad aliam probat. resp. Contrariorum eadem est ratio, seu contraria debent esse circa idem; disting. quando sunt contraria adæquatè omnimodè, & secundùm omnem respectum, concedo, quādo sunt contraria secundùm vnū respectum, & non secundùm aliū, nego. Et sic veritati est falsitas contraria ex parte solum ad intellectum creatum, non sub respectu ad Idæas, quia sic non est capacitas ad falsitatem; Idæa enim nec falli, nec inadæquari potest, & ideò nec res habent deficientiam in Intellectu Diuino; sub secundo autem respectu ad Intellectum creatum, quia hic est fallibilis, & deceptibilis à rebus, à quibus mouetur, potest dari falsitas; potest enim Obiectum falsò mensurare intellectum humanum, habendo occasionem ratione similitudinis cum vero. Vnde falsitas erit formaliter in intellectu, occasionaliter in rebus, quatenùs præbent occasionem fallendi, & decipiendi.

Instabis. Res deficiunt frequēter ab eo, quod sibi debetur, v.g. homo gibbosus, cæcus, aqua calida, lapis sursum, &c. sed deficientia ista non potest esse sine deficientia ab ordine ad Idæas. Ergò deficiūt ab Idæis. Subsumo. Sed hoc infert falsitatē in rebus. Ergò res dicentur falsæ per ordinem ad Idæas.

Resp. disting. quod sibi debetur ex essentialibus, nego, ex accidentalibus, concedo; & sic enumerata deficiunt per variationē accidentium, non amittendo essentiam, & adæquantur imperfectè Ideæ suæ quidditatis, vel alteri Ideæ aliorum accidentium non debitorum, & sic non infertur falsitas in rebus. Atque hinc vniuersaliter inferimus, nullam rem posse esse falsam per ordinem ad Idæam Diuinam, præter actus voluntarios peccaminosos, quatenùs reduplicatiuè tales sunt, & dicunt deficiētiā moralem à Deo, vt fine, & regula moralitatis, sicque actus peccaminosus, & difformis, quoad formale, non habet Idæam, nisi quoad materiale, ratione cuius disparatè se habet ad falsitatem moralem, quia ad se non pertinet illud formale; sicut v.g. argentum non dicitur falsò adæquari Ideæ auri, vel homo Ideæ æqui, quia ad se non pertinent illæ Ideæ; sic in præsenti discurre.

Aduerte in fine pro concordia locorum S. Thomæ, & solutione aliquarum authoritatum ex ipso. Quando S.Doct. dicit, Veritatem transcendentalem aliquando esse aliquid intrinsecum, vel reale, loquitur de veritate iuxta priorem habitudinem (de qua in supposito secundo dictum) scilicet ad Idæas. Quando autem vocat aliquid rationis, vel tale aliquid addere supra ens, loquitur iuxta secundam habitudinem, scil. ad intellectum humanum. Sub prima habitudine præcisè nunquàm intel-

Digitized by Google

telligitur addere supra ens; dicit enim ipsam entitatem, vt dependentem à Deo, sed tunc incipit addere aliquid ratio is, quando incipit connotare secundam habitudinem, ac proinde addere supra ens, non pro illa parte præcisè, quæ dicit perfectionem veritatis in se per passiuam adæquationem, & regulationem sui ad Idęas diuinas, sed pro illa parte, iuxta quam est perfectiuum intellectus creati; sic enim non reali habitune, & dependentia, sed rationis, habet se ad intellectum creatum. Et per hoc plura possunt solui argumenta.

QVAESTIO II.

In quo consistit Veritas formalis?

VEritatem transdendētalem, vtpotè priorem, sequitur Veritas formalis, cuius quidditas in præsenti examinanda est, quænam sit, vel in quo consistat? An scilicet in conformitate conceptus formalis, seù actus iudicij cum obiecto, in re, an in conformitate conceptus obiectiui cū ipso obiecto in re? Pro cuius intellectione.

Supponendum est, duplicem esse Cōceptum, formalem, & obiectiuum. Obiectiuus est ipsa res concepta, & attacta per cognitionem, seù ipsum obiectum, vt conceptum, & cognitum, ita quòd *Ly*, cognitum, sit denominatio extrinseca proueniens ex cognitione. Formalis est ipse actus intellectus, & cognitio attingens rem, seù ipsa repræsentatio expressa attingens obiectum. De his ergo est difficultas in præsenti, in quo cōceptu veritas formalis consistat. Sententia. Durandi est 2. distinct. 19. q. 5. n. 13. Vasquesij 1. p. dispur. 76. cap. 1. & aliorum tenentium, Veritatem istam consistere in conformitate conceptus obiectiui cū seipso, vt est in re. His tamen non obstantibus,

Dicendum, Veritatem formalem consistere in conformitate, & adæquatione conceptus formalis, scilicet iudicij cum obiecto in re. Sic S. Thomas 1. p. q. 16. a. 2. & q. 1. de Verit. a. 3. vbi veritatem istam attribuit compositioni, & diuisioni, seù iudicio intellectus. Sequuntur Doct. Angel. communiter Thomistæ.

Probatur Concl. primò ex S. Tho. In illo conceptu consistit Veritas formalis, cuius beneficio redditur intellectus cognoscēs, & iudicans verum. Sed beneficio cōceptus formalis redditur, & constituitur in ratione cognoscentis, iudicantisque verum. Ergo, &c. Maior patet. ex S. Tho. qui attribuit veritatem formalem intellectui, quatenùs est cognoscens verum per compositionem, & diuisionem, seù iudicium. Minor probatur. Ratione enim conceptus obiectiui consurgit potiùs denominatio cogniti passiuè, quàm constitutio cognoscentis actiuè, vt consideranti patet. Ergo &c.

Probatur secundò. In illo consistit veritas formalis, quod in ipsa priùs, & formaliùs concipitur; per priora enim fit constitutio alicuius. Sed conformitas conceptus formalis cum obiecto in re, prior intelligitur esse, quàm conformitas conceptus obiectiuè in re, vt est in se à parte rei. Ergo &c. Minor prob. Vt sit cõformitas prior aliquorum, debet vnum illorum altero esse prius; conformitas enim fit per cõparationem vnius ad aliud, & sic priùs debent comparari quoad prioritatem in ratione taliũ in esse rei, quàm quoad prioritatem in ratione conformium, hæc enim sequitur rem. Sed conceptus formalis est prior obiectiuo. Ergo, & conformitas conceptus formalis conformitate cõceptus obiectiui. Minor patet ex suppositione: conceptus enim obiectiuus est ipsum obiectum, vt conceptum, vt cognitum, seù vt attactum, & consequenter sub statu denominationis concepti, cogniti, &c. Ergo & posterior conceptu formali, & supponit conformitatem conceptus formalis cum re, quæ dicitur concepta, cognita; si enim conceptus formalis, & cognitio non esset conformis rei, neque etiam obiectiuus, (qui, in quantum talis, à formali denominatur) conformis, & adæquatus esset, vt patet, prout talis. Ergo &c.

Confirmatur explicando magis. Quando dicis, veritatem formalem consistere in conformitate inter conceptum obiectiuum, & rem; vel conceptum obiectiuum sumis, vt est entitas, & res quædã, & in esse rei, vel, vt est quid cognitum, & obiectum, & sic in esse cogniti, seù vt est in statu denominationis cogniti. Si dices primum, Ergo iam non potest ibi esse aliqua conformitas; hæc enim fieri debet per comparationem vnius ad aliud; quæ comparatio in præsenti locum non habet, siquidem conceptus obiectiuus, in esse rei, non est aliud quid ab obiectiuo in esse obiectiui, & cogniti, sed ille est idem cum seipso sub statu denominationis, ac consequenter inter illos est vnitas, identitas; vbi autem est identitas, comparationi, & conformitati non patet locus. Si autem secundum dicas: Ergo cùm denominatio cogniti supponat cognitionem, quæ est conceptus formalis, in hoc, non autem in illo, vt conformi cum re, consistet veritas formalis.

Argumenta in contrarium oppositæ sententiæ.

PRrimum argum. ex authorit. S. Thomæ, qui lib. cont. Gent. cap. 59. dicit. *Veritas in intellectu* (loquitur de formali) *pertinet ad id, quod intellectus dicit, non ad operationem, qua id dicit.* Ergo sentit, consistere in illo, *quod dicit.* Sed hoc, quod dicitur, est conceptus obiectiuus, conceptus autem formalis est operatio, qua id dicit. Ergo &c.

Deinde expressius idem S. D. Opusc,

Opusc.48. Tract.de Enuntiatione cap.4. dicit. *Quando res, quæ est in intellectu obiectiuè, est conformis sibi ipsi ut est in rerum natura, tunc talis conformitas dicitur Veritas.* Ergo &c.

Resp. ad primam authorit., sensum esse verborum, cùm dicitur, *non pertinet ad operationem*, si consideretur in operatione entitas, non verò ratio cognitionis, & Iudicij. Non potest enim esse adæquatio quoad entitatem, quia entitas operationis semper est spiritualis, & intentionalis, entitas autem rei potest esse materialis. Quòd autem iste sensus sit Sanct. Thomæ, patet ex eius verbis ibi: *Veritas non pertinet ad operationem intellectus, quia non exigitur, quòd ipsum intelligere rei adæquetur, cum res interdùm sit materialis, intelligere non materiale.*

Instabis S. Tho. ibi subdit: Illud, quod intellectus dicit, & cognoscit, *oportet rei esse æquatum*. Ergo intelligit de conceptu obiectiuo.

Resp., quòd debet intelligi æquatum ratione cognitionis, seu dictionis exprimentis, non ratione solùm rei expressæ, & cognitæ.

Vrgebis. Ergo inde sequetur, in intellectu Diuino non esse veritatem, quamuis enim intelligat, & dicat compositionem, & diuisionem, non tamen est ibi compositio, vel diuisio quoad rem, nec erit intellectus iudicans.

Resp. neg. illatum. Ad probat. resp., non esse ibi compositionē, vel diuisionem inuolutam imperfectionibus, & formaliter, esse tamen eminenter, estque ille intellectus simplicissimus cōpositiuus virtualiter; Vnde non requiritur ad veritatem adæquatio cum entitate conceptus, sed conformitas cognitionis exprimentis, & iudicij.

Ad secundam authorit. resp. S. Doctorem in illo testimonio non esse locutum assertiuè, sed opinatiuè, referendo tantùm duas opiniones in hac materia, nec erat ibi locus determinandi, logicè enim tunc, non metaphysicè S. Doct. discurrebat.

Secundum argumentum. In illo consistit Veritas formalis, quòd est medium, in quo vniuntur intellectus, & obiectum ad extra; Veritas enim formalis est adæquatio intellectus ad rem. Sed in cōceptu obiectiuo vniuntur, nam vniuntur in esse repræsentatiuo, quod ibi solùm mediat; quando autem res, & obiectum repræsentantur, vt sunt in se, tùnc est vnio, & adæquatio, consequenter est conceptus obiectiuus; hic enim est, cum est res repræsentata in intellectu. Ergo, &c.

Resp. disting. maiorem. In illo consistit Veritas, in quo vniuntur, tanquam in medio; in medio, inquam, adæquationis, seu quo fiat adæquatio, seu in ratione formali habendi adæquationem, cōcedo; tanquam in aliquo subiecto, nego. Esse autem repræsentatiuum, & obiectiuum non est tale medium, in quo intellectus, &

Digitized by Google

res, vt est in se, vniantur, vt ratione formali; res enim representata supponit conceptum representantem, & id quod formaliter representat, consequenter ipsam representationem, à qua dicitur representata, & sic supponet quoque conceptum formalem, qui per se est representatio, & per seipsum habet, quòd adæquetur, & correspondeat rei representatæ.

Instabis. Veritas formalis, quæ est in intellectu, desumitur ab obiecto, in obiecto enim est veritas entitatiuè, & fundamentaliter, & inde etiam vocatur Veritas transcendentalis obiectiua, vel fundamentalis. Ergo debet transire per esse obiectiuum ad intellectum. Ergo cum inter esse obiectiuum, & esse reale, quod habet res ad extra, debeat esse conformitas, sequitur, quòd esse obiectiuum erit, vt medium, quo intellectus sumit veritatem à rebus. Ergo vnietur in medio, &c.

Resp. negando primam Consequent., transit enim ad intellectum mediante specie representante, qua intellectus fœcundatus elicit cognitionem, resultatque statim hinc in re obiecta denominatio esse obiectiui, seu cogniti, hoc autem non est medium, sed denominatio consecuta, & per modum effectus relicta.



QVAESTIO III.

Vtrùm veritas formalis supra actum intellectus, quem dicit, addat aliquã rationem absolutam, vel relatiuam.

Absolutè de quocunque actu intellectus formaliter pertinente ad veritatem formalem, non nòminando illum, quærimus quid est illud, quod ipsi additur? estne ratio absoluta, vel relatiua? Certum enim est, addi ipsi aliquid, nam quando actus transit de vero in falsum, est aliquid præter actum, v. g. cùm oratio transit de vera in falsam, est aliquid præter orationem; de hoc igitur difficultas mouetur, quid est illud, quod mutatur, & variatur in actu; estne entitas absoluta, vel aliquid respectiuum formaliter? Aliqui tenent, esse entitatem absolutam, sicut Soncin. 6. Metaphis. quæst. 17. Aliqui autem dicunt, esse quid relatiuum, sed transcendentale, aut secundum dici, vt Suarez, & alij.

Dicendum est, Veritatem formalem supra actum intellectus non addere, nec dicere aliquam rationem absolutam, vel relationem secundum dici, seu transcendentalem, sed solam relationem secundum esse. Ita Doctor Angelicus 1. dist. 19. q. 5. a. 3. ad 5. dicens. *In propositione, vt est signum*

talis

talis rei, Veritas est per adæquationem ad rem illam: mutata autem re tollitur adæquatio signi ad signatũ sine mutatione ipsius signi; quod manifestum est, in relationibus posse contingere, vnde veritas enuntiationis non manet. Vbi, vt patet, S. Tho. dicit, veritatem propositionis mutari ad mutationem obiecti, quod solis relationibus secundùm esse contingit, nam relationes secundùm dici, vel transcendentales non mutantur ad mutationem obiecti, sed subiecti, manent enim, obiecto non existente. Ergo, &c.

Hoc idem colligitur ex eodem S. Doct. quæst. 16. artic. 8. vbi comparat Veritatem propositionis similitudini, similitudo autem est relatio secundùm esse, & prædicamentalis.

Probatur deinde Concl. ratione. Veritas formalis dicit aliquã relationem, seu respectum; Sed non transcendentalem, vel secundùm dici. Ergò secundùm esse. Maior etiam ab ipsis Aduersarijs conceditur, quamuis enim Soncinnas teneat, esse quid absolutum, non tamen ita facit indepẽdentem, vt ab omni respectu sit libera, sed dicit, veritatem esse relationem secundùm dici. Minor prob. Veritas formalis variatur, & mutatur per solam mutationẽ obiecti, seu termini, vt patet in veritate orationis, dum transit de vera in falsam; dum enim affirmo, Petrum sedere, ipso sedente, est vera, si autem surgat, est falsa oratio. Sed quæ dicunt relationem transcendentalem, vel secundùm dici, non variantur, aut mutantur ad mutationem obiecti, seu termini, manent enim, quamuis non existat obiectum, aut desinat terminus, seu illud extrinsecum, quod respiciunt, vt patet in sciẽtia, potentia, materia, forma, & alijs, quæ dicunt respectum transcendentalem; talia enim relatiua in re sunt ipsa entitas absoluta, vt dependens ab aliquo extrinseco, vel ordinata ad illud. Ergo &c.

Probatur secundò. Illud addit veritas formalis supra actum intellectus, v. g. iudicij, quod variatur, & aduenit actui, inuariato manente actu quoad entitatem. Sed sola relatio secundùm esse variatur, & aduenit actui, inuariato actu, v. g. iudicij. Ergò &c. Maior patet ex doctrina communi, etiam Aduersariorum. Minor probatur. Quæcunque enim ratio absoluta, siue quoad entitatem, siue quoad modum, aduenire concipiatur, non potest intelligi aduenire, inuariato actu, v. g. iudicij, debet enim aduenire vitaliter, & per nouam elicientiam actus, & cum non adueniat ad actum, vt ad rem inanimem, illa elicientia variari debet, vtpotè per diuersã saltim numero emanationem procedens, consequenter variabitur actus iudicij; quod est contra rationem veritatis iudicij. Relatio autem secundùm esse aduenire potest, & resultare in actu vitali sine noua elicientia vitali, per solam mutationem termini, quem respicit. Ergo &c.

Dices,

Digitized by Google

Dices, saluari totum in Veritate formali per solam connotationem obiecti extrinseci.

Contra est primò. Veritas dicit perfectionem intellectus, & actus ipsius. Sed connotatio obiecti extrinseci non dicit perfectionem intellectus. Ergo non saluatur veritas per solam connotationem obiecti. Secundò. Actus importat ad obiectum ordinem mensurati ad mensuram. Sed ordo ad mensuram est relatio, non connotatio obiecti. Ergo &c.

Tertiò tandē, quia si dicit connotationem extrinseci, dicet quoque, & respectum; non potest enim intelligi connotatio sine aliquo respectu reali, vel rationis; ideò namque aliquid extrinsecum cōnotatur, quia illud extrinsecum pertinet ad se, & ordinatur ad se; vnde etiam in ipsomet Deo attributa connotatiua creaturarum dicunt respectum realem ex parte creaturarum, rationis ex parte Dei, sufficit enim dependentia, vel connotatio ad fundādum respectum. Cum igitur veritas intellectus nostri dependeat à rebus, & mensuretur per illas, non potest intelligi connotatio ad res sine respectu ad illas.

Argumenta in contrarium soluuntur.

PRimum argumentum. Veritas formalis est perfectio intellectus. Ergo nō est quid relatiuum. Consequentia constat, quia relatiua ex vi suæ lineæ non dicunt perfectionem. Antec. prob. quia intellectus habet pro fine attingere veritatem, & tantò aliquis intellectus est perfectior, quantò est verior in attingendo veritatē. Ergo &c.

Resp. disting. antec. Veritas est perfectio intellectus, fundamentaliter sumpta; Concedo; veritas, formalissimè, vt dicit relationem solam adæquationis, nego; sic enim præscindit à perfectione, nec importat illam, nisi in suo fundamento, sicut & aliæ relationes, v. g. relatio causæ, Domini, Patris, &c. Præcipuè, quia primo modo dicit certitudinem, & euidentiam, qua veritas attingitur, opponiturque non solum falsitati, sed etiam ignorantiæ; consequenter perfectionem importat. Secundo autem modo, vt est nuda relatio, non exprimit hoc, estque quid consecutum.

Secundum argumentum. Tota ratio, quare veritati formali conceditur esse quid relatiuum est, quia sic saluatur ratio actus, nec variato termino variatur aliquid absolutum in actu. Sed hæc ratio est nulla; nam variato termino, & relatione ipsa, adhuc debet variari absolutum: cum enim transit actus de vero in falsum, transit etiam, & mutatur relatio in oppositam relationem. Ergo cū iste transitus relationis requirat fundamentum (sine fundamento enim non potest esse relatio) mutata relatione, mutabitur, & fundamentum, quod est quid absolutum.

Resp.

Resp. neg. Minorem. Ad probat. resp. quòd ad hoc, vt relatio vna transeat in oppositam, sufficit mutatio termini, & proxima ratio fundandi,& applicandi fundamentum termino, vt patet in relatione similitudinis, vel æqualitatis, in quibus ex mutatione termini similitudo v. g. potest mutari in dissimilitudinem, non mutato fundamento, sed ratione proxima, fundandi, & sic in præsenti entitas illa actus non mutatur, mutato termino, sed tantum illa proxima ratio fundandi, illa scilicet applicatio cõmensurans fundamentum termino; non fundatur enim relatio in entitate absolutè, sed vt conuenienti, & comparata alteri extremo.

Tertium argumentum Moralitas in actu non addit aliquam relationem secũdùm esse, nec mutatur per solam mutationem obiecti. Ergo neque ueritas addet relationem.Conseq. à pari sequitur. Antec.probat. nam quando actus transit de bono in malum, mutatur per mutationem alicius absoluti variantis speciem actus, non per mutationem obiecti.Ergo &c.

Rsp. esse disparitatem, quia ad moralitatem actus, & mutationẽ ipsius requiritur aduertentia, & cognitio; vnde si, me ignorante, vel non aduertente, sine culpa, obiectum reddatur prohibitum, quod ante non erat ego non pecco:iam autem ad veritatem in intellectu,& mutationem eius non requiritur aduertentia; vnde si ego formem iudicium istud, Petrus sedet, & me non aduertente, vel ignorante,Petrus surgat,mutatur per solã mutationem obiecti.

Quartum argumentum.In propositionibus æternæ veritatis manet veritas formalis, & tamen potest non esse ibi relatio, cum terminus non sit existens,vel abstrahat ab existentia. Ergo sine relatione potest subsistere veritas formalis.

Resp. disting. Manet veritas fundamentaliter, concedo,formaliter,nego;& sic de termino quoq; intelligendum, qui licet in se non sit existens, est tamen in suo fundamento in causa, & sic veritas propositionis manet respectiuè ad Deum,qui est causa omnis veritatis. Hinc.

Collige primò,relationem istã, quam dicit veritas formalis, esse realem,(supposito, quòd terminus sit à parte rei, habet enim omnia requisita ad hoc, vt sit realis; habet namque fundamentum reale, scilicet dependentiam ipsam actus iudicij ab obiecto;extrema realia, scilicet actum, & rem ad extra, si existat in se realiter, vel saltim in aliquo reali fundamento, causa, vel effectu, cui immediatè adæquatur veritas; Extrema realiter distincta,actus enim, & conceptus formalis est intra intellectum, obiectum est extra. Et hæc est ratio, quare inter conceptum obiectiuum, & rẽ ad extra non est distinctio realis, quia nõ potest fundari in illo esse cognito (est enim identitas cõceptus) relatio realis.

 Dein-

Digitized by Google

Deinde adhuc prob. quia quando est relatio mensuræ, & mensurati, est relatio realis, est enim ibi dependentia realis. Sed in veritate formali est relatio mẽsuræ, & mensurati, actus enim iudicij est res mensurata, res autem extra est mensura. Ergo ex parte actus erit relatio realis. Nec valet, rem aliquãdo non existere, sufficit enim, vt supra dictum est, quòd existat causa, & fundamentum in rerum natura.

Collige secundò. Quamuis veritas, sumpta secundum se præcisè pro relatione supradicta conformitatis, consistat in indiuisibili, vt docet S. Tho. 1. 2. q. 52. a. 1. nec vna sit perfectior alia, cũ relationes nõ suscipiãt magis, & minùs, nec vllã ex se latitudinẽ gradualẽ admittant, nihilominùs, absolutè loquẽdo, veritas transcendentalis est perfectior, quam formalis, seù (vt formaliùs dicamus) maiorem illa, quàm hæc explicat perfectionem. Primò, quia illa dicit rationem mensuræ, hæc mensurati, perfectior autem est mensura, quam suum mensuratum. Secundò, quia illa, scilicet transcendentalis, & entitatiua per priùs participatur à veritate Diuina, seù Idæis, posteà communicatur intellectui, & actui ipsius, & si nihil aliud attenderetur, nisi certitudo, & immutabilitas in veritate, cum fundamentum veritatis sint Idææ Diuinæ, à quibus certitudo deriuatur in res, & à rebus in intellectum, & cognitionem, principalius veritas in rebus, quàm in intellectu inuenietur, perfectiorque veritas transcendentalis erit, quã formalis.

Aduerte pro conciliandis aliquibus authoritatibus S. Thomæ. Cum dicit S. Doct. sæpiùs; *Veritas est priùs in intellectu, quàm in rebus*, debet intelligi de intellectu Diuino, vt seipsum explicat hic Q. 17. 46. *Dictum est, quòd veritas per priùs est in intellectu, & per posteriùs in rebus, secundùm quòd ordinatur ad intellectum Diuinum*: vel si de intellectu creato sumas, tunc debet intelligi S. Doct. de veritate formali; hæc enim intra intellectum inuenitur, quia ibi est veritas, vt manifestata, & vt manifestans, consequenter formalis.

QVAESTIO IV.

Vtrum in sola secunda operatione intellectus Veritas formalis inueniatur.

SVpponendum, nomine secundæ operationis vulgò intelligi Compositionem, & Diuisionẽ, quæ duos alios actus dicit; Enunciationem, & Iudicium. Enunciatio format propositiones, & coniungit extrema: Iudicium iudicat de conuenientia extremorum, an scilicet sint conformia cum eo, quod est in re; priùs enim debet formari propositio ex prædicato, & subiecto, postea intellectus iudicat, estne ita, vel non, sicut enun-

Digitized by Google

enunciatur, v. g. Enunciatio format hanc propositionem: homo est albus: postea intellectus per actum iudicij discernit, an albedo conueniat homini. De his actibus quæritur; Vtrùm in Compositione, & Diuisione consistat veritas formalis? & in quo actu Compositionis, & Diuisionis, an in actu iudicij, vel enunciationis, an etiam in simplici apprehensione, aut sensu?

Aliqui tenent, inueniri etiam in simplici apprehensione, immò, & in sensu. Hæc opinio attribuitur Ferrarien. 1. cont. Gent. C. 59. Capre. in 1. distin. 19. Q. 3. A. 1. Concl. 3. Soncin. 6. Metaph. Q. 17. & alijs. Nihilominùs.

Dicendum est, Veritatem formalem in sola secunda operatione intellectus, scilicet Compositione, & Diuisione inueniri. Probatur ex Aristotele 1. Perih. C. 1. *Verum, & falsum in compositione, diuisioneque consistit*. Circa quæ verba Angelicus Præceptor Lect. 3. dicit: *in hac secunda operatione intellectus componentis, & diuidentis dicit Aristot. quòd inueniatur veritas, & falsitas, relinquens, quòd in prima operatione non inuenitur*. Idem Aristot. 6. Metaph. Tex. 8. expresse dicit: *Verum, & falsum non est in rebus, sed in mente, circa simplicia verò, & quid est, nec etiā in mente*. Quæ omnia explicat S. Thomas ibid. Lect. 4. & 9. Metaph. Lect. 11. & alibi.

Probatur ratione: Veritas formalis in illa tantùm operatione intellectus inuenitur, in qua, & per quam intelligitur fieri actualis mensuratio, & adæquatio intellectus cognoscentis cum rebus cognitis. Sed in secunda operatione, & per illam fit actualis ista mensuratio. Ergo in illa inuenitur, &c. Maior patet: cùm enim veritas formalis consistat in adæquatione intellectus ad res, tunc erit formalissimè in intellectu, quando erit in actu exercito mensuræ, & cognoscentis mensuram, vt applicatam. Minor probatur. Per illam operationem fit actualis mensuratio, per quam fit applicatio mensuræ ad mensuratum. Sed per secundam operationem, scil. compositionē, & diuisionem fit applicatio. Ergo, &c. Maior patet ex materiali exemplo; tunc enim fit materialis mensuratio v.g. panni, vel ponderatio metalli, quando applicatur vlna ad pannum, vel pondus ad metallū; quādiù enim tenetur vlna, vel conspicitur, adhùc non intelligitur aliquem mensurare, nec vlna videtur in ratione mensuræ, sed in ratione rei alicuius, quæ aliàs est vlna, nec discernit æqualitatem, vel inæqualitatem mensurati cum vlna, dum autem vlnam applicat, & componit, tunc discernit, & facit actualem mensurationem. Minor prob. quia per secundam operationem intellectus componitur vnum extremum alteri, applicaturque prædicatum subiecto, discerniturque conuenientia, vel disconuenientia vnius termini ad alium, & sic intellectus in exercitio est verus, & cognoscens ve-

rum, affirmando per suum actum iudicatiuum, hoc esse ita, vt enũtiatur, & repræsentatur; quamdiu autem non applicat mensuram, nec componit per iudicium, etiamsi apprehendat rem, quæ vera est, & veritatem eius teneat cum adæquatione repræsentationis, nondùm est actualis mensuratio. Ergò cùm hoc fiat per compositionem, & diuisionem, actumque illius iudicatiuum, in secunda operatione consistet veritas formalis.

Confirmatur. Tùnc est veritas formalis exercitè in intellectu, quando intellectus certificatur vltimatè de conuenientia prædicati cum subiecto, redditurque actu verus, sed per secundam operationem, componendo scil. vnum extremum cum alio, certificatur vltimatè; quando enim simpliciter apprehendit terminum, non solùm simplicem, sed etiam duos, non solum v.g. Ly *Homo*, sed *Homo albus*, adhuc est indifferens ad verum, & falsum, nesciens, an albedo conueniat homini, nec approbat ita esse in re, vt repræsentatur: dum autem fit comparatio, & compositio vnius cum alio certificatur, an hoc ita sit. Ergo, &c.

Argumenta in contrarium soluuntur.

PRimum Argumentum est ex authoritate Aristot. apud S. Thom. 3. de An. cap. 6. lect. 11. *Intellectus, qui est ipsius quid est, secundùm quòd intelligit quid est, verus semper, & non secundùm quòd intelligit aliquid de aliquo.* Ergo cũ intellectus secundùm quòd intelligit, quid est res, sit intellectus simplex, seù procedens per simplicem operationem, erit quoque & verus. Ergo veritas erit in simplici apprehensione ex mente S. Tho., & Aristot.

Deinde idem Aristot. apud S. Thom. 9. Metaph. text. 22. lect. 11. dicit. *In simplicibus attingere, & dicere, verum est, non attingere verò est ignorare.* Ergo similiter attribuit veritatem simplici operationi.

Resp. explicando vtramque authoritatem. In prima, cùm dicit, est, *verus semper*, intelligi debet, est *verus negatiuè*, quod est non decipi, quia non potest esse deceptio circa proprium obiectum, scilicet quidditatem, sed *non positiuè* verus, cum hoc fiat per applicationem veritatatis, tanquàm mensuræ ad mensuratum, nec in exercitio ipso verus. In secunda quoque authorit. cùm dicit, *est verum*, debet intelligi de veritate repræsentandi, non de veritate mensurandi, & discernendi verum à falso, quod est proprium exercitium veritatis formalis. Et ideò notandum, non dicere Aristot. *non attingere est falsum*, sed ponit ly *ignorare*, vt innuat, non esse ibi veritatem, quæ opponatur falsitati, sed tantùm repræsentationem, cui opponitur non repræsentatio, seu ignoratio, non deceptio, cùm non contingat deceptio circa

quid;

Digitized by Google

quidditatis apprehensionem.

Secundum Argumẽtum ex ratione. Veritas fit per adæquationem representationis cum re representata. Sed ista representatio inuenitur etiam in simplici apprehensione; representatur enim obiectum, & cognoscitur per speciem, & similitudinem formalem sui. Ergo, &c.

Resp. disting. Cum re representata sub conceptu exercentis mensurationem, & regulationem, concedo, sub conceptu representatæ præcisè, nego: non sufficit enim ad veritatem formalem, esse rem representatam, si non sit simul representatio cum exercitio applicationis mensuræ ad mensuratum, sic autem non potest esse in prima apprehensione simplici, in hac enim res representata non dicit exercitium istud veritatis, sed tantùm conformitatem cum suo principio & sic non fit comparatio vnius ad aliud, nec discernitur vnum ab alio.

Instabis etiam in simplici apprehensione vnum discernitur ab alio, aliter enim simplex apprehensio definit quidditatem hominis, aliter equi; immò in ipsa definitione comparat, & coniungit vnum alteri, v. g. animal rationale, animal hinnibile. Ergo, &c.

Resp. neg. illatum. Ad probat. disting., definit attingendo simplici apprehensione terminos cócedo; attingendo conuenientiam ipsorum, ad definitionem nego: non enim rationem conuenientię generis, aut differentiæ comparare potest, vel copulare per ly, *est*; hoc enim secundæ operationi competit.

Tertium Argumentum. In illa operatione est Veritas formalis, quæ attingit obiectum per comparationem, comparando vnum ad aliud. Sed hoc facit aliquando simplex apprehensio, quia cognoscit quidditatem, comparando illam ad id, cuius est quidditas, (vt ipse S.Tho. 1. contr. Gent. cap. 59. docet) apprehendit enim, vt quidditatem huius rei. Ergo, &c.

Resp. disting. maiorem, in illa, quæ attingit per comparationem iudicatiuam, & applicatiuam, tanquam alicuius mensuræ ad mensuratum concedo; per comparationem simpliciter apprehẽsiuam; nego: Ad probat. resp. quòd cognoscit quidditatem, cõparando ad id, cuius est quidditas, non iudicatiuè, sed simpliciter; non enim applicat illam quidditatem per modum prædicati ad id, cuius est quidditas, tãquàm ad subiectum, nec copulat per aliquod verbum vniens extrema, & sic nec cognoscit quidditatem cum modo vnionis, & conuenientiæ.

Ex dictis hucusque patet, quo modo respondendum sit ad id, quod aliqui paulò fusiùs examinant; In quonam actu compositionis, & diuisionis consistat veritas formalis, an in enunciatione apprehensiua, an in iudicio?

Resp. ad hoc breuiter consistere veritatem in actu iudicatiuo,

Sic

Digitized by Google

Sic S.Thom. in 1. p. q. 16. art.2. in C. cum dicit. *Quando intellectus iudicat, rem ita se habere, sicùt est forma, quàm de re apprehendit, tùnc primò cognoscit, & dicit verum, & hoc facit componendo, & diuidendo, &c.* Et lib.1. Periher. lect. 3. Intellectus non cognoscit veritatem, nisi componendo, per suum iudicium. Ratio quoque suadet, quia in illo actu debet consistere, in quo consummatur veritas, iam autem in actu iudicatiuo consummatur, quando enim iam supra copulata extrema intellectus fert iudicium, affirmando, ita esse in re, sicut in conceptu, vel similitudine formali, & conceptum suum comparat ad id, quod est in re, non restat illi aliquid residuum ad veritatem, sed est in ipso exercitio. Vnde tunc ly, *est*, non solùm sumitur absolutè per modum copulationis, sed etiam comparatiuè per modum commensurationis ad id, quod est in re, quod est componere, & diuidere comparatiuè, & commensuratiuè.

Quod si iterum inquiras; Estne compositio, & diuisio vnus actus entitatiuè.

Resp. Siuè sumatur, vt dicit iudicium, siuè vt enunciatio, est vnus, & simplex actus. Quantum ad primum patet, quia in ratione iudicij respicit vnum formale obiectum, scil. compositionem illam, & vnionem prædicati cum subiecto factam per enunciationem, attingitque extrema sub vna ratione formali conuenientiæ, vel disconuenientiæ; consequenter est vnus, sicut visio v.g. dicitur vna, quia sub vna linea visuali attingit plura visibilia; scientia dicitur vna, quia sub vno lumine fertur in plura scibilia; vnitas enim actus desumitur a ratione, sub qua, formali obiectiua.

Quantùm ad secundum, proùt sc. dicit enūciationem, est unus actus patet, quia quāuis plures species, & conceptus concurrant præsuppositiuè in enunciatione, antecedenter representantes extrema, nihilominus semper illa extrema, sub vna ratione formali conuenientiæ, vel disconuentiæ attinguntur, vt exemplificatum est in visione, & scientia. Vnde in illa coniunctione plurium specierum non est sola vnitas ordinis, sed formalis, & entitatiua, quia illæ plures species, concurrunt ad formandum conceptum sub vnica applicatione, & vsu potentiæ, omnesque illæ species ordinantur ad vnum numero effectum producēdum, & sicùt artifex vtitur aliquando pluribus instrumentis, dū fabricat opus aliquod, sic intellectus vtitur illis speciebus subordinatis sibi, & concurrentibus inadæquatè ad vnum conceptum; iam verò vnitas conceptus entitatiua non sequitur vnitatem speciei materialiter sumptam, sed vnitatem operationis, quæ potest uti pluribus speciebus, tanquàm causis partialibus, ad eliciendam unam operationem consequentèr unum conceptum, qui est terminus ipsius. Et per hoc plures possunt

Digitized by Google

sunt obiectiones solui. Et hæc circa ueritatem, iuxtà sensum aliorum, dicta sufficiant. Sequitur

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Bono.

IVxtà ordinem passionum Entis ex D.Tho. & Aristot.suprà in isto Tract. 1. disp. 4. q. 2. assignatum, & probatum, post priores passiones Entis examinatas succedit ultimò Bonum (utpotè posteriùs quid alijs passionibus) in præsenti examinandum, quod quia dari à nemine dubitatur: ipsa enim *Opera Domini vniuersa bona valdè*; Ecclesiast.39. illud dari attestantur, & *Omnis Creatura Dei bona*, ad Timoth. enarrat bonitatem suam, & Dei, ideò omissa quæstione, an est, ad quæstionem quid est, de Bono, accedimus. Sit igitur.

QVAESTIO I.

In quo consistit Bonitas transcendentalis?

SOlent aliqui ante istam quæstionem, priùs examinare v. g. Vtrum Bonum sit passio Entis & qualis? an nominaliter, uel participialiter sumpti? An conuertatur cum ente, conueniatq; omni enti? An sit passio realis rigorosè, vel tãtùm demonstrabilis? An Bonum sit prius Vero? & similes. Sed quia istis difficultatibus sufficientèr supra Disput.4.q.1.2.3.& sequ.est satisfactum (assignata ibidem ratione, cur antecedenter sint examinatæ generalitèr) ideò intermissis illis, statim hanc de ratione formali Boni, aggredimur decidendam, inquirẽtes, quid Bonitas, vt est passio entis, dicat pro formali? quid addit supra Ens? seù (quod est idem) in quo consistat formaliter? Non dicimus autem, ipsam esse passionẽ physicam rigorosam, vel distinctam à subiecto, sed Metaphysicam, & transcendentalem, est ideoq; in titulo positum (ly, transcendentalis) quæ per diuersos conceptus, seù habitudines distinguitur: in passionibus enim entis, vt supra dictum est, radicale, & formale coincidunt, & solùm diuersæ connotationes, seù habitudines faciũt distinctionem.

Circà hanc quæstionem varij variè sentiunt; Aliqui ponunt rationem formalem Boni in relatione rationis; alij in relatione reali superaddita enti; alij in aliquo absoluto superaddito; alij iuxta sensum suum; Nihilominùs, his non obstantibus, supposita trita illa distinctione appetibilis formalitèr, & fundamentalitèr sumpti.

Dicendum primò. Bonitas nõ consistit in relatione rationis formaliter sumpta, neque in relatione reali superaddita, neque in aliquo

quo absoluto superaddito realitèr enti, & distincto ab ipso.

Probatur quoad primam partem Conclus. scil. quod non in relatione rationis: nam Relatio rationis consistit in esse tantùm obiectiuè, actualiter ipsam fingendo, quæ tandiù durat, quandiù, cognoscendo, fingitur; Sed bonitas potest inueniri independentèr à cognitione, nam etiam, nullo dato cogitante intellectu. Deus v.g. est bonus, antequàm quidquam intellectus creatus cognoscat, & creaturæ sunt bonæ, vt ipsa testatur scriptura: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Deindè, quia iam bonum non esset formaliter in re bonum, nec realis passio entis.

Quoad secundam partem Conclus. quòd scil. non consistat in relatione reali superaddita enti, prob. quia relatio realis est quid inferius ente, & sic non potest esse passio entis vniuersalitèr sumpti; Deinde, quia relatio est res quædam bona in particulari, sicut, & alia prædicamenta, vt infrà patebit ex S.Thoma; non potest ergò in illa consistere ratio bonitatis vniuersaliter, nec potest addi supra ens, vt quid distinctum ab illo. Hinc est, quod Deus est bonus, vt dictum est, non per aliquid additum ad eius essentiam; & homo etiã est bonus, quatenus est quædam species in suo esse perfecta, cui nihil deest ad propriam integritatem substantialem, ad hoc enim eget tantùm materia, & forma rationali vnitis, per quas integratur, estque sine vllo superaddito realiter bonus homo; Vndè cũ ab aliquibus dicitur, addi aliquid realiter distinctum ab homine, tanquàm, modum, vel aliquam formalitatem; inquiro, an ille modus, vel illud superadditum sit per se ens, & bonum sine aliquo superaddito, vel certè per aliquid superadditum? Si secundum: Ergo dabitur processus in infinitum. Si primum idem poterat dici de homine. Quod, si dicas, disparem esse rationem, quia cùm ille modus sit ratio, quarè homo, sit bonus, ideò talis modus est bonus per se sine aliquo superaddito; Sed contra. Ille modus formaliter, licet sit ratio, quarè homo sit bonus, non tamèn est ratio, quarè homo sit ens; Ergò saltim ille modus debet esse ens per aliquid superadditum; Ergò non euitabitur processus in infinitum.

Quod si respondeas, ens esse transcendens, & ingredi omnia; Contra est; etiam bonũ est transcendens, Ergò sicut ens non est aliquid realiter superadditum rebus, ità nec bonum, quod est eius passio, quia sicut vtrumq; est transcendens, ità vtrumq; debet ingredi in omnes res, & cum ipsis realiter identificari.

Dices ad primam prob: Concl. posse dici consistere bonitatem saltim in relatione transcendentali. Sed

Contrà primò; quia, vt in exẽplo persistamus, Deus est infinitè, & summè bonus, & tamen non per relationem, aut ordinem transcen-

scendentalem ad aliud extra se. Secundò; quia relatio transcendentalis nihil est, nisi ipsamet entitas, vt ordinata, & dependens ab aliquo, ad quod dicit habitudinem, non addit igitùr, aliquid distinctum. Tertiò tandem; quia sumendo bonitatem istam, vt est communis transcendētaliter Deo v.g. & creaturæ, non saluatur bonitas in Deo, Deus enim est ab æterno bonus bonitate communi tribus personis, essentiaq; diuina est bona essentia tribus Personis. Sed non datur aliqua relatio realis in Deo communis tribus Personis, quia non potest talis relatio communis habere aliquem terminum realiter distinctum ab eius fundamento, quod tàmen requiritur ad relationem realem; Non potest enim habere pro termino tres Personas, quia istæ non distinguuntur realiter ab essentia; Neq; potest habere pro termino creaturam, quia Deus non dicit relationem realem ad creaturas, nec modo est magis perfectus sumptus cum creaturis omnibus, quàm solus seorsim consideratus absquè illis. Ergo,

Quoad tertiam partem Concl. scilicet, quod bonitas non consistat in aliquo absoluto superaddito enti, prob. quia quodlibet absolutum includitur in ente, seù continetur sub ente transcenditurque ab ente. Ergo antequàm concipiatur addi, manet iam ibi, & sic nihil additur in quo consistat.

Quod si dicas, verificari istud de absoluto, vt *Quod*, non de absoluto, vt *Quo*, hoc enim potest addi enti, & sic v.g. existētia, quæ est quid absolutum, vt *Quo*, additur essentiæ, vt quid distinctum ab ipsa. Sed.

Contra. Etiam absolutum, vt *Quo*, cōtinetur sub Ente, est enim capax existentiæ, quod autem est capax existentiæ, & dicit ordinē ad esse, continetur sub Ente, & transcenditur ab illo, & sic nihil addet. De existentia dispar est ratio, nam ipsa ex se est aliquid, vt *Quo*, extra nihil, immò est ratio ponendi extra causas, est ratio habendi esse, & sic non dicitur capax alterius existentiæ, aut capax habendi esse, sicut quodlibet aliud absolutum etiam, vt *Quo*, tanquam id, quod debet habere esse, & dicit ordinē ad illud.

Dicendum secundò. Bonitas consistit in perfectione intrinseca dicēte integritatem rationis formalis, quæ explicatur per hoc, quòd nihil desit rei ex pertinentibus ad rationem ipsius formalem, & essentialem.

Antequam probetur Conclusio, notandum est, triplicem posse esse integritatem. Prima, quæ constat ex partibus essentialibus, qua ratione integritas hominis cōsistit in hoc, quòd sit animal rationale, aut cōpositū ex anima, & corpore. Secunda est integritas ex partibus integralibus, qua ratione deficeret integritas hominis, si ei deesset oculus, vel manus. Tertia est integritas ex accidentibus,

Digitized by Google

quæ concurrunt ad decorem, & pulchritudinem vniuscuiusque rei creatæ. Ex his integritatibus, prima est essentialis, secunda accidentalis accidentis prædicabilis, tertia omninò accidentalis. Nos igitur in Conclusione loquimur de integritate prima, hæc enim coincidit cum bono, & potest esse passio entis, conuenitque omni enti, & conuertitur cum illo, hoc enim ipso, quòd res habeat talem integritatem, habet etiam bonitatem in se, si autem deficiat ab hac integritate, desinet etiam esse ens. Ista autem integritas in rebus simplicibus non debet attendi penès compositionem partium, qua carent, sed ex perfectione rei simplicis, vt v. g. quòd Angelo nihil desit ad hoc, vt sit creatura perfecta in sua specie; & hoc pacto per negationem explicatur etiam perfectio Dei, dicendo, quòd ipsius integritas sit eo ipso, quòd ipsi nihil deest ex his, quæ requiruntur ad hoc vt sit rerum omnium principium, cumulus omnium bonorum, Ens perfectissimum, omnibus desiderabile, & finis vltimus omnium. Hoc igitur prænotato.

Probatur Concl. primò authoritate Angel. Doct. 1. p. q. 5. art. 1. dicentis: *Vnumquodque appetitur secundùm quòd est perfectũ.* Et ibidem. *Quod est vltimò perfectum, dicitur bonum simpliciter.* Et Art. 5. dicit. *Bonum consistit in specie, ordine, & modo, quod totum pertinet ad integritatem rei.* Idem expressiùs habet ibidem q. 5. a. 2. in C. *Bonum habet rationem appetibilis.* Et a. 3. ad 1. *Bonum addit supra ens rationem appetibilis*, & subdit *perfectionis*; indicans appetibile, & perfectum esse idem, ac integrum essentiale; quod idem in prioribus authoritatibus simili modo est intelligendum. Ex quibus authoritatibus.

Probatur Concl. Bonitas consistit in appetibilitate radicali. Sed ad perfectionem intrinsecam, & integritatem rationis formalis sequitur, seù ponitur conceptus appetibilitatis radicalis. Ergo bonitas consistet in illa perfectione, & integritate essentiali. Maior patet ex communiori sensu Thomistarum; appetibilitas enim (vt ex S. Tho. colligitur) est constitutiua boni, quod debet intelligi de radicali, & fundamentali, appetibilitas enim formalis non potest esse cõstitutiua boni, cũ importet potiùs denominationem extrinsecã, sitq. posterius quid bonitate. Vnde S. Tho. explicans illam definitionem 1. Ethic. C. 2. *Bonum est, quod omnia appetunt*, dicit sumptã esse à posteriori, quia ratio appetibilis (supple *formaliter* sumpta) est posterior, quàm ratio bonitatis. Hinc causalis illa; *Quia res est bona, ideò est appetibilis*, est vera. Bonum igitur, siue integrum dicit appetibile fundamentaliter sumptum, & hanc rationem appetibilitatis addit supra ens. Ex quo discursu Minor patet, quia posita illa perfectione, & integritate

tate essentiali, statim ponitur appetibile radicaliter, ex vi enim illius essentiæ integræ consurgit hoc, quòd illa ipsa essentia sit natura, consequenter radix appetibilitatis, in qno ratio boni consistit, estq; capax terminationis ab appetitu, nec deest illi aliquid, sed habet totum, vt sit appetibilis. Et sicut esse risibile radicale non ponit in numero cum natura v. g. humana, seù rationalitate, positaq; natura humana, debet poni risibilitas, quæ est passio hominis, ita esse appetibile radicale non ponit in numero cum natura, quæ est radix appetibilitatis, & sicut ibi, posita humanitate, ponitur risibilitas, ità posita integra ratione formali cuiuslibet rei, ponitur bonitas, & perfectio, quæ est passio entis. Ergò &c.

Confirmatur primò. Bonum conuertitur cum ente nominaliter sumpto, vt supra probatum est. Ergò cum ens nominaliter sumptum significet essentiam, posita hac integra, & perfecta in sua linea, ponetur bonitas. Ergò, &c.

Confirmatur secundò. Posita illa perfectione, & integritate essentiali, Ens dicitur ens, in quantùm ens, cùm habeat quidquid ad rationem formalem requiritur. Sed Ens, in quantùm ens, est bonum, dum enim reduplicat *Ens*, reduplicat non deficientiam, si enim deficientiam reduplicaret, diceretur potiùs ens in quantùm *non ens*, deficientia enim non est, nisi non entis dicit enim quandam carentiam quæ est non ens. Cùm igitur ens, in quantum ens non reduplicet deficientiam, reduplicabit non deficientiam. Ergo perfectionem, seù integritatem, aut rationem, cui nihil deficiat. Ergo bonitatem, cùm bonum, perfectum, & integrũ essentiale coincidant.

Dices, in probationibus istis multa inuolui falsa. Primò, quòd ex vi integritatis illius sequatur perfectio, appetibilitas, aut bonitas; si enim hoc esset verum, cùm etiam relatiua intra suam lineam habeant suam integritatem essentialem, haberent, secundùm suum *esse ad*, perfectionem, & bonitatẽ; quod est falsum, perfectio enim restringitur ad absoluta, vt docent eruditè nostri Salmat. Tract. 6. dis. 6. dub. 2. negantes perfectionem relationibus, etiam diuinis. Secundò falsum est, illam essentiam habere totum, ex vi suæ rationis, quod requiritur ad bonitatem, & perfectionem: deest enim illi existentia in aliqua differentia temporis, & hoc innuitur ab ijsdem Salmat. Tom. 1. Tract. 4. disp. 5. dub. 1. vbi dicunt, ens etiam absolutum non dicere perfectionem, si non concipiatur, saltim vt habens, quidquid requiritur ad existentiam. Tertiò tandem falsum est, Bonum conuerti cum ente nominaliter sumpto, quod ab ijsdem PP. innuitur, præcipuè Tomo 1. Tract. 4. disput. 5. dub. 1. num. 16. 24. &c. Sed.

Digitized by Google

Contra primum responsum. Arguitur primò. Potiùs falsum est contrarium; Nam relationes, etiā creatæ, ex suo conceptu, & secundùm *esse ad*, dicunt perfectionem, & bonitatem; hoc enim ipso, quòd ens, & bonum conuertantur, si relationes dicunt ex proprijs entitatem realem, (constituunt enim vnum genus entis realis) dicunt perfectionem. Quod si respōdeas; sequeretur hinc, perfectionem illam in relatiuis esse *Ad se*, non ad terminum, consequenter absolutam; quod repugnat relationi. Sed.

Contra. Quamuis enim dicatur ratio perfecti, & boni consistere in integritate cōueniente ipsi rationi formali, non tamen sequitur, quod sit absolutè *ad se*, & nullo modo, saltim implicitè, licet non explicitè, ad terminum, ac per cōsequens, quòd sit absoluta, & non respectiua. Quia si illa ipsa ratio, formalitas, siue natura, cui conueniens, dicitur, sit essentialiter ad terminum, vt in relationibus contingit, etiam ipsa conuenientia erit ad terminum, sicut v.g. ad rationem relationis realis requiritur ratio fundandi realis, terminus realis, & realiter existens, & insuper distinctio realis fundamenti, & termini, quorum quidquid defuerit relationi, non habebit suam rationem integram, nec poterit esse realis, cùm autem hæc omnia habuerit, nihil ipsi deerit ex conuenientibus ipsi, & requisitis ad realitatem ipsius; habebit ergo realitatem in omnibus rationibus conuenientibus sibi. Ergo & perfectionem *ad se* explicitè, sed ad terminum implicitè, ad quem illa ipsa, cui illa conuenientia, & perfectio debetur, essentialiter ordinatur.

Arguitur Secundò contra primum responsum ex mēte Aristot. & D. Tho. qui expresè tribuunt relationibus perfectionem secundùm proprium conceptum. Primò enim Aristot. 1. Ethic. apud S. Tho. Lect. 6. dicit. *Bonum autem dicitur, & in eo quod quid, & in quali & in* Ad *aliquid*; & paulò inferius. *Bonum æquale dicitur enti, etenim in eo quod quid est dicitur, vt puta Deus, & intellectus, & in quali virtutes, & in Quanto mensuratum, & in* Ad aliquid *vtile, & in tempore mora &c.* Vbi S. Doctor. *Bonum autem, sicut & ens, cùm conuertatur cum eo, inuenitur in quolibet prædicamento sicut in quodquid est, id est substantia, bonum dicitur Deus, in quo non cadit malitia, & intellectus, qui semper est rectus. In qualitate autem Virtus, quæ bonum facit habentem. In quantitate autem commensuratum, quod est bonum in quolibet, quod subditur mensuræ, in* Aliquid *autem bonum, quod est vtile, quod est bonum relatum in debitum finem, &c.* Eandemq; suam, & Philosophi doctrinam sæpiùs S. Thomas citat, & approbat, vt patet 1. p. q. 5. a. 6. & q. 21. de Verit. artic. 1. & in alijs pluribus locis. Ergo ex mente Philosophi etiam ipsa relatiua, formaliter qua talia, bona sunt. Ergo dicunt perfectionem

nem

nem; plùs est enim bonum esse, quàm esse perfectum, quia vt optimè discurrũt nostri PP. Salmatic; Tract.6.disp.6.dub.1.Ex eo quod aliquid sit perfectum in ordine ad se, oritur, quòd sit perfectiuum alterius, seu conueniens alteri; Et ex eo quòd sit conueniens alteri, & perfectiuum eius, ortum ducit, quòd sit ab eo appetibile. Et credo, hanc authoritatem Philosophi, & S.Thomæ ita claram esse, vt nisi violentissimè torqueatur, nostram opinionem confirmet. Quomodo enim verũ esset, quod S.Thomas & Aristot. dicunt, Bonum æquè, ac ens, diuidi in decem prædicamenta, esseq; æqualia enti, & conuertibile cum ente, si relatiua, formaliter qua talia, non dicerent bonitatem, cum dicant entitatem.

Arguitur Tertiò contra ex S. Thoma q.7. de pot.a. 9. vbi probando, dari in rebus relationes secundum esse, dicit: *Perfectio, & bonum, quæ sunt in rebus extra animam, non solùm attenditur secundum aliquid absolutè inhærens rebus, sed etiam secundum ordinem vnius rei ad aliam, sicut etiam in ordine partium exercitus bonum exercitus consistit. Huic enim ordini comparat Philosophus ordinem vniuersi 11. Metaph. Oportet igitur, in ipsis rebus ordinem quendam esse; hic autem ordo relatio quædam est. Vnde oportet in rebus ipsis relationes quasdam esse, secundum quas vnum ad alterum ordinetur.* Ergo &c.

Reespondebis cum Salmat. loco cit. S.Doct. concedere relatiuis perfectionem quãtum ad propria relatiuorum, non tamen ratione ipsius, *Ad*, se ratione, *In*, quod licet sit absolutum, est tamen talis naturæ, vt indispensabiliter petat coniungi ipsi, *Ad*, relatiuo, & ideò vocatur proprium relatiuorum, & ex eius positione rectè S. Tho. intulit, debere ipsas relationes quãtum ad esse, *Ad*, dari, quia dictum, *In*, sine, *Ad*, inueniri non potest, Sed.

Contra est, quia hæc solutio destruit veritatem dicti Angelici Doctoris; nam S.Tho: dicit: *Perfectionem non solùm attendi secundum aliquid absolutè inhærens, sed etiam secundum ordinem vnius rei ad aliam.* Ergo cum illud, *in*, quãuis sit coniunctum cum illo, quod dicit ordinem vnius ad aliud, ipsum tamen talem ordinem non dicit (est enim, vt fatentur ipsi Salmat., absolutum, quamuis indispensabiliter inferat relatiuum) falsum erit assumptum S.Tho. quo probat, dari relationes secundum esse, ex eo, quia in rebus non solùm attenditur perfectio secundùm aliquid absolutè inhærens, sed etiam secundùm ordinem vnius rei ad aliam. Ergo, vt assumptum S. Thomæ sit verum, debet admitti perfectio in ipso ordine vnius ad aliud, qua tali. Sed ordo vnius ad aliud, qua talis, dicit esse, *Ad*, proprium relationum formaliter. Ergo ex mente S. Thom. relationes secundum *esse Ad*, pro-

prium, formaliter qua tale, dicunt perfectionem.

Confirmatur; quia premendo exemplum S. Tho:, quo vtitur S. Doct. ad probandum perfectionem etiam in ordine consistere, manifestè constabit, S. Doctorem aliquid perfectionis ipsis relationibus secundum *esse Ad* concessisse. Etenim in ordine exercitus duo consideranda sunt. Primò materiale ordinis, ipsi scilicet milites, tàm exercitum, quàm ordinem exercitus constituentes. Secundò ipse ordo formaliter, quo inferiores subsunt superioribus, & omnes Duci; & illud materiale ordinis, formaliter qua tale, sine formali non potest esse, quia aliàs esset quædam inconcinna turba hominum, non exercitus. Ergo sicut bonum exercitus, vltrà bonitatem illius materialis, nempè bonitatem, & robur militum, habet aliam bonitatem ex ipso ordine (vnde etiam robustissimi sine ordine pugnantes vincuntur,) ita licet illud, *In*, relatiuum petat necessariò connecti ipsi, *Ad*, tamen vltra bonitatē, & perfectionem, quam dicit, *In*, ex mente S.Tho. etiam ipsum, *Ad*, perfectionem dicere debet.

Contra secundum punctum responsionis principalis ad rationem pro conclus. arguitur. Falsum potiùs colligitur non habere totalitatem perfectionis sine existentia. Primò, quia existentia nullo modo pertinet ad integritatem essentialem rerum (excepta sola existentia Dei, vt supra quæst.4. de conuertentia Entis dictum est) cùm nulli creaturæ sit essentialis. Secundò, quia defectus existētiæ est defectus alicuius extrinseci, & sic non impedit totalitatem essentiæ, vt etiam supra probatum est; potest igitur habere totalitatem essentialem ante existentiam, consequenter perfectionem.

Vnde illud, quod Salmatic. dicunt loco cit., Ens, si non concipiatur saltem, vt habens, quidquid requiritur ad existentiam, non dicere perfectionem, est inintelligibile in ipsorum doctrina de Relationibus Diuinis. Quæro enim, quid hac circumlocutione intelligant? An quòd habeat intra suam lineam existentiam conuenientem sibi primariò? An quòd licet dictam existentiam, dicto etiam modo sibi conueniētem, non habeat, tamen habet suam rationem formalem integram capacem existendi, seù potiùs coexistendi per existentiam alterius lineæ, cum qua realiter identificatur? tertius enim modus explicandi illam Salmaticensium circumlocutionem non datur. Si primum dixerint, ac per consequens ad hoc, vt aliquid ex vi propriæ lineæ dicat perfectionem requisierint, vt habeat existētiam intra propriam lineam conuenientem sibi primariò, sequitur quòd in Diuinis nullum attributum, absolutum, (quod tamen ipsi

Sal-

Salmatic. non dicunt, quia nec possunt dicere (dicat perfectionem; et sic neque Sapientia, neq; Scientia, neque Voluntas in Deo, vel aliquod aliud attributum perfectionem dicet, quia nullum illorum affert, intra propriam lineam, existentiam, sed omnia per vnicam existentiam Diuinæ Essentiæ existunt. Si verò dicant secundum, planè sequitur, etiam relationes dicere, intra propriam lineam, perfectionem, quia etiam illæ dicerent suas rationes formales integras capaces existendi, seu potiùs coexistēdi per existentiam Diuinæ Essentiæ, cum qua identificantur realiter.

Posset quis (quamuis limites Metaphysicæ transgrediendo, & discurrendo) dicere in fauorem Salmat. quod etiam ipsi aliqualiter innuunt, illas non esse capaces existendi, nisi vt includunt essentiam per modum transcendentis, atque ideò ex se, & ex sua formalitate relatiua præcisè sumpta, non esse capaces existendi.

Hoc tamen falsum est quomodocunque intelligatur: Nam si ita intelligant, quòd existentiam habeant Relationes Diuinæ ab Essentia, siue Natura imbibita per modum transcendentis, hoc, & falsum est, & contradictorium doctrinæ ipsorum, quam sæpiùs repetunt, & fusè tractant disp. 5. dub. 3. Quia sicut intelligere, ita & esse non communicat Natura, vt est sub conceptu transcendentis, seu carentia vltimitatis, & terminationis in quauis serie, & linea Diuina, sed vt est sub conceptu Naturæ, siue vt substat alteri carentiæ, vlterioris scilicet contractionis, per aliquod positiuum pertinens ad aliquam lineam in Diuinis. Si verò sic intelligunt, quòd Relatio Diuina nequit existere; nisi vt imbibit Essentiam Diuinam per modum transcendentis, quia nimirùm Natura, sic imbibita est ratio, cùr Relationi communicetur existentia: Iterùm quæro, quomodo hoc intelligant? Vel sic, vt Essentia sic imbibita existat, & Relatio in tantùm existat, in quantùm imbibit illam Essentiam absque eo quòd existentia saltem secundariò communicetur Relationi: Et hoc est falsum, quia aliàs Relationes non existerent absolutè, & sic, realiter loquendo, non essent Relationes in Deo, quia, cui ita mediatè vnitur forma, vt non pertingat vsque ad illud, cui mediatè vniri asseritur, non participat effectum, siue quasi effectum formalem formæ, vt docent ipsi Salmaticen. Tract. 6. Disp. 7. Dub. vnico num. 61. atque ita si hoc modo existentia vniretur mediatè Relationibus, vt soli scilicet Naturæ, cū qua Relationes idētificātur, realiter in ipsis per modū transcendentis inclusæ, vniretur, illis verò non, iā illę non participarent effectum formalem existētiæ; quod est *esse* in rerum natura, seu existere. Ergò &c. Vel sic, vt credant, quòd licet etiam ipsis

Re-

Relationibus, qua talibus, communicetur existentia, tamen non illis communicatur, nisi ratione Essentiæ in ipsis, per modum transcendentis, inclusæ: Hoc etiã est falsum, quia etsi remotè hoc possit esse verum, in quantùm Relationes non existerent per existentiam Diuinam, nisi essent Diuinæ, iam autem arguitiuè, & à posteriori Diuinæ non essent, si in illis Natura Diuina sub conceptu transcendentis non imbiberetur, quæ alioquin in omnibus Diuinis imbibitur; proximè tamen de materiali est respectu Relationum, vt existant, quòd dictam Essentiam per modum transcendentis includant, quia ipsa, vt est sub conceptu transcendentis, rationem existendi, siue recipiendi existentiam, siue aliquid aliud Naturæ, vt est sub conceptu Naturæ, nec non sub carentia tali conceptui debita, non exprimit, vt modo dictum est.

Posset adhùc aliquis dicere, (quod etiam videtur ex ipsorum Salmatic. verbis elici posse) per illam circumlocutionem significari, quòd ad rationem perfectionis requiratur, vt illud ens, quod dicitur perfectum, sit existens, siquidem ipsi, vt ex discursu ipsorum constat, per ens in actu, cum quo dicunt, bonum conuerti, intelligunt ens participialiter, ac proinde ens sub existentia. Cæterùm dictum istud in hoc sensu explicatum à veritate deuiat. Certum est enim, res non solùm vt sunt sub existentia, sed etiam vt sunt sub ordine ad ipsam, dicere posse perfectionem: Quod & ipsi Salmatic. in absolutis concedunt dub. 2. disp. 6. tract. 6. n. 86. De relatiuis autem licet negent, immeritò tamen, quia, vt supra ostẽdimus, positis requisitis ad perfectionem, etiam in relatiuis perfectio, sicut & bonitas, potest inueniri. Et potest hoc, quod modò diximus, res scilicet ratione solius ordinis ad esse, dici bonas, & perfectas, confirmari insigni authoritate Angel. Doct. 3. cont. Gent. Cap. 10. vbi dicit: *Licet vnumquodque sit bonum in quantùm est ens, non tamen oportet, vt materia, quæ est ens solùm in potentia, sit bona solùm in potentia: Ens enim absolutè dicitur, bonum autem & in ordine consistit, Non enim solùm aliquid bonum dicitur, quia est finis, vel quia obtinet finẽ, sed etiamsi nondùm ad finem peruenerit, dummodò sit ordinatum ad finem, ex hoc ipso dicitur bonum. Materia ergò non potest simpliciter dici ens ex hoc, quòd est potentia ens, in quo importatur ordo ad esse, potest autem ex hoc dici simpliciter bona propter ordinem ipsum. In quo apparet, quòd bonum quodammodò amplioris est ambitus, quàm ens. Propter quod Dyonis. dicit 4. cap. de Diuin. nomin. quòd bonum se extendit ad existentia, & non existentia, nàm & ipsa non existẽtia, scilicet materia prima, secundùm quòd intelligitur priuationi subiecta, appetit bonum, scilicet esse,* ex

Digitized by Google

ex quo patet quod etiam sit bona. Nihil enim appetit bonum, nisi bonum. Vides ergò clarè à S. Thoma assertum, & deductum, quomodo ad rationem boni non requiritur ipsum esse, vt habitum.

Et hinc ampliùs potest desumi efficax impugnatio illius circumlocutionis Salmaticensium (& simul tertij puncti responsionis ad rationem nostram) generaliter, & vt sonant verba, ostendendo, omninò cũ doctrina Angel. Magistri nõ cohærere, quod dicunt: Bonum, & perfectum conuerti solùm cum ente in actu, ac proinde cum ente habente quidquid requiritur ad hoc, vt sit existens. Quod ostendo euidenter inhærẽdo doctrinæ S. Tho. quam modò ex 3. cont. Gent. adduximus. Primò enim falsum est iuxta mentẽ S. Tho. quòd bonum, & perfectũ conuertantur solùm cum ente in actu: Nàm materia prima non est ens actu, sed in potentia tantum, & tamen est bona. Ergo Bonum latiùs patet, quàm ens in actu, quod & ipse S. Doctor admittit, ac per consequens non conuertẽtur. Deinde non minùs falsum est, quod dicunt, explicando prædictum ens in actu, scilicet habere totum, quod requiritur ad existendum, & tunc solùm dictum ens tenent esse capax bonitatis, & perfectionis. Nam, in sententia S. Præceptoris materia est bona propter ordinem ad esse, & tamen non habet omnia, quæ requiruntur ad ens, vt existat; cùm non habeat actum primum à forma prouenientem, sine quo existere non potest. Ergò &c. Contra illud, quod Salmat. addunt; Bonum scilicet conuerti cum ente participialiter, non autem nominaliter sumpto, vide impugnationes supra hìc fusè à pag. 291. vbi contrarium docuimus, & quæ obijci poterant, soluimus. Ex quibus tertium punctum responsionis ad rationem nostram pro Cõclusione euanescit.

QVAESTIO II.

Vtrùm diuisio Boni in honestum, vtile, & delectabile sit adæquata.

SVpponendum, non esse tantam controuersiam inter Authores circa diuisionem istam, quamuis enim ex mente S. Tho. videatur ista diuisio magis currere de Bono humano, nihilominùs iam concorditer applicatur à Sectatoribus S. Thomæ Bono in communi, igitur exclusis alijs diuisionibus, quas aliqui multiplicant inutilitèr.

Dicendum est, diuisionem istã Boni in Honestum, Vtile, & Delectabile esse adæquatam. Sic S. Tho. 1. p. q. 5. ar. 6. & cum Aristot. 2. Etich. cap. 3. & alibi. Ratio autem istius diuisionis facilè deducitur. Cùm enim de ratione Boni

ni sit appetibilitas, tot modis dicetur Bonum, quot modis dicetur appetibile ex vi perfectionis; appetibile autem est triplex: Honestum, Vtile, & Delectabile. Vel enim aliquid est appetibile propter seipsum, vel est appetibile propter aliud. Si primum, scilic. propter seipsum, quia nimirùm perfectio, quam in se habet, ex se ipsa est consentanea, & conueniens, v.g. homini, cùm hoc possit duobus modis contingere; primò, si sit conueniens in ordine ad delectationem, quam tale bonum secum adfert, sic erit bonum delectabile: Secundò absque ordine ad delectationem, sed solùm quia per se decet hominem, siue habeat, siue non habeat delectationem, sic erit bonum honestum. Si autem secundum, scilicet appetibile propter aliud, & ratione alterius boni, quod mediante illo obtinere potest, desideraturque, vt alij dicunt, propter bonum meliùs, sic erit bonum vtile, ab alijs vocatum medium. Euidens igitur est, adæquatam esse istam diuisionem Boni, & membra diuidentia distingui saltem ratione. Circa quæ membra notanda sunt aliqua, & quidem.

Notandum primò circa Bonum honestum, dupliciter illud posse sumi, vel in ordine ad mores, seu ad actiones humanas, quatenus sunt regulabiles prudenti ratione; & sic dicitur Bonum morale, bonum rationis; Vel in ordine ad naturam; prout per se perficit illam, estque illi commodum, præcisa quacunque ratione virtutis,& sic dicitur Bonum naturale. Primo modo sumptum dicitur illud,quod per se, & ex se est decens hominem ratione vtentem, in qua decentia non consideratur aliqua commoditas,licet sæpiùs interueniat,sed tantùm consideratur proportio, quæ inuenitur inter tale bonum, & Personam; v. g. dare eleemosynam indigenti est honestum, quia est decens naturæ rationali, & secundùm regulas prudentiæ operanti,etiamsi inde homo nullam vtilitatem haberet. Et istud Bonum declaratur per conueniētiam ad dictamen rectæ rationis: illud enim est bonum honestum, quod recta ratio dictat esse faciendum. Sub isto bono continentur habitus boni, Virtutes scilicet, actus illorum, & obiecta. Virtutes enim computantur inter maxima bona, quia maximè decent hominem ratione vtentem.

Secundo modo sumptum, videlicet in ordine ad naturam, est id, quod perficit talem naturam, v.g. sanitas, dispositio corporis, vita, &c. possunt appellari bona honesta: si tamen attendamus ad communem modum loquendi potiùs appellari debent bona naturæ, & sic à S. August. l. 2. de lib.arbitrio cap. 19. dicuntur Bona media, eò quòd possimus illis benè, vel malè vti, sicut etiam di-

uitiæ dicuntur bona infima. Igitur concludendum est, nomine Boni honesti, communiter intelligi bonum moraliter, istud enim continet maxima bona sub se, eò quòd semper debeamus ipsis benè vti.

Notandum deinde circa Bonum delectabile, quòd duo inuoluit, delectationem ipsam, & obiectum delectationis. Si pro delectatione sumatur, semper dicit illam suauitatem, & quietem, quam appetitus habet in bono adepto, siue habeat conformitatem cum natura rationali, siue non. Si pro Obiecto, semper natum est causare delectationem in appetitu, quando est præsens, vel apprehenditur vt tale, & ideò habet vim mouendi appetitum ad sui desiderium, & aliquando mouet, etiamsi sit contra commodum naturæ, & regulas rationis, vt S. Tho. docet 1.p. q.5.a.6. ad 2. Ex quo patet distinctio boni delectabilis ab honesto: Honestum enim, vt sic, non dicit delectationem, cùm dentur plura honesta, quæ tamen non delectant. Similiter etiam bonum delectabile non dicit honestatem de se, cùm aliquando, vt ait S. Thomas, detur bonum delectabile, quod nec sit bonum moraliter, nec consentaneum naturæ, sed potiùs turpe, & nociuum. Tenendum igitur, Bonum delectabile per modum obiecti esse id, quod ex se, & sua ratione præcisè habet causare delectationem in appetitu propter peculiarem proportionem, quam habet cum tali potentia; & hoc modo se habet secundum membrum diuisionis.

Notandum tandem circa tertium membrum diuisionis, scilicet Bonum vtile. Istud, vt docet S. Tho. 1.p. q.1. ar.6. ad 2. *non habet in se, vnde desideretur, sed desideratur tantùm, vt est ducens ad alterum, sicut sumptio medicinæ amaræ.* Hinc ortum habet, quòd bonum vtile non dicatur ab aliquibus habere in se bonitatem intrinsecam, sed tantùm, quòd sit extrinsecè bonum per denominationem à bonitate finis. Pro cuius explicatione.

Aduertendum adhùc, quòd in Bono vtili duo possunt considerari: Primum est vis, & potentia, quæ est in bono vtili, ad acquirendum effectum, in ordine ad quem vtile dicitur. Secundum est illa vtilitas in ordine ad appetentem, cui tale bonum vtile est. Si loquamur primo modo de bono vtili, dicendum est, vtilitatē posse esse virtutem, & perfectionem aliquam intrinsecam, quæ quidem perfectio comparata ad ipsummet ens, quod vtile denominatur, est illi conueniens, non quidem, tanquàm bonum vtile, sed potiùs tanquàm bonum illi proportionatum per se, vt patet in medicina, quæ est vtilis ad sanitatem, quatenus habet vim ad expellendum aliquem humorem, & illa vis est aliqua proprietas in-

trinseca, & connaturalis tali medicinæ, respectu verò hominis dicta vis potest dici vtilitas, in ordine ad expulsionem alicuius humoris, præcisè tamen sumpta, non est bona, aut conueniens homini, nisi in quantùm conueniens dicitur diminutio, vel purgatio illa sanguinis, & si homo non indigeret tali purgatione, aut diminutione humoris, illa virtus medicinæ non esset illi conueniens, indigenti autem est bona propter sanitatem; Vnde illa virtus, quamuis sit intrinseca medicinæ, ex se tamen non est conueniens homini, sed solùm est appetibilis, quatenùs à bonitate finis quodammodo informatur; & propter hoc dicitur à D. Tho. & alijs, Bonum vtile, vt sic, non habēre bonitatem intrinsecam, sed solùm extrinsecā prouenientem à bonitate finis, ad quem est vtile. Quod etiam potest colligi ex eo, quia Bonum vtile, vt sic, non excitat, aut mouet appetitum ex se, (vt patet de potione amara,) sed finis ipse, qui est bonus propter se, eodemq; modo appetibilis, mouet appetitum sui, & mediorum. Occasione dictorum.

QVÆRES; Qualis est ista diuisio Boni?

Resp. esse analogi in analogata. Sic S. Thom. 1. p. q. 5. a. 6. ad 3. expresse dicens. *Bonum non diuiditur in ista tria, sicut vniuocum, æqualiter de his prædicatum, sed sicut analogum, quod prædicatur secundùm prius, & posterius; Per prius enim prædicatur de Honesto, & secundariò de delectabili, tertiò de Vtili.* Et patet ex dictis de analogia in hoc Tract. quia quando nomen commune dicitur de vno extrinsecè, & de alijs intrinsecè, tunc illud est analogum. Sed Bonum dicitur intrinsecè prius de honesto, & delectabili, de vtili verò extrinsecè, & per ordinem ad duo alia priora. Ergo est analogum, consequēter diuisio eius est analogi in analogata. Pro quo.

Aduertendum est primò, inter honestum, & delectabile intercedere aliquam analogiam attributionis, quamuis sit, & proportionalitatis: Dixi aliquam analogiā attributionis, quia aliquandò, & vt in plurimum, Bonum delectabile præsupponit bonitatem honestam naturalem, aut moralem, in qua appetitus quiescat per delectationem, quia delectatio ex natura sua ad hoc tantùm videtur instituta, vt sit, velut quidam decor, & quasi condimentum quoddam alterius superioris ordinis: Vnde appetere operetionem aliquam, etiam naturalem, propter delectationem, in ea sistendo, est ordo imperfectus, & inordinatus, cùm potiùs delectatio sit propter eandem operationem, & ad hoc est instituta; præsertim loquendo in ordine ad hominem, respectu cuius bonum delectabile, quod non habet honestatem adiunctam, non potest, nec debet bonum simpliciter existimari, quia priuat maiori bono, & non conducit homini

Digitized by Google


mini ad bonum simpliciter ipsius, quod est viuere secundùm rationem. Et in hoc sensu dicunt aliqui DD. & SS. Patres, nihil esse bonum, nisi virtutes, &c. Ex qua doctrina patet, quàm benè dixerit S.Tho. loco sup. cit. quòd bonum prius dicitur de honesto, quàm de delectabili.

Aduertendum est secundò, inter ista duo bona, honestum scilicet, & delectabile, intercedere analogiam proportionalitatis, quæ est sita in hoc, quòd sicut bonum honestum habet bonitatem per se motiuam appetitus, ita & bonū delectabile. Ex qua doctrina patet meliùs id, quod innuimus Tract. de Analog. idem nomen analogum posse esse attributionis respectu duorum membrorum, & proportionalitatis respectu aliorum, vt sanum, quod priùs significat animal, secundò medicinam, de istis dicitur per attributionem vnius ad aliud; at verò idem sanum dicitur de animali, & de cibo, non per attributionem vnius ad aliud, sed per proportionalitatem: sic in proposito, bonum dicitur per attributionem de honesto, & vtili, per proportionalitatem verò de honesto, & delectabili.

Hic locus esset Quæstioni illi tractandæ. Vtrùm Creatura possit analogari cum Deo secundùm rationem Boni, & qua analogia? Sed quia ex supra dictis hic disp. 1. quæst. 5. de Analogia colligitur, quid sit respondendum; Et ex Cōplut. in Log. disp. 10. quæst. 4. & disp. 11. quæst. 3. patet, analogari secundùm rationem entis, & consequenter Boni, sicut & secundùm alias rationes, vtraq; analogia, attributionis scilicet, & proportionalitatis, ideò videantur, si placet, dicta loco cit. præcipuè P. Blasius, qui in terminis hãc Quæstionem decidit affirmatiuè in sua Metaphysica disp. 24. qu. 5. Neque enim placet multiplicare Quæstiones, quæ aliàs ex doctrina PP. nostr. Complut. facilè deduci possunt.

Et hæc satis de præsenti Quæstione, deque toto hoc Tractatu primo hucusque dicta sufficiant; exindè ad magis necessaria transeundum.

Digitized by Google




PRIMI
TRACTATUS
FINIS.



TRA-

Digitized by Google



INDEX
ALPHABETICVS
RERVM NOTABILIVM
In hoc Opere contentarum.

Prior numerus Tomum, alter Paginam indicat.

In

Digitized by Google

Nul-

Digitized by Google

Digitized by Google

b Quæ-

Digitized by Google

F

G

H

Digitized by Google

L

M

Est

MEMBRVM

METAPHYSICA

MODVS

Digitized by Google

MORALITAS

MVLTITVDO

MVTATIO

N

NATVRA

NECESSITAS

NEGATIO

Po-

Digitized by Google



Du:

Digitized by Google

Digitized by Google

R

RATIO

Digitized by Google

Digitized by Google

Sub-

Digitized by Google

Ter-

Digitized by Google

VO-

Digitized by Google

Errata	Corrige
D. Thomas. p.4.col.2.ver.med.	D. Thomam.
Excludemus. ibid.col.2.ver.fin.	Excludimus
non continentur. p.5. col.1.ver.med.	non continetur
ipsa metaphysicæ. ibid.ver.fin.	ipsi metaphysicæ
quod in prœmio. p.6.col.1.ver.princ.	qui in prœmio
cuius probationis. p.7.col.2.ver.med.	cuius probationi
quia hæ in recta. p.8.col.1.ver.med.	quia hæc in recta
potius, quam illud. p.10.col.1.ver.med.	potius istud, quam illud
per potius. p.11.col.1.ver.princ.	per prius
8.Metaphys. p.12.col.1.ver.fin.	8.Physic.
Iste. p.19.col.1. ver.med.	ille
abstrahunt tantum. p.21. col.2.ver.fin.	abstrahunt non tantum
Et quæ abstrahunt. p.22.col.1.ver.princ.	sed quæ abstrahunt
gaudent studijs. p.35.col.1. ver.med.	gaudent studere
non pos- tribuere. p.37.col.1.ver.med.	non possunt tribuere
in esse rei consideratæ. ibid.	in esse rei considerata
magis hac solutio. p.30.col.2.ver.med.	magis hæc solutio
talis communitas. p.50.col.2.ver fin.	talis communitatis
℞. negando maiorem. p.52.col.1.ver.med.	℞. negando minorem
esse album, vt quod. p.56.col.1.ver.fin.	esse album vt quo
in dictis ratio differentiæ consistit. ibidem col.2. vers. fin.	in dictis rationem differentiæ consistere.
determinabilis potest. p.57.col.1.ver.med.	determinabilis non potest
simul falsæ. p.59.col.1.ver.med.	simul veræ
Apprehensibile ab intellectum. p.60.col.1. ver. fine.	Apprehensibile ab intellectu.
Ordinarie fundatur. p.63.col.1.ver.med.	Ordinariè fundantur
quæ aliquando Analoga. p.75.c.1.ve.med.	quæ aliquando æquiuoca
nec habet non potest. p.78.col.1. ver.med.	nec habet, nec potest
erit naturę relata. ibid.col.2. ver.fin.	erit natura relata
est analogum. p.81.col.2.ver.fin.	esse analogum
ponere debet. p.84.col.1.ver.fin.	ponere debeo
definiat. ibidem.	definiam
respectu omnium nouem. p.92.c.2.ver.fin.	respectu aliquorum
considere. p.95.col.2.ver.fin.	consistere
in depentia. p.97.col.1.ver.princ.	in dependentia
non esse analoga. p.98. col.1.ver.med.	esse analoga
trascendentia enim. p 99.col.1.ver.fin.	trascendentiam enim
neque hac opinio. p.100. col.1.ver.princ.	neque hæc opinio
vbi inuenitur partipatio. ibid. ver.med.	vbi inuenitur participatio
actualitas penetrabitur. p.101.c.2.ver.me.	actualitas non penetrabitur
vel quolibet. p.108.col.1.ver.fin.	vel quodlibet
formalitatem cognoscentiæ. p. 112. col.1. ver. princ.	formalitatem cognoscentis;
aliqua potentia potest. p.113.col.1.ver.fin.	aliqua potentia tendit
rationem entis. p.121.col.1.ver.princ.	rationem speciei
est proportionalis, tantum. p. 127. col.1. ver.princ.	est proportionalis tantum,

nec

Digitized by Google

Errata	Corrige
nec dependere. p.132.col.2.ver.med.	nec dependent
ad modum participati. p.133.c.2 ver.prin.	ad modum participantis
ac per conſequens,quod p.135 c.1.ver.fin.	ac per conſequens non quod
omnino eamdem. p.139.col.2.ver.princ.	omnino eadem
quia reputat. p.143.col.2 ver.fin.	quia non reputat
iudices Ortiz. p.144.col.1.ver fin.	iudicet Ortiz
quia exiſtentiæ. p.162 col.2. ver.princ.	quia exiſtentia
debet diſcere. ibid.ver.fin.	debet dicere
eſt indiſtincta. p.165.col.2.ver.med.	eſt diſtincta
indiſtincta genere. ibidem.	diſtincta genere
indiſtincta numero. ibidem.	diſtincta numero
non poteſt intelligi de potentia actiua, ſed de potentia actiua, ſed de potentia receptiua. p.158.col.2.ver.med.	non poteſt intelligi de potentia actiua, ſed de potentia receptiua.
ergo dices ſecundum. p.169.col.1.ver.prin.	ergo dices primum
hac tamen ſententia admiſſa. p.171. col.2. ver. fin.	hæc tamen ſententia, admiſſa
circa ea potentiam. p.172.col.2.ver.fin.	circa potentiam
reſiſtitiua abiectiua. p.175.col.2.ver.princ.	reſiſtitiua ab actiua
amat media quam finem. p.176.c.2.ver.fin.	amat finem quam media
ſecundum quam Angelos. p. 187. col.1. ver.princ.	ſecundum quam Angelus
& participationem tantum. p.197. col.1. ver. fin.	& participantem tantum
cum omnipotentiæ. p.202.col.2.ver.med.	cum omni potentiæ
modi nominatiui. p.204. col.2.ver.fin.	modi dominatiui
quædam vniuerſalis. p.205.col.2.ver.fin.	quædam ratio vniuerſalis
hæc enim licet compleat. p.216.c.1.ver.m.	hæc enim licet compleant
ſunt ego. p.242.col.1.ver.princ.	ſunt ergo
eſt plurimum neceſſarium. ibid c.2. ver.fin.	eſt plurimum neceſſaria
non ſupponit verus. p.253.col.2. ver.prin.	non ſupponit verum
pateant amplius. p.259.col.2.ver.fin.	non pateant amplius
ſecundum ſe, ſe. p.268.col.1. ver.princ.	ſecundum ſe,
vnius homo p.291.col 2 ver.princ.	vnus homo
tacitæ cuidam obiectione. p.295.c.2.ver.fi.	tacitæ cuidam obiectioni
adęquantur imperfectè. p.330. c.1.ver.pri.	adęquantur perfectè
probabatur quia. p.362.col 1.ver med.	probatur quia
ſunt poſitiuè. p.370.col.2.ver.fin.	ſunt poſitiuæ
itaut illa reddat. p.392.col.1.ver.princ.	itaut illam reddat
materia primam. p.410.col.2.ver.med.	materia prima
abſque addione p.413.col.2.ver.princ.	abſque additione
maior argumenti. p.420.col.2.ver.fin.	minor argumenti
ſecundum conceptum eſſentię creatę cum præciſione tamen ſumpta. p. 423. col.1. ver.med.	ſecundum conceptum eſſentiæ creatæ, completè tamen ſumpta
non perhibetur. p.427.col.1.ver.med.	non prohibetur
ſibi ipſi contradicere. ibidem.	ſibi ipſi contradiceret

quia

Digitized by Google


Errata	Corrige
quia si subiectum. p.431.col.1.ver.fin.	atqui si subiectum
speciecciem athomam. p.438 col.1. ver.me.	speciem athomam
huiusmodi multiplicatis. ibid.	huiusmodi multiplicitatis
Complutensefes. p.461 col.1.ver.med.	Complutenses
habentem essentia simul alijs. p.462.col.2. ver.princ.	habentem essentiam simul cum alijs
sumitur modo. p.463.col.2.ver.fin.	sumitur tertio modo
communi sententi. p.472.col.2.ver.med.	communi sententia
alicuius positi. p.484.col.1.ver.fin.	alicuius positiui
ponente id quod. p 485.col.1.ver.med.	petente id quod
illum positiuum. p.492.col.2.ver.fin.	illud positiuum
est impertines. p.493.col.2.ver.princ.	est impertinens
alias inquit inter illud accidens. p.495.c.1. ver.med.	alias sicut inter illud accidens
ipse natura. p.686.col.1.ver.princ.	ipsa natura
sicut est specis. ibidem.	sicut est species
cum statum immaterialitatis. ibid. col.2. ver.princ.	cum statum immaterialitatis
sit verò modus. p 687. col.2.ver.med.	sit verè modus
pars conclusio. ibidem.ver fin.	pars conclusionis
modus essendi repręsentatiuus. p.688. c.1. ver.princ.	modus essendi repræsentatiuus diminutus
tribuendo statum illam. ibid.col.2. ver.fin.	tribuendo statum illum
tum qua natura. p.689.col.2.ver.med.	tum quia natura
discurrendam est. p.692.col.1.ver.fin.	discurrendum est.

Digitized by Google

METAPHYSICA
IVXTA MENTEM
D. THOMÆ,
Et doctrinam nostrorum
COMPLVTENSIVM:
AVTHORE
R. P. F. ALEXANDRO A IESV,
POLONO
CARMELITA DISCALCEATO:

Reimpressa per Reu. Patrem Prouincialem, Prouinciæ Matris Dei Neapolis.

TOMVS SECVNDVS.



NEAPOLI, Ex Typographia Michaelis Monaco M. DC. LXXXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX DISPVTATIONVM.
AC QVAESTIONVM
In hoc opere contentarum.

TRACTATVS SECVNDVS
De Ente Creato, et eius quasi *Compositione, absoluitur Disputationibus Nouem.*

DISPVTATIO I.
De Essentia.

DISPVTATIO II.
De Essentia singulari atque indiuidua, seu de Principio Indiuiduationis Entis Creati.

DISPVTATIO III.
De Principio Indiuiduationis substãtiarum immaterialiũ.

DISPVTATIO IV.
De Principio radicali Indiuiduationis Accidentium.

Digitized by Google

DISPVTATIO V.

De Subsistentia, & Supposito.

Digitized by Google

DISPVTATIO VI.

De Exiſtentia.

DISPVTATIO VII.

De Modis.

DISPVTATIO VIII.

De Cauſis, & Proprietatibus Modorum.

DISPVTATIO IX.

De Principijs.

Digitized by Google



TRACTATVS SECVNDVS.

De Ente Creato, & eius quasi Compositione.

EXplicata natura, & diuisione Entis, seù partibus, quasi subiectiuis ipsius, remanet explicanda in hoc secundo Tractatu quasi Compositio eiusdem, seu quasi partes constitutiuæ, & intrinsecæ ipsius. Ponitur autem ly *quasi*, quia dicta, in rigore, Enti competere nequeunt, cũ nec sit propriè vniuersale, vt habeat propriè partes subiectiuas, nec quid, in rigore, compositum, vtpotè simplicissimus conceptus, iuxta superiùs dicta. Dicitur tamen componi quodammodò comparatiuè ad essentiam, quæ formaliter nihil aliud dicit, nisi seipsam, vt est quid simplicissimum: Ens autem in concreto sumptum importat Essentiam, & Existentiam, ex quibus, tanquàm compositum quoddam metaphysicum cõsurgit. Rectè igitur post naturam Entis, & diuisiones eiusdem in præcedenti Tractatu examinatas, in hoc secundo Tractatu ad compositionẽ quasi eiusdem accedimus, eamq; faciendo, partes eius, scil: subsistẽtiam, existentiam, &c. trutinabimus doctrinæ methodo, à simplicioribus ad magis composita progredientes. Quia verò essentia cũ Subsistentia, & existẽtia non coniũgitur in natura cõmuni, aut præcisa ab indiuiduis, sed in natura singulari, ideò pro plena, perfectaq; omniũ discussione etiam singularitatem ipsam Naturæ, seù principium indiuiduationis in hoc Tractatu examinabimus.

Absoluetur Tractatus iste secũdus disputationibus IX.

I. Erit de essentia in communi.

II. De essentia singulari, atque indiuidua, seù de principio indiuiduationis entis Creati.

III. De Principio indiuiduationis Angelorum.

IV. De

IV. De Principio radicali indiuiduationis accidentium.

V. De subsistentia, & supposito.

VI. De existentia.

VII. De Modis, eorumq; conceptu.

VIII. De causis, & proprietatibus Modorum.

IX. De principijs.

DISPVTATIO I.

De Essentia.

QVAESTIO I.

An, & quid sit Essentia.

CIrca primam partem Quæstionis nō est difficultas inter Authores: sicut enim omnes fatentur, dari ens, experientia id probante, sic & intimam ipsi essentiam dari non negant; Vt autē decidatur secūda pars quęstionis.

Supponendum est primò, essentiam, ex vi nominis importare quoddam esse. Hoc autem tripliciter sumi potest. Primò. Pro esse essentiæ, seù ipsa quidditate rei, & à tali esse essentia deducitur. Secundò. Pro esse existentiæ, quod est actus ipsius essentiæ. Tertiò. Pro copula, seù vinculo vniente prædicatum cū subiecto, per verbum, *Est*, expresso, significante propositionis veritatem: Et secūdùm huiusmodi esse potest dici ens omne illud, de quo affirmatiua propositio formari potest, etiā si illud in re nihil ponat, vt docet D.Tho: de ente cap. 1. per quem modum priuationes, & negationes entia dicuntur, dicimus enim, quòd affirmatio est opposita negationi, & quòd Cæcitas est in oculo. Iam verò in prima acceptione sumptum, scilicet pro esse essentiæ, diuersis nominibus ab Authoribus nuncupatur. Dicitur enim primò essentia, quasi ad esse tendētia, quandoquidem essentia dicit ordinem ad esse, seù existentiam. Secundò dicitur *Quidditas*, seù quod quid erat esse rei, idest hoc, (prout explicat Doct. Ang.) per quod aliquid habet esse quid. Tertiò dicitur *Definitio*, non quidem formalis, sed obiectiua, nàm per definitionē explicatur. Quartò dicitur Ratio, vel quia est causa cæterorum, saltèm materialis, vt Subsistentiæ, & existentiæ, vel quia vt Cōceptus obiectiuus correspondet Rationi, de illa definitionem formanti, propter quod etiam vocatur, & conceptus obiectiuus, in quantùm correspondet conceptui formali in intellectu existenti. Quintò dicitur *Forma*, secundùm quòd per formā significatur perfectio, vel certitudo vniuscuiusque rei. Sextò dicitur Natura, secundùm quòd habet ordinem ad propriam operationem rei, quia nulla res destituitur propria operatione, vt inquit S. Thomas.

Supponendum secundò, varias à *D.*Tho: Essentiæ deduci definitiones, seù descriptiones. *Definitur* primò de Pot: quæst. 5. art. 4. ad 3. *Essentia est illud, cuius actus est*

est esse; Deinde definitur 1. p. q. 39. art. 2. ad 3. *Essentia est principium essendi.* Tandem de Ente cap. 1. *Essentia est id, quo, & in quo res habet esse*. Illud namque, quod habet esse, non iam est Essentia sub conceptu Essentiæ, sed Ens; id autem quo Ens habet esse, *vt Quod*, est ipsa Essentia. Sunt & aliæ definitiones, seu descriptiones; sed omissis ipsis, eligimus vnam sequentem, &

Dicimus primò, optimè describi Essentiam sic: *Essentia est principipium, aut quasi principium essendi*. Explicatur ly *principium*, tãquam ratio quædam superior, & communior, & per modum quasi generis, ponitur verò Ly *essendi* per modum differentiæ; esse enim principium tale, scilicet essendi immediatum, id est immediatè ordinatum ad esse, nulli rationi competit alteri ab Essentia, vt discurrenti patebit: Additum autem est, *quasi principium*, propter Essentiam Increatam. Vt enim aliquid sit principium absolutè respectu alicuius, debet esse distinctum ab illo, tanquàm à suo principiato, in Deo autem inter Essentiam, & esse nec minima quidem, qualis est distinctio rationis ratiocinatæ, aut virtualis, datur; hinc est quòd Essentia illius non potest dici absolutè principium, sed tantùm quasi principium esendi.

Probatur, seu explicatur secundò. Potentia rectè definitur, aut quasi definitur per ordinem ad suum actum, quem per se primò respicit. Sed essentia respicit esse, vt potentia suum actum per se primò inspectum. Ergò rectè per illud definitur. Maior suadetur: Rectè definitur aliquid per sua essentialia. Sed ordo potentiæ ad actum per se primò inspectum est essentialis, vt omnes fatentur. Ergò rectè potentia per illum definitur. Minor. Quia existentia est actus alicuius *primi*, vt docet D. Tho. omnium vltimus; Sed non alterius, quam Essentiæ, si namq; Essentia consideretur sine ordine ad esse, & tanquàm id, quod non est, est nihil. Ergo Essentia esse respicit, &c. Quòd autem respiciat primò per se. Probatur, quia cùm Potentiæ debeat commensurari, ac correspondere actus, & è conuerso potentia actui, vniuersalissima potentia non potest primò per se respicere, nisi vniuersalissimum actum. Ergo cùm Essentia sit vniuersalissima in linea potentiæ, & Existentia in linea actus, vt discurrenti patet, sequitur, quòd habeat ipsam respicere primò per se.

Dicimus secundò. Si loquamur de Essentia, vt tali, & primò de increata, hæc constituitur per ipsummet esse, & intelligere, nullatenus ab ipso distincto, iuxta illud: *Ego sum, qui sum*, iam autem loquendo de creata Essentia formarum completarum, siue substantialium, siue accidentalium, tùnc illarum essentiæ, realitèr loquendo, sunt simplices, idest compositionem physicam intra lineã Essentiæ non admittentes, benè

tamen compositionem logicam, quæ est ex genere, & differentia.

Prima pars conclus. patet. Secundæ autem partis altera pars facilè probatur, quia: Vbi potest inueniri aliquid potentiale, vnde desumatur ratio generica, & aliquid actuale, aut formale, vnde differentia, ibi inuenitur compositio ex genere, & differentia, vt patet ex Logica. Ergo cùm in quauis Essentia creata vtrumque inueniatur, quandoquidèm nulla potest esse suum esse, sicut Deus, sequitur, quòd in quauis Essentia formæ creatæ, etiam simplicissimæ, debeat inueniri dicta compositio logica, scilicet ex genere, & differentia. Prior autem pars Conclusionis, quòd scilicet formę creatæ completæ simplices non admittant intra lineaam suæ Essentiæ compositionem realem, probabatur, quia compositio realis, ac physica intra lineam Essentiæ tantùm est ex Materia, & Forma, vt consideranti patebit. Sed formæ completæ, siue substantiales, siue accidentales non constant ex Materia, & Forma; de substantialibus enim id patet in Tract. de Angelis, de accidentalibus similiter; aliàs non essent mera accidentia, vtpotè intra suam essentiam admittentia aliquid substantiale, scil. materiam. Ergo, &c.

Dicimus tandèm tertiò: Si sermo sit de Essentia substãtiæ materialis, illa admittit non solùm logicam, sed etiam physicam cõpositionem, & realem, cùm non tantùm forma substantialis, sed etiam Materia prima, vt pars essentialis eiusdem intret compositionem, ac constitutionem, vt excellenter nost. P. Complut. in Physica lib. 2. ostendunt, qui (vt sic breuitati consulamus) possunt videri.

Ad Argumenta in contrarium respondetur.

OBijcitur primò contra definitionem Essentiæ. Si Essentia esset id, cuius actus est esse, vel principium essendi, illud, quod non esset principium essendi, non haberet ex se Essentiam. Consequens est falsum. Ergo, & antecedens. Sequela patet, quia cui non competit definitio definiti, nec ipsum definitum competere potest. Minor prob. Modi habent essentiam realem, cùm non sint nihil; Sed hi non sunt principia essendi, non enim Modi afferunt aliud esse, quàm esse rei modificatæ, vt docent nostri Complut. de vnione inter Materiam, & Formam, quam, ipsarum causalitatem, vocant. Ergo, &c.

Resp. distinguendo Maiorem. Non haberet ex se essentiam, in rigore Metaph. sumptam; Concedo; minùs rigorosè sumptam, prout coincidit cum realitate; Nego; Et in hoc sensu negatur minor. Ad probat. hic commodè responderi nequit, cùm nondùm sit explicata natura modorum

ni-

Digitized by Google

nihilominùs pro interim dicitur, Modos habere quidem essẽtiam, prout coincidit cum realitate, non tamen essentiam in rigore Metaphysico sumptam; Nàm Essentia in rigore metaphysico importat radicem, & principium esse sibi correspondentis. Pro nùnc autem supponimus, Modos non habere esse sibi correspondens, vt etiàm argumentum probat, proinde nec essentiam in rigore, habent tamen essentiam quandam sibi propriam, prout coincidit cum realitate, quia realitas secundùm suam formalissimam rationem non dicit radicem essendi, sed tantùm fixum quid, ratumq; extra animam positum, contradistinctũ à nihilo: Hæc autem ratio competit modis, vt patebit ex disputatione de modis. Ergo & essentia prout coincidit cum realitate.

Sed instabis. Modus contradistinguitur à realitate. Ergo non potest ipsi competere Essentia coincidens cum realitate. Anteced. prob. Inter Modum, & Rem datur distinctio, nullo intellectu cogitante, vt disp. vltima ostendetur; sed realitas nihil aliud videtur importare, quàm Rem: habẽt se namque ista inter se, vt concretum, & abstractum, quæ quoad rem significatam non distinguuntur, præsertim in transcendentibus, qualis est Res. Ergò si modus contradistinguitur à re, contradistinguetur, & à realitate.

Resp. ad hanc instantiam: Modus contradistinguitur à realitate, prout realitas, aut res, importat quidditatem completam, & independentem ab alio, tanquàm fulciente se; Concedo; prout abstrahit ab hoc, quod est esse quidditatem, vel in completam, & dependentem, vel completam, & independetem ab alio, vt fulciente se, sine quo esse non possit; Nego: hoc enim modo Res habet rationem transcendentis imbibiti in omni essentiæ formalitate, & modo, omnique eo, quod est contradistinctum à nihilo. Vnde realitas seù formalitas *rei* non tantùm abstrahit ab hoc, quod est esse quidditatem, prout importat esse radicem essendi immediatam, vel non esse, sed etiam ab hoc, quod est esse perfectam quidditatem, & independentem ab alio, tanquam se fulciente, vel non: & in tali sensu competit Modis; Sed de his fusiùs suo loco.

Obijcitur secundò. Existentia habet suam sibi propriam essentiam. Ergo falsò dicitur, quòd essentia sit principium essendi, seù existentiæ. Consequ. n. suadetur: Implicat, quòd idem respectu sui ipsius sit principium, & principiatum, hoc nam que nec in Diuinis conceditur, vbi tamen est summa identitas. Sed si Essentia esset principium existentiæ, Existentia habens propriam Essentiam esset principium sui ipsius. Ergo si existentia habet propriam essentiam, falsò dicitur, quòd Essentia sit principium essendi. Anteced. autem prob. tùm quia existentia est aliqua realitas, idest fixum quid,

Digitized by Google

ratumq; extrà animam, contradistinctum à nihilo, proindè debet habere essentiam, quæ coincidit cum realitate, qualiscumque illa fuerit. Tùm etiam, quia Existentia est cognoscibilis quidditatiuè, nihil autem est quidditatiuè cognoscibile, nisi habeat quidditatem, cum vnumquodque ita sit cognoscibile, prout est: siquidem cognoscibilitas fundatur in entitate. Ergo Existentia habet aliquam quidditatem, seu essentiā.

Resp. ad hoc Argum. admittendo anteced. in hoc sensu, prout Essentia coincidit cum realitate, & negatur conseq. Ad probat. eius dico: Implicat, idem respectu sui ipsius esse principium rigorosum: Concedo: quasi principium: Nego. Existentiæ autem etsi nos cōcedamus esse principium essendi minùs rigorosum, seù quasi principium, non tamen ei tribuimus rationē principij rigorosi; proinde Argumentum non vrget. Sicut in Deo, qui est suum esse, Essentia non potest dici in rigore principium existentiæ, quia inter Essentiam, & existentiam est summa identitas, ita, vt ne virtualis quidē distinctio intercedat; potest tamen dici, quasi principium ex imperfecto nostro modo concipiendi, quia nos concipimus Essentiam in Deo per analogiam ad creatā, quæ est principium essēdi, & ideò etiam diuinæ hoc ipsum attribuimus, licèt non ita, sicut creatæ, proinde concipimus ipsam non, vt principium essendi, sed vt quasi principium: Quod ergo de diuina essentia est dictum, hoc proportionabiliter intelligendum de essentia existentiæ.

Obijcitur tertiò. Ratio positiui est ratio essentiæ, sed nequit esse principium essendi, aut ordinatum ad esse ratio positiui. Ergo nec ratio essentiæ poterit esse ratio principij essēdi. Maior prob. tùm ex S. Tho. cap. 1. de ente, qui loquens de Essentia, sic inquit. *Oportet, quòd Essentia significet aliquid commune omnibus naturis, per quas diuersa entia in diuersis generibus, & speciebus collocentur.* Sed ratio positiui significat etiam aliquid commune omnibus naturis, per quas diuersa entia collocantur in prædicamentis; verum enim est dicere, talis, vel talis natura in prædicamento tali, vel tali collocata est per quid positiuum &c. Ergo ratio Essentiæ, & positiui coincident. Tùm etiam, quia ratio positiui dicit quid reale contradistinctum à nihilo, fixum quid, ratumq; extra animam, quæ omnia, sicut rationem rei, sic & ipsius essentiæ, quam Res significat, vt ex D. Tho. supra relato patet, important. Ergo apparet, quòd ratio positiui sit ratio Essentiæ. Minor autem prob. Sicut ipsummet esse, sic & principium eiusdem clauditur intra sphæram diuinæ causalitatis, & attingentiæ ab Omnipotentia sua. Sed ratio positiui non clauditur intra sphæram istorum: Ergo nec poterit esse principium essendi. Maior patet, quia à Deo causatur omne esse, & omne ordinatum ad illud, cùm termi-

mi;

minus Omnipotentiæ Dei adæquatus sit ens in tota sua latitudine sumptum. Minor prob. Ratio positiui inuenitur in ipsomet formali peccati commissionis, immò formale illud formalissimè est quid positiuum, vt docent nostri Salmat. Tomo 4. de peccatis. Sed formale peccati non clauditur intra sphæram causalitatis diuinæ, aliàs Deus esset causa peccati secundùm formale eiusdem, quod est impium, ac blasphemum. Ergo &c.

Resp. disting. maiorem: Ratio positiui est ratio Essentiæ, secundum rem; Concedo: Secundùm expressionem, aut formalissimè; Nego, & eodem modo distinguitur minor, & nego conseq. vnde ad improbationem minoris dicitur, quòd licet positiuum secundùm rem, & identificationem cũ essentia, quæ in ipsa imbibitur, cadat intra sphæram causalitatis Diuinæ, non tamen quantùm ad formalitatem expressionis superadditæ rationi Essentiæ, aut Entis. Et propter hoc, etsi totiùs entitatis inuentæ in peccato Deus causa sit, non sequitur tamèn, quòd sit causa peccati formalis in positiuo consistentis.

Explicatur hoc. Essentia, seu Ens nominaliter, & positiuum quoad rem ipsam conuertuntur. Nam omne positiuum est aliqua quidditas, & quidquid realiter non est quidditas aliqua latissimè sumpta, est negatio, vel priuatio nihil ponens, id est non ponens aliquid, quod significat aliquam quidditatem. Non tamèn quidditas in rigore sumpta, prout nùnc à nobis sumitur, conuertitur cum positiuo quoad munus, aut expressionem, sed latiùs patet expressio positiui; Ly enim *positiuũ* exprimit quidquid opponitur negationi, vel priuationi, ac proindè quidquid non est nihil, siue hoc non nihil exprimat ordinem ad esse, quod est proprium quidditatis rigorosè, siue munus cuiuscumqne alterius formalitatis modificantis, & determinantis ipsammet quidditatem, aut rationem Entis; & ideò inter expressum nominis *positiui*, & inter negationem, vel priuationem nihil aliud potest concipi; At verò nomen *quidditatis* solùm exprimit ordinem ad esse, infrà quod potest concipi aliquid aliud, quod neque exprimit talem ordinem, neque etiam negationem, aut priuationem, sed aliquod aliud munus, v. g. alicuius tendentiæ determinantis, aut modificantis ipsammet quidditatem, aut entitatem, proinde illam intimè imbibentis. Vndè manifestè sequitur, quòd Deus sua causalitate licet, realiter loquendo, attingat totũ, quidquid est entitatis, & quidditatis, quæ dicit ordinem ad esse in actu peccaminoso, non tamen attingit etiam formale peccati in positiuo consistens, quandoquidem illud positiuum non importat, secundùm formalissimam rationem, aut expressionem, ordinem ad esse, quem quidditas, & entitas innoluit, sed aliquid

quid aliud modificatiuum eiusdem, rationem scilicet tendentiæ in obiectum dissonum regulis morum, quę formalitas expressionis non causatur à causa efficiente, sed à deficiente, qualis est voluntas peruersa.

QVAESTIO II.

Vtrùm Essentiæ rerum sint ab æterno positiuè?

SVpponēdū in primis, tres terminos in titulo quęstionis esse explicandos, scilicet. 1. Essentiæ rerum. 2. Positiuè. 3. Ab æterno. Quantum ad primum: Essentia, & Natura, secundùm D.Tho; sicut & quidditas, cap.1.de Ente, vt supra annotatum est, quæst. præc. significant eandem rem, secundùm diuersos tamèn respectus consideratam. Natura namque significat quidditatem ipsā, & intrinsecam rationem rei, prout respicit operationem; *Essentia* hoc ipsum similiter significat, prout respicit *esse*, à quo, & dicitur Essentia. *Quidditas* denique dicitur illud ipsum, prout respicit definitionem, quidnam res sit, explicantem. Essentia igitur, & Natura sic explicata in triplici statu potest considerari, vt optimè deducit ex D.Tho.Caiet. c.4. de Ente. Primò secundùm propriam rationem, seu secundùm se. Secundò secundùm esse in singularibus. Tertiò secundùm esse in intellectu. *Natura secundùm se*, (quam & naturam per modum totius significatam vocat Angel. Doct. loc.cit.) est natura considerata secundùm eas conditiones, siue ea prædicata, quæ conueniūt sibi essentialiter, seu per se primò; proinde nihil aliud dicit, quàm ipsamet prædicata quidditatiua. *Natura verò secundum esse in singularibus* idem sonat, quod natura considerata secundùm ea prædicata, quæ ipsi conueniunt ex eo, quod est singularizata, v. g. esse album, calidum, &c. & ideò alitèr vocatur Natura singularis. *Natura secundùm esse in intellectu* idem significat, quod natura secundùm ea prædicata, quæ conueniunt sibi ex hoc, quòd habeat esse in intellectu, v.g. esse speciem, esse genus, &c. quæ sunt prædicata rationis.

Supponendum secundò. In hoc præcipuè differt Natura secundùm se à Natura in singularibus, aut in intellectu, quòd Natura secundùm se, seu, absolutè sumpta, non est vna numero, nec plures numero: Non vna, aliàs non posset esse plures numero, quod falsum est, vt patet; eius enim, quod Naturæ secundum se competit, non potest ipsi oppositum competere, sicut ex eo, quod homini esse rationale secundùm se competit, oppositum ei nequit conuenire; & ita si Naturæ secundùm se competeret vnam esse numero, non posset eidem competere esse plures numero. Quod autem Natura secundùm se non sit plures numero, patet exindè, quòd

quòd Natura v.g. humana in Petro nequiret esse vna numero, quod quis afferet? Sequela autem ex eodem principio deducitur, ex quo & probatio prioris partis, nimirùm non posse competere Naturæ oppositum ei, quod ipsi competit secundùm se. Iam verò Natura in singularibus, vel est vna numero, vel plures, si fuerint plura singularia.

Aliud etiam notandum discrimen interuenit inter Naturam secundum se, & Naturam in singularibus, aut in intellectu, quòd Natura secundum se nullum statum sibi determinet, aut requirat, sicut Natura singularis exigit statum existentiæ in seipsa: Natura verò in intellectu statum existentiæ intelligibilis.

Fundamẽtum autem huius discriminis ex eodem supra posito principio desumitur, quòd scilicet ea, quæ competunt naturæ secundùm se, nunquàm possunt nõ competere, quandoquidem importat ipsamet prædicata quidditatiua sibi necessaria, & ideò sẽper competentia; esse verò in singularibus, aut in intellectu non semper competit naturæ, vt patet. Hæc quantùm ad intelligentiam termini Ly *Essentiæ rerum*.

Quantum verò attinet ad *Ly Positiuè*. Supponendum tertiò Ly *Positiuè* dupliciter posse intelligi. Primò modo Positiuè sumptum, vt ipsum æthymon indicat, deducitur à verbo, pono, proinde in hoc sensu esse aliquid positiuè, denotat collocationem alicuius in determinato statu. Secundo modo, positiuè, accipitur in latissima significatione pro omni eo, quod excludit negationem, & priuationem, contradistinguiturque à nihilo, siue illud positiuum formalissimè dicat solùm realitatem fixam, ratamque extra animam, siue illam cum immediato ordine ad esse, siue aliquam expressionẽ solam, v. g. tendentiæ, superaddat rationi entis: Et in hoc sensu potest dici, aliquid esse positiuè, præcisa etiam existentia, præcisione purè præcisiua, vt patet in Re, & Essentia reali, quæ secundùm suam formalissimam rationem præscindunt ab existentia, & tamẽ sunt quid positiuum, idest ratum, fixumq;, extra animam, quid contradistinctum à nihilo. Cæterùm in primo sensu, & acceptione nequit dici essentia, secundùm se præcisè sumpta, quid positiuum. In illo namq; inuoluitur status determinatus rei: At essentia secundum se præcisè sumpta, præscindit ab omni statu, vt modo dictũ est, nec poterit esse quid positiuũ, positiuitate in primo sẽsu accepta.

Quantum ad tertium terminũ; scilicet, Ly *Ab æterno*, spectat, supponendum Quartò, æternitatem; quomodocunque sumatur, esse de genere durationis, vt docent nostr. Complut. in Phys. disp. 21. quæst. 2. essentialitèr enim dicit permanẽtiam rei in esse, quòd est durare. Dupliciter autem potest accipi æternitas, propriè, vel impropriè. Propriè sumitur pro duratione rei immutabilis tàm

se-

secundùm substantiã, quàm secundùm operationem; & huiusmodi duratio est Æternitas per essentiam, sicut & duratio operationis omnis immutabilis ordinis diuini vocatur æternitas participata, quasi mensuratur visio beatifica. Impropriè autem sumitur æternitas pro interminabili quadam, ac perpetua duratione, siue illa sit tota simul, siue non, siue admittat successionem, siue nõ, vt est æuum. Quomodocunq; interim intelligatur æternitas, importat durationem quandam proinde dùm dicitur, aliquid esse ab æterno necessariò debet concipi durare.

Supponendum vltimò, durationem, in rigore loquendo, vel necessariò præsupponere existentiam, esseque accidens rei durantis (loquendo in creatis, vt docent nost. Comp. modo cit. disp. quæst. 3. §. 3.) vel etiã esse ipsãmet existentiam rei, præsertim in permanentibus, vt vult Ioannes à S. Tho. in Phys. quæst. 18. art. 1. cum sola connotatione extrinseca, & ita res præscindens ab existentia debet etiam omninò præscindere ab omni duratione, sicq; non dicere esse æternam, aut ab æterno, aut æuiternam, vel temporalem; sed ab omnibus istis omninò præscindere debet. Quæ licet sic habeant se de facto, quòd scilicèt præscindens ab esse; præscindat etiam ab omni duratione secundùm se, sicque non possit dici esse ab æterno, vel in tempore, in rigore; tamen ex modo nostro concipiendi potest concipi quasi durans ab æterno, in quantùm concipitur ad nullam temporis differentiam coarctari, ratione cuius posset concipi, vt incipiens, vel desinens, ac proindè carens perpetuitate continua, sed hoc est negatiuè tantùm; non autem positiuè esse ab æterno, tàm ex parte rei, quàm ex parte nostri modi concipiendi. Nam ad hoc, vt concipiatur aliquid positiuè ab æterno cum fundamento in re, requiritur, vt concipiatur vel positiua perpetuitas, sicque persistentia in esse, quæ est ipsa duratio, vel saltem principium positiuæ perpetuitatis; Principium autem positiuæ perpetuitatis, siue persistentiæ in esse, est ratio immutabilitatis, vt ostendunt nost. Compl. quæ necessariò præsupponit ipsum esse, vt patet, quia in tantùm vnumquodque est mutabile, vel immutabile, in quantùm est; proindè immutabilias, sicut fundatur in esse, sic illud præsupponet.

Dices, Immutabilitatem fundari quidem in esse, sed non in esse existentiæ formalitèr, verùm in esse essentiæ.

Sed contra hoc est; Nam loquẽdo de immutabilitate rerum, quæ Deus non sunt, (sicut nunc loquimur) immutabilitas omnimoda, qualis est principium perpetuitatis sine principio, & fine, non potest inueniri in Essentia secundùm se, & præcisa ab existentia in rebus, quæ Deus non sunt, quia si in talitèr sumpta essentia inueniretur essentialiter competeret

im-

Digitized by Google

immutabilitas alicui, quod Deus non est, quidquid enim competit essentiæ secundùm se, competit essentialiter, hoc autem dici nequit, aliàs alicui, quod non est Deus, essentialiter æternitas competeret, nam cui competit ratio aliqua à priori alicuius, competit & illud, quòd necessariò consequitur huiusmodi rationem à priori; Ergò cum immutabilitas omnimoda sit ratio à priori, ad quam necessariò sequitur æternitas, si talis immutabilitas competeret essentialiter alicui, quod non est Deus, competeret etiam essentialiter & ipsa æternitas. His igitur pro tituli quæstionis intelligentia prænotatis. Circa excitatam quæstionem triplex emergit Sententia.

Prima est Scoti in 1. distin. 35. quæst. 1. & aliorum ex Schola ipsius asserentium, Essentias rerum esse ab æterno secundùm suam realitatem, quam vocant diminutam qnandam entitatem extra Deum.

Secunda Sententia è diametro opposita dicit; Essentias rerum esse perpetuas, & ab æterno negatiuè tantùm, non positiuè, in quãtùm secũdùm se non habent principium suæ corruptionis, aut productionis, & per consequens neque sui principij, aut finis. Ita Complut. nost. in Log. disput. 4. quæst. 1; plures pro se citantes Authores.

Tertia Sententia est cuiusdam Iunioris in compendio suæ Logicæ dicentis, Essentias rerum secundùm se esse ab æterno positiuè; qui, vt explicet suam sententiam, Notat, quòd quamuis Essentia, secundum se sumpta, nullum inuoluat statum, semper tamen debuit inueniri sub aliquo statu, vel in idæis, & in intellectu Diuino, vel in se extra causas existens, & ita ipse, Essentias rerum secundum se, non dicit, inueniri ab æterno extra Deum, sicut volebat prima sententia, quia inueniri extra Deum, statum quemdam importat, quem tamen habet, vt ipse dicit, Essentia secundùm se, sed non exprimit, & ideò negat, dùm ipsi objcitur: Illæ Essentiæ secundùm se, vel essent extra Deum, vel in Deo, vel ens per Essentiam, vel per participationem, negat, inquam, ista omnia, dicens: hæc, & similia prædicata conuenire Essentijs, vt sunt sub statu, non autem secundùm se consideratis. Pro resolut. igitur.

Dico primò. Non possunt dari Essentiæ rerum ab æterno positiuè extra Deum in aliquo gradu entis, vt vult prima sententia. Ita Capreol. in 2. distinct. quæst. 1. Soncin. 9. Meteph. quæst. 4. Niger, & alij, quos referunt, & sequuntur nost. Complut. loc. sup. cit.

Probatur primò. Non possunt dari Essentiæ rerum extra Deum, quin sint existentes, Ergo non possunt dari ab æterno positiuè extra Deum. Cõs. prob. quia nihil extra Deum potest dari existens, quin sit productum, aut creatum, cum in nulla re possit inueniri existentia, excepto Deo, quæ non

sit communicata per causam efficientem. Sed fides docet, nihil esse ab æterno productum. Ergo etiam eadem virtualiter docet, Essentias rerum extra Deum non posse dari, quin sint existentes; Ergo quòd non possint etiam dari ab æterno positiuè extra Deum. Antecedens etiam probatur. Essētiæ rerum extra Deum sunt extra causam in se sistentes. Sed Essentiæ extra causam in se sistentes, sunt existentes, vt vis nominis, & definitio existentiæ probat. Ergo, &c. Maior suadetur, Deus est causa omnium rerum, quæ sunt extra ipsum. Ergo dùm sunt Essentiæ rerum extra Deum, sunt extra causam, & quidem in se sistentes: Quod sic probat. Essentiæ rerum sunt quid ratum, fixumque extra animam, cum non sint entia rationis. Ergo debent fixam consistentiam habere, statum, seu sistentiam; fixum enim, & sistens coincidunt. Sed dùm sunt extra Deum, non habent in ipso sistentiam, seu statum, vt patet, nec in intellectu creato, quandoquidem supponūtur esse extra animam. Ergo habebunt in se sistentiam, cùm alius non restet modus sistendi, aut status. Ergo iam extra Deum, erunt in se sistentes, sicque existentes.

Probatur secundò, & confirmatur præcedens ratio: Essentiæ rerum extra Deum sunt veræ entia, cùm non sint nihil. Ergo vel à se, vel ab alio. (Isti enim modi, cùm sint contradictoriè oppositi, penès *à se*, & *non à se*, adæquatè diuidunt Ens, si semel diuidunt, vt omnes fatentur, inter contradictoria siquidem non datur mediū.) Non à se, alias essent Deus, & sic daretur alius à Deo Deus, quod est paganum tenere; Ergo ab alio. Sed ens ab alio causatū, fides docet, non fuisse ab æterno. Ergo nec Essentiæ rerum, vt dicuntur esse extra Deum, erunt ab æterno.

Dices; esse à se, vel ab alio sūt modi diuidentes Ens cum existētia, non autem præcisa illa, prout sunt Essentiæ rerum extra Deum secundùm suum esse diminutum.

Contra. Essentiæ rerum extra Deum, realiter loquendo, habent aliquem statum, illum scilicet, qui est esse extra Deum, vti diximus, sed talis status est status existentis, vt ostendimus. Ergo si Essentiæ rerum sunt extra Deum, sunt essentiæ cum existentia; proinde necessariò ipsis debet competere, quòd sint, vel à se, vel ab alio; Non à se; Ergo ab alio.

Dicendum 2. Essentiæ rerum secundùm se, vt abstrahunt a quolibet esse, aut statu, sunt positiuè, non tamen positiuè ab æterno, sed tantùm negatiuè. Antequam probetur Conclusio.

Notandum est pro intelligentia primæ partis Conclusionis, hic positiuum sumi in secunda acceptione posita in præsuppositis, prout positiuum idem est, ac reale, contradistinctum ab ente rationis, vel nihilo; Pro intelligentia verò secundæ partis Cō-

clu-

clusionis, aduertendum est, *positiuè*, aduerbialiter ab æterno, denotare perpetuitatem quandam positiuam.

Probatur prima pars Conclusionis. In primis ex Capreolo in 2.distinct. 1. quæst.2. ad 3.qui inter alia dicit sic. *Antequam mundus esset, vel crearetur mundus, erat mundus, & erat id, quod nunc est, non in actuali existentia, nec in potentia actiua, vel passiua Creaturæ, sed in potentia actiua Dei, & in esse intelligibili, & secundùm suam absolutam considerationem.* Et iterùm: *Natura antequam habeat esse in rerum natura per productionem, vel creationem, est omninò nihil, prout nihil opponitur enti, quod dicit actum existendi extra causam suam; sed non erat nihil prout nihil opponitur Enti, quod dicit quidditatem, vel naturam in se, vel dicit actum essendi in intellectu Diuino, vel in potentia productiua Dei.* Hæc Capreolus, vbi, vt vides, loquitur sub disiunctione, & ideò sentit, quòd Natura, prout dicit quidditatem secundùm se, non sit nihil, proinde quid positiuum. Hoc ipsum docet Caietanus c.4. de Ente quæst. 6. *Sciendum* (inquit) *quòd Ens reale dupliciter accipitur: Vno modo, vt distinguitur contra ens ab intellectu fabricatum: Alio modo, vt distinguitur contra non existens actu. Primo modo omnis res prædicamentalis est ens reale, siue sit, siue non. Secundo modo, id tantùm, quod realiter existit extra causas suas, est ens reale.* Et hoc propriè est ens reale apud S.Thomam dicentem in quæst. de Pot. Dei quæst.3.art.5.ad 2.quòd res antequàm existat, est nihil, &c. Hoc egregiè defendit Nazarius, qui tanquàm ex fonte riuũ, ex D.Thoma hanc doctrinam accepit.

Probatur ratione prima pars Conclusionis. Essentia entis realis, etiam vt præscindit ab esse, est aliquid eius, cùm ens reale non sola existentia, sed etiam essentia, subsistentia, vt quasi parte constet. Sed, vt præscindit ab esse, non est quid rationis. Ergo aliquid reale, sicque positiuum. Maior patet, quia aliquid sufficienter diuiditur in reale, & rationis, sicut & ipsum ens. Minor prob. Ens rationis est illud, quod habet esse obiectiuè tantùm in intellectu. Sed Essentia secundùm se abstrahit ab esse obiectiuo in intellectu, vt patet ex prænotatis. Ergo Essentia, secundùm se, non est quid rationis, sed aliquid reale, vt reale distinguitur contra rationis.

Confirmatur. Materia secundùm se sumpta præscindit ab existentia, etiam præcisione negatiua, quia illam ex se non habet, vt docent communiter Thomistæ, & tamen secundùm se est ens reale, & positiuum. Ergo similiter, etiamsi Essentia secundùm se sumpta præscindat ab esse, non sequitur, quòd non sit positiuum, & reale.

Secunda pars conclus. probatur, quòd scilicet Essentiæ rerum secundùm se non sint ab æterno

positiuè, sed tantùm negatiuè. Tùm ex explicatione præcedentis Conclusionis, tùm ex præsuppositis. Etenim præscindens ab omni esse, non potest esse ab æterno positiuè, seu, quòd idem est, habere perpetuitatem positiuam, siue ex parte rei conceptæ, siue ex parte modi concipiendi; Sed Essentiæ rerum, secundùm se præcisè sumptæ, præscindunt ab omni esse, vt ipsimet Aduersarij fatentur, & patet ex prænotatis. Ergo Essentiæ rerum secundùm se non possunt esse ab æterno positiuè. Minor, & consequ. patent. Maior prob. ex his, quæ dicta sunt in præsuppositis, quia vt aliquid concipiatur cum fundamento in re, esse ab æterno positiuè, sicque sit positiuè perpetuũ saltim ex modo concipiendi, debet ad minùs principium positiuum perpetuitatis in illo concipi, sicut vt materia prima, saltim ex modo concipiendi, sit positiuè vna specificè, debet in illa saltim principium talis vnitatis concipi, aliàs nullum fundamentum haberemus concipiendi talem vnitatem. Sed in præscindenti ab esse nequit concipi principium positiuæ perpetuitatis. Ergo &c. Minor prob. nàm: Præciso principio perpetuitatis, in re nõ concipis principium eiusdem, sicut præcisa existentia, non concipis existentiam in re. Sed principium interminabilis perpetuitatis positiuæ est omnimoda immutabilitas, à qua præscindens ab esse debet omninò præscindere, vt ibidem ostensum est. Ergo in præscindenti ab esse, &c.

Quòd autem Essentiæ rerum possint concipi esse ab æterno negatiuè; Sic ostenditur: Nàm ad hoc, vt aliquid concipiatur negatiuè perpetuum, seu ab æterno tantùm requiritur, vt non habeat in se principium coarctãs ad aliquam temporis differentiam, quę extrahat à perpetuitate: vt patet ex præsuppositis, & ex se. Sed Essentiæ secundùm se sumptæ non habent in se principium coarctãs ad aliquam temporis differentiam, cùm sola prædicata quidditatiua importent, quæ, sicut ab esse, sic ab omni temporis differentia, aut coarctatiuo ad illas præscindunt. Ergo, &c.

Confirmatur, & explicatur. Ideò Materia prima secundùm se præcisè sumpta non dicitur ex se esse vna specificè positiuè, quia non habet in se principium positiuum talis specificationis, quod est actus: vt docent nost. Compl. Ideò verò dicitur ex se esse vna specificè, aut genericè negatiuè, quia habet carẽtiam principiorũ positiuorum, per quæ plurificetur specificè, aut genericè. Ergo à simili, cùm Essentiæ secundùm se præcisè sumptæ, nullum includant principium positiuum, per quod formaliter positiuè durent perpetuò, nec etiam aliquid positiuum, per quod coarctentur ad hanc, vel illam temporis differentiam, ratione cuius extrahantur à perpetuitate, licet non possint concipi esse perpetuæ, vel ab æter-

Digitized by Google

æterno positiuè; bene tamen poterunt concipi esse negatiuè.

Dices. Essentiæ rerum sunt ab æterno positiuè in intellectu Diuino. Ergo ex modo concipiendi cum fundamento in re erunt positiuè ab æterno.

Resp. ad hoc Neg. Conseq. Arguitur enim ab essentijs sub statu ad essentias secundùm se, quæ præscindunt ab omni statu: Aliqua enim possunt competere rebus in certo statu, quæ ipsis, vt præscindentibus à tali statu, non competunt, vt contingit in præsenti loquendo de essentijs rerũ.

Dico tertiò. Essentiæ rerum secundùm se sumptæ, vt præscindunt ab existentia, & contradistinguuntur ab ipsa non dicuntur fieri, creari, generari, aut corrumpi. Probatur 1. Essentiæ secundùm se pręcisè sumptæ, nil aliud dicunt, quàm necessaria, & quidditatiua prædicata. Sed produci, fieri, creari, non sunt necessaria, aut quidditatiua prædicata, sed contingẽtia, cùm res possint produci, & non produci, &c. Ergo essentiæ rerum &c.

Probatur 2. Qualibet actio cuiuscunque agentis terminatur ad singulare, vt docet Aristot. in Metaph. Sed essentijs secundùm se præcisè sumptis non competit esse singulares, vt ostensum est in præsuppositis. Ergo neque produci, &c.

Probatur tertiò. Si essentiæ secũdùm se sumptæ cõpeteret produci à causa efficienti, aut creari, nunquã posset non produci, aut non creari. Sed hoc est falsũ, aliàs Deus necessariò crearet, & non libere, si non posset non creare; quod est falsum. Ergo & illud, ex quo sequitur. Sequela Maioris prob. Quando aliquid competit alicui secundùm se, non potest ei competere oppositum, vt ostendimus supra in prænotatis. Ergo si essentijs secundùm se competeret produci, vel creari, oppositum non posset conuenire.

Respondetur ad Argumẽta.

Obijcitur primò contra primam Conclus. Quæ continentur in Prædicamento, sunt aliquid extra Deum. Sed essentiæ rerum antequam existant, continentur in Prædicamento; antequam enim homo v.g. existat, est in Prædicamento Substantiæ. Ergo antequam essentiæ existant, sunt aliquid extra Deum, non realitate existentiæ, vt patet, ergo realitate essentiæ.

Resp. distinguendo Maiorem. Quæ continentur in Prædicamẽto actu, sunt aliquid extra Deum; Concedo; potestate; Nego. Eodem modo disting. Minor, & neg. Conseq. Contineri enim in Prædicamento essentiam, est esse sub certo statu. Essentia autem, secundùm se; licet semper connotet aliquem statum, præscindit tamen ab illo præcisione purè præcisiua, seù non exprimit illum, & ideò licet, antequam in se existat, sit sub illo statu, qui est contineri in prædicamento, potentia tantùm ratio-

tione ordinis ad existentiam sibi intrinseci, non tamen est actu sub illo, nisi tùnc, cum est in se actu existens, priùs verò quàm in se existat, existit in intellectu, vel Idæis Diuinis, & sic non est extra Deum, Immò si tùnc secundum statum concipiatur, est ipsemet Deus.

Obijcitur 2. contra secundam Conclus. Quod est in tempore positiue, & nō cœpit esse, est semper, atque ideò ab æterno positiue. Sed essentiæ rerum sunt in tempore positiue, & nō cæperunt esse. Ergo sunt ab æterno positiue. Maior supponitur, Minor prob. Quidquid cæpit esse; per aliquam causam efficientem cæpit esse; nihil enim se ex nihilo potuit educere, proinde à causa efficienti illinc extrahi debuit; Sed essentiæ rerum non agnoscunt causam efficientem. Ergò neque incipient. Maior patet. Minor prob. Tum quia si essentiæ rerum dependerent à causa efficienti, contingenter, & non necessariò conuenirent rebus, & sic homo esset contingēter animal rationale, quod est falsum. Sequela verò patet: Nam quod competit alicui per causam efficientem, competit contingenter: si enim illa causa sit prima, ac libera, poterit agere, & non agere, producere, & non producere; Si verò secunda, cùm omnis causa secunda dependeat à prima in sua operatione, & illa liberè concurrat, etiam causa secunda contingenter operabitur, & sic essentiæ competerent rebus contingenter, si semel competerent per causam efficientem. Tùm etiam quia actio terminatur ad singulare, & existens, vt supra dictum est; Essentiæ verò rerum, secundùm se, non sunt singulares. Ergo neque terminabunt actionem. Sicq; non recognoscent causam efficientem.

Resp. primò ad hoc argumentum, admissa Maiori, & Minori negando Consequ. quia in hoc argumento est fallacia æquiuocationis, & variatio suppositionis in *Ly*, esse, & *Ly* essentiæ rerū. Nā in Maiori *Ly*, esse, sumitur pro esse existentiæ, quandoquidem esse in tempore est esse sub statu certo, qui non potest esse sine existentia; In Minoris autem prima parte. Essentiæ sumuntur sub statu, cùm sumantur in certa temporis differentia, quæ statum inuoluit; In secūda autem parte, secundum se, & vt præscindunt à statu; si enim sumantur secundùm statum, falsum est, quòd non incæperint secundùm illum, & sic etiam ibi *esse* iam non sumitur pro esse existentiæ, sed pro esse essentiæ; non tamen potest dici, quòd non incæperint esse secundùm esse existentiæ: In Consequentia verò essentiæ rerum sumuntur secundùm se, & vt præscindunt ab omni statu; ideòque propter huiusmodi variationem suppositionis in præmissis, in Conclusione nil concludit argumentum.

Resp. secundò ad hoc argumentum Neg. Maior: propter implicantiam in adiecto, præsupposita fide. Nam fides docet secun-

dùm

Digitized by Google

dùm esse existentiæ omnia incæpisse in tempore. Esse autem in tempore positiuè est idem, ac habere esse existentiæ, seù existere. Esse enim essentiæ cum præcisione sumptum non est in tempore, cùm præscindat ab illo, vti supra dictum est; Et ita dicere, aliquid esse in tempore positiuè, & non incæpisse, est dicere, quòd aliquid existat in tempore, & tamen non acceperit in tempore esse existentiæ, quod est contra fidem.

Deinde quantùm ad Minorem respond. quòd si prima pars ipsius intelligatur de essentijs secundùm se, vt præscindunt à statu, est falsa, licet secunda pars sit vera. Ratio huius est, nàm essentiæ præscindẽtes à statu præscindunt etiam ab omni duratione, consequenter, & à tempore, sicque non potest de ipsis hoc modo acceptis dici, quòd sint in tempore positiuè. Si verò prima pars minoris intelligatur de Essentijs sub statu, quem habent in tempore, qui est status existentiæ in seipsis, tunc quamuis vera sit ipsa, secunda tamen pars minoris, quòd scilicet essentiæ hoc modo sumptæ non cœperint esse, falsa est. Quis enim audeat asseuerare, Essentias secundùm esse existentiæ, nunquã incœpisse: Nec facit quidquam contra nos probatio minoris: hæc enim tantùm probat tertiam nostram Conclusionem.

Obijcitur tertiò cõtra tertiam Conclusionem. Si Essentiæ non producerentur, neque corrumperentur, Deus non creasset omnia ex nihilo, nec posset rem aliquam redigere in nihilum. Sed hæc sunt falsa. Ergo, &c. Sequela quoad primam partem constat, quia sic Deus tantum ex vno esse, scilicet essentiæ ad aliud esse, scilicet existentiæ transmutaret omnia. Deindè nõ posset omnia in nihilum redigere, quia semper maneret aliquid rei, quod nequit corrumpi, scilicet Essentia.

Resp. ad hoc argum. neg. sequelam. Ad hoc enim, vt omnia dicantur ex nihilo sui à Deo producta, sufficit, quòd ante sui productionem nihil ipsorum fuerit extra Deum, sicut est, secundùm nos, esse tàm essentiæ, quàm existentiæ, quod ante sui productionem nulla res habuit, etiamsi essentia secundùm se, & vt præscindit ab omni statu, habeat propriam realitatem. Deinde id, quod fit ex nihilo entis simpliciter, ex nihilo sui simpliciter, & absolutè fit. Essentia verò, vt existens, fit ex nihilo entis simpliciter, quandoquidem ens existens est ens simpliciter, vti dictum est toties: hinc est, quòd fiat ex nihilo simpliciter, & ita etiam annihilabitur simpliciter, hoc ipso quòd desinat esse existens.

Ex quo apparet, quid sit dicendum ad probat. sequelæ; & quidem quantùm ad transmutationem dicitur, quòd non fiat sola transmutatio ex vno esse ad aliud, quia vt hoc fieret sicut vnum, sic & aliud esse deberet esse in se, & extra Deum, (vt patet in omnibus transmutationibus)

bus) quod tamen nos non concedimus esse Essentiæ, antequàm existat.

Ad aliam probationem, quæ dicit, quòd semper maneret aliquid rei, quod nequit corrumpi, scilicet essentia: Resp. distingu. maneret in se, Nego, in alio, scil. in ipsomet Dei Intellectu; concedo; ex quo tamen non licet inferre, quòd totum ens in nihilum non abeat, cùm nil ipsius in seipso remaneat, licet maneat Essentia secundùm se; quia tamen non manet in se, vt existens, nil rei omninò manere dicitur.

Sed instat P. Suarez. Quod nihil habet existentiæ, aut est simpliciter,& omninò nihil,aut non; Si non. Ergo simpliciter,& absolutè Deus non creauit omnia ex nihilo, & non produxit omnia entia, seu non omne, quod verè est aliquid reale. Si verò est omninò nihil, tunc non potest esse distinctio nihili in nihil oppositum essentiæ, & in nihil oppositum existentiæ.

Resp. quod nihil habet existētiæ, est simpliciter,& omninò nihil, est simpliciter, & omninò, idest sine addito; Conceditur: Simpliciter, idest omnibus modis; Negatur. Sicut substantia Angeli, quæ est quid perfectissimum in genere substātiæ, & simpliciter, & sine addito subbstantia, non tamen est substantia simpliciter, idest omnibus modis, quia non est, nec dicitur materia,quæ etiam aliqualis est substantia. Sic ergo proportionaliter,& de nihilo existentiæ, quod est nihilum simpliciter, discurrendum est, quòd scil. nihil habens existentiæ, est nihil simpliciter, & sine addito,non tamen est nihil simpliciter, idest omnibus modis, quia essentia, qua essentia est formaliter aliquid, & non nihil. Nec tamen inde sequitur,quòd Deus non creauerit omnia ex nihilo, & non produxerit omnia entia; nàm etiam essentia, vt est existēs, & vt ens participialiter,creatur,sicq; fit ex nihilo sui, vt ast in se,licet non ex nihilo sui, vt est secundùm se, & formaliter essentia, proinde omnia ex nihilo Deus creat, omniaq;producit entia, secundùm quòd sunt capacia productionis.

DISPVTATIO SECVNDA.

De essentia singulari, atque indiuidua, seù de Principio Indiuiduationis entis creati.

QVia essentia non est potentia receptiua existentiæ à parte rei, nisi sit singularis, & indiuidua;quidquid enim est à parte rei, est singulare; ideò post disputationem de essentia, vt sic, recto ordine procedimus ad explicandam singularitatem essentiæ. Dixi autem in titulo notantèr:De prin-

prin-

principio indiuiduationis entis creati; De principio namque indiuiduationis, aut singularitatis entis increati non est difficultas; nam cùm illud sit per Essentiam suam existens, & singulare, vtpotè actus purissimus, in ipso idem omninò erit principiũ indiuiduationis Essentiæ, quod fuerit Essentia ipsamet, & existẽtia absolutè; & ideò de principio indiuiduationis solius entis creati titulus disputationis procedit.

Disputatio verò hæc quatuor complectitur quæstiones, in quarum prima pro sequentium difficultatum meliori intelligentia sciendi præmittuntur. In secunda agitur de principio indiuiduationis substantiæ materialis complectæ. In tertia immaterialis cõplectæ. In quarta de principio indiuiduationis accidentium.

QVAESTIO I.

Quænam sint præmittenda pro intelligentia principij indiuiduationis deseruientia?

QVæstio hæc ideò excitatur, vt compendio quodam, difficultatum maximarum vis cõplexa in obsequentibus maiorem afferat claritatem. Igitur pro intelligentia principij indiuiduationis.

Sciendum est primò, Ly *principium*, significare aliquod primũ in illo ordine, aut genere, in quo est principium. Est autem duplex principium, proximum, seu immediatum, quod formale dicitur; & remotum, quod etiam radicale nuncupatur. Hìc de quali principio procedat difficultas, inferiùs patebit.

Deinde Ly *indiuiduum*, vt ipsa vis nominis exprimit, idem significat, ac non diuiduum, hoc est illud, quod ita est in se constitutum, vt nullatenùs vltrà diuidi possit; Proinde esse aliquid principium indiuiduationis idem est, ac esse principium, & causam, quòd aliquid in se sit ita constitutum, taliterque vnum, vt ampliùs non possit diuidi, aut plurificari: Pro cuius meliori intelligentia.

Sciendum est secundò, Vnitatem dicere indiuisionem in se, & diuisionem à quocunque alio, vt supra ostendimus; & ita *Vnum* est idem, quod est, esse in se indiuisnm, & distinctum ab alijs; Licet enim in vnitate generica, ac specifica detur latitudo, numerica tamen, cùm sit omnium maxima, nullam prorsùs admittit latitudinem; vnde quod fuerit vnum vnitate numerica, ita erit in se omninò indiuisum, vt omnem à se prorsùs excludat diuisionem, secundùm quam diuidi, & alijs posset communicari: Vnitas autẽ numerica, cùm contineatur sub specifica, sicut specifica continetur sub generica, contrahet ipsam, & limitabit, sicut oppositum quodammòdo limitat suum op-

positum, iuxta illud (Vnumquodque limitatur à suo opposito) Et quia vnitas specifica est vnitas formalis, (forma siquidem est, quæ dat speciem) formali autem oppositum sit materiale, hinc est, quòd vnitas numerica limitans vnitatem specificam, seu formalem, vt oppositum non poterit esse, nisi vnitas materialis.

Ex quo discursu tanquàm corollarium quoddam deducitur (quod erit principium in hac materia dicendorum) huiusmodi. Illud est principium indiuiduationis vniuscuiusque, quod est principium vnitatis eiusdem numericæ, seu materialis; Nam cum indiuiduum sit vnum quoddam vnitate maxima, vt ex dictis patet, hæc autem sit vnitas numerica, quam coincidere ostensum est cum materiali, sequitur, quòd illud, quod fuerit principium vnitatis materialis, seu numericæ alicuius, erit etiam principiũ indiuiduationis eiusdẽ.

Sciendum est secundò: Dum inquirimus, principium indiuiduationis, ex quo ipsa tanquam fundamento suo desumatur, non inquirimus principium proximũ, & immediatum, & totale, omnia scilicet essentialiter, & in recto concurrentia ad constitutionem indiuidui, (hoc enim esse totam entitatem singularem indiuidui constat) sed inquirimus principium primum omninò, & radicale, quod scilicet sit prima radix, ad quam vltimatè reducatur tota indiuiduatio.

Deinde non loquimur de principio indiuiduationis Metaphysicè sumpto: Certum namque est, vt optimè aduertunt nost. Salmat. Tract. 1. Disput. 1. dub. 1. quodlibet indiuiduum indiuiduari per suám differentiam metaphysicam indiuidualem, quæ tamen nequit esse prima radix indiuiduationis, cùm rationes metaphysicæ fundentur in physicis, sicque illas præsupponant, tanquam proprias radices: Loquimur proinde de primo, & fontali principio in ordine physico, quod sit physicè prima radix indiuiduationis.

Ex quo occasionaliter potest aduerti, non satis congrue Scotum in 2. Sent. distinct. 3. quæst. 3. processisse in decidenda difficultate circa principium indiuiduationis, dùm pro primo principio ipsius assignauit hæcceitatem, quæ, in rigore, est differentia indiuidualis metaphysica, cùm; vt modò ostendimus, hæc (vtpotè præsupponens physicam radicem) nequeat esse principium omninò primum, & fontale indiuiduationis. Pro quorum ampliori euidentia.

Sciendum est tertiò, differentiam indiuidualem in rebus materialibus addere aliquid positiuum, & reale supra naturam specificam ipsorum, non tamen ab ipsa realiter, sed solùm virtualiter distinctum.

Prima pars ostenditur sic. Id, quod constituit aliquid in ratione fũdamẽti prædicamẽti realis, debet esse reale, & si superaddatur

tur alicui rationi, superadditur, vt aliquid reale, & positiuum. Sed differentia indiuidualis substantiam materialem constituit in ratione fundamẽti totius prædicamenti substantiæ, siquidem substantia in ratione indiuidui constituitur per differentiam indiuidualem, sicut in ratione speciei per specificam: indiuiduum autem substantię habet rationem fundamenti respectu totius prædicamenti substanriæ; proinde differentia indiuidualis substantiam materialem constituet in ratione fundamenti totius prædicamenti substantiæ. Ergo differẽtia indiuidualis erit quid reale superadditum naturæ specificæ. Cons. ex præmissis patet. Maior prob. quia nõ potest aliquid cõstitui in ratione fundamẽti prædicamenti realis per ens rationis; tale namque debet esse constitutum, quale ipsius constitutiuum, itaut si constitutum fuerit reale, manifestè colligitur etiam constitutiuum eiusdem similiter reale. Ergo cùm ipsum fundamentum prædicamenti realis sit reale, vt ex se patet, etiam constitutiuum ipsius erit similiter reale.

Secunda pars, quòd scilicet superaddita ratio realis naturæ specificæ tantùm virtualiter distinguatur ad ipsa in substantijs materialibus, Probatur facilè, quia de differentia indiuiduali respectu naturæ specificæ eo proportionali modo discurrendum est, quo discurrimus de differentia specifica respectu generis, cùm eo modo se habeat differentia indiuidualis ad naturam specificam, quomodò se habet differentia specifica ad naturam genericam, vt consideranti patebit. Sed differentia specifica non distinguitur, nisi virtualiter à natura generica in eodem supposito, vt optimè probant Nost. Complut. *in Log. disp. 5. quæst. 5. §. 1. n. 61.* & ratio suadet, si namq; genus, & differentia distinguerẽtur realiter; vt alia, & alia natura, iam in eodem composito essent plures formæ substantiales distinctæ realiter, quod ex D. Thom. iidem citati Complut. in Phys. excellenter impugnant. Sequela patet, quia gradus Metaphysici, quales sunt natura generica, specifica, differentia, &c. sicut fundantur in formis, sic, & eas consequuntur. Ergo vbi illi fuerint realiter distincti, realiter etiam distinctas requirẽt formas, quas consequantur. Hic tamen.

Aduertendum est, quòd quando natura specifica contrahitur per gradum indiuidualem, non contrahitur per eum, tanquàm potentia per actum, prout contrahitur genus per differentiam specificam, sed sicut actus per suam potentiam. Cuius ratio hæc est; etenim vnumquodque contrahitur, & limitatur per suum oppositum, actus per potentiam, & è contra: species autem athoma contrahibilis per differentiam indiuidualem non potest non contrahi, vt actus quidam, quia in ipsa non remanet vlterior complebilitas, & perfectibilitas, ratio;

ne cuius haberet rationem potiùs potentiæ, quàm actus, cùm in vltimo actu sit formaliter constituta in linea essentiali. Ergo dùm contrahitur per differentiam indiuialem, cõtrahetur, vt actus per potentiam.

Sciendum est quartò, (vt certa ab incertis separentur) primum principium indiuiduationis omnium non esse causam efficientem, neque finalem: Hæ namque causæ sunt extrinsecæ, quælibet autem res intrinsecè est indiuidua, vnde etiam intrinsecum suæ indiuiduationis requiret principium. Nec esse congeriem accidentium, illo versu expressorum.

Forma, Figura, Locus, Styrps,
Nomen, Patria, Tempus.

Nam etiam hæc sunt quid extrinsecum substatiæ indiuiduæ; quinimmò ipsamet accidentia indiuiduantur à substantia, & sic substantia ipsorum magis erit principium radicale indiuiduationis, vt postea ostendetur. Deinde primum principium indiuiduationis non est existentia rei exercita, hæc namq; aduenit substantiæ iam subsistenti à parte rei, vt inferiùs probabimus; res autem à parte rei non est subsistens, quin sit singularis, & indiuidua, quidquid enim à parte rei est, singulare est. Ergo existentia tantùm abest, quòd sit principium indiuiduationis substãtię, quin potiùs adueniat ipsi iam indiuiduæ, ac singulari. Deniq; modi quidã intrinseci, qui à Scoto vocantur hæcceitates, nequeunt esse primũ, & radicale principium indiuiduationis; Vel enim huiusmodi modus intrinsecus dictus, hæcceitas, est ipsa differentia indiuidualis, vel aliquid superadditum rei modificatæ. Si primum, hæcceitas non erit principium radicale, quia differentia indiuidualis, sicut, & specifica (vtpotè rationes Metaphysicæ) fundatur in aliqua entitate physica, sicque illam præsupponit. Ergo non poterit esse omninò primum principium. Si autem dicatur secundùm, quòd scilicet sit modus superadditus rei modificatæ, sicq; ab illa distinctus, debebit ipsam præsupponere in aliquo priori, sicq, illi realiter vniri; priùs siquidem concipitur extremum dari, quàm quòd vniatur alteri; Ergo ille modus non erit principium primum omnis indiuiduationis: Nàm ex quo capite realiter debet ipsi vniri, debet etiam ipsam præsupponere, aliàs cum quo vniretur? Et ex quo capite realiter ipsam præsupponere nequit, nisi sit singularis, & indiuidua, cùm quidquid est à parte rei debeat esse singulare, ipsius, vtpotè iam singularis, principium indiuiduationis esse non poterit, sed potiùs aliquid subsecutum ad tale principium.

Sciendum est quintò, & valdè aduertẽdum pro concordia diuersorũ locorũ S. Tho. in quibus videtur diuersimodè loqui de principio indiuiduationis, & sibi ipsi quodammodo contradicere, dùm aliquando pro principio radicali indiuiduationis statuit materiam

ab-

Digitized by Google

absolutè, vel etiā solam materiā; aliquando verò materiam, & quātitatem dimensiuam, nō nunquam materiam, vt subest dimensionibus, non esse principium indiuiduationis, quæ non videntur benè concordare. In quibus tamen omnibus nulla inuenietur contradictio, si sensus S. Doctoris intimè penetretur. Quando igitur S. Doctor dicit, materiam absolutè, vel etiam solùm esse principium radicale indiuiduationis, loquitur de primo principio indiuiduationis, quod intra hanc lineam sit omninò primum, licet ex se omninò insufficiens, vt inferiùs ostendetur. Vel etiam loquitur de primo principio indiuiduationis, cui indiuiduatio, quoad esse incommunicabile, aut esse indiuisum in se vltima diuisione, per quandam accōmodationē tribuitur, quamuis de facto à quantitate, vt præcontenta radicaliter in materia, proueniat. Dum autem idem S. Doctor alibi docet, materiam primam, & quantitatem dimensiuam esse principium indiuiduationis, loquitur de principio primo ex se omninò sufficienti indiuiduationis; ita tamen, quòd per quantitatem intelligat non habitam, sed præhabitam in materia: Aut etiam potest intelligi S. Doctor in illo loco de principio indiuiduationis, cui secundùm accōmodationem indiuiduatio quo ad esse diuisum ab alio tribuenda est. Quando verò in alio loco S. Doct. asserit materiam, vt subest dimensionibus, non esse principiū primum indiuiduationis, sed tantùm signum inseparabile ipsius, & principium quoad cognosci, & demonstrari respectu indiuiduationis; alibi autem materiam signatam esse re ipsa primum, & fontale principium indiuiduationis quoad esse; tùnc in priori loquitur de dimensionibus, vt actu habitis, sicut & de quantitate secundùm suum esse formale, vt actu habita; in posteriori verò de quantitate, vt præhabita radicalitèr. Denique dùm aliquibus in locis videtur insinuare, substantiam materialem indiuiduam non posse separari à quantitate, in alijs verò posse; in prioribus loquitur de potentia ordinaria, in posterioribus de extraordinaria, vel in prioribus intelligendus est de quantitate radicaliter præhabita, in posterioribus de habita actu secundùm suum esse formale. Verùm hæc omnia hic compendiatim complexa clariùs in subsequentibus enucleabuntur. His igitur pro intelligentia principij indiuiduationis summatim præmissis, sequitur.



QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO II.

Vtrùm forma substantialis sit primum, & radicale principium indiuiduationis substantiæ completæ materialis.

SVpponitur, titulum quæstionis non denegare formæ substantiali, quòd seipsa, & per suam intrinsecam entitatem sit proximè indiuidua, quandoquidem per suam intrinsecam entitatem immediatè respicit hanc potiùs materiam, quàm illam, qui quidem respectus transcendentalis est ipsi essentialis, ratione cuius redditur proximè, & immediate singularis; nihilominus titulus quæstionis mouet difficultatem circa rationē principij radicalis, & omninò primi; Vtrùm scilicet hæc ratio competat formæ tam respectu sui, quàm respectu totiùs compositi substantialis, aut substantiæ completæ materialis. Aduertendum est, quòd etsi vnitas, & distinctio numerica, seu materialis exerceatur in formis substantialibus, non tamen sequitur, quòd ab illis, tanquā à prima radice, proueniat; sicut partes entitatiuæ formaliter tales exercentur quidē in substantia materiali, cum sit diuisibilis in plures, easq; diuersas, partes, nihilominùs ipsa nō est radix propria ipsarū, secundùm quòd formaliter tales sunt, (non enim cōpetit substantiæ esse formaliter extensam) sed illæ proueniūt; vt à prima sua radice, à Quātitate ipsa, cuius effectus proprius, & primarius est extēdere, & tribuere partes, vt in Log. Comp. & in lib. de Generat. probant, partes substantiales per nutritionem productas non habere à substantia, vel intra lineam eius, rationem partium, sed à Quantitate.

Circa præsentem difficultatem duplex est sententia. Prima asserit, Formam esse primum, & radicale principium indiuiduationis tam sui, quam compositi substantialis. Ita Suarez disp. 5. Sect. 2. & alij. Secunda sententia denegat formæ rationem principij radicalis indiuiduationis. Ita communiter Thomistæ, sicut & nostri PP. Salmat. Tomo 1. Tract. 1. disp. dub. 1. Pro resolutione.

Dicendum est, Formam substātialem non esse principium indiuiduationis radicale sui, aut compositi substantialis.

Probatur primò, authoritate Aristot. 5. Metaph. cap. 6. in fine, vbi inquit: *Distinctionē indiuiduorum intra eandem speciem prouenire ex diuisibilitate materiæ*. Similiter 10. Metaph. Textu 25. docet: *principium primum vnitatis, & distinctionis specificæ esse formam, materiam verò distinctionis indiuidualis*, quam auctorit. exponens D. Thom. loco cit. lect. 11. sic inquit. *Quia in composito est materia, & forma, hæc quidem est ratio, idest forma, quæ constituit speciem: hæc autem est materia, quæ est indiuiduationis principium, quæ-*

cun-

cunque contrarietates sunt in ratione, idest ex parte formæ, faciunt differre secundùm speciem; Illæ verò, quæ sunt ex parte materiæ, quæ sunt propriæ indiuidui, quod est acceptum cum materia, non faciunt differre secundùm speciem. Hucùsque D. Thomas, qui hæc & in pluribus alijs locis docet, vt 2. contr. Gent. cap. 83. Item 1. par. quæst. 50. ar. 4. & alibi.

Probatur deinde ratione. Illud est principiũ radicale indiuiduationis, quod est prima radix vnitatis, & distinctionis numericæ, seu materialis. Sed forma substantialis nõ est prima radix vnitatis, & distinctionis materialis. Ergo nec poterit esse principium radicale indiuiduationis sui, aut compositi substantialis. Maior constat, tum ex principio stabilito in præcedenti quæst. Tùm etiã, quia indiuiduum est quid vnum vnitate numerica, ac materiali; vnde quod fuerit radix prima vnitatis, & distinctionis materialis, & numericæ ipsius, erit principium radicale indiuiduationis eiusdem. Minor prob. Vnitas consequitur rem, cuius est vnitas, & ita talis est, qualis fuerit res, quam consequitur. Ergo cùm forma, quatenùs forma, sit quid formale, & non materiale, vnitas ipsam consequens erit formalis, & non materialis. Ergo etiam erit radix vnitatis formalis, seu essentialis, non autem materialis, seu numericæ. Hæc consequ. probatur, quia Forma, sicut & quæcunque res debet esse radix illius vnitatis, quæ ipsam consequitur, non verò, quæ non consequitur ipsam. Ergo cum formam consequatur vnitas formalis, & non materialis, vt ex antecedenti, liquet, illius non verò istius radix erit forma. Prior autem conseq. ex antecedenti sequitur manifestè. Anteced. verò facilè ostenditur; Vnitas siquidem, vt dictum est supra Importat ipsammet entitatem cum indiuisione; Ergo qualis fuerit Entitas rei, talis erit & vnitas ipsam consequens.

Sed dices, in forma duo inueniri, aliquid, quod se habet per modum materialis in ipsa, & aliquid, quod est formale; secundùm priorem ergo rationem, forma erit principium, & radix vnitatis materialis, secundùm posteriorem, vnitatis formalis. Et hoc manifestè patet in animabus rationalibus, quæ licet sint in seipsis formæ, tamen distingnuntur inter se materialitèr, seu numericè, ab alijs verò animabus formaliter, seu essentialiter: similiter duo Angeli, qui formæ sunt prorsùs à materia separatæ, distinguuntur inter se formaliter, & simul numericè, aut materialiter, proinde in ipsis dabitur aliqua ratio, quæ sit radix, sicut distinctionis, sic & vnitatis formalis, vel essentialis, & aliqua, quæ sit radix distinctionis, & vnitatis materialis; Verùm, his non obstantibus.

Contra sic. Vnitas, & distinctio purè indiuidualis, seu materialis non potest procedere, vt à prima radice, nisi à materia. Ergo non

potest dici, quòd forma substantialis, secundum aliquam rationem, possit esse radix vnitatis materialis. Conseq. patet. Antec. autem prob. Tùm quia radix prima distinctionis, seu vnitatis purè formalis non potest esse nisi forma, ex eo quòd vnitas importat ipsammet entitatem rei, cum indiuisione, cuius est vnitas, vt dictum est. Ergo similiter radix prima vnitatis, & distinctionis purè materialis non poterit esse, nisi materia, vt patet ex paritate rationis. Tùm etiam, quia primum in vnoquoque genere est causa eorum, quæ sunt posita in illo genere, vt docet Aristot. Ergo vnitas, & distinctio purè materialis debet prouenire, vt à primo, (consequenter vt à radice) in rigore tali, in genere causæ materialis. Sed primum omninò, & in rigore tale, in genere causæ materialis est materia, & non forma. Ergo etiam ipsa erit prima radix vnitatis, ac distinctionis materialis, ac per consequens vnitas, & distinctio purè indiuidualis non poterit procedere, vt à prima radice, nisi à materia, cùm radix, & primum in vnoquoque genere non sit, nisi vnum.

Nec illæ allatæ instantiæ quidquam prosunt: Nàm quantùm ad exemplum de pluribus animabus rationalibus resp. illas inter se distingui materialiter, non quia habeāt in se radicem omninò primam talis distinctionis, sed quia essentialiter dicunt ordinem ad materiam, vt ad terminum suæ habitudinis, quæ est primum, & radicale principium indiuiduationis. Quantùm ad exemplum de duobus Angelis resp., illud nō esse ad propositum; Nam licet duo Angeli distinguantur inter se materialiter etiam; cum distinguuntur indiuidualiter, tamen illa distinctio non est purè materialis, aut indiuidualis, sed simul specifica, ac formalis; in Angelis enim vnitas indiuidualis, & specifica nec virtualiter quidem inter se distinguuntur, vt infra dicetur. Nos autem in præsenti non loquimur de vnitate materiali, & indiuidua permixta cum vnitate formali, sed solùm præcisè de vnitate purè indiuiduali.

Probatur secundò Conclusio: Quod est radix, & principium puræ limitationis rationis specificæ, est radix, & principium indiuiduationis purè indiuidualis, & è contra, quod non est radix talis limitationis, non poterit esse etiam indiuiduationis puræ. Sed forma non est radix puræ limitationis rationis specificæ. Ergo neque purè indiuidualis indiuiduationis. Maior constat, quia indiuiduum constituitur in ratione indiuidui per rationem limitantem naturam specificam, per quam ipsa redditur propria huius potiùs indiuidui, quàm alteriùs. Ergo &c. Minor verò prob. Forma est radix Physica, ex qua desumitur ratio specifica, quantùm est ex parte suæ actualitatis, communicabilis pluribus ipsius capacibus; quandoquidem forma dat

rei

rei speciem, nō materia, vt omnes admittunt. Ergo ipsa non poterit esse radix puræ limitationis, & incommunicabilitatis eiusdē. Conseq. liquet, quia forma nequit esse radix, & causa effectuum contradictoriè oppositorum, præsertim in genere causæ formalis, aliàs in ipsius entitatem tota huiusmodi oppositio refunderetur, ita, vt esset talis, & non esset; quod implicat; forma siquidem in genere causæ formalis proprium effectum non causat, nisi per exhibitionem propriæ entitatis; Ergo hoc ipso, quòd sit radix prima rationis specificæ, quantum ex se, communicabilis pluribus, non poterit esse radix limitationis præcisè eiusdē. Sed si manendo radix Physica rationis specificæ, quantùm est ex se, alijs communicabilis, esset etiā radix puræ limitationis eiusdem, seù incommunicabilitatis, esset radix, & causa effectuum oppositorum; esse enim radicem, & causam rationis cōmunicabilis alijs, & incommunicabilis, est esse causam oppositorum effectuum. Ergo etiam hoc ipso, quòd forma sit radix Physica rationis specificæ ex se communicabilis pluribus, nō poterit esse radix limitationis eiusdem, & incōmunicabilitatis.

Argumentis in Contrarium sit satis.

OBijcitur primò Ex D. Tho. 1. Cont. gent. cap. 75. in solutione 1. rationis, & cap. 8. vbi sic inquit. *Sicut esse animæ intellectiuæ non causatur per se à materia, sic nec eius vnitas, aut indiuiduatio.* Ergo non materia, sed ipsamet forma erit radix indiuiduationis.

Resp. cum nostris Salmat. Tomo 1. Tract. 1. disp. 1. dub. 1. §. 6. S. Doct. loco citato intendere, quòd sicut anima intellectualis non habet esse dependens à materia, quia non educitur ex potentia ipsius, sicut aliæ formæ materiales, sic nec vnitatem etiam indiuidualem consequentem esse indiuiduum ipsius; non tamen negat quòd ipsius indiuiduatio dependeat à potentialitate materiæ, tanquam à subiecto eiusdem essentialiter receptiuo, ad quod illa essentialem dicat habitudinem, (vt idem S. Doct. docet de spirit. Creat. a. 9.). & à quo, prout iam disposito, occasionetur, sicut productio, sic & indiuiduatio eiusdem, sicut ostendit idem S. Doct. de ente, & essentia cap. 6. Et ita licet verum sit, quòd anima nostra, vtpotè subsistens, habeat esse independenter à materia, ex qua educatur, sicque, & indiuiduationem, attamen in illo priori, in quo concipitur producta per creationem, & nondùm recepta in materia, dicit habitudinem intrinsecā ad materiam, tanquàm actus ad essentialiter sibi correspondentē potentiam, non ex qua educi, sed in qua debeat recipi, & compleri secundum suam essentiam, sicut pars vnita cum sua comparte completur in suo toto, quod simùl

 con-

constituunt; Vnde ideò anima creatur hæc, aut indiuidua, quia debet recipi in hac materia, ex qua iàm disposita occasionatur ipsius productio. De his ex eodem plura apud Salmat. loco citato.

Obijcitur ex D.Tho.quæst.vnica de anima a. 1. ad 2. vbi dicit. *Vnumquodq; secundùm idem, habet esse, & indiuiduationẽ.* Ergo forma erit principiũ radicale indiuiduationis. Conseq. quia si per illud, iuxta D. Tho. habet aliquid Indiuiduationem, per quod esse, quod fuerit principium essendi, erit & indiuiduationis. Sed forma est principium primum, & radicale essendi, non verò materia, cùm hæc non, nisi participatum à forma, habeat esse. Ergo forma erit etiam indiuiduationis primum, & radicale principium.

Resp. S. Doctorem loco cit. tantum velle, quòd idem sit susceptiuum existentiæ, & indiuiduum, *vt quod*; siquidem existentia non recipitur, nisi in supposito, seù subsistenti, vt Quod, vt infra ostendetur; ex quo tamen non licet inferre, quòd idem sit radix indiuiduationis, & existentiæ, nam cùm existentia sit actus perfectissimus, non potest refundi, vt in suam radicem, nisi in formam, quæ est quid perfectissimum in linea essentiali; è contra verò, quia pura indiuiduatio limitationem, & potentialitatem affert, debet, tanquàm in primam radicem, & causam generis potentialis, referri in materiam primam, quæ est quid primum in linea potentiali.

Obijcitur tertiò. Principium primum, & radicale indiuiduationis purè indiuidualis debet esse intrinsecum ipsimet indiuiduo, & maximè proprium ipsius, vt est hoc indiuiduum, sicut principium specificationis rei specificæ debet esse intrinsecum, & maximè proprium eiusdem. Sed forma est intrinsecum principium indiuidui, & maximè proprium, vt considetanti patet, secùs autem materia, quia eadem materia, quæ nùnc constituit vnum indiuiduum, postea aliud constituet. Ergo forma substantialis erit primum, & radicale principium indiuiduationis.

Resp. Concessa Maiori, Negando Minorem: Ad cuius probat. dicitur cum distinct. Eadem materia, quæ nunc constituit hoc indiuiduum, &c. eadem negatiue; Cõcedo; eadem positiue; Nego, & Negatur Conseq. Quia materia prima non est principium indiuiduationis huius indiuidui, vt est vna negatiue, sed vt vna positiue: Hoc autem modo sumpta, est magis propria huius indiuidui, & intrinseca, quàm forma substantialis quia forma non est propria huius indiuidui, nisi ratione huius materiæ, quam respicit; (forma siquidem est radix speciei, quæ quantùm est ex se, omnia indifferenter respicit indiuidua) & ideò materia, vt est positiue vna, erit magis propria huius indiuidui, iuxta illud. *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis.*

Obijcitur quartò. Materia prop-

propter hoc dicitur principium radicale indiuiduationis, quòd limitat formam ad esse huius, & non alterius indiuidui. Sed etiam formæ competit limitare materiam. Ergo forma erit principium radicale indiuiduationis.

Resp. disting. Maiorem. Propter hoc dicitur principium indiuiduationis, quia limitat formam vtcunque, Nego; quia limitat conformiter ad naturam gradus indiuidualis; Concedo. Similiter distinguitur Minor: Formæ competit limitare materiam conformiter ad naturam gradus indiuidualis; Nego, conformiter ad naturam gradus specifici; Concedo, Et Negatur Cons. Ad hoc enim, vt forma, limitando materiam, esset principium radicale indiuiduationis, deberet illam limitare conformiter ad naturam gradus indiuidualis, quod tamen non præstat, bene autem materia, & ideò ista erit principium radicale indiuiduationis purè indiuidualis.

Explicatur solutio: Nàm de ratione gradus purè indiuidualis est ita contrahere gradum specificum, vt per huiusmodi contractionem, ac limitationem reddatur incommunicabilis alteri indiuiduo per modum actus, prout natura ipsius requirit; & ita illud, quod reddet formam, à qua desumitur gradus specificus, alteri incommunicabilem per modum actus, ratione contractionis, & limitationis eiusdem, limitabit eam conformiter ad naturam gradus pure indiuidualis. Sed materia limitat formam hoc modo, cùm ipsam per receptionem sui reddat incommunicabilem alteri materiæ. Ergo eam limitabit limitatione conformi gradui purè indiuiduali. Cæterùm forma substantialis, etsi limitet quoque materiã per informationem eiusdem ita, vt ex indifferenti ad diuersas specificationes sibi cõmunicabiles, ad hanc potiùs, quàm illam speciem coarctetur, sicque perficiatur, & actuetur, non tamen per huiusmodi limitationem impeditur, quo minùs sit communicabilis secundùm actualitatem, seù specificationem, quam habet ab actu, quia actus limitans potentiam (qualitèr se habet forma respectu materiæ) tollit quidem indifferentiam potentialem, non tamen actualem, sed potius ponit. Limitatio autem relinquens communicabilitatem per modum actus, non est conformis naturæ gradus indiuidualis, sed potiùs difformis, vt ostendimus. Ergo & limitatio formæ, qua limitat materiam, cùm sit talis, non erit cõformis eidem; benè autem limitatio, qua limitat materia formã: Et ideò ratio primæ radicis indiuiduationis purè indiuidualis potiùs materiæ, quàm formæ, erit tribuenda.

Aduerte in fine pro solutione plurium argumentorum, quòd materia, licèt non sit huius propria indiuidui magis, quam alterius, secundùm suam identitatem negatiuam, secùs tamen si suma-

tur secundùm identitatem positiuam: Vnde quamuis forma, vt est hæc, compleat indiuiduationem compositi substantialis, non tamen priùs tribuit illam, sed prima radix erit ipsamet materia secundùm identitatem numericam positiuam considerata. Cuius ratio est, quia indiuiduatio, & distinctio purè indiuidualis est vnitas, & distinctio materialis, sicut specificatio, & distinctio specifica est vnitas, & distinctio formalis, & ita tanquam in primas radices, distinctio materialis, & distinctio formalis, seu specifica debent refundi in illa, quæ in tali linea fuerint quid primum, iuxta illud (*Primum in vnoquoque genere est causa cæterorum.*) Cum ergò in linea materiali primū quid sit materia, tanquam prima potentia, in linea formali ipsamet forma substātialis, vtpotè primus actus, ita specificatio, quæ est quid formale, tanquam in primam radicem, refundetur in formam substantialem; sicut indiuiduatio, tanquàm pertinens ad lineam materialem, in ipsammet materiam primam, quæ est quid primum in linea ista, refundi debebit.

QVAESTIO III.

Vtrùm materia prima signata quantitate, sit primum principium indiuiduationis.

POstquàm iam in præcedenti Quæstione ostensum est, non formam substantialem, sed materiam primam esse principium radicale indiuiduationis substantiæ materialis completæ, nùnc remanet ostendendum, quonam modo materia prima sit huiusmodi principium; vtrùm scil. nudè sumpta, an verò, vt signata quantitate; pro cuius intelligentia.

Supponendum est primò, materiam quantitate signatam posse tripliciter accipi. Primò, ita vt concipiatur materia affecta formali quantitate. Secundò, ita ut concipiatur modificata per quendam modum substantialem sibi superadditum, ratione cuius ita determinatur, vt hanc potius exigat, quàm aliam quantitatem. Tertiò, ita vt intelligatur ipsamet materia secundùm suam nudam entitatem, non absolutè, sed cum quodam connotato, hoc est, vt concipiatur tanquam præhabens, per modum primæ radicis, hanc potiùs quantitatem, quàm aliam, seu, vt nost. Salmat. Tomo 1. Tract. disp. 1. dub. 2. cum alijs explicant, quatenùs per modum primi principij, & radicalis dicit con-

connexionem, vel habitudinem ad hanc quantitatem, & non ad illam. Præsentis ergò quæstionis titulus non procedit de materia signata aliquo determinato ex his tribus modis, sed de materia signata quantitate, quocunque ex illis, vtrùm scilicet materia sit principium radicale indiuiduationis, vt signata quantitate, aliquo ex modis recensitis, an vero secundùm se præcisè, & nudè sumpta.

Supponendum secundò cum Nazario 1.p.q.3. a.2. controuer. vnica, radicale principium indiuiduationis, quod materiam esse diximus, dupliciter posse dici principium, positiuè scilicet, & negatiuè. Tunc dicitur materia esse positiuè principium indiuiduationis, quando per sui positionem concurrit ad indiuiduationem rei, vt contingit in substantia materiali. Tùnc autem dicitur esse negatiuè principium indiuiduationis, quando per negationem suæ entitatis concurrit, vt contingit in Angelis, in quibus est negatio materię physicæ, adest tamen aliquid, quod per quãdam appropriationem competit materiæ, scilicet, non recipi in alio, vt in subiecto, (hoc namque primo omni subiecto, qualis est materia physica, per appropriationem, & antomasiam conuenit) quia Angeli, cùm sint formæ subsistentes, & irreceptibiles in materia, non possunt recipi in alio, vt in subiecto. His ergo præsuppositis.

Duplex est Sententia circa nostram difficultatem. Prima Alberti, quem refert Flandria 7.Metaph. quæst.22.ar.1.& aliquorum aliorum asserentium, materiam primam secundùm se præcisè sũptam, non verò vt sigillatam quantitate, esse principium radicale indiuiduationis compositi substantialis. Secunda huic è diametro opposita est communis Thomistarum; Igitur

Dicendum est, Materiam primam, vt sigillatam quantitate esse principium radicale totius compositi substantialis, proinde tàm sui, quàm formæ substantialis. Probatur in primis authorit. Aristot.& D.Thom. Et quidem Aristot. 5. Metaph. Textu 12. sic habet. *Ampliùs autem alia secundùm numerum sunt vnum, alia secundùm speciem, alia secundùm genus, alia secundùm analogiam: numero quidem, quorum materia vna*. Quem locum exponens D. Tho. sic inquit. *Ponit aliam diuisionem Vnius, quòd quædam sunt vnum numero, quædam specie, quædam genere, quædam analogia. Numero quidem sunt vnum, quorum materia est vna; Materia enim, secundùm quòd stat sub dimensionibus signatis, est principium indiuiduationis formæ, & propter hoc ex materia habet singulare, quod sit vnum numero diuisum ab alijs.* Idẽ docet Angelicus Doctor supra Boetium de Trinit.q.4. ar.2.ad 1. de Essentia cap.2., 4. sentent. distinct. 12. q.1. ar. 1. quæstiunc.3. ad 3. & alibi sæpè, vti videre est

apud

Digitized by Google

apud nostr. Salmat. loco sup. cit.

Nec valet, si ad allatas authoritates replices cum Suarez, Aristotilem, & D.Tho. locutos esse locis citatis de principio indiuiduationis, non in esse rei, ac physico, sed in cognoscendo, in quantum per diuersam quantitatem cuiuslibet indiuidui, diuersaque accidentia, distinctionem ipsius ab alio colligimus.

Non, inquam, hoc valet: Nàm, vt eruditè nostri Salmat. loc. modo cit. ostendunt, Aristoteles in eodem textu egit de vnitate analoga, generica, & numerica, & de duabus prioribus egit in esse rei, cùm ipsis assignauerit propriam radicem in esse rei, vt consideranti patet. Ergo etiam debuit facere idem, loquendo de vnitate numerica, aliàs insufficientèr, & diminutè locutus fuisset. Maximè, quia, vt constat ex quæst. præc. materia tantum potest esse principium radicale indiuiduationis, vt est determinata ad hoc indiuiduum, quam determinationem habet ex sigillatione ad quantitatem (vt mox ostendetur) hoc autem totum competit ipsi in esse rei. Ergo cùm taliter de illa loquatur Aristoteles, loquitur de illa, vt est principium indiuiduationis in esse rei, non autem in cognoscendo præcisè.

Vnde hæc Suarij replica est contra mentem S. Thomæ, vt citat Salmat. fusiùs ostendunt: sufficiat nobis vnicus locus Doctoris S. Opusc. 79. vbi expresè distinguit quãtitatem à cæteris accidentibus in hoc, *quòd alia accidentia solùm sint principium cognoscendi distinctionem indiuiduorum; quantitatem verò aliter esse principium indiuiduationis*: Ex quo patet, quòd etiam in esse rei sit principium ipsius, aliàs non esset inter illam, & reliqua accidentia alia distinctio, quam tamen assignat Doctor S. Quando autem dicit idem S. Doctor, *dimensiones non causare indiuiduum, sed demonstrare per modum signi*, intelligendus de dimentionibus formalibus, & accidentalibus, non autem, vt præhabitis, & præcontentis in materia, vt in prima radice, de quibus nos loquimur.

Ratio prima desumitur ex D. Thom. qua probatur concl. primò sic. Radix substantiæ materialis, in ratione substantiæ primæ, est radix indiuiduationis ipsius. Sed materia signata quantitate est radix substantiæ materialis in ratione primæ. Ergo erit radix, & indiuiduationis ipsius. Maior patet; nàm ratio substantiæ primæ consistit in hoc, quòd sit indiuidua, & singularis, vti docet Aristot. in Prædicamen. cap. de Subst. Ergo quod fuerit radix substantiæ materialis in ratione substantiæ primæ, erit etiam radix indiuiduationis eiusdem. Minor ostenditur, quia substantiæ primæ in ratione primarum, constituuntur per hoc, quòd nec sint in subiecto, nec de illo dicantur, vt patet ex Logica in Prædicam. Ergo illud, à quo, tanquàm à prima radice, prouenict in ipsis, nec esse in subiecto,

nec

Digitized by Google

nec dici de illo, erit radix primitatis ipsarum, vel quòd sint primæ. Sed à materia prima signata quantitate, tanquàm à prima radice, prouenit non esse in subiecto, nec de illo consequenter dici, cùm dici, *de*, præsupponat *esse in*. Ergo materia, vt signata quantitate, erit radix substantiæ materialis in ratione primę. Minor ista prob. quia primum in vnoquoque genere est causa, & radix eorum, quæ sunt postea in tali genere, vt docet Aristot. 2. Metaph. Tex. 30. Sed in genere, seu linea non essendi in subiecto primò conuenit materiæ signatæ, cùm ipsa sit primum subiectum, primaq; potentia omninò irreceptibilis in alio. Ergo à materia, &c.

Dices, ex hac ratione conuinci tantùm, quòd materia prima sit radix indiuiduationis secundùm se, & præcisè sumpta, non autē, vt signata quantitate, quandoquidem non esse in subiecto ipsi competit secundùm se, & independenter à quantitate: Sed

Contra est: Nàm licet non esse in subiecto absolutè competat materiæ secūdùm se præcisè sumptæ, non tamen non esse in subiecto, vt hoc exercetur in determinata substantia; quod tamen requititur ad esse radicem completam indiuiduationis. Ratio huius est; nàm materia prima, secundùm se præcisè, non exercet istam rationem, quæ est, non esse in subiecto, in determinata substantia, nisi per aliquid ad illam determinetur, cùm ex se sit indifferens ad omnes: hanc autem determinationem accipit à quantitate (vt mox patebit.) Ergo licèt non esse in subiecto competat ipsi secundùm se præcisè sumptæ, non tamen, vt hoc exercetur in determinata substantia competit eidē, nisi prout fuerit signata quantitate. Vel etiam dici potest, quòd non esse in subiecto secundùm indiuisionem, & incommunicabilitatem negatiuam competit materiæ primæ secundùm se, non non autem secundùm incommunicabilitatem positiuam, sed hoc habet ex sigillatione ad quantitatem.

Prob. Concl. secundò. In substātia materiali cōpleta nihil intrinsecè cōstituens inuenitur in ratione indiuidui, pertinens ad prædicamentum substantiæ, nisi materia, & forma, vt ex Phys. patet. Sed principium radicale indiuiduationis nequit esse forma, vt in præcedenti quæst. ostensum est, neq; materia præcisè sumpta. Ergò erit materia, vt signata quantitate. Conseq. à sufficienti enumeratione patet, sicut & Maior. Minor autem quoad secundam partem probatur. In indiuiduatione, seù potiùs in gradu indiuiduali duæ rationes inadæquatæ inueniuntur, scilicet limitare rationē specificam in genere causæ materialis, eamque reddere incommunicabilem alteri per modum formæ, & actus; deinde reddere indiuiduum incōmunicabile per modum potentiæ alteri formæ eiusdem rationis specificæ, cùm vnū

Digitized by Google

indiuiduum in omnium sentẽtia, à duabus formis substantialibus eiusdem rationis nequeat constitui. Sed talium rationum simul sumptarum radix adæquata nequit esse materia secundùm se præcisè sumpta, benè autem, vt signata quantitate. Ergo principium radicale &c. Minor prob. Nàm licet materia prima, secundùm se præcisè sumpta, possit esse radix limitationis formæ ita, vt illa reddat incommunicabilem per modum actus, quandoquidem ipsi, vtpotè puræ potentiæ, recipi in alio, sicq; communicari per modum actus repugnat, tamen non potest esse radix incommunicabilitatis per modum potentiæ, secundùm se præcisè sumpta, nàm ipsi taliter sumptæ non repugnat pluribus formis eiusdem speciei communicari, prout patet ex ipsa natura primæ potentiæ, qualis est materia prima. Ergo non poterit esse radix vtriusq; rationis in gradu indiuiduali inuentæ, secundùm se præcisè sumpta. Ergo debet adiungi alicui alteri, quod ipsam reddat incommunicabilem formæ alteri eiusdem rationis. Sed hanc incommunicabilitatem materia habet à quantitate, qua signatur. Ergo non erit radix indiuiduationis, aut gradus indiuidualis adæquata, nisi vt signata quantitate. Minor ista prob. quia nulli formæ, præterquàm quantitati, conuenit ex se diuidi in partes eiusdem rationis, (vt infrà dicetur) quarum vna non habeat se respectu alterius, vt potentia; partes siquidem quantitatis non vniuntur per modum actus, & potentiæ, sed per continuationem, vt constat ex lib. Physic. Ergo incommunicabilitatem per modum potentiæ alteri formę eiusdem rationis materia prima nõ aliundè habebit, quam à sigillatione ad quantitatem: vt autem hic tacitæ cuidam obiectioni respondeatur.

Aduertendum est, quòd licet forma substantialis habeat incapacitatem recipiendi formã substantialem eiusdem rationis, non tamen hoc ipsi competit ex ratione sua specifica, & essentiali, sicut conuenit quantitati, sed tantùm ex ratione indiuiduali; proinde non per se primò hoc competit formæ substantiali, benè autem quantitati, atque ita radix huius incapacitatis potiùs erit quantitas, quàm forma; illud siquidem potius est radix alicuius rationis, cui competit primò, per se, & essentialiter, quàm illud, cui sic non cõpetit. Quòd autem formæ substantiali cõpetat incapacitas recipiendi formã eiusdem rationis ex ratione solùm indiuiduali, & non specifica, sicut quantitati, patet ex eo, quia quantitati diuidi in partes eiusdem rationis competit essentialiter, quarum vna non se habet, vt potẽtia receptiua respectu alterius; cùm de essentia ipsius sit habere partes eiusdem rationis. At verò formæ substantiali non conuenit diuidi in partes eiusdẽ rationis, seù in diuersa indiuidua, nisi propter diuersas rationes in-

di-

diuiduales, si enim hæ non essent, illa esset vna indiuisa, & inmultiplicata in diuersa eiusdem rationis, vt S. Thom. probat de albedine separata; & ita formæ substantiali incapacitas recipiendi aliam formam eiusdem rationis, ex sola ratione indiuiduali, competet.

Diluuntur argumenta contraria.

OBijcitur primò ex D. Thom. qui in diuersis locis, præcipuè in opusc. sc. de indiuid. asserit, materiam primam esse principium indiuiduationis, nulla facta mentione quantitatis; immò in dicto Opusc. absolutè dixit, *solam materiam esse principium indiuiduationis.*

Resp. solutionem huius argumenti ex quæst. huius disp. patere satis. Cæterùm potest adhùc respondéri, S. Doctorem loqui de principio indiuiduationis comparatiuè ad formam substantialem, & ideò dicit, solam materiã esse principium indiuiduationis, cum forma substãtialis principiũ radicale nullo modo esse possit.

Accedit, quòd materia, vt sigillata, à seipsa præcisè sumpta non distinguitur realiter, & itá etsi intelligatur materiam, vt sigillatam, esse principium indiuiduationis primum, benè potest dici, quòd sola sit huiusmodi principium.

Obijcitur secundò. Itá se habet materia ad rationem indiuidualem, sicut forma ad rationem specificam. Sed forma substantialis, secundùm se præcisè, est radix specificationis. Ergo etiam materia, secundùm se præcisè, erit radix indiuiduationis.

Resp. disting. maiorem. Ita se habet &c, si cætera sint paria; Concedo, si disparia; Nego. Sunt autem cætera disparia; nàm forma substantialis ex se est determinata ad tribuendam hanc potiùs speciem, quàm aliã, quia tãtùm vnicam, & eandem tribuere semper apta nata est speciem, ex eo, quod sit actus quidam, qui indispensabiliter secum determinationem affert; Iam verò materia prima, secundùm se præcisè sumpta, non habet sufficientem determinationem ex se ad tribuendam hanc potiùs indiuiduationẽ, quàm aliam, cùm ex se sit potentia indifferens, sicut ad recipiendas diuersas formas, sic ad constituenda diuersa indiuidua, & ideò requirit aliquid aliud se determinans ad hoc, vt sit principium huius potiùs indiuidui, quã alterius, quod nihil aliud esse ostendimus in hac quæstione, quã quantitatem.

Obijcitur tertiò. Gradus genericus non petitur à materia, vt determinata per quãtitatem. Ergo nec gradus indiuidualis, quia vterque est potẽtialis, & pręterea desumitur vterque à materia, & ideò eadem ratio erit de vtroque.

Resp. negan. Conseq. Disparitas est; Nã gradus genericus non est vltimò determinatus, vt am-

pliùs non fit determinabilis, cùm determinetur per differentias specificas, & indiuiduales; proinde potest desumi à materia non omninò determinata, sed determinabili, sicque à materia secundùm se. Cæterùm gradus indiuidualis est omninò vltima determinatione determinatus, ita ut ampliùs nequeat per aliquam differentiam determinari, & ideò debet desumi à materia iam determinata vltimatè: hanc autem determinationem, cùm non habeat materia secundùm se, sed a sigillatione ad quantitatem, consequens est, vt gradus pure indiuidualis nequeat desumi à materia secũdùm se præcisè sumpta, sed ab illa, vt sigillata quantitate.

Obijcitur quartò. Materia prima ex se est incommunicabilis alteri, cum sit irreceptibilis in alio, vtpotè prima potentia. Ergo ex se radix erit indiuiduationis, quia indiuiduum, in ratione talis, constituitur per omnimodam incommunicabilitatem: Ergò, quod fuerit ex se radix talis incommunicabilitatis, erit etiam ex se radix indiuiduationis indiuidui. Cùm igitur materia prima sit ex se incommunicabilis alteri, erit quoque radix indiuiduationis.

Resp. cum distinct. Materia prima ex se est incommunicabilis negatiuè; Concedo: positiuè; Nego. Ad principium autem indiuiduationis requiritur incommunicabilitas positiua, sicut & illa, quæ in indiuiduo inuenitur, est positiua, & ideò hoc ipso, quòd materia prima ex se careat incommunicabilitate positiua, carebit etiã hoc, quod est, esse radicem indiuiduationis: Carentia autem incommunicabilitatis positiuæ in materia colligitur ex carẽtia vnitatis positiuæ; incommunicabilitas enim importat quandam indiuisionem, quæ est de ratione vnitatis, & itá esse aliquid incommunicabile positiuè, erit idem, ac esse vnum positiuè vnitate maxima; Cùm ergo materia prima nõ sit ex se vna positiuè vnitate maxima, qualis est indiuidualis, vt docent Nost. Complut. in Phys. sed illam acquirat ex sigillatione ad determinatam quantitatem, consequens est, quòd etiam nequeat habere ex se incommunicabilitatem positiuam requisitam ad esse radicem indiuiduationis.

QVAESTIO IV.

Vtrùm materia prima, vt signata formali quantitate, aut vt determinata per aliquem modum substantialem, sit radix indiuiduationis.

POstquàm ostensum est in præcedenti quæstione, materiam primam non esse principium radicale indiuiduationis, secundùm se præcisè sumptam, sed quantitate signatam; modò remanet explicandum, quomodo, aut quali-

et signetur quantitate in ordine ad hoc, vt possit esse principium radicale indiuiduationis: Pro cuius intelligentia.

Supponendum est primò, in indiuiduo duo inueniri, scilicet esse indiuisum in se vltima diuisione, seu esse incommunicabile eo modo, quo superius communicatur inferiori, & esse eodem modo diuisum à quolibet alio. Et licet aliqui inferiùs citandi asserant priorem rationem absolutè prouenire à materia, posteriorem verò à quantitate formali, tamen, quidquid de hoc sit, negari non potest, quòd per quandam accommodationem esse incommunicabile possit tribui materiæ, & esse diuisum ab alio quantitati, vt doctissimè, & subtilissimè nost. Salmat. Tomo 1. Tract. 1. disp. 1. dub. 3. ostendunt. Ratio huius est: Nã esse incommunicabile, in huiusmodi sensu, dicit negationem cõmunicabilitatis illius, qua vniuersale communicatur alteri, vt subiecto inferioritatis, & prædicationis; proinde dicit negationem essendi in alio, vt in subiecto, cùm dici *de*, præsupponat esse *in*: Negatio autem essendi in alio, vt in subiecto, sicque communicabilitatis iàm explicatæ, per accommodationem appropriatam nulli competit eo modo, sicut materiæ, quæ, cùm sit omninò primum subiectum, nequit communicari alteri, vt subiecto, aliàs non esset omninò primum. Iam verò esse diuisum ab alio maximè accommodari, & appropriari debet quãtitati, quia maximè proprium est quantitatis esse ex se diuisam, cũ ex se, & essentialiter significet distinctionem, & diuisionem partium, siue esse diuisibilem in plura eiusdem rationis, vti inferiùs ostendetur, & ita per appropriationem quandam esse diuisum, ipsi tribui debet, vltima diuisione.

Supponendum secundò, quòd quamuis materia prima præcisè sumpta, & non, vt præhabens hanc potiùs quantitatem, quàm aliam, nequeat esse sufficiens radix indiuiduationis quoad esse incommunicabile, seu indiuisum in se vltima diuisione, est tamen, secundùm hanc rationem, radix eiusdem, licet ex se insufficiens, respectu dictæ incommunicabilitatis; proinde materia prima, prout est vna numero negatiuè, poterit esse prima radix, licet insufficiens, indiuiduationis. Ratio huius desumitur ex ipsa differentia, quæ intercedit inter vnitatem numericã, & specificã cõpositi substãtialis; Vnitas quippe specifica incipit ab vnitate specifica positiua, quandoquidèm oritur à forma habente vnitatem specificam positiuam, & terminatur ad vnitatem specificam negatiuam materiæ primæ, cum ipsi tribuat rationem positiuæ. At verò vnitas numerica radicalis incipit ab vnitate negatiua, quia, cùm sit materialis, debet tanquam à prima radice, prouenire ab ipsamet materia, quæ, secundùm se, non est vna numero positiuè, sed negatiuè tantùm: Vnde materia prima, secundùm

dùm se præcisè sumpta, & vt est vna numero negatiue, erit radix Indiuiduationis, licet ex se insufficiens. Et exemplificatur hæc ratio radicis insufficientis in intellectione: Intellectio, secundū se, vt intellectio, procedit ab Intellectu, vt à primo principio sui; secundùm verò speciem suam, vt à prima radice, oritur à specie intelligibili, ita tamen, quòd nec solus Intellectus sit sufficiens principiū influens in intellectionem, vt intellectio est, sine specie intelligibili, nec species intelligibilis sit sufficienter influxiua in intellectionē secundùm suā speciē consideratā, sine Intellectu; Et ideò etsi radicale, (vt sic dicamus) & primū principium in intellectionem, vt sic, influēs, sit ipsemet intellectus, & in eandem, secundùm suam speciem consideratam, sit species intelligibilis; neutrum tamen, secundùm præcisionem sumptum, erit sufficiens, sed tantùm insufficiens principium. Proportionali ergò modo discurrendum est de materia prima, vt dicitur principium indiuiduationis vna cum quantitate præhabita; de qua inferiùs.

Supponendum tertiò, duplex esse genus partium, & totorum: aliæ vocantur entitatiuæ, seù eiusdem rationis, quæ integrant Totum continuum ex eis consurgēs. Aliæ dicuntur subiectiuæ, aut quasi subiectiuæ, & eiusdem rationis, quibus correspondet totum vniuersale, aut quasi vniuersale, & athomū; Partes verò huiusmodi, nil aliud sunt, quàm plura indiuidua, aut partes singulares alicuius speciei, solo numero diuersæ, quæ sub specie, aut quasi specie aliqua athoma continentur. Ideò autem vocantur partes subiectiuæ, quia totum aliquid, aut quasi totum vniuersale, diuiditur in illa, tanquàm in sibi subiecta inferiora participantia eandem, aut saltim quodammodo eandem naturam athomam, quamuis possit contingere, quòd vtraq; pars, seù vtrūq; ex his inferioribus, sit verum totum actuale, licet ex se vtraque pars, aut earum aliqua, nō habeat partes entitatiuas, & eiusdem rationis: Vnde duo aliqua possunt inter se distingui, vel sicut vna pars integralis ab alia integrali distinguitur, vel sicut vna pars subiectiua, & eiusdem rationis, contenta sub aliqua specie, aut quasi specie, distinguitur ab altera, quo præmisso.

Supponēdum quartò, & aduertendum est pro intelligentia dicendorum infra, quòd licet materiam vnam distingui ab alia per modum partis entitatiuæ, seù integralis, proueniat à quantitate formali, cùm substantia ex se non habeat partes entitatiuas, sed tantùm à quantitate ipsi communicentur, vt effectus formalis eiusdem, sicut insigniter ostendunt nost. Complut. in lib. de Generat., attamen quòd vna materia distinguatur ab alia, prout vna pars subiectiua, aut quasi subiectiua, condistinguitur à sua consimili parte, non prouenit à quantitate formali, & inhærente, sed tantùm

à ra-

Digitized by Google

à radicali, & præhabita, quia, vt mox ostendemus, albedo separata à quantite formali, esset adhùc indiuidua, & distingueretur ab alia indiuidua, vt est pars subiectiua, cùm tamen non esset coniuncta cum quantitate formali.

Supponendum quintò pro intelligentia difficilis cuiusdam authoritatis D. Thom. ex Quodlib.7.a. 10. citari solitæ, quòd albedo v.g. vt est *hæc*, & indiuidua sensibiliter, nequeat dari sine quantitate, non tamen, vt est indiuidua indiuiduatione, secundùm sua præcise intrinseca, spectata: Quod nost. Salm. Tract. de princ. indiuid. disput.1. dub.3.§.4. præclarè deducunt ex D. Tho. dicente: *Posse fieri diuino miraculo, vt natura albedinis subsisteret sine quantitate; illa tamē albedo nō esset, sicut hæc albedo sensibilis*. Vbi S. Doctor hoc ipso, quòd dicat, albedinem posse subsistere sine quantitate, insinuat etiam separatam à quantitate posse esse indiuiduam indiuiduatione intrinseca, cum in ipsius sententia nil possit esse subsistens, nisi singulare, & indiuiduum, ex ea verò parte, ex qua dicit, albedinem sine quantitate nō posse esse albedinem *hanc* sensibilem, innuit, quoad extrinseca indiuiduationis albedinis, scilicèt quoad singularitatem in ratione perceptibilis sensu externo, eam non posse esse *hanc*, vel indiuiduam.

Nec valet, quòd loco citato S. Doctor albedinem separatam à quantitate, dixerit, fore formam quandam intelligibilem ad instar formarū separatarum, quas Plato posuit, quæ tamen non sunt indiuiduæ, sed vniuersales.

Non, inquam, valet hæc replica: Sanctus enim Doctor æquiparauit albedinem separatam, non quoad omnia, idæis Platonicis, sed tantùm quoad aliqua; nec cōparauit quantùm ad vniuersalitatem, cùm ibidem expresè dicat, quòd albedo separata à quantitate posset subsistere diuino miraculo: subsistens autem est singulare, & non vniuersale in sentētia S. Doct. sed cōparauit prædictā albedinē idæis quòad hoc, quod est, non esse formas sensibiles, sed abstrahentes à materia sensibili, nō tamen intelligibili, sicut etiam ideæ Platonicæ ab illa, non autē ab ista, abstrahebant: & ob hanc considerationem S. Thom. sic abstractam albedinem asseruit fore spiritualem, non autem corporalem, spiritualitate accepta pro immaterialitate opposita materialitati sensibili, non verò etiam intelligibili. His ita præsuppositis.

Circa excitatam quæstionem triplex est sententia. Prima est. Nazarij 1.p.q.1.ar.3.contr.vnica, qui dicit. Materiam primam, vt quantitate formali affectam, esse principium indiuiduationis; dicitque primam radicem indiuiduationis indiuidui, secundùm quòd importat indiuisionem in se, esse materiam primam; secundùm quòd verò importat diuisionem, & distinctionem ab alio, esse

esse quantitatem formalem: Eandem sententiam defendit, & Ferrar. contr. Gent. cap.21. Soncinn. Metaph.7. quæst.34.

Secunda Sententia est Suarezi. Tomo Metaph. disput. 5. Sect. 3. n.21. Principium radicale indiuiduationis statuentis Materiam primam, vt affectam modo quodam substantiali ab ipsa ex natura rei distincto.

Tertia Sententia est negatiua, & impugnatiua vtriusque. Pro resolutione.

Dicendum est primò, Materiam primam, vt affectam quantitate formali, non esse principium radicale indiuiduationis formæ substantialis, aut totius Compositi Substantialis. Ita Aristotol. & D. Thomas, locis referendis, Flandria 7. quæst. 39. art. 4. Capreolus 2. dist.3. quæst.1. art.3. Ægydius quodl.1. q.5. art.1. Iauell.5. Metaph. quæst.15. Zumel. 1.p.q.3. ar.2. Tract. de Principio Indiuiduationis controu.2. Gonzales 1. p. q. 11. ar.1. disp.23. Caietanus, Bannes, quos referunt, & sequuntur nostri Salmat. Tomo 1. Tract. 1. disp.1. dub.3. Item nost. P. Philipp.3.p. suæ summæ Philosophiæ q.6. art.3. Noster P. Blas. suæ Metaph. lib.1. disp.3. quæst.4.

Probatur Conclusio, primò authoritate Aristotelis, qui in Prædicamento dicit: *Primam substanstantiam, seu indiuiduum esse maximam substantiam*. Si autem indiuiduum in suo conceptu incluceret, vt formam intrinsecè constituentem, quantitatem, non esset maxima substantia collata cum idæis, cùm hæ nihil includunt accidentale in suo cõceptu. Ergo sentit Aristot. quòd indiuiduum, seu substantia prima in suo conceptu non includat quantitatem formalem. D. Tho. etiam Opusc.70. supra Boetium quæst.4 a.2. sic inquit. *Ad secundum dicendum, quòd dimensiones, cum sint accidentia, per se non possunt esse principium vnitatis indiuiduæ substantiæ, sed materia, &c.* Hoc ipsum docet Opusc.29. item Opusc.32. cap.3. sic loquitur. *Dicitur, quòd materia sub certis dimensionibus est causa indiuiduationis, non quòd dimensiones causent indiuiduum, cum accidens non causet suum subiectum, sed quia per dimensiones certas demonstratur indiuiduum hic, & nunc, &c.* Ex quibus, & alijs locis D. Thom. (vt videre est apud nost. Salmat. loco citat.) patet, formam accidentalem (qualis est quantitas) secundùm suum esse formale sumptã, non posse intrinsecè constituere indiuiduum, sicque nec materiã esse radicem indiuiduationis, vt quantitate formali affectam.

Probatur deinde ratione fundamentali desumpta ex S. Thom. Opusc. 32. Materia prima, vt est radix indiuiduationis substantiæ materialis, intrinsecè concurrit ad constitutionem substantiæ primæ materialis, seu indiuidui. Sed, vt est affecta quantitate formali, nequit concurrere intrinsecè ad constitutionem eiusdem. Ergo ne-

Digitized by Google

neque est principium radicale indiuiduationis ipsius. Maior patet: Nam sicut principium radicale specificationis, scil. forma, intrinsecè debet concurrere ad constitutionem rei in sua specie, sic principium radicale indiuiduationis ad constitutionem indiuidui, seu substantiæ primæ, in esse talis. Minor prob. Concurrentia intrinsecè ad constitutionem substantiæ primæ debent esse substantialia, quæ constituant vnum per se directè ponibile in prædicamento substantiæ, tanquam fundamentum eiusdem. Sed si concurreret ad constitutionem substantiæ primæ materia, vt affecta quantitate formali, concurrentia intrinsecè ad huiusmodi constitutionem non essent substantialia, nec possent constituere vnum per se directè ponibile in prædicamento substantiæ. Ergo materia prima, vt affecta quãtitate formali, &c. Maior patet, quia substantia prima est ens per se substantiale directè ponibile in prædicamento substantiæ, vt fundamentum eius. Ergo concurrentia ad intrinsecam ipsius substantialem constitutionem debẽt esse talia, quæ constituant eam, itaut sit directè ponibilis in prædicamento substantiæ. Minor verò probatur. Concurrentia diuersorum prædicamentorum ad constituendum intrinsecè aliquid, non faciunt vnum per se directè ponibile in aliquo prædicamẽto, sed ens per accidens, vt patet. Sed materia cum quantitate formali, concurrens intrinsecè ad cõstitutionem substantiæ primæ sũt diuersorum prædicamentorum, scilicet quantitatis, & substantiæ. Ergo si illa concurreret vnà cum quantitate formali, &c.

Confirmatur. Pertinens ad aliquam lineam, maximè si fuerit fundamentum talis lineæ, nequit constitui per aliquid, quod sit extra talem lineam, aliàs esset, & non esset extra talem lineam, cùm res constituta non possit non pertinere ad lineam sui constitutiui. Sed prima substantia pertinet ad lineam substantiæ, vt fundamentum totius lineæ. Ergo non poterit constitui intrinsecè per id, quod est extra lineam substantiæ, sicut est quantitas secũdùm suum esse formale.

Dices, ad vnitatem indiuidualem duo concurrere, scilicet esse indiuisum in se vltima diuisione, seu incommunicabile, & esse diuisum ab alio: primum habet se essentialiter ad rationem indiuidui, posterius per modum proprietatis consecutæ; Et ita hoc ipso, quòd indiuiduum habeat prædictam indiuisionem à principio substantiali, scilicet materia, etsi diuisionem ab alio accipiat, ab accidenti, scilicet à quantitate, nihilominùs indiuiduum essentialiter sumptum erit per se vnũ, directè pertinens ad lineam substantiæ, non autem vnum per accidens, siquidem esse diuisum ab alio, à quantitate prouenienś, non est essentialiter pertinens ad rationem indiuidui, sed tantùm

consequens rationem essentialem, vt proprietas, quæ tamen, vt constat, non debet pertinere ad idem prædicamentum cum sua essentia, cuius est proprietas.

Contra. Esse indiuisum in se vltima diuisione pertinet ad intrinsecam, & essentialem constitutionem indiuidui ex concessis. Ergo, & esse diuisum ab alio. Ergo, & quantitas, à qua prouenit talis effectus ad essentialem constitutionem pertinebit, quod est facere ens vnum per accidens, & nō per se, vt intuenti patet. Vltima Consequentia ex priori sequitur, quia, secundùm datam solutionem, esse diuisum ab alio prouenit à quantitate, tanquàm effectus formalis eiusdem, ipsam proinde inuoluēs. Ergo si esse diuisum ab alio pertinet ad essentialem constitutionē indiuidui, etiam quantitas pertinebit; Prior autem consequentia probatur; Nam ex Aristot. & D. Tho. idē est reipsa constitutiuum, quod est distinctiuum rei, vel diuisiuum ipsius ab alijs. Ergo si constitutiuum indiuidui, scilicet esse indiuisum in se, pertinet ad essentialem constitutionem eius, etiam esse diuisum ab alio eodem modo pertinebit. Antecedēs verò primum est ipsius solutionis fundamentum.

Replicabis cum Nazario, Maximam illam, *idem, scilicet, esse constitutiuum, quod, & distinctiuū*, debere intelligi de principio formali, non autem radicali, quale est quantitas, & respectu indiuiduationis indiuidui substantiæ materialis. Sed,

Contra. Istud axioma verificatur etiam de constitutiuo radicali; & probatur sic. Constitutiuum radicale indiuidui reddit illud in se indiuisum vltima diuisione, & omninò incommunicabile alteri. Ergo etiam facit, quod non sit aliud hoc ipso, quòd reddat illud incommunicabile alteri, vt ex se patet. Sed constitutiuum faciens, vt constitutum non sit aliud, est distinctiuum ipsius ab illo alio, vt patet ex terminis. Ergo cùm constitutiuum etiam radicale indiuidui faciat illud incommunicabile alteri, erit ita constitutiuum, vt sit simul, & distinctiuum. Deinde vnum indiuiduum substantiale substantialiter distinguitur ab altero, cùm sint duæ realiter distinctæ substantiæ intra lineam substantiæ. Ergo etiam principium huiusmodi distinctionis debet esse substantiale; distinctio siquidem consequitur principium suum, & est talis, quale fuerit principium eius. Ergo principium distinctiuū vnius indiuidui substantiæ materialis ab alio non erit quantitas, sed substantia; Ista Consequentia patet ex Priori, quandoquidem distinctio (cùm debeat commensurari suo principio) substantialis non potest principium distinctiuū recognoscere accidens aliquod, vti est quantitas, sed substantiam.

Dices cum aliquibus aliter ad nostram rationem fundamentalem, & eius confirmationem respondentibus, quantitatem, secundùm suum esse formale, afficientē materiam non esse principium indi-

indiuiduationis, prout in recto importatur, sed tantùm in obliquo, tanquam connotatum intrinsecum, proinde non impedit, quòd licet esse diuisum ab alio indiuiduo ab ipsa communicetur, ipsum indiuiduum substantiale possit esse vnum per se, & directè ponibile in prædicamento substantiæ; per hoc namque, quòd aliquid importat in obliquo aliud ad diuersum prædicamẽtum pertinens, non impeditur, quominùs in recta linea proprij prædicamenti collocetur, vt patet in accidentibus cõnotantibus substantiam.

Sed Contra. Quando aliquid importat in obliquo, & de connotato tantùm, aliud diuersi prædicamenti, vt connotatum tamen intrinsecum, nequit esse vnum per se, nec directè ponibile in prædicamentis. Ergo si in constitutione indiuidui substantiæ materialis quantitas à materia connotatur, vt intrinsecum connotatum (quæ quidem quantitas ad aliud à materia prima pertinet prædicamentum) indiuiduum substantiæ materialis, seù substantia prima adhuc non poterit esse vnũ per se directè ponibile in prædicamẽto substantiæ. Conseq; patet ex Antecedenti. Ant. autem prob. Ideò accidens in concreto sumptum non est vnum per se, nec directè ponibile in proprio prædicamento, quia ex parte modi significandi importat ipsum subiectum alterius à se prædicamenti, tanquàm obliquum intrinsecũ, vt docent nostri Complut. in Log. disp. 5. & 11. Ergo &c.

Probatur secundò Conclusio. Potest substantia esse, & consistere indiuidua absque eo, quòd inueniatur quantitas secundùm suum esse formale: Ergo signũ est, quòd radix indiuiduationis substantiæ non sit materia, vt affecta quantitate formali. Conseq; patet, quia sine radice suæ indiuiduationis substãtia nequit esse indiuidua. Ergo &c. Ant. prob. radix indiuiduationis animæ rationalis, quæ est substantia quædam, est materia prima, vt hac determinatè signata quantitate, cum anima rationalis indiuiduetur per materiam signatam quantitate, vt supra diximus. Sed anima rationalis potest consistere indiuidua in rerum natura, etsi materia non sit affecta formali quantitate illa numero, per quam signata est in ordine ad talem animam rationalem, saltim supernaturaliter, vt consideranti patebit. Ergo &c.

Dicendum est secundò. Materia prima nõ est radix indiuiduationis per aliquem modum substãtialem ipsi superadditum. Probatur: Modus ille superadditus materiæ primæ habet oppositam rationẽ primæ radici indiuiduationis. Ergo materia, ratione ipsius, nequit esse prima radix indiuiduationis. Conseq. patet, Ant. prob. Radix indiuiduationis, ratione cuius materia prima habet esse radicem illius, est irreceptibilitas in alio, vt in subiecto, prout patet ex dictis. Sed modus superadditus materiæ habet op-

positam huic rationem, cùm debeat recipi in materia, tanquàm proprio subiecto, prout fert natura modi respectu rei modificatæ. Ergo &c.

Argumenta in Contrarium soluuntur.

OBijcitur primò contra primam Conclusionẽ ex Aristot. 10. Metaph. Cap. 3. Textu 4. qui loco cit. constituit duplex distinctionis genus; Aliud quidem secundùm formam, per quam aliqua distinguuntur essentialiter; Aliud verò secundùm quantitatem, per quam aliqua distinguuntur numericè: Vnde sicut distinctio specifica non oritur à forma, nisi actu informante, sic nec à quantitate orietur distinctio numerica, nisi actu inhæreat substantiæ.

Deindè possunt afferri diuersa loca S. Tho. hoc confirmantia; nàm S. Doct. Opusc. de principio indiuiduationis, & Opusc. 32. Cap. 3. asserit, *sine quantitate non posse saluari rationem indiuidui materialis in genere substantiæ*. In alijs verò locis ait, per materiã signatã quantitate intelligi debere materiã sub certis dimẽsionibus, quod nequit saluari, nisi illæ ipsi inhæreant. Tandem 3. p. q. 37. ar. 1. & in 4. Sentent. dist. 12. q. 1. dicit: *indiuiduum duo habere, scilicet incommunicabilitatem, & distinctionem ab alijs, & quidem ratione primi prouenire à materia, tanquam à principio suo; ratione verò secundi, à quantitate*. Ergo sicut materia prima non est principium incommunicabilitatis, nisi vt actu in indiuiduo inuenta, sic nec quantitas, nisi vt actu habita erit principium distinctionis. Verùm ad has, & similes authorit. facilè patet ex dictis supra; Interim tamen maioris claritatis gratia.

Resp. in primis ad authorit. Aristot. dicendo, Aristotelem loco cit. loqui non de quantitate formali, & habita actu, sed de radicali, ac præhabita, prout etiam adhuc magis sequenti quæst. patebit.

Ad primum verò locum ex D. Thom. citatum resp. S. Doctorem intelligendum esse, sicut & Aristotelem, de quantitate radicali, & præhabita, non autem de formali, aliàs esset sibi contrarius in alijs locis, quod admitti non debet; Iam autem dùm dicit, per materiam signatam quantitate esse intelligendam materiam sub certis dimensionibus, loquitur de materia, non prout actu subest illis, sed prout est fundamentum, & radix ipsarum; In quo autem sensu sit intelligendus dùm quodlib. 7. art. 10. de albedine, & alijs qualitatibus materialibus loquẽs, asserit: *eas esse inseparabiles à quãtitate, prout sunt qualitates indiuiduæ*, constat ex suppositis huius quæst.

Ad vltimum denique locum ex 3. parte citatum resp. vtrumque in indiuiduo inuentum, scilicet tàm esse incommunicabile, quàm esse di-

diuisum, vel distinctum ab alio, prouenire à materia signata quãtitate, ita vt esse incommunicabile proueniat à materia, tanquàm à prima radice sufficienti, non absolutè considerata, sed vt præhabente hanc potiùs quantitatem, quàm aliam; esse autem diuisum proueniat similiter à quantitate, vt à suo principio, non quidem, vt habita, sed vt præhabita, & præcontenta in materia, tanquàm sua radice; quibus tamen non obstantibus, per accommodationem quandam, potest tribui materiæ primæ, etiam secundùm se sumptæ, vt principio insufficienti, esse incommunicabile, iuxta dicta in præsuppositis huius quæstionis, quantitati verò esse diuisum.

Obijcitur secundò. Vnum indiuiduum substantiæ materialis debet esse diuisum ab alio. Sed hoc haberi non potest, nisi à quantitate formali. Ergo indiuiduum in ratione indiuidui non potest cõstitui sine quantitate formali: Ergo si materia prima est radix indiuiduationis, vt quantitate signata, erit radix, vt signata quãtitate formali, non autem radicali tantùm; Ista conseq. ex priori sequitur manifestè. Prior ex præmissis; Maior verò patet ex ipso ethymon, & ratione indiuidui, quod importat esse in se non diuiduum, vel non diuisum, proinde ab alio diuisum. Minor probatur: Diuidere, aut esse diuisum, est effectus formalis quantitatis; Sed effectus formalis quantitatis non potest prouenire, nisi à quantitate formali, sicut & effectus formalis cuiuscunque formæ nequit, nisi à sua forma procedere. Ergo indiuiduũ esse diuisum nequit habere, nisi à quantitate formali.

Resp. disting. maiorem. Vnum indiuiduum debet esse diuisum ab alio diuisione substantiali; Concedo; diuisione quantitatiua; subdistinguo: secundum quòd est quoddam quantum; Concedo, secundùm quòd est indiuiduũ præcisè substantiale; Nego. Similiter distinguitur Minor: Esse diuisum prouenit à quantitate formali diuisione quãtitatiua; Concedo; substantiali; Nego. Talis enim debet esse diuisio inter aliquas partes, quales fuerint partes; si fuerint substãtiales, debet esse diuisio substãtialis, si quãtitatiuæ, diuisio erit quantitatiua, & quia duo indiuidua substãtialia materialia eiusdẽ speciei athomæ sunt partes subiectiuæ, & substantiales, quantùm est ex parte ipsorum, prout scilicet sunt indiuidua, non autẽ partes entitatiuæ, cùm substantia illis careat, vt supra dictum est; diuisio autem secundùm partes quantitatiuas solùm est effectus formalis quantitatis, secundùm suum esse formale consideratæ, hinc est, quòd esse diuisum inter duo indiuidua, vnius scilicet ab alio, non debeat prouenire à quãtitate formali, & habita, sed solum radicali, & præhabita.

Obijcitur tertiò. Materia prima non potest esse radix indiuiduationis substantiæ, nisi sit determinata ad hoc potiùs indiui-

duum, quàm ad aliud, cùm per hoc sit radix indiuiduationis, quòd sit huius potiùs indiuidui, quàm alterius; Sed nequit istam determinationem habere, nisi à quantitate formali. Ergo non poterit esse radix indiuiduationis, nisi prout est affecta quantitate formali. Maior ex dictis patet; Minor prob. nàm non illam habet materia à se, siquidem ex se est indifferens ad omnia indiuidua; nec per modum aliquem substantialem, vt patet ex secunda Conclusione. Ergò cùm nil restet, nisi quantitas, ab ipsa quantitate accipiet determinationem.

Nec valet, si resp. accipere determinationem istam à quantitate radicaliter, sed virtualiter præhabita, non autem formaliter habita; nam

Contra est. Cõpositum substãtiale, non virtualiter, sed formaliter habet rationem indiuidui. Ergo principiũ ipsius indiuiduationis non debet esse id, quod tribuit determinationem secundùm præcontinentiam tantùm virtualem quantitatis, sed formalem, virtualiter namque, tale non potest tribuere esse formaliter tale, in genere præsertim causæ formalis, qualiter materiæ primæ determinatio communicatur à quantitate.

Resp. tamen ad hoc argumentum, admittendo solutionem inter arguendum datam. Ad cuius impugnationem, concesso antec. negatur conseq. nec probatio in contrarium vrget quidquam; tunc enim tantùm deberet quantitas, secundùm suum esse formale, esse principiũ radicale indiuiduationis indiuidui substantialis, quando indiuiduatio substantialis indiuidui non tantùm esset indiuidui formaliter, sed etiam indiuidui formaliter indiuiduatione eiusdem speciei athomæ cũ indiuiduatione quantitatis; in tali namque casu, & esset radix indiuiduationis quantitas in genere causæ formalis, & esset radix eiusdem secum rationis; proinde vt ipsam in genere causæ formalis indiuiduo substãtiali posset communicare, non posset non secundùm suum esse formale ad hoc requiri, cùm forma non tribuat effectum formalem, nisi per communicationem propriæ entitatis. Cæterùm indiuiduatio indiuidui substantialis, & ipsius quantitatis, non sunt omninò eiusdem athomæ rationis, cùm sint generum, & linearum distinctissimarum, accidentis scilicet, & substantiæ; hinc est, quòd etsi indiuiduum substantiale sit formaliter tale; radix indiuiduationis ipsius non debeat esse quantitas, vt formaliter à materia habita, sed tantùm vt virtualiter præhabita, immò hoc requiritur indispensabiliter, aliàs tribueret indiuiduo substantiali indiuiduationem eiusdem omninò secum rationis (vt ex modò dictis patere potest,) quod est impossibile: Licet autem materia prima, propter suam indifferentiam, nõ possit distinctè præcontinere hanc potiùs quantita-

tem,

tem, quam aliam vagè sumptam, sicut etiam causa efficiens non præcontinet distinctè effectum vagè snmptum, sed quodammòdo indistinctè, & confusè: nihilominus quantitatem hanc determinatè acceptam potiùs, quàm aliam, non confusè, sed distinctè, & determinatè præcontinet, sicut & effectus determinatus in causa efficienti, vt determinata ad illum potiùs, quàm ad alium producendum, distinctè in eadem præcontinetur.

QVAESTIO V.

Vtrùm Materia prima sigillata quantitate interminata, vt præhabita radicaliter, seu virtualiter, sit radix indiuiduationis substantiæ materialis.

MAnifestum est ex D. Thom. Opusc, 70. quæst.4. Materiam signari, seu sigillari quantitate interminata ad hoc, vt sit prima radix indiuiduationis; quia verò terminus hic. Sigillatio, immò, & totus titulus quæsiti inuoluit quandam obscuritatem. Ideò

Supponendum est primò pro Intelligentia Sigillationis, per Sigillationem materiæ primæ in ordine ad hoc, vt sit prima radix indiuiduationis, nos cum nostris Complut, in lib. de Generat., & Salmat. tomo 1. tract.1. disput.1. dub.5. nil aliud intelligere, quàm puram, & nudam potentialitatem materiæ primæ, non secundùm se præcisè, & nudè sumptam, sed vt connotantem, (si hoc numero compositum, v. g. hominis, ad cuius constitutionem concurrit, fiat per generationem) dispositiones has numero, & non alias in tempore immediatè antecedenti præcedentes, quòd proindè sint introducta ab hoc potiùs agente, quàm ab alio, & in hoc tempore, in istoque composito corrumpendo, & non in alio: (si verò fiat compositum per creationẽ) quod subdatur Deo creanti per infinitos actus sui intellectus, & voluntatis quatenùs virtualiter, & eminenter continet hoc compositum potiùs, quàm aliud: Et ita sigillatio materiæ in generatione substantiali contingens nihil aliud erit, quàm ipsamet entitas materiæ, vt connotans tùm agens naturale hoc numero, actionemque suam, tùm dispositiones has numero hoc numero tempore introducendas in hoc numero composito corrumpendo; propter quod materia dicitur præhabere, seu præcontinere hanc numero potiùs quantitatem, quàm aliam, quæ quidem præcontinentia coincidit cum ipsamet sigillatione.

Supponendum secundò, dictam sigillationem materiæ sufficienter perfici per sola enumerata connotata absque aliqua additione alicuius intrinseci in esse Entis ipsimet materiæ superadditi, ostenditur

ditur vel ex eo, quòd, positis huiusmodi connotatis, materia prę-habeat hanc numero potiùs quãtitatem, quam aliã, sicque remaneat sufficienter ad illam sigillata, cuius ratio est, quia positis talibus dispositionibus, tali agẽte, tempore, &c. materia iam determinatur quodammodò ad habendam aliquam quantitatem requisitam ad determinatam formam, cùm dictæ dispositiones sint quædã determinationes materiæ, quæ cum pura ipsius indifferentia stare non possunt; Et quia tales dispositiones ab hoc numero agente introductæ, &c. sunt in ordine ad talem determinatam quantitatem, & formam, hinc est, quòd, illis positis, materia prima accipiat determinationẽ potiùs ad hanc numero quantitatẽ præhabẽdam, quam aliam.

Explicatur hoc magis. Materia prima, ad hoc vt dicatur sigillata, ad hanc potiùs quantitatem, quàm aliam, non requirit in recto aliquid sibi intrinsecum in esse entis superaddi, sed solùm obliquum quoddam, seu connotatum aliquod, ex superius recẽsitis; nec ideò, quia est vna tantùm negatiuè, secundùm se præcisè, & nudè sumpta, requiret aliquid sibi superaddi in recto, ad hoc, vt habeat vnitatem positiuam numericam, sine qua non potest habere sigillationem requisitam, ad hoc, vt sit radix indiuiduationis huius potiùs indiuidui substantialis, quam alterius; nam materia prima secundùm se, in actu signato, habet omnem realitatem in esse Entis in recto requisitam, ad rectum vnitatis positiuæ numericæ, secundũ quam materia est radix huius potiùs indiuidui, quàm alterius, & ratio huius est; Vnitas siquidem positiua indiuidualis materiæ primæ debet esse vnitas puræ potẽtiæ, primique subiecti irreceptibilis, in alio. Ergò quidquid ad talem vnitatem in recto concurrere potest, debet esse irreceptibile; aliàs non erit conforme tali vnitati; Cùm autem quidquid non est ipsa realitas, & Entitas materiæ primæ in recto, sed ipsi superadditum, nequeat habere talem incommunicabilitatem; (superadditum namque illud deberet recipi in materia) consequens est, quòd materia prima secundùm se in actu primo, debeat habere omnem realitatem in esse Entis in recto requisitam, ad rectum vnitatis positiuæ numericæ, &c. Licèt illam nequeat habere in ratione recti in actu exercito, seù vt exercentem rationem recti, nisi adsit obliquum, siuè connotatur aliquod, ex supra recensitis, cuius radix est; quia rectum sub conceptu recti exerciti nequit dari, nisi afferat etiam suum obliquum, seu connotatum propter connexionem, & habitudinem quandam recti ad obliquum; Materia verò prima, secundùm se præcisè sumpta, non affert indispensabiliter obliquum, vel connotatum iam explicatum, nec habet nexum cum illo necessa-

satium, vtpotè quæ est secundùm se indifferens ad hoc, vel illud connotatum, seu obliquum. Ergo etiam materia prima, secundùm se præcisè sumpta, non habebit rationem recti sub conceptu recti exerciti, nisi adfuerit obliquum, atque connotatum aliquod; quod quidem obliquum, sicut indispensabiliter requiritur ad rationem recti sub conceptu recti exerciti in materia prima, sic sufficit, ita vt nihil ampliùs desideretur, prout patet tùm ex probatione, tùm ex exẽplo speciei Angelicæ, quæ, vt repræsentet existentiam exercitam singularis de nouo producti, non requirit sibi aliquid superaddi intrinsecum in esse entis, & in recto ad ipsum pertinens, sed tantùm requirit obliquum, & cõnotatum quoddam, productionẽ scilicet singularis, & existentiam, exercitam, quo posito, sine noua superadditione alicuius sibi intrinsecè, repræsentat illud singulare cum existentia sua exercita. Vt autem tantò ampliùs explicetur sigillatio materiæ primæ, importans præcontinentiam quandam, & præhabitationem huius potiùs quantitatis, quàm alterius.

Supponendum tertiò, præcontinentiam radicalem quantitatis, seu virtualem non esse rationem aliquam realiter distinctam à materia prima, sed ad summum virtualiter, seu (vt alij volunt) quantitatem radicalem, aut virtualem omninò realiter identificari cum materia: Cuius ratio est, quia quantitas radicalis, aut virtualis, siue radicalis præcontinentia quãtitatis nihil aliud importat, quam radicem quantitatis formalis, quæ est materia; constat autem materiam, vt est radix alicuius, à seipsa in recto non distingui realiter. Ergo nec præcontinentia radicalis quantitatis erit aliqua ratio ab eandem realiter distincta.

Supponendum quartò, præcontinentiam radicalem materiæ primæ adæquatam habere duas rationes inadæquatas, secundum quarum priorem præcontinet formam substantialem, ad quam est sigillata; prout illa forma est hæc, secundum posteriorem verò rationem præcontinet quantitatem; hic verò est ordo inter explicatas præcontinentias, quòd posterior habeat rationem quasi dispositionis cuiusdam respectu prioris, & ideò priùs intelligitur in materia præesse rationem præcontinentiæ quantitatis, quàm rationẽ præcõtinentiæ formæ substantialis, quia materia prima nõ præcõtinet hãc numero formam substantialẽ, nisi in quantũ est disposita; nõ disponitur autem permanenter, nisi per quantitatem, vt mox ostendetur, ideò ratio præcontinentiæ quantitatis in materia præintelligitur ratione præcontinẽtiæ huius formæ substantialis; quòd autem materia prima non disponatur, nec determinetur permanentèr, nisi per quãtitatem, patet ex eo, quòd aliæ omnes dispositiones, quæ possunt concurrere ad sigillationem materiæ primæ, vt est Actio

hæc

hæc huius agentis, hoc tempus, hæ dispositiones, in hoc subiecto corrumpendo, non permanent, sed transeunt; quantitas autem in composito genito recepta permanet, & ita si est dispositio materiæ, prout cõmuniter admittitur, erit dispositio ipsa sola permanens, cùm aliæ non sint assignabiles, priùs ipsam permanenter disponentes.

Supponendum quintò, per quãtitatem interminatam non intelligi quantitatem nullum habentem terminum, sicque infinitam, sed quantitatem non terminatam per formam substantialem, quæ est terminus, & complementum ipsius; dispositio namque ad aliquam formam, dùm præintelligitur suæ formæ, non censetur esse terminata, aut quasi formata per illam, sed potiùs interminata, & non formata, vt sic dicamus, sicut contritio, quæ est dispositio ad gratiam sanctificantem, dùm præintelligitur gratiæ, non concipitur, vt formata, & terminata, aut completa per illam, sed tùnc primum concipitur formata, & terminata, cùm concipitur, vt posterior ipsa; Cùm ergo quantitas, vt ex supradictis liquet, sit quædam dispositio ad formam substantialem, dùm præintelligitur ipsimet formæ substantiali, erit interminata, sicut è conuerso, dùm concipietur, vt subsequens illam, erit terminata. Et hoc est, quod vult S. Doctor in 4. dist. 11. q. 1. art. 1. & quæstiunc. 3. ad 4. dùm dicit: *Dimensio, quæ præintelligitur ante formam substantialem in materia; non habet esse completum, quia non est dimensio terminata, terminatio enim dimensionis est per formam.*

Differunt autem inter se quantitas terminata, & quantitas determinata per hoc, quòd quantitas determinata dicat quantitatem, vt hanc numero, & non illam, præscindendo ab hoc, quòd sit terminata, & completa per formam substantialem, vel etiam nõ sit; quòd habeat hanc tantitatem, terminum, figuram hanc, vel illam, & hoc modo accepta quantitas, vt præcontenta in materia, est principium indiuiduationis: At verò quantitas terminata importat ipsam, vt completam iam, atq; terminatam per formam substantialem, sicque ipsa posteriorem, & dependentem, quomodo nequit esse principium indiuiduationis; distinctio autem quantitatis in ratione determinatæ, & terminatæ, vel exinde potest colligi, quòd quantitas in ratione determinatæ eadem manens, vel quoad esse hanc, & non illam, potest variari in ratione terminatæ, vt patet in viuente, quòd secundùm eandem numero quantitatem augetur, sicque retinet eandem quantitatem semper in ratione determinatæ, non tamen in ratione terminatæ; quandoquidèm diuersimodè illa variatur in augmento, diuersas acquirendo figuras. His pro intelligentia tituli prænotatis.

Duplex est Sententia circa excitatam difficultatem. Prima est

Suarez

indiuiduationis, prout in recto importatur, sed tantùm in obliquo, tanquam connotatum intrinsecum, proinde non impedit, quòd licet esse diuisum ab alio indiuiduo ab ipsa communicetur, ipsum indiuiduum substantiale possit esse vnum per se, & directè ponibile in prædicamento substantiæ; per hoc namque, quòd aliquid importat in obliquo aliud ad diuersum prædicamẽtum pertinens, non impeditur, quominùs in recta linea proprij prædicamenti collocetur, vt patet in accidentibus cõnotantibus substantiam.

Sed Contra. Quando aliquid importat in obliquo, & de connotato tantùm, aliud diuersi prædicamenti, vt connotatum tamen intrinsecum, nequit esse vnum per se, nec directè ponibile in prædicamentis. Ergo si in constitutione indiuidui substantiæ materialis quantitas à materia connotatur, vt intrinsecum connotatum, (quæ quidem quantitas ad aliud à materia prima pertinet prædicamentum) indiuiduum substantiæ materialis, seù substantia prima adhuc non poterit esse vnũ per se directè ponibile in prædicamẽto substantiæ. Conseq; patet ex Antecedenti. Ant. autem prob. Ideò accidens in concreto sumptum non est vnum per se, nec directè ponibile in proprio prædicamento, quia ex parte modi significandi importat ipsum subiectum alterius à se prædicamenti, tanquàm obliquum intrinsecũ, vt docent nostri Complut. in Log. disp.5. & 11. Ergo &c.

Probatur secundò Conclusio. Potest substantia esse, & consistere indiuidua absque eo, quòd inueniatur quantitas secundùm suum esse formale: Ergo signũ est, quòd radix indiuiduationis substantiæ non sit materia, vt affecta quantitate formali. Conseq; patet, quia sine radice suæ indiuiduationis substãtia nequit esse indiuidua. Ergo &c. Ant. prob. radix indiuiduationis animæ rationalis, quæ est substantia quædam, est materia prima, vt hac determinatè signata quantitate, cum anima rationalis indiuiduetur per materiam signatam quantitate, vt supra diximus. Sed anima rationalis potest consistere indiuidua in rerum natura, etsi materia non sit affecta formali quantitate illa numero, per quam signata est in ordine ad talem animam rationalem, saltim supernaturaliter, vt consideranti patebit. Ergo &c.

Dicendum est secundò. Materia prima nõ est radix indiuiduationis per aliquem modum substãtialem ipsi superadditum. Probatur: Modus ille superadditus materiæ primæ habet oppositam rationẽ primæ radici indiuiduationis. Ergo materia, ratione ipsius, nequit esse prima radix indiuiduationis. Conseq. patet, Ant. prob. Radix indiuiduationis, ratione cuius materia prima habet esse radicem illius, est irreceptibilitas in alio, vt in subiecto, prout patet ex dictis. Sed modus superadditus materiæ habet op-

Digitized by Google

positam huic rationem, cùm debeat recipi in materia, tanquàm proprio subiecto, prout fert natura modi respectu rei modificatæ. Ergo &c.

Argumenta in Contrarium soluuntur.

OBijcitur primò contra primam Conclusionē ex Aristot. 10. Metaph. Cap. 3. Textu 4. qui loco cit. constituit duplex distinctionis genus; Aliud quidem secundùm formam, per quam aliqua distinguuntur essentialiter; Aliud verò secundùm quantitatem, per quam aliqua distinguuntur numericè: Vnde sicut distinctio specifica non oritur à forma, nisi actu informante, sic nec à quantitate orietur distinctio numerica, nisi actu inhæreat substantiæ.

Deindè possunt afferri diuersa loca S. Tho. hoc confirmantia; nam S. Doct. Opus. de principio indiuiduationis, & Opus. 32, Cap. 3. asserit, *sine quantitate non posse saluari rationem indiuidui materialis in genere substantiæ*. In alijs verò locis ait, per materiā signatā quantitate intelligi debere materiā sub certis dimēsionibus, quod nequit saluari, nisi illæ ipsi inhæreant. Tandem 3. p. q. 37. ar. 1. & in 4. Sentent. dist. 12. q. 1. dicit: *indiuiduum duo habere, scilicet incommunicabilitatem, & distinctionem ab alijs, & quidem ratione primi prouenire à materia, tanquam à principio suo; ratione verò secundi, à quantitate*. Ergo sicut materia prima non est principium incommunicabilitatis, nisi vt actu in indiuiduo inuenta, sic nec quantitas, nisi vt actu habita erit principium distinctionis. Verùm ad has, & similes authorit. facilè patet ex dictis supra; Interim tamen maioris claritatis gratia.

Resp. in primis ad authorit. Aristot. dicendo, Aristotelem loco cit. loqui non de quantitate formali, & habita actu, sed de radicali, ac præhabita, prout etiam adhuc magis sequenti quæst. patebit.

Ad primum verò locum ex D. Thom. citatum resp. S. Doctorem intelligendum esse, sicut & Aristotelem, de quantitate radicali, & præhabita, non autem de formali, aliàs esset sibi contrarius in alijs locis, quod admitti non debet; Iam autem dùm dicit, per materiam signatam quantitate esse intelligendam materiam sub certis dimensionibus, loquitur de materia, non prout actu subest illis, sed prout est fundamentum, & radix ipsarum; In quo autem sensu sit intelligendus dùm quodlib. 7. art. 10. de albedine, & alijs qualitatibus materialibus loquēs, asserit: *eas esse inseparabiles à quātitate, prout sunt qualitates indiuidua*, constat ex suppositis huius quæst.

Ad vltimum denique locum ex 3. parte citatum resp. vtrumque in indiuiduo inuentum, scilicet tàm esse incommunicabile, quàm esse di-

diuiſum, vel diſtinctum ab alio, prouenire à materia ſignata quātitate, ita vt eſſe incommunicabile proueniat à materia, tanquàm à prima radice ſufficienti, non abſolutè conſiderata, ſed vt præhabente hanc potiùs quantitatem, quàm aliam; eſſe autem diuiſum proueniat ſimiliter à quantitate, vt à ſuo principio, non quidem, vt habita, ſed vt præhabita, & præcontenta in materia, tanquàm ſua radice; quibus tamen non obſtantibus, per accommodationem quandam, poteſt tribui materiæ primæ, etiam ſecundùm ſe ſumptæ, vt principio inſufficienti, eſſe incommunicabile, iuxta dicta in præſuppoſitis huius quæſtionis, quantitati verò eſſe diuiſum.

Obijcitur ſecundò. Vnum indiuiduum ſubſtantiæ materialis debet eſſe diuiſum ab alio. Sed hoc haberi non poteſt, niſi à quantitate formali. Ergo indiuiduum in ratione indiuidui non poteſt cōſtitui ſine quantitate formali: Ergo ſi materia prima eſt radix indiuiduationis, vt quantitate ſignata, erit radix, vt ſignata quātitate formali, non autem radicali tantùm; Iſta conſeq. ex priori ſequitur manifeſtè. Prior ex præmiſſis; Maior verò patet ex ipſo ethymon, & ratione indiuidui, quod importat eſſe in ſe non diuiduum, vel non diuiſum, proinde ab alio diuiſum. Minor probatur: Diuidere, aut eſſe diuiſum, eſt effectus formalis quantitatis; Sed effectus formalis quantitatis non poteſt prouenire, niſi à quantitate formali, ſicut & effectus formalis cuiuſcunque formæ nequit, niſi à ſua forma procedere. Ergo indiuiduū eſſe diuiſum nequit habere, niſi à quantitate formali.

Reſp. diſting. maiorem. Vnum indiuiduum debet eſſe diuiſum ab alio diuiſione ſubſtantiali; Cōcedo; diuiſione quantitatiua; ſubdiſtinguo: ſecundùm quòd eſt quoddam quantum; Concedo, ſecundùm quòd eſt indiuiduū præcisè ſubſtantiale; Nego. Similiter diſtinguitur Minor: Eſſe diuiſum prouenit à quantitate formali diuiſione quātitatiua; Concedo; ſubſtantiali; Nego. Talis enim debet eſſe diuiſio inter aliquas partes, quales fuerint partes; ſi fuerint ſubſtātiales, debet eſſe diuiſio ſubſtātialis, ſi quātitatiuæ, diuiſio erit quantitatiua, & quia duo indiuidua ſubſtātialia materialia eiuſdē ſpeciei athomæ ſunt partes ſubiectiuæ, & ſubſtantiales, quantùm eſt ex parte ipſorum, prout ſcilicet ſunt indiuidua, non autē partes entitatiuæ, cùm ſubſtantia illis careat, vt ſupra dictum eſt; diuiſio autem ſecundùm partes quantitatiuas ſolùm eſt effectus formalis quantitatis, ſecundùm ſuum eſſe formale conſideratæ, hinc eſt, quòd eſſe diuiſum inter duo indiuidua, vnius ſcilicet ab alio, non debeat prouenire à quātitate formali, & habita, ſed ſolum radicali, & præhabita.

Obijcitur tertiò. Materia prima non poteſt eſſe radix indiuiduationis ſubſtantiæ, niſi ſit determinata ad hoc potiùs indiui-

duum, quàm ad aliud, cùm per hoc sit radix indiuiduationis, quòd sit huius potiùs indiuidui, quàm alterius, Sed nequit istam determinationem habere, nisi à quantitate formali. Ergo non poterit esse radix indiuiduationis, nisi prout est affecta quantitate formali. Maior ex dictis patet; Minor prob. nàm non illam habet materia à se, siquidem ex se est indifferens ad omnia indiuidua; nec per modum aliquem substantialem, vt patet ex secunda Conclusione. Ergò cùm nil restet, nisi quantitas, ab ipsa quantitate accipiet determinationem.

Nec valet, si resp. accipere determinationem istam à quantitate radicaliter, sed virtualiter præhabita, non autem formaliter habita; nam

Contra est. Cōpositum substāstiale, non virtualiter, sed formaliter habet rationem indiuidui. Ergo principiū ipsius indiuiduationis non debet esse id, quod tribuit determinationem secundùm præcontinentiam tantùm virtualem quantitatis, sed formalem, virtualiter namque tale non potest tribuere esse formaliter tale, in genere præsertim causæ formalis, qualiter materiæ primæ determinatio communicatur à quantitate.

Resp. tamen ad hoc argumentum, admittendo solutionem inter arguendum datam. Ad cuius impugnationem, concesso antec. negatur conseq. nec probatio in contrarium vrget quidquam; tunc enim tantùm deberet quantitas, secundùm suum esse formale, esse principiū radicale indiuiduationis indiuidui substantialis, quando indiuiduatio substantialis indiuidui non tantùm esset indiuidui formaliter, sed etiam indiuidui formaliter indiuiduatione eiusdem speciei athomæ cū indiuiduatione quantitatis; in tali namque casu, & esset radix indiuiduationis quantitas in genere causæ formalis, & esset radix eiusdem secum rationis; proinde vt ipsam in genere causæ formalis indiuiduo substātiali posset communicare, non posset non secundùm suum esse formale ad hoc requiri, cùm forma non tribuat effectum formalem, nisi per communicationem propriæ entitatis. Cæterùm indiuiduatio indiuidui substantialis, & ipsius quantitatis, non sunt omninò eiusdem athomæ rationis, cùm sint generum, & linearum distinctissimarum, accidentis scilicet, & substantiæ; hinc est, quòd etsi indiuiduum substantiale sit formaliter tale; radix indiuiduationis ipsius non debeat esse quantitas, vt formaliter à materia habita, sed tantùm vt virtualiter præhabita, immò hoc requiritur indispensabiliter, aliàs tribueret indiuiduo substantiali indiuiduationem eiusdem omninò secum rationis (vt ex modò dictis patere potest,) quod est impossibile: Licet autem materia prima, propter suam indifferentiam, nō possit distinctè præcontinere hanc potiùs quantita-

tem,

Digitized by Google

tem, quam aliam vagè sumptam, sicut etiam causa efficiens non præcontinet distinctè effectum vagè sumptum, sed quodammòdo indistinctè, & confusè: nihilominus quantitatem hanc determinatè acceptam potiùs, quàm aliam, non confusè, sed distinctè, & determinatè præcontinet, sicut & effectus determinatus in causa efficienti, vt determinata ad illum potiùs, quàm ad alium producendum, distinctè in eadem præcontinetur.

QVAESTIO V.

Vtrùm Materia prima sigillata quantitate interminata, vt præhabita radicaliter, seu virtualiter, sit radix indiuiduationis substantiæ materialis.

MAnifestum est ex D. Thom. Opusc, 70. quæst.4. Materiam signari, seu sigillari quantitate interminata ad hoc, vt sit prima radix indiuiduationis; quia verò terminus hic. Sigillatio, immò, & totus titulus quæsiti inuoluit quandàm obscuritatem. Ideò

Supponendum est primò pro intelligentia Sigillationis, per Sigillationem materiæ primæ in ordine ad hoc, vt sit prima radix indiuiduationis, nos cum nostris Complut. in lib. de Generat., & Salmat. tomo 1. tract.1. disput.1. dub.5. nil aliud intelligere, quàm puram, & nudam potentialitatem materiæ primæ, non secundùm se præcisè, & nudè sumptam, sed vt connotantem, (si hoc numero compositum, v. g. hominis, ad cuius constitutionem concurrit, fiat per generationem) dispositiones has numero, & non alias in tempore immediatè antecedenti præcedentes, quòd proindè sint introducta ab hoc potiùs agente, quàm ab alio, & in hoc tempore, in istoque composito corrumpendo, & non in alio: (si verò fiat compositum per creationē) quod subdatur Deo creanti per infinitos actus sui intellectus, & voluntatis quatenùs virtualiter, & eminenter continet hoc compositum potiùs, quàm aliud: Et ita sigillatio materiæ in generatione substantiali contingens nihil aliud erit, quàm ipsamet entitas materiæ, vt connotans tùm agens naturale hoc numero, actionemque suam, tùm dispositiones has numero hoc numero tempore introducendas in hoc numero composito corrumpendo; propter quod materia dicitur præhabere, seu præcontinere hanc numero potiùs quantitatem, quàm aliam, quæ quidem præcontinentia coincidit cum ipsamet sigillatione.

Supponendum secundò, dictam sigillationem materiæ sufficientèr perfici per sola enumerata connotata absque aliqua additione alicuius intrinseci in esse Entis ipsimet materiæ superadditi, ostenditur

Digitized by Google

ditur vel ex eo, quòd, positis huiusmodi connotatis, materia prehabeat hanc numero potiùs quãtitatem, quam aliã, sicque remaneat sufficienter ad illam sigillata, cuius ratio est, quia positis talibus dispositionibus, tali agẽte, tempore, &c. materia iam determinatur quodammodò ad habendam aliquam quantitatem requisitam ad determinatam formam, cùm dictæ dispositiones sint quædã determinationes materiæ, quæ cum pura ipsius indifferentia stare non possunt; Et quia tales dispositiones ab hoc numero agente introductæ, &c. sunt in ordine ad talem determinatam quantitatem, & formam, hinc est, quòd, illis positis, materia prima accipiat determinationẽ potiùs ad hanc numero quantitatẽ præhabẽdam, quam aliam.

Explicatur hoc magis. Materia prima, ad hoc vt dicatur sigillata, ad hanc potiùs quantitatem, quàm aliam, non requirit in recto aliquid sibi intrinsecum in esse entis superaddi, sed solùm obliquum quoddam, seu connotatum aliquod, ex superius recẽsitis; nec ideò, quia est vna tantùm negatiuè, secundùm se præcisè, & nudè sumpta, requiret aliquid sibi superaddi in recto, ad hoc, vt habeat vnitatem positiuam numericam, sine qua non potest habere sigillationem requisitam, ad hoc, vt sit radix indiuiduationis huius potiùs indiuidui substantialis, quam alterius; nam materia prima secundùm se, in actu signato, habet omnem realitatem in esse Entis in recto requisitam, ad rectum vnitatis positiuæ numericæ, secundũ quam materia est radix huius potiùs indiuidui, quàm alterius, & ratio huius est; Vnitas siquidem positiua indiuidualis materiæ primæ debet esse vnitas puræ potẽtiæ, primique subiecti irreceptibilis, in alio. Ergò quidquid ad talem vnitatem in recto concurrere potest, debet esse irreceptibile; aliàs non erit conforme tali vnitati; Cùm autem quidquid non est ipsa realitas, & Entitas materiæ primæ in recto, sed ipsi superadditum, nequeat habere talem incommunicabilitatem; (superadditum namque illud deberet recipi in materia) consequens est, quòd materia prima secundùm se in actu primo, debeat habere omnem realitatem in esse Entis in recto requisitam, ad rectum vnitatis positiuæ numericæ, &c. Licèt illam nequeat habere in ratione recti in actu exercito, seù vt exercentem rationem recti, nisi adsit obliquum, siuè connotatur aliquod, ex supra recensitis, cuius radix est; quia rectum sub conceptu recti exerciti nequit dari, nisi afferat etiam suum obliquum, seu connotatum propter connexionem, & habitudinem quandam recti ad obliquum; Materia verò prima, secundùm se præcisè sumpta, non affert indispensabiliter obliquum, vel connotatum iam explicatum, nec habet nexum cum illo neces-

sa-

sarium, vtpotè quæ est secundùm se indifferens ad hoc, vel illud connotatum, seu obliquum. Ergo etiam materia prima, secundùm se præcisè sumpta, non habebit rationem recti sub conceptu recti exerciti, nisi adfuerit obliquum, atque connotatum aliquod; quod quidem obliquum, sicut indispensabiliter requiritur ad rationem recti sub conceptu recti exerciti in materia prima, sic sufficit, ita vt nihil ampliùs desideretur, prout patet tùm ex probatione, tùm ex exẽplo speciei Angelicæ, quæ, vt repræsentet existentiam exercitam singularis de nouo producti, non requirit sibi aliquid superaddi intrinsecum in esse entis, & in recto ad ipsum pertinens, sed tantùm requirit obliquum, & cõnotatum quoddam, productionẽ scilicet singularis, & existentiam, exercitam, quo posito, sine noua superadditione alicuius sibi intrinsecè, repræsentat illud singulare cum existentia sua exercita. Vt autem tantò ampliùs explicetur sigillatio materiæ primæ, importans præcontinentiam quandam, & præhabitationem huius potiùs quantitatis, quàm alterius.

Supponendum tertiò, præcontinentiam radicalem quantitatis, seu virtualem non esse rationem aliquam realiter distinctam à materia prima, sed ad summum virtualiter, seu (vt alij volunt) quantitatem radicalem, aut virtualem omninò realiter identificari cum materia: Cuius ratio est, quia quantitas radicalis, aut virtualis, siue radicalis pręcontinentia quãtitatis nihil aliud importat, quam radicem quantitatis formalis, quæ est materia; constat autem materiam, vt est radix alicuius, à seipsa in recto non distingui realiter. Ergo nec præcontinentia radicalis quantitatis erit aliqua ratio ab eandem realiter distincta.

Supponendum quartò, præcontinentiam radicalem materiæ primæ adæquatam habere duas rationes inadæquatas, secundum quarum priorem præcontinet formam substantialem, ad quam est sigillata; prout illa forma est hæc, secundum posteriorem verò rationem præcontinet quantitatem; hic verò est ordo inter explicatas præcontinentias, quòd posterior habeat rationem quasi dispositionis cuiusdam respectu prioris, & ideò priùs intelligitur in materia præesse rationem præcontinentiæ quantitatis, quàm rationẽ præcõtinentiæ formæ substantialis, quia materia prima nõ pręcõtinet hãc numero formam substantialẽ, nisi in quantũ est disposita; nõ disponitur autem permanenter, nisi per quantitatem, vt mox ostendetur, ideò ratio præcontinentiæ quantitatis in materia præintelligitur ratione præcontinẽtiæ huius formæ substantialis; quòd autem materia prima non disponatur, nec determinetur permanentèr, nisi per quãtitatem, patet ex eo, quòd aliæ omnes dispositiones, quæ possunt concurrere ad sigillationem materiæ primæ, vt est Actio

hæc

hæc huius agentis, hoc tempus, hæ dispositiones, in hoc subiecto corrumpendo, non permanent, sed transeunt; quantitas autem in composito genito recepta permanet, & ita si est dispositio materiæ, prout cõmuniter admittitur, erit dispositio ipsa sola permanens, cùm aliæ non sint assignabiles, priùs ipsam permanenter disponentes.

Supponendum quintò, per quãtitatem interminatam non intelligi quantitatem nullum habentem terminum, sicque infinitam, sed quantitatem non terminatam per formam substantialem, quæ est terminus, & complementum ipsius; dispositio namque ad aliquam formam, dùm præintelligitur suæ formæ, non censetur esse terminata, aut quasi formata per illam, sed potiùs interminata, & non formata, vt sic dicamus, sicut contritio, quæ est dispositio ad gratiam sanctificantem, dùm præintelligitur gratiæ, non concipitur, vt formata, & terminata, aut completa per illam, sed tùnc primum concipitur formata, & terminata, cùm concipitur, vt posterior ipsa; Cùm ergo quantitas, vt ex supradictis liquet, sit quædam dispositio ad formam substantialem, dùm præintelligitur ipsimet formæ substantiali, erit interminata, sicut è conuerso, dùm concipietur, vt subsequens illam, erit terminata. Et hoc est, quod vult S. Doctor in 4. dist. 11. q. 1. art. 1. & quæstiunc. 3. ad 4. dùm dicit: *Dimensio, quæ præintelligitur ante formam substantialem in materia; non habet esse completum, quia non est dimensio terminata, terminatio enim dimensionis est per formam.*

Differunt autem inter se quantitas terminata, & quantitas determinata per hoc, quòd quantitas determinata dicat quantitatem, vt hanc numero, & non illam, præscindendo ab hoc, quòd sit terminata, & completa per formam substantialem, vel etiam nõ sit; quòd habeat hanc tantitatem, terminum, figuram hanc, vel illam, & hoc modo accepta quantitas, vt præcontenta in materia, est principium indiuiduationis: At verò quantitas terminata importat ipsam, vt completam iam, atq; terminatam per formam substantialem, sicque ipsa posteriorem, & dependentem, quomodo nequit esse principium indiuiduationis; distinctio autem quantitatis in ratione determinatæ, & terminatæ, vel exinde potest colligi, quòd quantitas in ratione determinatæ eadem manens, vel quoad esse hanc, & non illam, potest variari in ratione terminatæ, vt patet in viuente, quòd secundùm eandem numero quantitatem augetur, sicque retinet eandem quantitatem semper in ratione determinatæ, non tamen in ratione terminatæ; quandoquidèm diuersimodè illa variatur in augmento, diuersas acquirendo figuras. His pro intelligentia tituli prænotatis.

Duplex est Sententia circa excitatam difficultatem. Prima est

Suarez

Digitized by Google

Suarez suæ Metaph. disput. 5. sect. 3. negatiua, & in vniuersum omnium authorum pro contraria sẽtentia, quæstione præcedenti relatiuorum. Secunda est Thomistarum pro nostra sententia in præcedenti quæst. citatorum, pro cuius resolutione.

Dicendum est, Materiam signatam quantitate interminata, vt radicaliter præhabita, esse principiũ primum, & radicale indiuiduationis.

Prob. concl. Principium radicale indiuiduationis non potest esse, nisi materia, vt in quæst. 3. huius disput. ostendimus; Sed non potest esse materia nuda, nec vt affecta quantitate formali, aut aliquo modo substantiali sibi superaddito, vt ex præcedenti quæst. patet. Ergo relinquitur, quòd sit materia prima, vt sigillata quantitate radicaliter præhabita; alius siquidem modus non restat, nec est excogitabilis.

Confirmatur primò. Quantitas hoc habet speciale, quòd ex se sit indiuidua, sitq; sibi ipsi quodammodò radix indiuiduationis, vt infra patebit. Ergo cùm materia prima, ex se nudè sumpta, nequeat esse radix indiuiduationis sufficiens, consequens est, vt sit secundùm quòd præhabet per modum radicis hanc potiùs quantitatem, quàm aliam.

Confirmatur secundò. Sicut indiuiduum substantiale est aliquid directè ad lineam substantiæ pertinens, sic causam, & radicem propriæ indiuiduationis requirit talem, quæ pertineat ad lineam substantiæ, habeatque conditiones radicis indiuiduationis consentaneas, sicut esse irreceptibile in alio, indiuisum in se, &c. Sed materia prima, vt præhabens per modum radicis quantitatem, est aliquid pertinens ad ipsam lineam substantiæ, habetque conditiones consentaneas radici indiuiduationis, vt intuenti patebit; ergo erit, vt talis prima radix indiuiduationis, &c.

Soluuntur obiectiones.

Obijcitur primò. Materia priùsquàm præcontineat hãc numero quantitatem est singularis, & indiuidua. Ergo non erit radix prima indiuiduationis substantiæ materialis, prout præcontinet hanc potiùs quantitatem, quam aliam. Consequ. prob. quia materia prima in tantùm est radix indiuiduationis materialis substantiæ, in quantùm est indiuidua, & singularis. Ergo si est talis priusquam præcõtineat hanc numero quantitatem, non erit radix indiuiduationis, prout præcontinet hanc potius quantitatem, quàm aliã. Antec. etiã prob. Materia prima prius præcontinet per modum radicis hanc numero formam substantialem, quàm hanc numero quantitatem; Sed non potest præcontinere hanc numero formam substantialem, nisi sit ipsa *hæc* numero, seù singularis, & indiuidua, alias non commensurarentur sibi in ratione actus,

& potentiæ. Ergo materia, priusquàm præcontineat hanc numero quantitatē, erit indiuidua. Maior. autem prob. quia eo ordine causa materialis præcontinet suos effectus, quo illos causat, & recipit; quandoquidem non alio ordine eosdem causat, nisi eo, quo præcontinet; Sed materia prima priùs recipit formam substantialem, vtpotè primum actum dantem ipsi esse simpliciter, quam quantitatem, quæ est actus secundus tribuens esse secundum quid tantum; Ergo &c.

Resp. Ad hoc Argum. cum nostris Salmat. Negando ant. & Maiorem primæ probationis, ad secundam probationem: distingu. Maiorem. Eo ordine effectus præcontinentur in causa materiali, quo illos causat, & recipit in genere causæ materialis purè receptiuæ. Negatur, in genere causæ materialis dispositiuè, seù in ordine ad hoc, quod maneat disposita, & determinata per dispositionem ex se permanentem. Conceditur; Similiter distinguitur Minor. Materia priùs recipit, & respicit formam substantialem in genere causæ materialis purè receptiuæ; Conceditur, in genere causæ materialis dispositiuæ; Negatur, & Negat. Conseq.

Explicatur solutio, quia causæ sunt sibi inuicem causæ in diuerso genere causæ, consequenter habent mutuam prioritatem, & posterioritatem, & alia est causa materialis dispositiua, alia purè receptiua, vt ostendunt nostri Cōplut. in lib. de Gener. Hinc est; quod possit esse aliquid priùs causatum in genere causæ materialis purè receptiuæ, & posteriùs in genere causæ materialis dispositiuæ, & è contra, & ità, licet priùs causetur; & recipiatur in materia forma substantialis in genere causæ materialis purè receptiuæ, quā hæc quantitas; contrarium nihilominus contingit in genere causæ dispositiuæ, nec ideò, quia priùs causatur in dicto genere causæ materialis pure receptiuæ forma substantialis, debebit etiam priùs præcontineri in materia, quàm quantitas *hæc*; de præcontinentia enim causæ materialis suorum effectum in singulari sumptorum iudicandum est, non per commēsurationem ad genus causæ materialis pure receptiuæ, sed potiùs dispositiuæ ita, vt illum effectum in singulari prius præcontineat materia, quem causat in genere causæ materialis dispositiuæ, quàm illum, quem causat in genere causæ materialis pure receptiuæ. Ratio huius est, quia materia primam secundùm se præcisè sumptà est indifferens ad præcontinendum hunc numero potiùs effectum, quam alium, hanc numero formam substantialem, quàm illā. Ergo, vt sit determinata ad hanc potiùs, quam ad aliam præcontinendam, debet priùs in se præcontinere aliquid, per cuius præcontinentiam determinetur ad præcontinendam hanc potiùs formam substantialem, quàm illam; Illud autem, per quod determinatur

tur

:ur ad huiusmodi præcontinen-
:iam, est ipsa dispositio de se permanens, (cum sit ipsa determi-
natio) qualis est quantitas, quæ ex se habet, esse dispositionem permanentem materiæ: hinc est, quòd materia prima debeat priùs præcontinere effectum singularem correspondentem ipsi in genere causæ materialis dispositiuæ, quã contineat correspondentem eidem in genere causæ materialis purè receptiuæ; proinde de præcontinentia causæ materialis effectuum in singulari sumptorum iudicandum erit per cõmensurationẽ ad genus causæ materialis dispositiuæ, non verò purè receptiuæ: Vnde cùm quantitas in genere causæ materialis dispositiuæ sit primus effectus, vtpotè prima dispositio materiæ, ex se permanens, illa absolute priùs continebitur in materia, quam præcontineatur forma substantialis singularis.

Ex quo patet illud principium, quod scilicet: *Eo modo, & ordine præcontinet suos effectus causa, quo illos causat, vel è contra.* Vniuersaliter loquendo falsum est; nam cum præcontinentia effectus vltimò causati, est talis conditionis, vt quodammodo compleat causam ad præcontinendum, & causandum effectum, qui priùs ab illa procedit, tunc non eo ordine causabitur, quo præcontinebitur, causabitur enim vltimò, & præcontinebitur primò, vt patet in causa efficiente, quæ priùs produxit dispositiones in materia ad formam, quàm ipsammet formam substantialem; quia tamen hæc tanquam finis dispositionum complet ipsummet agens ad continendas, & effluendas dispositiones, priùs præcontinetur in illo. Cùm ergo quantitas, vt est *hæc*, compleat materiam in ordine ad continendam formam substantialem, & recipiendam singularem, (non enim præcontinet ipsam, nisi vt indiuidua, & non redditur indiuidua, nisi per præcontinẽtiã radicalẽ huius quantitatis) sequitur, quòd etsi posteriùs, secundùm suũ esse formale in genere causæ materialis pure receptiuæ causetur quam forma substantialis; priùs tamen præcontineatur, quã illa in materia. Quod quamuis sit verissimum, absolutè loquendo, de præcontinentia adæquata materiæ primæ, negari tamen non potest, quòd materia prima eo ordine præcontineat effectus suos in singulari, quo illos causat in genere causæ materialis pure receptiuæ, vt consideranti facilè patebit.

Sed replicabis contrà hucusque dicta. Præcontinentia formæ primæ, est prior præcontinentia formæ secundæ. Sed Forma substãtialis, etiam singularis, est forma prima, quantitas hæc, forma secunda, vtpotè accidens. Ergò priùs præcontinebitur in materia hæc forma substantialis, quam hæc numero quantitas; Maximè, quià forma intimior, & ad lineam eandem pertinens cum continente, priùs debet præcontineri, quã

forma non ità intima, diuersæq; lineæ: prior ratio competit formæ substantiali; posterior, quantitati. Ergò priùs præcontinebitur in materia forma substantialis, quàm quantitas.

Resp. ad istam instantiam, concessa Maiori, distin. Minorem: quantitas est forma secunda; ita vt hæc ratio ipsius sit adæquata; Negatur; ita vt sit inadæquata; Conceditur, & negatur conseq.; quia, vt consequens esset verum, requirebatur, vt ratio quantitatis esset tantùm ratio formæ secundę, ratione; cuius nequit, prius præcontineri in materia, quam præcontineatur prima forma. Quòd autē ista ratio non sit adæquata, ostenditur; Nam in quantitate, etiam secundùm suam rationem athomam considerata, duæ inueniuntur rationes inadæquatæ, ratio scilicèt accidentis, & formæ secundæ, & ratio dispositionis, ac determinationis materiæ ex se quodammodò indiuiduæ; Vnde licet secundùm priorem rationem sit posterior in præcontinentia materiæ in genere causę materialis purè receptiuæ; secundùm posteriorem tamen est omninò prior in genere causę materialis dispositiuæ, & ideò, etsi in quantum forma secunda, non pręcontineatur prius in materia, quā forma substantialis, benè tamen in quantum est dispositio permanens materię ex se quodammodò indiuidua.

Ad illud, quod additur in instantia, scilicet formam substantialem esse intimiorem materiæ; resp. disting. secundùm suum esse formale; Conceditur; Secundùm esse virtuale, & radicale in ratione præcontenti, negatur. Ratio huius est; quia quantitas, vt radicaliter pręcontenta in materia; nō distinguitur ab ipsamet Entitate materiæ, sicut & forma substantialis, vt similiter præcontenta, & ita de intimitate ipsorum iudiciū ferendum est iuxta prioritatem, vel posterioritatem præcontinentiæ: cum ergò, vt supra ostensum est, quantitas prius præcontineatur in materia, quàm forma substantialis, consequens est, quòd quantitas virtualiter, & radicaliter considerata, sit intimior materiæ, quàm ipsamet forma substantialis, & per hoc patet, ad alia, quæ adducuntur.

Obijcitur secundò. Materia prima nequit esse principium radicale indiuiduationis, vt præhabens quantitatem terminatam, neque vt præhabens interminatā. Ergo non poterit esse, vt præhabens quantitatem, cùm quantitas præhabita debeat esse, vel terminata, vel interminata. Anteced., quod non possit esse principium radicale, vt præhabens terminatam, probatur; quia per dimensiones terminatas non redditur materia prima hæc, & indiuidua; vt docet D.Tho. Opusc. 70. quæst. 4. alias Petrus, dum esset puer, & dum esset vir, non esset vnum, & idem numero indiuiduū: siquidem quantitas palmaris, quæ est in Petro puero, in viro non

ma-

manet, sed fit tricubitalis. Neque vt præhabens interminatam; quia materia non potest esse principium indiuiduationis, nisi vt est signata quantitate determinata; cùm enim debeat determinari ad hoc, vt sit radix indiuiduationis, & talis determinatio non potest prouenire, nisi à determinata quantitate, hinc est, quòd materia prima nequeat esse principium indiuiduationis, nisi vt est signata quantitate determinata; Sed per hoc quòd sit præhabens quantitatem interminatam, non censetur signari quantitate determinata cùm quantitas determinata videatur coincidere cum quantitate terminata, quæ est opposita interminatæ. Ergo &c.

Resp. dicendo, Materiam primam esse principiũ indiuiduationis, vt præhabet quantitatem interminatam. Ad probat: patet, ex supposito quinto, vbi ostenditur, quantitatem terminatam, & quãtitatem determinatam non esse idem; Nam vt quantitas sit terminata, requiritur, quòd habeat suum esse formale, secundum quod habet, vt sit hujus, vel illius figuræ: vt autem sit determinata non requirit, vt habeat suum esse formale, sed sufficit, quòd habeat esse radicale in sua causa, & radice, cum res non solum in se, sed etiam in principio possit habere esse determinatum, & ita etiam quantitas in materia prima, vt in sua radice præcontenta, potest habere determinatum esse, sicque esse determinatè, licet nondùm intelligatur terminata, cum non concipiatur, vt habens in se suum esse formale.

Obijcitur tertiò contra doctrinam in præsuppositis datam, quòd scilicet sigillatio perficiatur absq; addione alicuius intrinseci in esse entis, ipsimet materiæ superadditi; Sic. Per sigillationem materia prima realiter immutatur; Ergo sigillatio non perficitur absque additione alicuius intrinseci, materię, in esse entis, superadditi. Antecedens, prob. quia materia per sigillationem transit à non esse realiter determinatam ad hanc numero formam, & quantitatem ad esse realiter determinatam, quod sine reali mutatione stare nõ potest. Cõsequẽtia patet, quia per mutationem realem res debet se habere aliter nunc, ac antea, ergo si per sigillationem materia realiter immutatur, debebit se aliter habere nùnc, ac antea; Sed si nihil ipsi superadderetur reale intrinsecum, non haberet se aliter nùnc, ac antea, nàm sicut antea tantùm entitatem suam habebat, sic & nunc. Ergo &c.

Resp. dupliciter; primò, concesso anteced. neg. conseq. ad probationem distinguenda est minor subsumpta. Si nihil ipsi reale superadderetur, non haberet se aliter nunc, ac antea, acquirendo aliquid de nouo; conceditur; amittendo aliquid antea habitum; negatur; & negatur conseq. Nam res potest etiam intrinsece realiter mutari dupliciter, & habere se aliter nunc, ac antea, vel acquirendo ali-

aliquid reale de nouo, vel amittendo antea habitum; Materia ergo prima in sigillatione non habet se aliter nunc, quàm antea realiter per hoc, quòd acquirat intrinsecum aliquid reale, benè tamen per hoc, quia amittit aliquid reale antea habitum, scil. dispositiones antecedenter determinantes illam in composito corrumpēdo ad hanc numero potius formam, & quantitatem, quàm ad aliam, nàm illas in resolutione corruptiua non habet, neque informatur ab eis; cum tamen antea informaretur in composito præexistenti; ex vi tamen illius informationis, & præcedentis determinationis habet hoc, quòd sit ordinata ad hanc potiùs quantitatem, & formam, quàm ad aliam; vnde & dicitur talis determinatio in illa virtualiter manere in illo priori, in quo concipitur, vt nuda in resolutione corruptiua, propter quod etiamsi concipiatur entitas eius pro illo tùnc nuda, non tamen concipitur, vt indifferens, sed vt determinata ad hanc potiùs formam, & quantitatem, quàm aliam. Exemplificatur hoc in motu lapidis proiecti sursùm ad hoc, vt cadere possit in determinato loco; Lapis enim ille proiectus sursùm ex vi impulsus sibi impressi manet ascendendo, quamdiù durat impulsiua qualitas in illo, qua pereunte, per motum naturalem descendit deorsum, & non vtcunq; sed ad illum locum, ad quem determinationem accepit ab imprimente impulsum, ita quòd etiamsi in illo lapide non sit iam in seipso præfatus impulsus (aliàs moueretur sursum) sed tantùm lapis maneat cum determinatione sola à prædicto impulsu acceptu cadendi ad talem determinatum locum, ad illum descendit potiùs, quàm ad alium; Sic ergo proportionabiliter in nostro casu de materia prima discurrendum est: Materia prima accipit à dispositionibus antecedentibus determinationē ad hanc potiùs formam, quàm aliam, &c. in resolutione verò corruptiua illæ dispositiones pereunt, & non manent in se ipsis, sed tantùm materia nuda; quia tamen ab illis accepit determinationem, & ordinationem ad hāc potiùs formam, & quantitatem, quàm ad aliam, illa entitas materiæ ordinatur, & dicit habitudinem, atque tendentiam (vt ita dicam) ad hanc potiùs, quàm ad aliam; ista autem ordinatio, & determinatio materiæ pro illo tunc, quæ in ipsa dicitur virtualiter manere ex vi præcedentium dispositionum illam informantium pro alio instanti, nil aliud est, quam entitas materiæ, vt ordinata ex vi dictarum dispositionum ad hanc numero quantitatem, seù vt fundans habitudinem ad illam.

Resp. secundò ad obiect. distinguendo antecedens; Per sigillationem materia prima immutatur realiter: realiter extrinsecè; concedo; realiter intrinsecè, loquendo de sigillatione, quam habet pro illo tunc, dùm consideratur, vt nu-

Digitized by Google

da entitas; nego; deinde neg. conseq. non enim intrinsecè tantùm, sed etiam extrinsecè realiter potest aliquid mutari: & ratio huius est; nam toties aliquid dicitur realiter mutari, quoties transit ab habente quidpiam realiter ad nõ habens realiter, sic enim fit transitus ab vno contradictorio realiter ad aliud; Iam autem multoties potest res transire ab habente aliquid realiter ad non habentem realiter, vel è contra absque mutatione intrinseca: quando namque aliquis habet centum aureos, & hi à furibus auferuntur, transit ab habente realiter illos ad nõ habentẽ, cùm tamẽ nil intrinsecũ, amittat, aut acquirat, vt expendenti patet; igitur sine intrinseca mutatione potest res transire ab habente aliquid realiter ad non habentem; & hoc ideò quam maximè, quia quandoque res ad esse talem, quantùm ad realitatem sibi debitam, intrinsecè habet omnia requisita, ita tamen quòd illa realitas dependeat ab aliquo extrinseco connotato, quod potest poni, vel auferri. Vnde huiusmodi realitas mutatur ad positionem, vel sublationem ipsius, quia dependeat ab eo, non tamen intrinsecè, quandoquidem illud nõ est intrinsecum quid, sed extrinsecum tantùm connotatur. Et exemplificatur hoc à nostris PP. in specie Angelica, quæ repræsentando singulare aliquid de nouo productum, non mutatur intrinsecè, cùm nihil ipsius intrinsecæ entitati accrescat, sed solùm extrinsecè, in quantùm aduenit ipsi de nouo aliquod extrinsecum cõnotatum, existentia scilicet singularis de nouo producti. Similiter relatio Paternitatis, in sententia S. Thom. non mutatur intrinsecè per hoc, quòd nouus terminus materialis ipsi superaddatur, Filius scilicet de nouo productus, sed tantùm extrinsecè, in quantùm datur nouum extrinsecum connotatũ, & terminus materialis ipsius. Sic igitur in nostro casu materia prima per explicatam à nobis sigillationem nõ immutatur intrinsecè, quasi acquirat aliquid de nouo in esse rei ipsi superadditum, vt ostensum est in prænotatis, sed extrinsecè per hoc, quòd ab ea connotentur de nouo extrinseca quędam connotata superiùs explicata.

DISPVTATIO TERTIA.

De Principio indiuiduationis substantiarum immaterialium.

POst determinationem circa principium indiuiduationis substantiæ materialis factam, remanerent determinãda plura circa principiũ indiuiduationis substantiarum immaterialium, quales sunt Angeli; Sed quia Theologica sunt, ad materiam de Angelis, quæ hic dici possent, remittimus,

mus, ipsam indiuiduationem Angelorum vnica quæstione complectendo.

QVAESTIO VNICA.

Vnde nàm desumatur indiuiduatio Angelorum?

CErtum est, principium proximum indiuiduationis, sicut in substantia materiali, sic & in Angelis, esse totam entitatem; loquendo autem de principio radicali; maior est difficultas propter rationem consequẽtem talem radicem, quæ est ratio indiuidualis, quam nonnulli volunt identificari omnimodè cum ratione specifica absque vlla etiam virtuali distinctione; alij autem negant, asserentes rationem specificam, seù gradum specificum, & indiuidualem distingui inter se ratione ratiocinata; & ideò in horum sententia videtur, non ab eadem omninò radice procedere gradus indiuidualis, à quo procedit gradus specificus speciei athomæ. Verùm vt in resolutione huius difficultatis fundamẽtaliùs procedamus.

Supponendum est primò, Angelos esse substantias omninò immateriales, ac formas per se subsistentes, completas, & simplices, quod non obscurè deducitur, vel ex ipso Aristotile 12. Metaph. cap. 15. & alibi. Tùm ex D. Tho. 1. p. quæst. 51. & in alijs locis, de quo videri possunt ipsius expositores. Supposito igitur quasi prò principio, quod Angeli sint formæ subsistentes, ac simplices nihil physicum admixtum habentes, ex quo componantur essentialiter, sequitur, quod radicem suæ indiuiduationis non possint habere ab aliquo, ab ipsis realiter distincto, sed ipsimet per simplicitatem suæ formæ subsistentis sint sibi radix suæ indiuiduationis, prout etiam id egregiè docet D. Tho. 1. p. q. 3. ar. 2. ad 3. & ratio ipsa cõuincit, quia illud est radix indiuiduationis alicuius substantiæ, quod est radix incommunicabilitatis, seu irreceptibilitatis in alio, vt ex supradictis liquet. Sed formæ subsistentes completæ, quales esse diximus Angelos, hoc ipso, quia completè subsistentes, vel in se sistentes, sunt ipsa radix irreceptibilitatis, cùm esse per se omnimodè excludat esse in alio, siue per inhæsionem, siue per informationem. Ergo formæ subsistentes per suam simplicitatem, & rationem, qua subsistentes sunt completè, erunt radix indiuiduationis suæ.

Ex quo deinde sequitur, quòd eadem simplicissima forma radix sit in Angelis, tàm gradus specifici, quàm indiuidualis; si namq; radix indiuiduationis est ipsamet forma, vt subsistens, & hęc eadem, vt est simplicissima forma, est gradus specifici radix, cum specificatio non nisi à forma desumatur, sequitur manifestè, quòd in Angelis eadem simplicissima radix, quæ fundat gradum specificum,

Digitized by Google

ficum, sit radix ipsissima, etiam respectu gradus indiuidualis.

Et quamuis hæc ita se habeāt, adhùc tamen remanet discutiendum: Vtrùm gradus specificus speciei athoma, & gradus indiuidualis, non obstantibus his omnibus, distinguantur inter se virtualiter, aut ratione ratiocinata, vel non? Quod antequā discutiatur

Supponendum secundò, posito, dictos gradus non distingui inter se virtualiter, sed esse vnum, & Indiuisibilem gradum constituentem Angelos formaliter in specie athoma, & in esse indiuidui, nihilominùs in huiusmodi gradu adæquatè sumpto, ex imperfecto nostro modo concipiendi, posse distingui duos conceptus inadæquatos eiusdem gradus specifici, secundùm quòd ille gradus duo munera exercere concipitur; Etenim dùm concipitur, secundùm quòd non explicat repugnantiā essendi in multis, concipitur secundùm rationem specificam, cui, secundùm quod huiusmodi, non repugnat inueniri in pluribus; quandò verò concipitur cum repugnantia essendi in multis, vel vt est incommunicabilis alijs, cōcipitur secundùm rationem indiuidualem, cui propriè competit incommunicabilitas: Quæ tamen omnia contingunt ex parte imperfecti nostri modi concipiendi, ex parte namq; rei conceptæ non ita se habent, supposito, quòd idē formaliter sit gradus specificus, & indiuidualis in Angelis. His præmissis.

Prima Sentētia est, quæ negat, Angelos esse primam radicem suæ indiuiduationis ex eo, quòd censeat rationem indiuidualem à specifica distingui virtualiter. Ita D. Bonau. 2. dist. 9. quæst. 2. art. 1. & alij, quos refert noster P. Blas. suæ Metaph. lib. 1. disp. 5. quæst. 1.

Secunda sententia communis Thomistarum est, quæ dicit, Angelos indiuiduari à seipsis. Pro resolutione itaque

Dicendum est primò, in Angelis principium indiuiduationis ipsorum, esse formam ipsorum simplicissimam, secundùm quòd fundat gradum specificum athomum, ità vt idem gradus, qui ipsos constituit in specie athoma, constituat in esse indiuidui absque vlla distinctione, etiam virtuali.

Probatur in primis author. Arist. 7. Metaph. Textu 41. apud S. Tho. lect. 11. vbi docet, in substantijs (per quas S. Doctor ibi intelligit substātias separatas, seù Angelos) idem esse quidditatem, & indiuiduum. Nec potest intelligi de identitate reali cum distinctione virtuali, quia loco citato maiorem identitatem (cum Angel. Doctore) concedit dictis primis substantijs quantùm ad quidditatis rationē, quàm materialibus; sed in materialibus inuenitur identitas realis cum distinctione virtuali; Ergò in substantijs primis, seù separatis erit maior identitas, quàm realis, proinde virtualis. Hoc idē docet in diuersis locis Angel. Doctor, specialiter autē 3. de anima,

Digitized by Google

textu 8. lect. 8. vbi sic inquit. *In ijs verò, quæ non habent formam in materia, sicut sunt formę simplices, nihil potest esse prætèr essentiam speciei, quia ipsa forma est tota essentia, & ideò in talibus non possunt esse plura indiuidua vnius speciei, neq; potest in eis differre res, & quidquid eius, hoc est, quidditas, & indiuiduum.*

Probatur deinde ratione. Angeli sunt formæ subsistentes, simplices omninò, proindè in indiuisibili consistentes. Ergò non potest in ipsis indiuiduationis ipsorum radix alia assignari, nisi ipsamet forma, qua sunt subsistentes, cùm in indiuisibili nequeat assignari aliquid, & aliquid. Sed huiusmodi forma non potest esse principium indiuiduationis secũdùm quòd fundat gradum genericum. Ergo secundùm quòd fundat specificum athomum. Anteced. & Conseq. patent; Subsumptum autem probatur; Nàm principium indiuiduationis debet esse radix omnimodæ incommunicabilitatis alteri, vt ex supra dictis constat. Sed in Angelis forma subsistens non est radix omnimodæ incommunicabilitatis, vt fundat gradũ genericum, quandoquidem secundùm hanc rationem est communicabilis pluribus speciebus, eũdem gradum immaterialitatis participantibus. Ergo &c.

Dices. Forma subsistens est radix indiuiduationis, non secundùm quòd fundat gradum genericum, neque secundùm quòd fundat specificum, sed indiuidualem.

Contrà. Ergo est radix indiuiduationis, secundùm quòd fundat gradum specificum athonium. Illatio prob. Gradus specificus athomus, & gradus indiuidualis in forma subsistente, quales sunt Angeli, nè quidèm virtualiter distinguuntur inter se, sed sunt omninò idem, si sermo sit de distinctione adæquata virtuali. Ergo si forma subsistens est radix indiuiduationis, secundùm quòd fundat gradum indiuidualem, erit radix eiusdem, secundùm quòd fundat gradum specificum athomum. Conseq. patet, Anteced. prob. Gradus, qui desumitur à forma secundùm vltimam actualitatem ipsius, non distinguitur etiam virtualiter à gradu specifico. Sed gradus indiuidualis in formis subsistentibus desumitur ab vltima actualitate ipsorum. Ergò à specifico nec virtualiter distinguetur. Prob. Maior, quia gradus specificus, & differentialis desumitur ab vltima actualitate formæ. Ergo gradus à tali actualitate desumptus non erit distinctus à specifico. Minor etiam probatur, quia ab illo gradus indiuidualis debet desumi, vt à propria radice, cui competit incommunicabilitas alteri omnimoda, hoc est, cui competit non esse in alio, vt in subiecto informationis, & prædicationis, vt ex toties dictis liquet. Sed vltima actualitas in formis subsistentibus est id, cui competit non esse in alio, vt in subiecto informationis, aut prædicationis, quia hæc, cum ipsissimam rationem per

se

Digitized by Google

se subsistendi dicat, excludit à se omnem rationem(vtpotè sibi oppositam) receptibilitatis in alio, vt in subiecto informationis, proindè etiam & prædicationis, cùm, dici *De*, præsupponat, esse *In*, iuxtà tritum Logicum axioma. Ergo ab vltima actualitate in formis subsistentibus, &c.

Replicabis. Formæ subsistenti, etiam secũdùm quòd fundat gradum genericum, competit irreceptibilitas in alio, vt in subiecto informationis, cum etiam secundùm gradum genericum distinguatur contra formas informantes, sicq; sit subsistens, ac per consequens irreceptibilis, & tamen non repugnat ei secundùm hanc rationem esse in alio, vt in subiecto prędicationis. Ergo similiter, etiamsi formæ subsistenti propter suum esse subsistens, repugnet, secundùm quòd fũdat gradum specificum, esse in alio, vt in subiecto informationis, non tamen repugnabit esse in alio, vt in subiecto prædicationis, consequenter cùm hæc ratio sit opposita gradui indiuiduali, forma subsistens, vt fundat gradum athomum specificum, non fundabit indiuidualẽ.

Verùm nec ista replica subsistere potest, quod sic ostendo; Nàm licet irreceptibilitas, & incommunicabilitas physica competat formæ subsistenti etiam secundùm gradum genericum, non tamen incommunicabilitas metaphisica, & logica, quæ est non repugnantia essendi in pluribus realiter distinctis, proinde mirum non est, quòd non repugnet secundùm hanc rationem esse in alio, vt in subiecto prædicationis, ad quod sufficit communicabilitas metaphysica. Sed formæ subsistenti, vt fundat gradum specificum athomum, non solùm physica, sed etiam metaphysica, & logica(quãtùm est ex parte rei conceptæ) competit irreceptibilitas, & incommunicabilitas. Ergo quamuis formæ subsistenti, prout fundat gradum genericum, non repugnet esse in alio, vt in subiecto prædicationis,(consequenter repugnet fundare gradũ indiuidualem) repugnabit nihilominùs eidem, vt fundat gradum specificum athomum, esse in subiecto prædicationis, & non repugnabit esse radicẽ gradus indiuidualis. Maior quantùm ad primam partem patet, quantum ad secundam facilè probatur; quia gradus genericus immaterialitatis Angelicæ in pluribus speciebus Angelorum realiter distinctorum inuenitur. Ergo incommunicabilitas metaphysica, quæ est repugnantia essendi in pluribus, non competit formæ subsistenti secundùm gradum genericum; Minor verò probatur. Repugnat secundùm gradum athomum specificum formæ subsistenti in pluribus realiter distinctis inueniri; Ergo eidem, vt fundãti gradum specificum athomum, conuenit etiã Metaphysica, & Logica incõmunicabilitas, quia hæc importat ipsammet repugnãtiam essendi in pluribus, vti dictum est. Prob. anteced. Vt in

pluribus possit inueniri secundùm gradum athomum specificum forma subsistens, debent illa plura contrahere, & limitare talem rationem limitatione opposita ipsi, vt est limitabile quoddam, quod est actualissima ratio. Sed non possunt dari inferiora limitatiua talis rationis. Ergo nec forma subsistens secundùm illum gradum athomum specificum poterit inueniri in pluribus. Patet maior, quia inferiora alicuius rationis debent contrahere, sicque limitare illam modo sibi correspondenti. Prob. minor, quia inferiora limitatiua rationis actualissimæ nõ limitant illam, nisi secundùm rationem quandam potentialem, & è contra. Sed in formis subsistentibus nil potest inueniri potentiale limitatiuum rationis actualissimæ specificæ, scilicet athomæ, quia cum sint formæ simplicissimę, proinde & actus simplicissimi, qui hoc ipso, quòd sint tales, & omninò immateriales excludere debent potentialitatem, quæ non nisi materiam consequitur. Ergo etiam in formis subsistentibus nõ poterunt dari inferiora limitantia rationem actualissimam ipsorum, gradum scilicet specificum athomum.

Dices. In formis subsistentibus, datur aliquid potentiale, gradus scilicet genericus, qui contrahitur per rationem specificam. Ergo similiter poterit dari aliquid potentiale contrahens gradum specificum athomum. Sed

Contra sic arguo, estque doctrina valdè notanda: Ideò in Angelis aliquid potentiale logicum datur, ratio scilicet generica, quia datur à parte rei, & physicũ fundameetum talis potentialitatis, potentia scilicet metaphysica realis, respeciens actum sibi correspondentem à se realiter distinctum. Sed non potest dari in ipsis fundamentum alicuius potentialis, contrahentis gradum specificum athomum. Ergo neque huiusmodi potentiale poterit dari: consequent. patet, quia res fundata, in quantum talis, sine suo fundamento dari nequit; Maior sic declaratur iuxta Logicorum, & D. Tho. doctrinam: genus debet desumi à materia, sicut differentia à forma; per materiam autem intelligitur Potentialitas, siue illa sit physica, sicut est in compositis physicis, siue metaphys; vt in formis subsistentibus, & ita vbi datur aliquid potentiale, quod sit à parte rei tale, datur fundamentum rationis genericæ, & radix eiusdem. Sed in Angelis datur aliquid verè potentiale à parte rei in ordine existendi, aut subsistendi, Essentia scilicet illorum, quæ respectu existentiæ, est verè potentia metaphysica, ab ipsa realiter, vt ab actu suo, quem recipit distincta, prout inferiùs ostendetur. Ergo in Angelis dabitur fundamentum potentialitatis logicæ, rationis scilicet genericæ. Maior Argumenti primi, (Supponendo, quòd radix rationis, seù gradus contrahentis gradum specificum, debeat pertinere

ad

ad lineam Essentiæ, cùm ratio cōtrahens gradum specificum constituat Essentiam singularem, & ideò radix rationis, scilicet differentiæ indiuidualis in substantijs materialibus, est intra lineam Essentiæ, materia scilicet prima, vt supra ostensum est, quo præsupposito,) Sic ostenditur. Rationis potentialis, contrahentis gradum athomum specificum, fundamentum, & radix, debet esse aliquid realiter potentiale (sicut rationis actualis, aliquid actuale, seu actus, vt ex se constat,) & hoc intra lineam Essentiæ, prout ex exemplo supra posito liquet. Sed in Angelis intra lineam Essentiæ, nō datur aliquid realiter potentiale, aut potentia realis, etiam metaphysica, quia tota Essentia Angeli, cùm sit Essentia formæ omninò irreceptæ, & subsistentis, est tota actus, & forma; proinde nil admittens potentialis intra lineā suam, prout subtiliter ostendit, ex mente D. Tho. Caiet. de Essentia cap.6. quæst.12. super textum. Secundo modo inuenitur Essentia in substantijs creatis intellectualibus, & propter hoc Essentiæ Angelorum tribuit infinitatem quandam, tenentem se ex parte actus; ex eo scilicet, quod per oppositum suum, scilicet potentialitatem intra lineam suam, non sit vllatenus limitata, vtpotè actus simplex in tali linea, potentialitatem omnimodè excludens. Ergo in Angelis non datur fundamentum, & radix rationis potentialis, contrahentis gradum specificum athomum: quæ impugnatio, & doctrina est desumpta ex D. Tho. loco nuper citato, ex qua iam facilè colligi potest: cur gradus genericus in Angelis à gradu specifico distinguatur, ad minus virtualiter, sicut etiam in homine v. g. ratio generica ab ipsius specifica ratione distinguitur; gradus autem specificus athomus à gradu indiuiduali, nec quidem ratione ratiocinata distinguatur? Distinctionis siquidem inter gradū genericum, & specificum in Angelis datur fundamentum à parte rei, vti ostensum est, & ideò habet intellectus, vnde taliter distinguat, ratione scilicet ratiocinata, prædictos gradus; At verò, quia distinctionis inter gradum specificum athomum, & indiuidualem in Angelis non datur fundamentum, vt ex dictis constat, consequens est, quòd etiam, nec ipsa distinctio virtualis inter eosdē admitti potest. Sed adhuc

Replicabis, dicendo; sicut in Angelis datur fundamentum rationis genericæ potentialis, aliquid reale potentiale, scilicet Essentia, quæ est potentia realis, ad existentiam, tanquam actum sibi correspondentem; sic etiam respectu differentiæ indiuidualis, fundamentū dabitur aliquid reale potentiale; eadem nempè Essentia Angeli, fundans illam differentiam, prout est realis potentia receptiua existentiæ.

Verùm replica hæc non potest subsistere, vt tamen impugnatio illius melius percipiatur.

Ad-

Aduertendum est, in Essentia Angeli adæquatè sumpta, duplicem conceptum distingui debere, Vnum commmunem, qui est conceptus Essentiæ creatæ, qua creata est. Alterum specialem, & proprium Angelo, qua Angelus est, qui quidem conceptus est cōceptus Essentiæ omninò irreceptæ, & illimitatæ intra lineam talis Essentiæ: ille autem prior conceptus, dupliciter adhuc considerari potest. Primò, secundùm ea, quæ cum præcisione affert, & hæc sunt prædicata quidditatiua secundùm se, & cum præcisione sumpta. Secundò, secundùm ea, quæ completè, ex vi tamen suæ lineæ, affert, & hoc est ipsa Essentia, vltimum suum existentiale complementum habens. Prima consideratio conceptus ex se clara est: secunda autem eruitur ex ipsa doctrina Angelici Doctoris 4. Metaph. lect. 2. vbi sic inquit: *Hoc nomen, Ens, quod imponitur ab ipso esse, significat idem, cum nomine, quod imponitur ab Essentia*. Et subdit rationem. *Esse enim rei, quamuis sit aliud ab eius Essentia, non tamen est intelligendum, quòd sit aliquid superadditum ad modum accidentis sed quasi constituitur per principia Essentiæ.* Hæc D.Thom: quam doctrinam exponens Caiet. de Ente, & Essentia cap. 4. dub. 1. hæc habet. *Nihil extra Essentiam rei per propria principia ipsius constituitur, nisi existentia; Quodcunque enim aliud per principia propria alterius generis constituitur, scilicet, genus, proprium, & differentiam propriam, & vniuersaliter per propria illius prædicamenti principia. Ipsum autem existere, non nisi per genus, & differentiam, & principia ipsius, quod est, constituitur. Et hæc est ratio, qua D.Tho. arguit Auicennam, &c.* Hucusque Caietanus.

Ex cuius, & D.Tho. doctrina duo eliciuntur. Primò, quòd existentia sit extra essentiam rei, si Essentia sumatur cum præcisione, quoad prædicata, scilicet tantùm quidditatiua. Hoc autem deducitur ex illis verbis. *Nihil, extra Essentiam rei, &c. nisi existentia*, & hoc ipsum ampliùs, paulò inferiùs, idem Caietan. explicat, dum dicit: *Ens, secundùm ipsum esse à prædicatis quidditatiuis aliqualiter declinare*. Secundò elicitur, existentiam non esse alterius lineæ, aut generis ab Essentia rei, si illa completè sumatur, cuius est existentia, quod colligitur ex subsequentibus verbis: *Ipsum autem existere, non nisi per genus, & differentiam, & principia ipsius, quod est, constituitur.* Constitutum autem per genus, & differentiam alicuius rei ad eandem lineam, & genus debet pertinere cum tali re, vt ex se patet. Si igitur existentia per genus, & differentiam suæ Essentiæ constituitur, prout ex verbis relatis patet, consequens est, quod non sit extranea, aut alterius lineæ, ab Essentia rei completè accepta, ac proindè ex allata doctrina necessariò distinguēdus est duplex conceptus Essentiæ; Vnus Essentiæ, cum præcisione,

cisione, quoad quidditatiua prædicata præcisè sumptus; extra quem est existentia: alter Essentię completæ, & quoad vltimum complementum suum acceptæ, & talis intra lineam suam claudet etiam existentiam. Hac itaque præsupposita distinctione conceptuum essentię Angeli, necessariò.

Dicendum est, quòd si sermo sit de conceptu communi essentię Angeli, in illo debeat admitti aliquid reale potentiale, fundans rationem communem genericam, & hoc nihil aliud erit, quàm essentia Angeli secundùm communem conceptum essentiæ creatæ; cum præcisione tamen sumpta: secundùm hanc quandoquidem rationem habet rationem realis potentiæ respectu realis actus, in se concepti, qui est existentia.

Nec tamen hinc licet inferre, quod non intra lineam essentiæ, hoc modo habebit rationem potentiæ, sed tantùm in ordine existentię, non inquam licet hoc inferre, quia supposita allata doctrina ex S. Tho. quòd existentia essentiæ creatę, si non cum præcisione, sed adæquatè, & completè sumatur, non est omninò extra lineam ipsius. Ergo ratio illa potentialis respectu existentiæ inuenietur intra lineam essentiæ Angeli, sumptæ secundùm communem conceptum, completè tamen & adæquatè.

Nec etiam obstat, essentiam Angeli totam esse formam realiter, proinde non posse habere rationem realis potentiæ.

Nam licet illa secundùm omnem conceptum, cum præcisione sumptum, sit actus, & forma, non tamen si completè accipiatur, quia sic inuoluit aliquid realiter distinctum à se, cum præcisione sumpta, scilicet existentiam. Vnde si concipiatur cum præcisione istius realis, à se realiter distincti, est realiter actus, & forma, si, vt illud inuoluit, est realiter (intellige respectu illius) potentia.

Ex quo tamen non sequitur, quod idem realiter, & respectu eiusdem sit actus, & potentia, sed tantùm respectu diuersorum, vt expendenti patebit.

Quod si sermo sit de essentia Angelica secundum conceptum proprium, secundùm quod essentia Angeli est, nihil in illa reale potentiale poterit inueniri, sed solùm actualitas ipsa formæ, & essentiæ. Ratio huius est, quia essentia Angeli, secundùm quod talis, sicut ex suo conceptu importat esse essentiale irreceptum in alio, ita & illimitatum; Ex vi autem istius conceptus nil potest importari potentiale, quin potiùs excluditur omnis potentialitas in tali linea; tùm quia esse essentiale formæ, hoc ipso, quod non sit receptum in potētia materiæ, sui limitatiua, manet intra limites, & lineam formæ, & actus, qua actus est: Actus autem intra lineam actus, qua talis excludit potentialitatem, tanquam sibi oppositam rationem. Ergo esse irreceptum formæ, ex vi istius conceptus, nil poterit importare potentiale;

tùm

tùm etiam, quia ideò esse Diuinæ Essentiæ excludit omnem potentialitatem à propria linea, quia est irreceptum, & illimitatum. Forma igitur ex vi conceptus irreciptibilitatis sui in alio, excludit potentialitatem.

Nec refert, quòd adhùc retineat rationem potentiæ ad esse; hoc siquidem ipsi non conuenit ex vi conceptus irreceptibilitatis, sed ex vi conceptus essentiæ creatæ, quæ eo ipso, qua talis, non pertingit absque vlla distinctione ad sui conplementum, quod est existentia; sed illud, tanquam actum, proinde sicut potentia recipit, & ita limitat, vt limitetur, quæ rationes sunt oppositæ irreceptibilitati: Ex hac autem hucusque data doctrina obiter colligi potest, rationem genericam Angeli desumendam esse, tanquàm à prima radice, ab essentia secundùm cōmunem gradū essentiæ, secundum quam importat potentialitatem metaphysicam, differentiam verò, ab vltima actualitate eiusdem essentiæ, secundùm quam importat irreceptibilitatem, quæ ratio est realiter distincta ab essentia, secūdùm communem conceptum essentiæ completè sumptæ, quandoquidem hæc non explicat in suo cōceptu sibi superadditum actum existentiæ, benè autem illa, vt ex doctrina tradita liquet, qui quidem actus realiter distinguitur ab essentia Angeli, secundùm conceptum irreceptibilitatis accepta.

Præmissa igitur hac doctrina, contra instantiam, & replicam factam, sic arguo. Fundamentum differētiæ indiuidualis in Angelo est essentia eiusdem, secundùm cōceptum athomum irreceptibilitatis, vt ex supradictis patet: Sed in essentia Angeli, secundùm conceptum athomum irreceptibilitatis sumpta, nihil potest potentiale reale inueniri, prout ex allata modò doctrina liquet. Ergo in Angelo, respectu differentiæ ipsius indiuidualis, non dabitur aliquod fundamentum reale potentiale. Sed adhuc.

Instabis. In formis subsistentibus dantur duæ radices, realiter inter se distinctæ duorum graduum, specifici scilicèt, & indiuidualis: Specifici quidem, ipsamet forma subsistens secundùm suam athomam rationem considerata; Indiuidualis verò, ipsamet subsistentia, quam à natura distingui realiter, infrà ostendemus; Et meritò quidem, quia subsistentiæ ratio radicis indiuiduationis competit, omnimoda scilicet incommunicabilitas, (prout suo loco dicetur) proinde iam erit fundamētum sufficiens ad ponendam distinctionem virtualem specificam, in forma subsistente, inter rationem specificam, siue gradum, & gradum indiuidualem.

Cæterùm instantia hæc, supponens radicem indiuiduationis in formis subsistentibus esse subsistentiam, falsum supponit, quia radix indiuiduationis alicuius rei non debet esse consequens ipsam rem, iam indiuiduam, sed debet esse principians, & in esse talis cau-

causans. Sed subsistentia consequitur, & præsupponit formam subsistentem iam indiuiduam, & singularem. Ergo non est radix indiuiduationis ipsius. Maior prob. quia radix accipitur, vt primum principium eius, cuius est radix; principium autem non consequitur, sed principiat suũ principiatum. Ergo &c. Minor etiam prob. quia subsistentia est actus adueniens naturæ, vltimò iam constitutæ, vt infrà ostendetur, sicque ipsam præsupponit, sed non aduenit naturæ genericæ, aut specificæ præcisè, aliàs vniuersalia à parte rei subsisterent, quòd est platonicum. Ergo naturæ singulari, & indiuiduæ, & consequenter præsupponet naturam iam indiuiduam, & singularem.

Dicendum secundò. Implicat dari plures Angelos eiusdem speciei athomæ solo numero differentes. Conclusio hæc ex præcedenti manifestè sequitur. Probatur in primis authorit. S.Tho. 1.p. quæst.75.ar.7. vbi sic inquit: *Manifestum est, quod necesse erit in eis* (idest in Angelis) *esse diuersitatem speciei, non enim potest intelligi, quòd aliqua forma separata sit, nisi vna, vnius speciei, sicut si albedo esset separata, non posset esse, nisi vna tantùm*. Plures authoritates D. Thom. vide apud nostros Salmat.tom.2.tract.7.disp.1.dub.2.

Probatur ratione deducta ex præcedenti Conclusione. Quando ratio indiuidualis, & ratio specifica nequeunt distingui inter se, etiam virtualiter, tunc implicat dari plura indiuidua intra eandem speciem. Sed ex præcedenti Conclusione in Angelis, qui sunt formæ subsistentes, non distinguitur, etiam virtualiter, ratio indiuidualis à specifica athoma. Ergo implicabit dari plures Angelos eiusdem speciei athomæ. Minor patet ex supra dictis. Maior prob. Implicat multiplicari indiuidua, immultiplicata ratione, seu gradu indiuiduali, cùm per hunc indiuidua in ratione talium constituantur. Sed hoc ipso, quòd ratio indiuidualis non distinguatur, etiam virtualiter à specifica, sed sint idem omninò, illa ratione immultiplicata manente, nequit ratio indiuidualis multiplicari, aliàs non essent idem omninò, vt supponitur. Ergo &c.

Dices. Essentia Angeli, & natura sunt rationes virtualiter distinctæ, prout nost. Complut. hoc, asserunt in lib.de Anima. Ergo à simili ratio specifica, & indiuidualis inter se distinguentur virtualiter, quia non videtur esse maior identificatio inter istas rationes, quàm sit inter rationem naturæ, & essentiæ.

Resp. negando conseq. Disparitas est, nàm ratio naturæ, & ratio essentiæ in Angelo sunt radices diuersarum linearum, illa autem, quæ sunt diuersarum linearũ, oportet ad minus virtualiter distingui; iam verò ratio differentię indiuidualis, & specificæ in Angelis sunt rationes procedentes ab vna, eademque radice eiusdem

lineæ, scilicet ab vltima actualitate essentiæ Angelicæ, (vt supra dictum est) proindè non est necesse, illas distingui virtualiter, immò nec est fundamentum talis distinctionis. Quòd autem ratio naturæ, & essentiæ in Angelis sint radices diuersarum linearum, patet ex eo, quia natura Angeli est radix actus pertinentis ad lineam accidentis; est siquidem radix operationis, quæ est accidens, cùm natura debeat esse principium motus, seù operationis, vt patet ex sua definitione; at verò essentia est radix actus essendi, seù existétiæ, qui quidem actus pertinet ad lineam substantiæ, tanquàm complementum eius; Iam autem linea accidétis, & linea substantiæ sunt diuersæ lineæ. Igitur, & radices, quæ sunt radices actuum talium linearum, quales sunt, natura, & essentia Angeli, erunt diuersarum linearum.

Ex quo hic obiter aduertendũ est, quòd eo ipso, quòd ratio differentiæ indiuidualis à ratione specifica in Angelo non distinguatur virtualiter, in ratione tamen specifica ratio essentiæ, & naturæ distinguetur tali distinctione, oportet etiam, rationem differentiæ indiuidualis virtualiter identificatã cum ratione specifica Angeli in ratione essentiæ eadem distinctione, virtuali scil., distingui à differentia indiuiduali eiusdem Angeli identificata virtualiter cum ratione specifica ipsius, in ratione naturæ considerata.

Soluuntur Argumenta contraria.

Obijcitur primò contra primam Concl. Si Angeli indiuiduarentur à seipsis secundùm gradum specificum athomum, ita vt hic nec virtualiter quidẽ distingueretur à gradu indiuiduali, iam de singularibus posset dari scientia. Sed hoc est contra communem sensum Philosophorum. Ergo &c. Sequela prob. quia iam in tali casu Angelus singularis, & secundùm suam speciem esset idem, quandoquidem ratio indiuidualis a specifica esset indistincta. Sed de specie Angelica potest dari scientia. Ergo & de singulari Angelo, ac per consequens de singularibus daretur scientia.

Resp. disting. sequelam. De singularibus in actu signato posset dari scientia, conceditur, in actu exercito, negatur; nàm ideò Philosophi communiter negant, de singularibus posse dari scientiam, quia hæc debet esse de perpetuis, & necessarijs, non autem de contingentibus, & mutationi subiectis; singulare autem, & indiuiduum Angelicum, secundùm gradum indiuidualem cum præcisione sumptum, in actu signato non est quid contingens, cùm hic sit omninò identificatus cum gradu specifico, vt ostendimus in nostra Conclus. quem necessarium esse nemo ambigit; licet in actu exercito secundùm omnia, quæ ipsum consequuntur, subsistentiã

sci-

Digitized by Google

scilicet, & existentiam, sortiatur etiam contingentiā: quandoquidē existentia creaturæ non necessariò, sed contingenter competit, & ita in actu exercito, iuxta sensum explicatum, etiam de Angelo singulari nequit dari scientia, licet bene de eodem in actu signato.

Obijcitur secundò. Gradus secundum se communicabilis debet distingui virtualiter à gradu secundùm se incommunicabili, vt euincunt ipsæmet rationes illorum oppositæ. Sed gradus specificus Angeli est ex se communicabilis, indiuidualis verò incommunicabilis. Ergo distinguentur inter se virtualiter. Maior patet. Minor est D.Tho. quæst. vnica de spir.creat.a.8.ad 4. vbi sic inquit. *Natura huius Angeli non perhibetur esse in multis ex eo, quod pertinet ad rationem speciei: sed ex eo, quod pertinet ad rationem indiuidui.* Ergo &c.

Resp. concessa Maiori, neg. Minor. Ad cuius prob. ex author. D.Tho. desumptam, dicitur, S.Doctorem solùm velle, naturam Angelicam ex parte nostri modi cōcipiendi imperfecti, non habere repugnantiam essendi in multis, non autem ex parte rei conceptæ, aliàs sibi ipsi contradicere, loco scilicet ex prima parte pro secunda nostra Conclus. citato, quòd non est dicendum. Cùm enim noster intellectus pro hoc statu, obiectum proportionatum, & commensuratum sibi habeat quidditatem materialem, & hæc ex se sit communicabilis pluribus, dùm concipit naturam Angelicam modo sibi connaturali, ad instar scilicet quidditatis materialis, concipit illam, vt multis communicabilem, licet ipsa ex se non sit talis, & ita duos conceptus in illa distinguit, (qui tamen vnius, & eiusdem rei totalis sunt inadæquati conceptus) vnum, qui exerceat munus communicabilitatis, seù non repugnantiæ essendi in multis; & hic correspondet gradui specifico naturæ, alium, qui exerceat munus omnimodæ incommunicabilitatis, hic verò correspondet gradui indiuiduali; sed

Vrgebis. Posito, quòd in natura Angeli indiuidualis gradus, & specificus, ne virtualiter quidem distinguerentur, Angeli essent essentialiter singulares, vt patet; Sed hoc dici non potest; cùm hoc soli naturæ Diuinæ competat, quæ est actus purus. Ergo &c.

Resp. admittendo sequelam, ad cuius probat. dicitur. Soli naturæ Diuinæ competit essentialiter esse singularem cum repugnātia essendi vniuersalem: Conceditur; sine repugnantia essendi vniuersalem: Negatur. Angelorum autem natura, licet sit essentialiter singularis, non tamen est talis cum repugnantia essendi vniuersalē, saltim ex imperfecto nostro modo concipiendi, immò secundùm se etiam quantùm ad gradum genericum est vniuersalis; quia verò in Deo hoc non inuenitur, quòd scilicet, etiam ex imperfecto nostro modo concipiendi, possit natura eius esse vniuer-

salis; cùm ad hoc requiratur aliqua potentialitas in natura, quæ sit fundamentum concipiẽdi vniuersalitátem, quæ á Deo, vtpotè actu puro, longè exulat, ideò sola Diuina natura dicitur essentialiter singularis cum repugnantia essendi vniuersalem; Angelica verò natura, vtpotè habens fundamentum vniuersalitatis, aliquã scilicet potentialitatem, ita erit essentialiter singularis, vt tamen ei non repugnet fieri vniuersalem, saltim ex imperfecto nostro modo concipiendi.

Obijcitur tertiò. Licet Michael v.g. habeat omnem perfectionem sibi substantialiter debitam, tamen posset Deus per absolutam suam potẽtiam eandem naturam Michaelis ponere in aliquo indiuiduo substantialiter perfectiori, cum perfectioribus accidẽtibus. Ergo per absolutam Dei potentiam, Angeli intra eandem speciem numero posſunt multiplicari. Consequent. patet. Anteced. prob. Quamuis Sol omnem sibi debitam perfectionem habeat, in ratione corporis luminosi, tamen Deus posset aliud indiuiduum solis cum perfectiori lumine producere per absolutam suam potentiam. Ergo idem à pari erit dicendum de Michaele, v.g.

Resp. neg. anteced. ad probat. ostenditur disparitas, quia soli ab intrinseco non repugnat numero multiplicari, cùm non sit essentialiter singularis: at verò Michael, cùm habeat naturam ad vnum suppositum ab intrinseco determinatam, sitque esſentialiter singularis, prout ostendimus in 1. & 2. Conclusione, hinc est, quòd non potest naturam suam communicare, etiam per absolutam Dei potentiam, alteri à se indiuiduo perfectiori, quòd si ipsi Deus communicaret perfectiora accidentia, quàm nunc habet, illa non reciperet secundùm potentiam naturalem, sed obedientialem; proindè non esſent propriæ ipsius passiones, sed accidentia tantùm communia: Esſe autem naturam Angelicam, v.g. Michaelis, ab intrinseco determinatam ad vnum suppositum tantùm, ostenditur ex ipsamet ratione formæ subsistentis, & omninò immaterialis, qualis est Michael; nam quando se forma communicat sine sui limitatione, cùm se communicet naturaliter, proinde secundum vltimum sui, omni possibili sibi modo se communicat ei, cui se communicat, & ita non remanet ipsi vllus modus, quo se alteri posset communicare, aliàs non secundum vltimum sui se communicasſet; proindè dùm se communicat alicui supposito, ita se communicat, vt ab intrinseco determinetur ad illud solum: At forma subsistens, & omninò immaterialis, hoc ipso, quod talis est, dùm se communicat, sine vlla limitatione se communicat; limitatiuum enim formæ est materia, aut potentia, quæ in forma omninò immateriali non inuenitur, vt iam ostendimus, sicque nec limitatiuum eiusdem reperietur.

Ergo

Ergo etiam ita se communicabit vni determinato supposito, vt alteri nequeat communicari, proindè erit ab intrinseco ad vnum suppositum determinata.

Quando verò ex SS.PP. diuersæ adducuntur authoritates, quæ probare videntur, plures Angelos reperiri, aut posse reperiri sub vna specie, loquuntur de specie subalterna, quæ est simul genus, non autem de athoma. Plura circa hanc materiam vide in nostris Salmat. loco supra citato, Tract. de Angelis.

DISPVTATIO QVARTA.

De Principio radicali indiuiduationis accidentium.

Decisa difficultate circa principium indiuiduationis substantiæ, tàm materialis, quàm immaterialis, remanet adhuc decisio facienda de principio indiuiduationis accidentiæ, quæ sicut subsequuntur substantiam, vtpotè Entis Entia, sic recto ordine exigunt, post determinationem de substantia factam, etiam determinationem circa sui indiuiduationem. Pro quo sit



QVAESTIO I.

Vtrùm subiectum sit radicale principium accidentium indiuiduationis, aut distinctionis indiuidualis puræ?

Pro meliori dicendorum dilucidatione, tres termini in titulo positi, necessariò explicari debent, qui sunt principium accidentium; Deinde subiectum; Tandem accidentium. Igitur

Supponendum primò. In titulo signanter positum esse *principium radicale* indiuiduationis accidentium; nàm loquendo de principio proximo, & adæquato, certum est, illud esse ipsammet entitatem accidentis, vt est *hæc*: Et ita præsens difficultas non excitatur de principio proximo indiuiduationis accidentium, sed de radicali, seu de prima radice physica differentiæ indiuidualis. Vtrùm scilicet illa sit ipsummet subiectum, vel aliquid aliud.

Supponendum secundò, subiectum, prout constituitur radix indiuiduationis accidentium, dupliciter posse accipi, vel in esse rei, sicque materialiter, vel in esse subiecti formaliter. Subiectum in esse rei, seù in esse Entis, est ipsamet entitas subiecti, habens capacitatem ad recipienda accidentia. In esse autem subiecti for-

ma-

maliter, est eadem entitas subiecti, secundùm capacitatem suam receptiuam sumpta, vt connotans hoc numero agens cum sua actione, hoc numero tempus, &c.

Rursus subiectum in esse Entis, adhùc dupliciter accipi potest, vel materialiter, vel formaliter; Materialiter accipitur pro ipsamet entitate subiecti, secundùm capacitatem receptiuam quarumcunque formarum accidentalium indiuidualium, siue illæ fuerint indiuidua diuersarum specierum, siue generum. Formaliter verò sumitur; prò Entitate habente capacitatē, & potentiam ad recipienda accidentia huius tantùm speciei athomæ, & non alterius,& hæc distinguitur, ad minus virtualitèr à capacitate, & potentia respiciente accidentia alterius speciei; Cùm enim debeat esse commensuratio inter potentiam receptiuam formæ, & ipsaminet formam, necessario sequitur, vt accidentia distinctæ speciei, distinctam,ad minùs virtualitèr, requirant ab alia correspondentem sibi in subiecto capacitatem, & potentiam. Explicatur, & exemplificatur hæc diuisio, saltim in materia prima,quæ, si sumatur secundum suam Entitatem, vt connotantem quantitatem, est subiectum diuersarum formarum substantialium, quas successiuè recipere potest, & hoc modo in esse subiecti, & radicis indiuiduationis in esse rei, materialiter præcisè sumitur, sicùt, vt importat capacitatem receptiuā huius speciei potiùs, quàm illius formarum substantialium,sumitur in ratione subiecti, adhuc in esse, rei formaliter tantùm: at vt præhabens hanc numero determinatam quantitatem, connotansque has potiùs dispositiones numero, hoc agens, &c. sumitur in ipsamet ratione subiecti formalitèr, estque huius numero potiùs cōpositi substantialis,& formæ,quā illius, radix indiuiduationis. Sic ergò similiter, cum sua tamen pro portione de ipsomet subiecto accidentium, vt potest habere rationem radicis indiuiduationis accidentium discurrendum est.

Supponendum tertiò. Sicùt materiam primam ad formas substantiales, & totum compositum substantiale, sic & subiectum accidentium ad formas accidentales dupliciter posse comparari, vel in ratione subiecti absolute, vel in ratione subiecti, vt habet rationem radicis indiuiduationis; Si primo modo accipiatur,materia, & subiectum accidentium nō indiuiduant sibi correspondentes formas, sed materia vna cum forma,quam recipit, ad lineam Essentiæ pertinent, sicque constituunt compositum substantiale: subiectum verò accidentium est terminus habitudinis essentialis accidentium, & causa efficiens, atque finalis ipsorum, non quidem in quantùm subiectum reduplicatiue, sed tantùm specificatiue tale; formaliter autem, vt exercens rationem causæ, respectu accidētium,

tium, siue finalis, siue efficientis, siue formalis extrinsecæ, secundũ quam acceptionem, subiectum non est radix, & principium indiuiduationis accidentium. Si autẽ secundo modo, accipiantur materia prima, & subiectum accidẽtium, sunt principia, indiuiduantia sibi correspondentium formarum, & in huiusmodi hypotesi de illis loquimur in præsenti.

Supponendum quartò prò solutione aliquorum difficiliũ argumentorum, in subsequentibus excitandorum, quòd licet subiectum in esse rei formaliter sumptum, respiciat accidentia omnia eiusdem speciei, sicque habeat capacitatem ad omnia illa recipienda successiue, non tamen omnia, aùt saltim aliqua, verbi gratia, duo, aùt tria simul in exercitio, proinde respectu ipsorum, habet simultatem potentiæ, ideſt simul habet potentiam ad alia habenda, dùm actu vnũ habet, non tamen habet potentiam simultatis, hoc est, potentiam ad omnia illa in exercitio simùl habenda. Ratio huius est, quia in exercitio plura accidentia eiusdem speciei, solo numero distincta, subiectum non potest recipere, si illa non possint actu numericam pluralitatem habere; vt ex se patet, quià si subiectum actu, & in exercitio, & in esse rei formaliter sumptum, sit in se vnum, & immultiplicatum, accidentia eiusdem speciei connaturaliter in illo recipienda, non possent habere actu multiplicitatem numericam; nàm hæc, cùm sit indiuidualis, & materialis, & ità tanquàm à radice in accidentibus desumi debet ab eo, quod est in illis principium materiale: tale autem non est Entitas illorũ, quià hæc est ratio formæ, quã sicut vnitas, sic & multiplicitas tantùm formalis opposita materiali consequitur; relinquitur proinde, quòd principium materiale, sicut vnitatis numericæ, seù materialis ipsorum, sic & multiplicitatis, sit subiectum, habens se respectu eorumdem, vt materia respectu formæ substantialis: Iam verò posito, quòd tale subiectum sit tantum vnum in se indiuisum, & immultiplicatum, vt supponimus, principium, & radix multiplicitatis numericæ accidentium, non daretur. Igitur nec accidentia plura, numero solo distincta, atque ità in vno, eodemque formaliter in esse rei subiecto, non poterunt plura accidentia, solo distincta numero, simul in actu exercito recipi; bene tamen successiue, quia in tali casu, actu, & in exercitio tantùm vnum numero reciperetur accidens, licet in potentia, & successiue plura, & ità solùm requireretur, quòd actu esset vnum subiectum, licèt in potentia, & radicaliter multiplex, quod cum indiuisione, & immultiplicitate subiecti actuali, & in exercitio optime stare potest.

Cæterũ si plura accidentia, quando sunt diuersæ speciei, possunt simul, & in exercitio recipi in eodem

dem subiecto in esse rei; quia illorum multiplicatio non est præcisè numeralis, & indiuidua, sed specifica, posita in suis indiuiduis, & ideò ad diuisionem illorum, & multiplicitatem nō oportet diuidi, aut multiplicari principium materiale, quod est subiectum, cùm diuisio fiat ex parte formæ, & distinctionis formalis, sed sufficiet capacitas in subiecto respectu plurium formarum, specie distinctarum, quæ, vt D. Thom. quæst.8. de veritate ar.1. docet, recipiuntur secundùm diuersas potentias subiecti, idest secūdùm diuersos respectus, participandi formas, sicut dulcedo recipitur ex participatione humidi, albedo, ex participatione lucis, &c.

Quia verò superiùs insinuatū est, ad rationem subiecti formaliter, in ratione talis sumpti, requiri connotationem huius omninò temporis, & intelligentia ly, *temporis*, ad intelligentiam præsentium difficultatum quamplurimum conducat, ideò

Supponendum quintò, per tempus hoc numero, non intelligi tempus, vt præsens reduplicatiuè, vel præteritum, aut futurum, omnes siquidem huiusmodi formalitates accidentaliter tantùm competunt entitati temporis, cùm eadem entitatiuè pars temporis, quæ fuit futura, immediatè fiat præsens, vel præterita subsequenter, sed per, *tempus*, intelligitur ipsamet entitas huius numero temporis, quæ aliàs est præterita, vel futura, &c. & ità ad indiuiduationem accidentiū concurrit tempus formaliter, & reduplicatiuè, secundùm suam entitatem præcisè, specificatiuè autem, materialiter, & secundariò, secundùm illas rationes accidentales, vt præsens, præteritum, &c; quæ proindè non variant indiuiduationem.

Supponendum vltimò circa terminum accidentium, nos hìc non loqui de accidentibus solùm materialibus, sed de omnibus in vniuersum, quorum aliqua sunt intentionalia, vt sunt species intentionales in aere receptæ, alia spiritualia, alia materialia. Hæc est autem differentia inter accidentia supernaturalia, & naturalia, quòd hæc petant sibi connaturale subiectum, illa verò, (cum nulla possit dari creata substantia supernaturalis) nulli subiecto possunt esse connaturalia; nihilominus, secundùm communem cursum sui ordinis, magis vni subiecto debentur, quàm alteri, & propterea hæc numero charitas; recepta in Michaele, nequit secundùm communem cursum sui ordinis recipi in Gabriele. Taliter autem sibi coaptantur, & correspondent accidentia, & subiecta ipsorum, quòd sicut hoc subiectum, in ratione subiecti formaliter sumptum, prout scilicet connotat hoc numero agens, & hoc numero tempus, nequit respicere, & recipere, nisi hoc numero accidens: (quod, vt sit formaliter tale, debet importare

suam

suam entitatem cum connotatione huius numero temporis, &c.) ità hoc numero accidens nequit recipi, nisi in hoc numero subiecto formaliter tali; cum quo tamen stat, quòd huiusmodi coaptationem, & commensurationem, accidens, & subiectum materialiter, & in esse entis sumpta, nequeant habere; nam idem subiectum materialiter, saltim successiuè, naturaliter potest recipere plura accidentia solo numero distincta, cùm tamen idem numero accidens, in esse rei, seu materialiter adhuc acceptum, naturaliter, & secundùm communem cursum non possit recipi, etiam successiuè, in diuersis subiectis, & ex indè iam facilè colligitur, subiectum materialiter sumptum, maiorem amplitudinem, & indifferentiam habere, quàm habeat accidens in esse rei, & materialiter similiter acceptum. His ergo præsuppositis, pro intelligentia totius doctrinę de principio indiuiduationis accidentium.

Dicendum est: primum, & radicale principium, & ex se sufficiens in ordine rei, indiuiduationis accidentium, consequenter distinctionis puræ indiuidualis, esse subiectum in ratione subiecti formaliter sumptum.

Dixi, principium ex se sufficiens in ordine rei, quia loquendo de principio insufficienti indiuiduationis accidentium, illud est ipsa materia prima, vt signata, immò & sufficiens etiàm in ordine illatiuo, cùm ex materia, vt signata tali quantitate, reddatur sufficiens ratio, ob quam debeant in subiecto dari hæc potiùs accidentia, quàm illa; non est tamen sufficiens principium, & radix in esse rei, quia, nisi adsit à parte rei tale, vel tale compositũ, non poterunt, etiam in ipso immediate subiecto, dari accidentia talia, vel talia, &c. quod præclarè explicant, nostri Salmat. tom. 1. Tract. 1. disp. 2. dub. 1. n. 8. 9. & 10. Sic ergo intellecta Conclus.

Probatur in primis author. Aristot. 5. metaph. Textu 15. & Diu. Thom. ibidem. Deinde 1. p. q. 29. ar. 1. vbi sic habet: *Accidentia indiuiduantur per subiectum, dicitur enim hæc albedo, in quantum est in hoc subiecto.* Item quæst. 39. ar. 3. & alibi.

Probatur ratione. Distinctio purè indiuidualis, sicut & vnitas, est distinctio materialis, & non formalis, vt superiùs dictum est; Ergo vnitas & distinctio purè indiuidualis accidentium ex eo, tanquam prima radice desumenda est, quod est materiale, & receptiuum respectu ipsorum. Sed subiectum est materiale, & receptiuum accidentium, cum in illo, vt in correspondenti sibi materia, aut potentia immediata recipiãtur: Ergo à subiecto, vt à prima radice, petetur ipsorum indiuiduatio; materia siquidem, vt signata, licet possit esse insufficiens, aut in solo ordine illatiuo sufficiens radix indiuiduationis accidentium, vt modò dictum est, vel etiam in ordine rei subiectum,

Iii quo,

quo, non tamen potest esse adæquatè sufficiens, aut subiectum, *quod*, illorum, ideoq; primum omninò principium radicale indiuiduationis eorumdem non potest esse materia prima, vt signata, sed ipsum subiectum, vt *quod*; nam in ijs, quæ habent realiter distinctum principium, *quo*, à principio, *quod*, qualiter se habet materia ad subiectum immediatum accidentium, dùm de ipsorum principio absolutè inquiritur; ad principium, *quod*, non autem, *quo*, recurritur, vt patet in causis efficientibus, potissimum actiones istorum tribuuntur principio, *quod*, scilicet supposito, non autem, *quo*, quale est forma: vnde & dicitur, actiones sunt suppositorum, non autem formarum, absolutè loquendo.

Confirmatur. Actus informans: qualis est omne accidens, illud recognoscit, vt radicem, & principiũ suæ indiuiduationis, quod est proprium limitatiuum ipsius in ratione actus; nam per limitationẽ huiusmodi, vtpotè causam incommunicabilitatis alteri, constituitur in ratione indiuidui, quod importat omnimodam incommunicabilitatem, & indiuisionem. Sed proprium limitatiuum accidentis in ratione actus, & formæ, est subiectum receptiuum immediatè, eiusdem limitatiuum; siquidẽ formæ in ratione actus, est correspondens ipsi subiectum, quale respectu accidentis, non est materia: (cùm hæc sit immediatum receptiuum formæ substantialis) sed ipsummet subiectum, *quod*. Ergo propria radix indiuiduationis accidentium erit subiectum ipsum.

Soluuntur Argumenta contraria.

OBijcitur primò probando; principiũ indiuiduans accidentia, debere esse intrinsecam ipsorum entitatem, & non subiectũ. Principium indiuiduationis debet esse intrinsecũ rei indiuiduæ; sed subiectum non est quid intrinsecum, sed extrinsecum potiùs respectu accidentium. Ergo non erit principium indiuiduationis ipsorum.

Confirmatur. Subiectum non potest dici principium indiuiduationis, etiam vt terminus extrinsecus intrinsecæ habitudinis accidentis ad informandum illud. Ergo &c. Antec. prob; nàm, hoc posito, vnum accidens numero tantùm vnum respiceret subiectũ numero, hoc autem falsum est, cùm in eodem numero subiecto, saltem successiuè possint inueniri plura numero accidentia, v. g. albedines in eodem pariete, vel calores in eadem aqua. Ergo &c.

Resp. ad arg. dist. Maiorem. Principium indiuiduationis debet esse intrinsecum indiuiduæ rei, quæ sit substantia, Conced. rei, quæ sit accidens, negatur. Deinde concessa Minori, negatur Conseq. Ratio autem disparitatis inter substantiam, & accidens quantùm ad radicem indiuiduationis, est hæc, quòd scilicet substantiæ sint

en-

entia simpliciter, & per se, accidentia verò entis, idest substantiæ entia, & ideò ad aliud essentialiter ordinata, ad illud scilicet, cuius sunt entia, nempè ad substantiam, & ita essentialiter requirent habere aliquid extrinsecum sibi, ad quod dicant habitudinem, per quam habitudinem etiam speciē suam sortiuntur. Ergo multò magis indiuiduationem, cum ratio specifica, sit quid intimius rei; igitur si in ratione sua specifica habenda quodammodò dependent ab extrinseco accidentia, quid mirum erit, si dependeant in indiuiduatione sua ab eodem, sicque radicem suæ indiuiduationis recognoscant aliquid extrinsecum?

Ad confirm. resp. negando Anteced. Ad cuius probat. dist. minorem; in eodem subiecto possūt inueniri plura, solo numero distincta accidentia: in eodem materialiter; Concedo; in eodem formaliter in ratione subiecti accepto, Nego minorem: cuius solutionis explicatio pendet ex intelligentia subiecti materialiter, & formaliter sumpti, circa quod videantur dicta in præsuppositis huius quæstionis.

Instabis. Ergo subiectum est radix indiuiduationis accidentiū, formaliter, & non materialiter sumptum. Ergo potiùs actio huius numero agentis, hoc numero agens, hoc numero tempus erunt radix indiuiduationis accidentiū, quam subiectum. Conseq. prob. subiectum in ratione subiecti formaliter constituitur per connotationem huius numero temporis, &c. Ergò, hæc potiùs erunt radix; nàm *propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*; si ergo propter connotationē dictorum, subiectū constituitur in ratione formaliter talis, sicq; & radicis indiuiduationis accidentium, iam ipsamet recensita potiùs erunt dicta radix.

Resp. neg. Conseq; ad cuius prob. dicitur, maximam illam verificari, quando vtrumque est formaliter, & in recto tale; recensita autem non sunt formaliter, & in recto radix indiuiduationis; quia tantùm ad rationem radicis concurrunt, vt extrinseca quædam connotata, ideò nō sequitur, quod argumentum euincere volebat. Quòd autem ratio radicis ipsis nequeat competere formaliter; patet, vel ex eo, quòd radix indiuiduationis debet quodammodò intrinsece vniri cum re, quæ indiuiduatur per illam, aut saltim exigere talem vnionem, alias quomodò posset dici, rem indiuiduā in ipsa radicari? Iam autem hoc non competit tempori respectu accidentis, neque agenti, vt consideranti patet, benè autem subiecto, quod per mutuam communicationem entitatum, sibi correspondenti accidenti vnitur, illud in se recipiendo, ergò licet subiectum formaliter tale sit radix formaliter indiuiduationis accidentium, non tamen hoc idem de tempore, & alijs extrinsecis connotatis potest dici.

Obijcitur secundò. Dantur aliqua accidentia, quæ non possunt

indiuiduari à subiecto: Ergo falsò dicitur, radicem indiuiduationis accidentium, absolutè esse subiectum; Anteced. prob. Relationes, habitus, & similia sunt accidentia. Sed hæc non indiuiduãtur à subiecto: ergo &c. Maior patet. Minor prob. Ideò dicuntur indiuiduari accidentia à subiecto, quia respiciunt illud, vt terminum intrinsecæ suæ habitudinis; sed recensita accidentia aliquid aliud, vt terminum suæ habitudinis respiciunt, vt consideranti patet. Ergo ab illo, & non à subiecto indiuiduabuntur.

Resp. neg. anteced. ad probat. distingu. maior; Ideò dicuntur accidẽtia indiuiduari à subiecto, quia respiciũt illud, vt terminum suæ habitudinis, terminãtẽ talem habitudinem in genere causæ formalis extrinsecæ, negatur. Terminantem illam in genere causæ materialis, & receptiuæ. Conceditur maior: Accidẽtia autẽ enumerata respiciunt aliquid aliud, vt terminum suæ habitudinis, terminantem illam sed in genere causæ formalis extrinsecæ, non materialis puræ; & sic neg. consequentia, quia cùm indiuiduationis radix nequeat esse forma, siue intrinsecè constituens, siue extrinsecè specificans, sed tantùm materia, vt superiùs ostensum est, in 2. quæst. huius disput. hinc est, vt illud, quod terminat habitudinem accidentium in generè causæ formalis extrinsecæ, (licet sit principium specificationis) nequeat esse radix indiuiduationis ipsorum, sed tantùm illud, quod illam terminat in genere causæ materialis, & puræ recpetiuæ; Cùm ergo hoc posteriori modo subiectum terminet habitudines accidentium enumeratorum: priori verò modo sit extrinsecum specificatiuum ipsorum, sequitur, quòd non hoc, sed ipsummet subiectum debeat esse prima radix indiuiduationis, etiã talium accidentiũ.

QVAESTIO II.

Vtrùm Quantitas ex se, secundùm aliquam rationem, indiuiduetur.

SVpponendum primò, Quantitatem dupliciter posse considerari, vel secundùm rationem generalem accidentium, vel secundùm specialem talis accidentis, scilicet quantitatis, quæ est ratio extensionis in ordine ad se; rursus quantitas, secundùm propriam rationem sui considerata, duplicem conceptum inadæquatum potest habere; potest primò concipi, vt extensio, & hæc extensio huius numero substantiæ, & non alterius, secundùm quem conceptum dicit ordinem ad hãc potiùs substantiam, quam ad aliam, & hoc est commune quantitati cum ceteris accidentibus: Secundò: potest concipi, vt exprimit rationẽ extẽsionis in ordine ad se, quæ est radix extẽsionis

Digitized by Google

In ordine ad locũ, vel, vt exprimit hoc, quod est habere determinatum situm, ortum ex partialibus sitibus suarum partium; ac proinde quatenus eius partes habent rationem materiæ, siue principij materialis, respectu illius, quantùm ad hoc, vt habeat determinatum situm; quamuis autem secundùm hunc etiam posteriorem conceptum inadæquatum, quantitas non præscindat ab ordine ad subiectum: quin potiùs ipsum necessariò inuoluat; nihilominùs secundùm illum, formalissimè, non exprimit dictum ordinem ad subiectum, sed solùm ordinẽ illũ, quem habent partes quãtitatis ad ipsammet quantitatem totalem.

Supponendum secundò, dùm fit mẽtio situs in suppositione, nõ fieri sermonem de situ formaliter sumpto, secundùm quòd constituit speciale prædicamentum, sed de situ, prout est differentia quãtitatis, & est diuersa quædam positio, & situatio partium quantitatis, tùm inter se, tùm in ordine ad totam quantitatem, quam componunt. Igitur dùm inquiritur in titulo quæstionis: Vtrùm quantitas, secundùm aliquam rationem, ex se indiuiduetur? sensus est; Vtrùm scilicet secundum hũc conceptum inadæquatum, secundùm quod formalissimè exprimit ordinem partium situatarum taliter, vel taliter inter se, & ad seipsam, vt est quoddam totum, ex illis constans, sit sibi ipsi principium indiuiduationis; quamuis deinde, tùm secundùm generalem rationem accidentis, tùm etiam secundùm specialem propriam, prout dicit extensionem, immò, & hanc huius substantiæ extensionem, sicut, & alia accidentia à subiecto indiuiduetur; prima sentẽt. est negans. Ità sentit Scotus, Durandus, Suarez, citati à nost. Salmat. Tomo 1. Tract. 1. disput. 2. dub. 2. secunda sentent. est affirmatiua, & hæc est D. Thom. & discipulorum ipsius, hanc defendit Capreol. Caiet. Ferrar. Bannes, Gonzales; & alij loco citato à nost. Salmat. relati. Pro resolutione

Dicendum est, quòd Quantitas hoc habet peculiare, inter omnia accidentia, quòd à seipsa quodammodò indiuiduetur. Probatur in primis authorit. D. Tho. Opusc. 70. q. 4. ar. 2. ad 3. vbi sic ait: *De ratione indiuidui est, quòd sit in se indiuisum, & ab alijs diuisum vltima diuisione; nullum autem accidens habet in se propriam rationem diuisionis, nisi quantitas; Vnde dimensiones, ex seipsis habent quandam rationem indiuiduationis, secundùm determinatum situm, prout situs est differentia quantitatis, & sic habet duplicem rationem indiuiduationis, vnam ex subiecto, sicut, & quodlibet aliud accidens, aliam ex seipsa, in quantùm habet situm, ratione cuius abstrahendo à materia sensibili, imaginamur hunc circulum, hanc lineam.* Hæc ille. Plures authorit. videri possunt apud nost. citatos Salmat.

Probatur concl. ratione, quod ex se est diuisibile in partes eiusdem

dem rationis, ex se est quodammodò principium suæ indiuiduationis: Sed quantitas secundùm aliquam rationem habet ex se diuidi in plures partes eiusdem rationis. Ergo, & ex se habebit aliquo modo indiuiduari. Maior prob. Differentia indiuidualis aliquorum inter se, causatur formaliter per diuisionem intrà eandem speciem. Ergo illud, quod habuerit à se diuidi in partes eiusdē rationis, ex se etiam habebit quodammodò omne principium indiuiduationis, & multiplicitatis, purè numericæ, seù intra eandem speciem. Minor patet. Nam quęuis quantitas, v.g. linea diuiditur in diuersas partes quæ sunt eiusdem rationis; cùm quæuis ipsarum essentialiter sit linea.

Confirmatur. Ex se radix, & causa multiplicitatis realis, intrà eandem speciem athomam, est ex se radix, & causa indiuiduationis. Sed quantitas est ex se radix multiplicitatis realis, intra eandem speciem athomam. Ergo & radix ex se indiuiduationis. Maior est clara, quia multiplicata realiter intra eandem speciem athomam, nō sunt, nisi indiuidua, vt patet. Ergo radix ex se huiusmodi multiplicatis erit radix ex se indiuiduationis. Minor verò prob. Quantitas ex se hoc habet, quod sit partibilis in distincta realiter, quæ sint eiusdem speciei athomæ, sicut linea v.g. secundū suam specificam athomam rationem considerata, est diuisibilis in distinctas realiter partes, quæ tamen omnes sunt eiusdem speciei athomæ, vnaquæque scilicet est essentialiter linea. Ergò quantitas ex se est radix multiplicitatis realis intrà eandem speciem athomā; aliàs ex se non esset partibilis in distincta realiter eiusdem athomæ speciei.

Argumenta in contrarium soluuntur.

Obijcitur primo. Ex hoc, quòd quantitas habeat ex se partes eiusdem rationis, nequit inferri, quod sit ex se indiuidua, aut radix suæ indiuiduationis aliquo modo. Ergo cùm non ex alio fundamento, ipsi tribuatur esse radicem propriæ indiuiduationis, sequitur, quod non sit ex se indiuidua. Consequ. patet. Anteced. prob. habere partes eiusdem rationis, competit quantitati ex ipsa ratione sua specifica. Ergo ex isto fundamento, non poterit esse radix suæ indiuiduationis. Anteced. ex ipsa formali ratione quātitatis patet. Consequentia prob. per id, quod pertinet ad conceptum specificum alicuius formæ, vt præcisæ à sua indiuiduatione, nequit esse forma radix indiuiduationis puræ; cùm ratio specifica, & indiuidualis sint diuersæ rationis. Ergò si habere partes eiusdem rationis competit quantitati ex ipsa ratione specifica, sicque pertinet ad ipsius conceptum specificum, per hoc non poterit esse radix suæ indiuiduationis.

Resp.

Digitized by Google

Resp. negando anteced. Ad cuius probat. disting. anteced. Habere partes eiusdem rationis cōpetit quantitati ex ipsa ratione specifica. Partes eiusdem rationis in communi; Conceditur. Partes eiusdem rationis in particulari, & determinate acceptas, Negatur. Anteced. & deinde negat. Conseq. Non enim dicitur, quòd quantitas ex eo, quod habeat partes eiusdem rationis in communi, secundùm quam rationem exprimit cōceptum suum specificum, sit radix suæ indiuiduationis, sed potius ex eo, quod habeat illas in particulari, & determinatè; quo modo habere partes eiusdem rationis non pertinet ad conceptum specificum quātitatis, sed indiuidualem; determinatæ siquidem partes inter se, determinatum situm habentes, vt quid materiale, respectu totius, ex illis coalescentis, considerantur: materialis autem distinctio pertinet ad conceptum indiuidualem, & non specificum; hinc est, quod etiam partes quantitatis, eiusdem rationis determinatæ, & in particulari, ad indiuidualem, & non specificum conceptum quantitatis debebunt pertinere.

Obijcitur secundò; à seipso posse indiuiduari, denotat excellentem perfectionem, & ideò, quia Angeli inter creaturas sunt perfectissimi, omnesque immateriales, à seipsis indiuiduantur. Sed quantitas non excellit in perfectione, quin immò inter accidentia est imperfectissimum, vtpotè connaturalissimum materiæ, quæ est radix imperfectionis ob summam suam potentialitatem. Ergò quantitas non indiuiduabitur à seipsa.

Resp. distingu. Maiorem à seipso indiuiduari secundùm suam rationem totalem, & adæquatam, importat magnam perfectionem, Conceditur; à seipso indiuiduari secundùm rationem tantùm inadæquatam, secundùm aliam verò ab alio, nempè subiecto, Negatur Maior, & quia quantitas licet secundùm aliquam rationem indiuiduetur à seipsa, secundùm tamē aliam, indiuiduatur etiam à subiecto, prout, & alia accidentia, sequitur, quòd nō sit alicuius magnæ perfectionis, sicut Angeli, qui adæquatè, & totaliter à seipsis præcisè indiuiduantur, vt supra ostensum est.

Obijcitur tertiò. Forma receptibilis in materia non est ex se indiuidua. Sed quantitas est forma receptibilis in subiecto, tanquam in materia quadam, sibi correspondente. Ergo non erit ex se indiuidua. Maior: prob. quia forma receptibilis in materia ex se est communicabilis pluribus, quod est contra rationem indiuidui; quòd autem sit communicabilis, patet, quia forma receptibilis ex se non habet, per quod limitetur, nisi fortè à suo receptiuo; & sic est communicabilis, quantùm est ex se pluribus. Minor patet; quandoquidem de facto recipitur quantitas in subiecto proprio. Ergo &c.

Resp. disting. Maiorem. Forma &c. quæ non est ex se diuisibilis in

par-

Digitized by Google

partes eiusdẽ rationis. Cõceditur Maior, quæ est diuisibilis in illas, & subdistinguo, non est ex se indiuidua secundùm conceptum adæquatum, Conced. secundùm inadæquatum, negatur maior; Cum autem quantitas, licet sit receptibilis, sit tamen forma ex se diuisibilis in partes eiusdem rationis, erit etiam ex se aliquo modo indiuidua, licet enim non dicatur, nec concipiatur, vt ex se indiuidua secundùm conceptum, secundùm quem exprimit rationem formæ, informantis subiectum, in quo est, nihilominùs secundùm alium conceptum inadæquatum, in quantùm cõcipitur in ordine ad se, per diuersas partes eiusdem rationis extensa, est ex se principium suæ indiuiduationis; nec per hoc; quod nimirùm tali modo à se indiuiduetur, erit magis vna, sicque perfectior, quàm aliæ formæ accidentales, perfectio siquidem non consequitur vnitatem indiuidualem, sed specificam, quam cùm non habeat excellentiorem præ alijs formis accidentalibus quantitas, nec erit etiam ipsis perfectior.



QVAESTIO III.

Vtrùm repugnet, duo accidentia solo numero distincta esse simul in eodem subiecto.

SVpponendum est, istam difficultatem excitari, vt tantò ampliùs, & meliùs pateat; Vtrum subiectum sit prima radix indiuiduationis accidentium, vel non? Si enim omninò repugnat, duo accidentia recipi in vno, eodemq; numero subiecto, manifestum est, vnitatem numericam accidentis dependentem esse ab vnitate numerica subiecti, sicq; subiectum radicem esse huius, quod accidens sit hoc numero, vel indiuiduum; proinde & radicem indiuiduationis ipsius.

Scotus igitur, & Suar. iuxta sua principia in præcedentibus quæstionibus citati, tenentes, indiuiduationem accidentis cuiuscunq; petendam esse ab intrinseca eiusdem entitate, asserunt, duo accidentia solo numero distincta, posse inueniri simul in vno, eodemque numero subiecto; Nihilominùs

Dicendum est. Repugnat omninò duo accidentia, solo numero distincta, in eodem formaliter subiecto posse simul inueniri. Probatur in primis authorit. Aristot. 5. Metaph. Textu 15. vbi asserit non debere accidentia plurificari

ex

ex eo, quòd in eodem subiecto recipiuntur. Quem locum exponens Angelicus Doctor dicit, *ideò Aristoteles hæc dixisse innuit, quia impossibile est, plura accidentia vnius speciei in eodem subiecto esse.* Hoc ipsum S. Doctor docet, & 3. parte quæst. 35. ar. 5. Item in 4. dist. 12. q. 9. ar. 1., quæstiuncula 3. S. Magistrum sequuntur Discipuli quamplurimi.

Probatur deinde ratione. Virtus alicuius causæ ex se impotens ad præstandum aliquem effectum, non potest illum ponere, quamdiù ipsi non additur, per quod reddatur potens ad ipsum ponendum; aliàs manebit cum eadem impotentia, sicut & ante, sicque non ponet effectum. Sed subiectũ in genere causæ materialis est ex se impotens ad recipienda duo accidentia solo numero distincta; nec potest ipsi addi aliqua virtus, etiam per absolutam Dei potentiam, per quam reddatur potens ad illa recipienda. Ergo nec per absolutam Dei potentiam, illa simul poterit recipere, ac per consequens repugnabit omninò, duo accidentia solo numerò distincta, posse inueniri in eodem formaliter numero subiecto. Maior patet ex terminis. Minor prob. in primis quantùm ad primam partem, quia si ex se subiectum potens esset ad recipienda plura solo numero distincta accidentia, connaturaliter illa reciperet. Sed huic contradicit experientia, quis enim vidit vnquam duas albedines numero solo distinctas in eodem numero pariete, &c. Ergo. Sequela prob., quia potentia respiciens, & potens ex se recipere actum, habet commensurationem omnimodam cum illo; aliàs non esset ex se receptiua ipsius. Sed potentia respiciens, & recipiens actum sibi omninò commensuratum, connaturaliter recipit illum. Ergo, &c. Quantùm verò ad secundam partem eadẽ minor primi argumenti probatur sic. Illud, quod ab extrinseco per potẽtiam Dei communicaretur subiecto, in ordine ad recipienda accidentia, non esset ipsamet entitas subiecti recipientis accidẽtia, sed quid distinctum realiter ab ipsa, vtpotè ab extrinseco adueniens. Ergo nullam vim conferret subiecto ad recipienda accidentia; sicque esset quid frustraneum. Consequ. prob. Subiectum in genere causæ materialis, sicut & forma in genere causæ formalis, non causat, seu non recipit suum effectum, nisi per exhibitionem propriæ, & intrinsecæ entitatis. Ergo quidquid non pertinet ad intrinsecam ipsius entitatem, non auget vim receptiuam ipsius; cùm nequeat, vt tale, esse exhibitio propriæ, & intrinsecæ entitatis eiusdem. Sed illud, quod ab extrinseco, à Deo scilicet, communicaretur, non esset pertinens ad intrinsecam entitatem subiecti, sed potiùs ab illa distinctum, vt patet ex anteced. Ergo etiam non esset conferens aliquam vim ipsi ad recipienda accidentia.

Secundò probatur Conclusio.

Si accidentia duo, solo numero distincta reciperentur in eodem numero subiecto, essent duo, & non essent duo. Sed hoc repugnat, Ergo, & illud ex quo sequitur. Minor patet. Maior prob. Essent duo, vt supponitur, non essent duo: probatur sic. Habentia vnũ & idem principium vnitatis numericæ, non sunt duo, sed vnum; cùm principium vnitatis numericæ non causet vnitatem illam, aut indiuiduationem per aliquid à se distinctum, vt causa efficiens, sed per exhibitionem propriæ entitatis, & ita, sicut illud est vnum, sic etiam vnum ponit effectum, qui est cõmunicatio suæ entitatis indiuisæ, effectui à se causato. Sed duo accidentia recepta in vno eodemque numero subiecto, habent vnum, & idem principiũ suæ vnitatis numericæ; subiectum scilicet illud, in quo reciperentur; cùm, hoc esse principium indiuiduationis accidentium, supra ostensum sit. Ergo non essent duo, sed vnum.

Dices. Ergo ad minus duo accidentia connaturalia duobus distinctis subiectis v. g. duæ albedines, quarum vna sit connaturalis Paulo, alia Petro, saltim supernaturaliter poterunt poni in eodem subiecto, v. g. Ioanne; quia hic, iam non esset connaturale ipsorũ subiectum, sed alia, à quibus indiuiduarentur; proinde non repugnaret in ipso huiusmodi albedines solo numero distinctas recipi. Verum contrà sic arguo. Illa duo accidentia, solo numero distincta, sunt extra sphærã obiecti adæquati subiecti certi, v.g. Ioannis, recipientis accidentia in genere causæ materialis. Ergo nec supernaturaliter illa posset recipere. Consequ. patet; quia inter causam, & eius obiectum adæquatum est essentialis commensuratio, ita vt si exiret causa extra obiectum suum adæquatum in causando, amitteret huiusmodi essentialem commensurationem. Sed essentialia in rebus, nec supernaturaliter à rebus possunt tolli, quin tollantur, & res ipsæ; hoc enim implicantia inuoluit, quæ sunt extra sphæram omnipotẽtiæ Dei. Ergò si recensita duo accidẽtia sunt extra sphæram obiecti adæquati determinati subiecti v. g. Ioannis, nec supernaturaliter illa poterit recipere. Antecedens autem probatur; Nam, vt nost. Complut. in Phys. Disp. 15. q. 4. docent, quæuis causa efficiens, hęc numero, non respicit, nisi seriem horum numero indiuiduorum, ita vt series aliorum numero indiuiduorum sit extra spharam obiecti adæquati ipsius, proinde ex illa nullum iudiuiduum valet producere, sic etiam quoduis subiectum determinatum *hoc* numero, non nisi seriem determinatorum indiuidualiter accidentium respiciet, tanquàm proprium, & adæquatum obiectum. Sed illa duo numero accidentia à distinctis numero subiectis indiuiduata, nõ sunt intra seriem indiuiduorum accidentium inspectorum ab hoc numero subiecto, alias non inspi-

cerentur ab alio, vt sibi connaturali. Ergò erunt extra sphæram obiecti adæquati ipsius.

Soluuntur Argumenta contraria.

Obijcitur primò. Species repræsentantes duo alba, solo numero distincta, sunt etiam solo numero distinctæ, & tamen possunt in eodem oculo, vel Phantasia recipi; similiter dùm intellectus cognoscit duo indiuidua, v.g. Petrum, & Paulum, cognoscit per intellectiones solo numero diuersas, vtpotè cognoscens obiecta, solo numero distincta, quæ in ipso eodem numero recipiuntur. Ergò possunt duo accidentia, solo numero distincta, in eodem numero subiecto recipi.

Resp. negando, species repræsentantes, v.g. duo alba, distingui solo numero, distinguuntur enim specie. Cuius ratio est; nam species huius, v.g. numero albi habet essentialem commensurationem cum illo in esse repræsentatiuo, & ideò obiectum hoc numero habet rationem formalem specificatiuam respectu talis speciei: cum autem distincta ex obiectis formalibus distinguantur specificè, sequitur, quòd vna species repræsentatiua huius numero albi debeat etiam distingui specie ab alia repræsentatiua alterius numero albi: Vnde licet duo alba illa, *in esse rei*, sint eiusdem speciei, *in esse* nihilominùs *Obiecti* sensibilis, distinguuntur specie, cùm terminent in sua specie sensationem, non secundùm omnimodam conuenientiam, quam habent in vna natura, sed secundùm vltimã etiam, & athomam suam rationẽ indiuidualem, quam essentialiter debet repræsentare species, & propter hoc albedo *hæc* numero, in esse obiecti sensibilis, vt scilicet est in sua specie, non potest esse eiusdem speciei cum alia albedine numero; Conuenientia siquidem specifica excludit disconuenientiam, quæ sit alicui inferiori essentialis: cùm autẽ essentialiter obiecta dicta in suis speciebus includant disconuenientiam, vtpotè secundùm athomam etiam suam differentiam repræsentata, sequitur, quòd in esse obiecti sensibilis, & in specie repræsentatiua, nequeant esse eiusdem speciei duo obiecta; in esse rei solo numero distincta. Similiter ad illas intellectiones, cognoscentes duo indiuidua, dicendum est, eas esse specie distinctas, & non solo numero; nam vel fiunt medijs speciebus essentialiter, & realiter distinctis, vel media vna realiter, multiplici autem eminenter, proindè secundùm diuersam formaliter rationem specificante intellectiones, vt subtiliter ostendunt nostri Salmat. loco supra citato.

Obijcitur secundò. Possunt duo ignes applicari circa idem v.g. lignum. Ergò iam tùnc duo calores, solo numero distincti, recipiẽtur, in eodem numero subiecto; quia ab agentibus, solo numero distinctis, non procedunt, nisi so-

lo numero distincti effectus.

Resp. dist. Conseq. reciperentur in eodem subiecto, & eadem parte ipsius; Negatur, in diuersis partibus, Conceditur conseq; Quòd si ità applicarentur, vt in eandem deberēt agere, tùnc si essent æqualis virtutis, neuter ageret in illam, sed se mutuo impedirent, si verò vnus alterum excederet in actiuitate, ille solus, qui superaret debilius agens, ageret, & non aliud, de quo vide nost. Complut. in Phys. disp. 15. q. 3. Vbi tamen aduertendum est, subiectum posse simùl recipere plura accidentia, specie distincta, secùs autem solo numero, cuius ratio assignata est in præsuppositis huius disput. quæst. 1. Sed

Instabis. Potest accidens semel corruptū supernaturaliter recipi in subiecto, in quo antea fuit, v.g. albedo corrupta, altera albedine, à tali subiecto indiuiduata, remanente, & in existente eidem. Sed in tali casu duæ albedines, solo numero distinctæ, inuenientur in subiecto. Ergo saltim supernaturaliter duo accidentia, solo numero distincta, poterunt esse simul in eodem numero subiecto. Anteced. patet, quia *hic* numero visus, v.g. *huic* numero subiecto, semel destructus, potest restitui supernaturaliter, & in illo recipi, vt tot miracula experimentaliter docent. Ergo similiter, &c.

Resp. negando maiorem, ad cuius probat. concesso anteced. neganda est consequ. Ratio disparitatis est, quia subiectum visus, respectu illius, aliàs restituti, potest habere rationem subiecti formaliter, & ita capacitatem debitam ad illum recipiendum, potest siquidem connotare hoc numero tempus, aliàs preteritum, per cuius connotationem redditur hoc numero subiectum in ratione subiecti formaliter huius numero accidentis: quòd autem talis connotatio sit sufficiens, patet ex eo, quòd tempus ad indiuiduationem non concurrat, quia præteritum, vel futurum (aliàs, dùm est præsens, non posset concurrere ad illam,) sed influit secundùm illam numero entitatem, quæ alias est præterita, & aliquādo fuit præsens, vti patet in visu habito, & extincto, at verò subiectum, habens rationem subiecti formaliter talis, respectu huius numero accidentis, quod actu habet, v. g. albedinis, connotando hoc numero tempus, quod est præsens, non potest habere rationem subiecti formaliter talis, respectu alterius numero albedinis, v. g. ita vt manens idem in esse *rei*, & entis, sit multiplex in esse subiecti formaliter, connotando scilicet simul diuersa numero tempora præsens, ratione cuius habeat actu hanc numero albedinem, & aliàs præteritum, ratione, cuius semel amissam, supernaturaliter denuò recipiat, existente alia numero iam habita albedine. Ratio autem huius hæc est, quia quòd vnum, & idem prorsus subiectum in esse entis, connotet simul diuersa tempora, &

& ita fiat multiplex in ratione subiecti formaliter, excedit naturalem virtutem eius; si enim non excederet, posset idem subiectum in esse rei, naturaliter habendo calorem vt sex, ratione connotationis huius numero temporis, per connotationem alterius numero temporis, simul recipere alium vt sex, quod tamen fieri non potest; cùm subiectum in actu respectu caloris, vt sex iàm non est amplius in potentia ad calorem vt sex, prout docēt nost. Complut. de Generat. disp. 8. n. 5.

Deindè prædicto subiecto vni in esse entis, nil potest addi etiam supernaturaliter, per quod fiat idoneum ad connotanda simul diuersa tempora, & ita efficiatur multiplex in ratione subiecti formaliter, quia istam connotationem exercere non potest subiectum, nisi ratione suæ entitatis naturalis; per id enim debet connotare, & fieri multiplex in ratione subiecti formaliter, per quòd est radix indiuiduationis: hoc autem est sua entitas naturalis, vt ex ratione fundamentali patet. Cùm ergo quidquid superadderetur subiecto dicto etiam supernaturaliter, non posset esse naturalis, & intrinseca entitas ipsius; consequens est, quòd nihil ei posset addi, per quod redderetur idoneum ad connotanda simul diuersa tempora, ac per consequens, ad hoc, quod posset fieri multiplex in ratione subiecti formaliter.

DISPVTATIO QVINTA:

De Subsistentia, & Supposito.

SI quidem Subsistētia priùs aduenit naturæ, quàm existentia, vt probabitur infrà, redditq; essentiam capacem existentiæ, ideo priùs de Subsistentia, quàm de existentia agemus.

QVAESTIO I.

Quid significent, & in quo differant hæc nomina: Subsistentia, Suppositum, Res Naturæ, subsistens, Hypostasis, Persona, & prima Substantia.

ANte alias grauiores, quæ in hac materia occurrent quęstiones, primo intelligenda sunt hæc nomina, quibus communiter Philosophi, & Theologi de Subsistentia, & Supposito tractantes, vtuntur, incipiendo ergo à Subsistentia.

Dico, quòd Subsistētia est forma, constituens suppositum, sicut albedo est forma, constituens album: Suppositum autem significat compositum ex natura, & subsistentia; ex quo habes, subsistentiam significare illud, quod ad-

additur naturæ, vt sit subsistens, fiatque suppositum.

Quòd, vt radicitùs percipias, finge duo spatia, vnum pro corporibus locabilibus, aliud pro essentijs possibilibus, & ex proportione vnius ad aliud naturam, & quidditatem subsistentiæ rudi nunc minerua, & velut præambulum ad sequentes quæstiones accipe.

Primò ergo aduerte, quod sicut in spatio corporum locabiliũ, quod primum post nihilum extẽsionis sequitur, est punctum, nihil quidem, & ipsum habens extensionis in se, sed est positiuum principium ipsius, à quo si recedas, nisi in non extensum simpliciter accedas, debes per aliquam extensionem accedere ad supremum locum, nempè ad superficiem conuexam cœli; ita in spatio essentiarum possibilium, primum, quòd ex nihili sinu emergit, est materia prima, nihil & ipsa, habens actualitatis in se: sed tamen principium receptiuũ actus, à quo si recedas, nisi in nihilum accedas, debes per aliquam actualitatem accedere ad primum actum, qui est Deus, & sicut in primo spatio, quo magis ab illo positiuo nihilo extensionis, nempè puncto, recedis, tantò plùs extensionis habes, magisque accedis ad supremum locum: ita & in secundo, quò magis ab illo positiuo nihilo actualitatis, nempè à materia prima recedis, tantò plus habes de actualitate, magisque actui primo appropinquas.

Secundò aduerte, quòd sicut in primo spatio quidquid extensum additur primæ extensioni, qua à positiuo in extenso recessisti, facit extensius, ita quidquid actualitatis essentialis additur primæ, qua à positiuo nihilo actus abijsti, facit super materiam eleuatius, & primò actui proximiùs, v. g. per gradum corporis recedis à potentialitate pura materiæ: quotquot ergo gradus corpori superaddideris v. g. viuentis, sentientis, hominis, tot passibus à materia recedes, & ad primum actum accedes; hinc in hominibus, (vtpotè inter creaturas materiales eleuatioribus,) supra materiam videtur imago Dei, cùm in alijs creaturis vix vestigium ipsius appareat.

Tertiò aduerte, quod sicut in quantitatibus non solùm inuenitur purum nihilum vlterioris extensionis, sed insuper positiuum aliquod, terminans illas, in quo negatio vlterioris extẽsionis fundatur: ità, & in terminatione essentiarum non solùm inuenitur purum nihilum vlterioris actualitatis, sed etiam positiuum aliquid, terminans intrinsecè naturas, & hoc vocamus Subsistentiam.

Quartò aduerte, quòd cùm terminus, qua talis, debeat carere latitudine, proindeque esse indiuisibilis, sicut in quantitatibus punctum, quod est terminus positiuus lineæ, nõ est pars lineæ, cùm omnis pars lineæ sit diuisibilis, punctum autem indiuisibile, ita subsistentia, quæ est terminus naturæ,

turæ, debet distingui necessariò à natura etiam singulari; quæuis enim actualitas essentiæ, quãtùmuis vltima, & minima, sicut constituit illam magis eleuatam supra potentialitatem materiæ, ita aliquam latitudinem dicere debet; indiuisibile autem additum alicui, non constituit magis cùm ipso.

Quintò aduerte, quòd quamuis actualitas essentiæ tanta cum negatione vlterioris actualitatis, determinet huic essentię hanc potiùs existentiam, quàm aliam: nihilominus nõdùm intelligitur subiectum existentiæ omninò determinatum, & completum, donec resultet subsistentia, talem essentiam positiuè terminans, & complens; per quam determinatur essentia simpliciter, & quasi in facto esse *hæc*, & non alia, *huius*, & non alterius existentiæ capax, sicut à simili; quamuis quantitas tanta cum negatione vlterioris extensionis determinet sibi hanc vbicationem, & non aliam; nihilòminus non intelligitur adhuc subiectum vbicationis omninò immediatum, & completum, donec resultet superficies, extensionem illam positiuè terminans, & complens, & ratio vtriusq; est eadem, quia sicut vbicatio respectu corporis locabilis, ita existentia respectu naturæ est terminus extrinsecus, ideòque vtrumque terminatum intrinsecæ supponit.

Ex quibus habes explicatum, quid nomen *subsistentiæ*, significet, nimirùm terminum illum intrinsecum, complentem naturam in ordine substantiali, ratione cuius naturæ habet, quòd sit subsistens, & immediatè capax existentiæ: non omnes tamen hæc omnia tribuunt subsistentiæ; nam qui tenent, illam non distingui ab existentia, negabunt, illam reddere naturam capacem existẽtiæ; similiter, & illi, qui existentiam ab essentia non distinguunt; eo enim ipso debent dicere potiùs subsistentiam in existentia recipi, quam è contrà.

Tandem illi, qui subsistentiam in negatiuo constituunt, negabunt consequenter, illam esse terminum intrinsecum: sed nos hic nomen subsistentiæ, prout à nobis sumitur, explicuimus: In hoc tamen omnes conueniunt, illam esse *vltimum terminum, naturam reddentem ipsam omninò incommunicabilem*: quod qualiter verum sit, infrà patebit.

Iam verò cætera nomina, videlicet *Hypostasis, Prima substantia, Res naturæ, Persona, Subsistens*, eãdem prorsus rem significãt, quam, & *Suppositum*, tantumque in modo significandi discriminantur; quod optimè explicuit Angelicus Doctor 1. p. q. 29. ar. 2. in C: *Dicendum est, quòd secundùm Philosophum in 5. Metaph. substantia dicitur dupliciter. Vno modo dicitur substantia quidditas rei, quam significat definitio, secundùm quod dicimus, quòd definitio significat substantiam rei, quam quidem substantiam Græci vsiam vocant, quod nos essentiam dicere possumus: Alio modo*

do dicitur substantia subiectum, vel suppositum, quod subsistit in genere substantiæ; & hoc quidem communiter accipiendo nominari potest, & nomine significante intentionem, & sic dicitur suppositum; nominatur etiam tribus nominibus significantibus rem: quidem sunt Res Naturæ, Subsistentia, & Hypostasis, secundùm triplicem considerationem Substantiæ sic dictæ: Secundum enim, quòd per se existit, & non in alio, vocatur subsistentia; Illa enim subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existit. Secundùm verò quod supponitur alicui naturæ communi, sic dicitur Res Naturæ, sicut hic homo est res Naturæ humanæ: Secundum verò quòd supponitur accidentibus, dicitur Hypostasis, vel substantia: quòd autem hæc tria nomina significant communiter in toto genere substantiarum, hoc nomen Persona, significat in genere rationalium substantiarum. Hucusque S. Doctor, ex cuius mente habes primò, Suppositum à reliquis nominibus differre, quod sit nomen, significans *intentionem*; alia autem nomina *rem* significant, quamuis, vt aduertit Nazarius in Commentarijs huius Articuli. Iam videtur vsu acceptũ, vt ly, *Suppositum*, etiam ad diuina transferatur, ac per consequens iam, ex communi Thologorum vsu, Rem significat in natura diuina subsistentem. Secundò habes, substantiam dici à per se existendo, seù subsistendo; dici verò *Rem naturæ*, secundùm quòd supponitur alicui naturæ, seù in quantum est quid habens naturam, quod est proprium suppositi; Iam verò dici *hypostasim*, vt substat accidentibus.

Aduertendum est autem hic; quòd cùm nomen, *suppositum*, non quidem, vt hic à S. Tho. pro nomine intentionis sumitur, sed, vt iam ex communi Scholarum vsu, est nomen *rei*, aliud significare non possit, quàm quod sub alijs est positum, vt ipsum ethymon vocis indicat, erit vtique synonimum cum hypostasi. Vnde etiam, vt aduertit Vasquez in 1. p. disput. 124. cap. 2. nomen græcum, *hypostasis*, si de verbo ad verbum latinè reddere velis, idem significat, quod *subsistentia*, seù substantia sub alio posita, quod propriè competit supposito, vt iam dixi; immò subsistens, quod significat, sub alio sistens, erit cum hypostasi, & supposito synonimum: Quod si ly, *sub alio*, ampliaueris, vt indifferenter accipiatur, siue sub alio, vt sub essentia, vel sub alio, vt sub accidenti, iam *Res naturæ* symbolizabit cum istis nominibus, quia talis dicitur, quia supponitur alicui naturæ; & ipsa deniq; substantia, si ad secundarium ipsius significatum attendas, quod est substare accidentibus, cum istis nominibus confundetur. Tenenda tamen est differentia horum nominum à S. Tho. assignata, & quamuis nos indifferenter his nominibus vtemur, loquemurque cum pluribus, sentiemus tamen cum paucioribus. Habes ergo ex S. Tho: hæc nomina, *Prima substãtia*

Hy-

Hypostasis, & *Res naturæ*, rem eandem, sed diuerso modo significare: Habes ex eodem S. Doctore, *suppositum* ab eis nominibus differre, sicut nomen primæ, & secundæ intentionis, eandem rem significantia, v. g. sicut differunt ly, animal, & ly, genus, ad hominem, & equum. Habes ex eodem, *substantiam*, & *subsistens* esse synonima; vndè in authoritate, vt probet; substantiam significare per se existens, assumit ad probandum; *Quia illa subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt.* Ex quo patet, apud illum omninò idem esse substãtiam, & subsistens: Habes tandem ex eodem Angelico Magistro, quòd nomen *Personæ* differat à reliquis, sicut speciale à communibus; quod enim alia nomina significant in toto genere substantiæ, hoc significat *Persona* in genere rationalium substantiarum; Subsistens enim in rationali natura est Persona: Vndè etiam Persona à Boetio definitur, communiterq; ab omnibus hæc ipsius definitio recipitur, quòd sit rationalis naturæ indiuidua substantia.

Obseruandum tamen est, hæc, quæ de differentia horum nominum dicta sunt, tantùm in creatis verificari posse, nàm in diuinis illa verificari non possunt, v. g. quòd hypostasis dicatur, in quantùm substat accidentibus; in diuinis enim sunt veræ hypostases, quamuis nulla ibi sint accidentia, quibus substent; Vndè, licet a substãdo accidentibus hæc vox, *hypostasis*, sit sumpta, in diuinis tamen non significabit id, à quo ipsius significatio desumitur, quod communiter de nominibus circumfertur, aliud esse in ipsis, à quo illorũ significatio sumitur, & aliud, ad quod significandum imponuntur; Neque enim lapis læsionem pedis significat, quamuis à lædendo pede sit dictus. Vide circa hoc nost. Salmat. de Trinit. Tract. 6. disput. 9. dub. 2. §. 2.

Quia ergò, vt ex discursu supra facto, & ex authoritate S. Tho. habes, suppositum non esse ipsam essentiam, siue naturam, debet aliquid naturæ superaddi, vt sit subsistens, suppositum, prima substantia, Hypostasis, Res naturæ, & in rationalibus, Persona, & hoc additum, quia facit subsistens, erit vtique subsistentia; hinc ad intelligendam naturam subsistentiæ, inquirendum nobis est, quid addat suppositum naturæ? His enim explicatis, natura subsistentiæ, & suppositi patebit. Sit itaque

QVAESTIO II.

Vtrùm Hypostasis, & natura, in rebus creatis distinguantur realiter?

Quia distinctio suppositi à Natura est, velut præambulum ad alias Quęstiones, quę in hac materia tractari solent (hac enim distinctione supposita, cùm

ex communi consensu includentis,& inclusi, patet campus ad inuestigandum,quid addat suppositum supra naturam, ratione cuius distinguitur ab ipsa) ideò nostras de subsistentia, & supposito quæstiones ab hac incipimus, vt cognita priùs distinctione, ipsum postmodum distinctiuum,quid, & quale sit, faciliùs inueniatur. Loquimur autē de natura indiuidua, & singulari, quæ à Metaphysicis solet dici forma totius,vt est *hæc humanitas* respectu personæ Petri, ista enim sola est susceptiua subsistentiæ,potestq;proximè fieri suppositum;nàm vniuersaliá, sicut nō existunt,ità neque subsistunt,cùm, (vt ex infra dicendis constabit,& quæstione præcedenti aliquid innuimus) natura subsistens sit immediatè capax existentiæ.

§. I. *Opinio Scoti, & D. Thomæ cum suis probationibus, & replicis refertur.*

Est ergo prima opionio asserens, suppositum sola ratione distingui à natura, ex modo scilicet concipiendi nostro, in quantùm idem realiter concipimus in concreto,& in abstracto, & sic eadem humanitas, in abstracto concepta,est natura,concepta verò in concreto, est suppositum: Ita Durandus in 1. dist.34.q.1. & Henr.quodlib.4. q.4.& vt aduertit P. Suarez, fortè omnes Philosophi antiqui, qui nostræ fidei mysteria ignorarunt,in hac fuerūt sententia. In contrarium tamen est S. Thomæ, communi omnium Philosophorum, Theologorumq; calculo recepta, sententia, cum qua

Dicimus, quòd suppositum,& natura in rebus creatis distinguantur realiter. Hanc esse mentem S.Thomæ,patebit inferiùs ex ipsius authoritatibus,quibus ostēdemus,illum docuisse,suppositum addere naturæ aliquid positiuum.

Probatur primò nostra Conclusio ratione desumpta ex mysterio Incarnationis, (quod nobis viam primò aperuit ad distinguendam subsistentiam à natura.) Quorum vnum potest esse, non existente alio,illa distinguuntur realiter,(abstrahēdo pro nunc de modo distinctionis realis, de quo infra).Sed suppositum,& natura adhùc indiuidua ita se habent.Ergò distinguuntur realiter. Maior patet,cùm nullum sit signū euidentius distinctionis realis, quàm separatio realis, fundaturque hoc in illa maxima; *Impossibile est idem simul esse, & non esse.* Minor autem est de fide,quia in Christo est natura humana singularis,non enim assumpsit naturam in communi, cùm hæc non sit à parte rei,sed in intellectu tantùm, vt inquit S. Tho. 3.p.q.4.a.4. in argumento; Sed contra ex Damasceno;& tamen ibi non est suppositum humanum ,aliàs in Christo fuisset duplex Persona, qui fuit error Nestorij,iam pridem ab Ecclesia damnatus. Ergo &c.

Con-

Digitized by Google

Confirmatur. Hæc humanitas, quæ est in Christo, est singularis natura creata, & non est suppositum, & si dimitteretur à Verbo, esset suppositum, vt communiter docent Theologi.] Ergo aliquid ei nunc deest, quod illi tunc adderetur, vt esset suppositum. Si enim illi nihil adderetur, maneret, sicut antea. Ergo sicut antea non erat suppositum, ita & post. Addit ergò suppositum aliquid supra naturam. Ergo suppositum dicit naturam, & aliquid amplius. Ergo distinguitur à natura per modum includentis, & inclusi. Ergo realiter, quia, vt infra patebit, illud superadditum debet esse aliquid reale.

Respondet Durandus, Humanitatem Christi non dici suppositum, non ex eo, quod illi aliquid desit, sed potiùs, quia habet aliquid, ratione cuius non potest esse suppositum, & hoc aliquid est esse in Verbo, tanquàm forma in supposito: quod quidem tollit rationem suppositi, nàm hoc petit esse per se.

Sed quia in hac solutione videtur Durandus in sententiam Scoti declinare, qui dicit, suppositum addere supra naturam negationem essendi in alio actu, vel aptitudine, ideò commodiùs simùl cum opinione Scoti impugnabitur.

Secundò in fauorem Durandi posset satis apparenter huic nostræ rationi, & confirmationi respondéri, concedendo quidem esse subsistentiam creatam in Humanitate Christi, vtpotè omninò indistinctam à natura humana, quę ibi est integra, negando verò, subsistentiam esse assumptam, quamuis enim idem sit natura, & subsistentia, tamen ex modo significandi differunt, ratione cuius vna est assumptibilis, altera non. Et possent hoc confirmare exemplo ipsius Personalitatis Verbi, quæ est omninò eadē cum Natura diuina, & tamen ex eo, quia subsistentia, seù Personalitas, qua talis formaliter, est assumptiua, Natura verò, qua natura, non est assumptiua, verissimè, & Catholicè dicitur, Naturam humanam esse assumptam, non à Natura, sed à Persona Diuina; Ita ergo & de assumptibili dicendum est; quia natura, ex conceptu naturæ, est assumptibilis, & terminabilis, fuit assumpta, & terminata, secùs suppositum, vel persona, propter oppositam rationem: Similiter ob eandem identitatem subsistentiæ, & naturæ, cōcesso, in Christo fuisse, sicùt naturam, ita & subsistentiam humanam, possent negare, esse ibi suppositum creatū, quia ibi est quidem subsistentia creata, sed non exercet munus subsistentiæ, quia ipsius exercitium fuit diuinitus impeditum: Vnde erit quidem ibi, vt terminatiua, non autem, vt terminans naturam, ac per consequens erit materialiter, non verò formaliter in ratione subsistentiæ: Et possunt hoc vrgere, tùm exemplo materiæ primæ in composito humano, quæ habet quidem vim substentati-

Digitized by Google

uam formarum,tamen ibi illam non exercet, quia anima humana est forma per se subsistens; tùm exemplo quantitatis Eucharisticæ, in qua est vis inhærendi,non tamen exercitium huius virtutis, ex supernaturali dispensatione Dei. Sed

Contra;Nàm ista solutio, quot sententias tot falsitates continet. In primis enim dùm cōcedit fuisse in Christo subsistentiam creatam, consequenter quidem ad sua principia loquitur, non tamen conformiter ad doctrinam Patrum, & Conciliorum, immò etiã ad principia fidei. Singula ostendo; nàm Patres, & Concilia, vt ex illorum authoritatibus deducit Albertinus Tomo 2.disp. 3. q. 7. n.11. constanter asserunt, in Verbo Incarnato non esse subsistentiam creatam, quæ propositio directè contradicit Aduersariorum propositioni: Deinde dicunt,Verbum supplere creatam subsistentiam. Ergo non est, si suppletur à Verbo. Insuper dicunt, Verbum non assumpsisse, sed consumpsisse personam creatam. Ergò consumpsit & ipsum cōstitutiuum personæ, nempè subsistentiam. Iam verò illud dictum non cohærere cum fidei principijs, sic deduco: Suppositum, vel personam creatam in Christo non fuisse, certum est secundùm fidem. Sed ex hac doctrina Aduersariorum euidenter sequitur,fuisse in Christo suppositum creatum, vbi enim inuenio naturam cum subsistentia, ibi inuenio suppositum,& si fuerit in natura rationali, qualis est Christi,inuenio personam. Ergo si cōcedis in Christo subsistentiam creatam, argumentando à definitione ad definitum,infero ibi personam fuisse, quia Persona nihil est aliud, quàm *rationalis naturæ induidua substantia*, quæ,in esse talis, (vt omnes, & ipse Durandus, & Henr. concedunt)per subsistentiam constituitur. Fortè recurrent Aduersarij ad illud, quod vltimò dicunt, esse ibi subsistentiam,sed nō exercere munus subsistentiæ. Sed istud quàm facile ab illis dicitur, tàm difficulter quomodò esse possit, intelligitur, vt infra patebit, dùm hoc ipsorũ assertum impugnabitur.

Deinde id, quod dicunt,(illam subsistentiam non esse assumptã, quia licet sit idem realiter cum natura, tamen ex modo significandi differt ab illa ratione) subsistere non potest;Nam in primis

Argumētor cōtrà primò:Quòd fit realiter, non variatur per præcisiones, vel apprehensiones intellectus, cùm hæ non immutent naturas rerum, nihilque ponant in rebus. Ergo si abstractum illud humanitatis est idem omninò realiter cum concreto ipsius, nimirùm cũ supposito, quidquid competit realiter, & antecedenter ad omnem operationē intellectus vni, competit & alteri.Sed realiter,& ante omnem operationem intellectus fuit assumpta ad vnionem hypostaticam Humanitas. Ergo & suppositum humanum,si idem est realiter cum ipsa,

Argu-

Digitized by Google

Argumentor contra secundò, & simul ostendo, exemplum de Natura Diuina non solùm non iuuare Durandum, sed potiùs cõtra ipsum esse: Nàm licet concedam, quòd ex identitate reali admittente distinctionem rationis sequatur, vt quod formalissimè enunciatur de vno, non enuncietur sub illa formalitate de alio, vt rectè probat exemplum allatum de Persona Filij, & Natura, vbi Persona terminat, & assumit Humanitatem, non verò Natura Diuina; realiter tamen, & identicè, quod competit vni competit, & alteri, vnde licet Natura Diuina non fuerit immediatè vnita Naturæ humanæ, tamen mediatè, & ratione suppositi Verbi, cùm quo identificatur, realiter fuit; vnde Christus fuit subsistens in duplici natura, humana videlicet, & Diuina, vnde illa omnia, quæ competunt naturæ, in Christo duplicantur, vt definiuit Ecclesia contra Euthichetem, & Monotolitas hæreticos.

Vnde arguo ab exemplo Aduersariorum contra ipsos. Identitas realis inter suppositum Verbi, & Naturam Diuinam fecit, vt in Christo quamuis non Natura Diuina, sed suppositum Verbi formaliter terminauerit Naturam humanam, tamen ratione Verbi assumentis fuit in Christo Natura Diuina. Ergo etiam identitas realis, quæ est inter suppositum, & naturam creatam, fecit, vt assumpta natura, assumeretur suppositum, quamuis suppositum non ratione sui formaliter, sed ratione naturæ assumeretur.

Illam verò subtilitatem, qua dicitur, esse ibi subsistentiam, sed non exercere munus subsistentiæ, fateor, me intelligere non posse; nàm cùm ibi natura sit sub exercitio naturæ, quæro, an illi naturæ desit aliquid, quo posito, erit in exercitio subsistendi, vel nihil deest? Si deest aliquid: quæro rursus, sit ne reale, vel rationis? Si reale, habeo intentum; iam enim suppositum, vt exerceat rationem suppositi, si reale aliquid naturæ superaddit, distinguetur realiter ab ipsa, nimirum distinctione includentis, & inclusi: Additio autem rationis nihil valet ad propositum, quia nihil ponit, vel tollit à rebus; Si autem dixeris, quòd nihil deest. Ergo sicùt natura est ibi sub conceptu, & in exercitio naturæ, ita erit sub conceptu, & exercitio suppositi, cùm illi ad tale exercitium nihil desit.

Deinde laxemus habenas intellectui, & excogitemus omnia, fingendo omnem modum possibilem, quo posset esse ibi subsistentia, non tamen exercere munus subsistentiæ, supposito, quòd non distinguatur vllo modo realiter à natura.

Nàm in primis, quod in argumento innuitur, Deum impedire, ne exerceat, subsistere non potest; nam licet Deus possit impedire, ne aliquid distinctum ab aliquo, quod Deus vult esse, non subsequatur ad illud, etiamsi aliàs

natu-

naturaliter subsequi deberet; vt v. g. ne sequatur illuminatio solem, calor ignem, passio essentiam,& similia; tamen non potest facere, neque impedire, ne sit, quod ille vult esse; v. g. si vult,esse ignem, non potest facere,vt nō sit ignis, & quidquid est realiter cum igne; quia hoc implicat; impossibile enim est, idem simul esse, & non esse. Ergo cùm idem sit subsistentia cum natura, & in Christo Deus vult, in facto esse, & in exercitio naturam humanā esse, sicut & de facto est, non poterit impedire, ne sit ibi subsistentia sub conceptu, & exercitio subsistentiæ.

Imaginemur adhùc, quòd illud exercitium Persona Verbi assumentis impediuit.

Sed cōtra est: Nā,vel illud exercitiū ponis distinctū quid à parte rei ab essentia, consequensque essentiam, vel non? Si primum: fateor quidem, fuisse impedibile,& à Verbo, & Deo denegante concursum, ne sequatur, sed cùm ex tuis principijs illud exercitium additū naturæ faciat suppositum, (ideò namque in Christo negas fuisse suppositum humanum, quia tale exercitium defuit) Ergò iam suppositum addit reale aliquid supra naturam, ac proindè realiter distinguetur ab ipsa, quòd est contra te. Si verò exercitium subsistentiæ nihil addit supra naturam; Ergo vbi erit natura, erit & exercitium subsistendi. Ergo,quia Verbum non impediuit, ne sit Natura humana in Christo,non impediuit quoque, ne sit exercitium subsistendi.

Recurres fortè ad negationem communicabilitatis, quòd illa pro cōnotato requiratur ad exercitium subsistendi, & ideò cùm hæc fuerit à Verbo sublata, fuit etiam impeditū exercitium subsistendi: Sed quia hoc cùm opinione Scoti coincidit, falsitas istius imaginationis patebit, cùm Scoti sententia impugnabitur.

Imaginemur amplius, & dicamus,illud exercitium taliter fuisse impeditum, quia cùm exercitium subsistendi competat naturę completæ, vltimòque terminatæ, cum Natura humana fuerit Personalitate Verbi præuenta, & terminata, debuit illi aliquod complementum, aliquisque terminus defuisse, quo modo enim terminaretur, si iam fuisset terminata, atque ita ob illius complementi defectum fuit exercitium subsistendi impeditum. Sed

Contra est. Quæro; illud complementum, quod dicis naturæ humanæ defuisse, vel erat aliquid naturæ, vel aliquid distinctum à natura? Si dicas,fuisse aliquid naturæ, parùm sana loqueris, quia Christus naturam humanam in sua tota singulari integritate assumpsit, vt Patres loquuntur, & omnes Theologi docent. Si dicas, esse aliquid distinctum, & ipso naturam terminari, asseris; Nobis faues; Istud enim nos vocamus subsistentiam: Ergo cùm ipsa imaginatio deficiat, nec alium modum excogitare possit,

quo

Digitized by Google

quo saltem apparenter ostendas, quomodo sit illud exercitium impeditum, figmentum planè est, dicere, naturam non distingui à subsistentia realiter, immò nec ab ipso exercitio subsistendi, (vt necessariò Durandus dicere debet, ne contradictoria loquatur, vt ex præsenti discursu patet) & tamen in Christo esse naturam, & subsistentiam humanam, non tamen ipsum exercitium subsistendi.

Neque illa exempla, quæ pro se attulit pars aduersa, aliquid faciunt ad propositū, quia & exercitium sustentandi in materia, & exercitium inhærendi in accidētibus, est quid distinctum à parte rei ab essentijs illorum; Nam & actualis sustentatio est causalitas materiæ, quæ in causis realibus distinguitur, & est separabilis realiter ab illis: Similiter inhærentia actualis, vel est ipsa existentia accidentium, vel saltèm modus consequens naturam illorum, vt in disputatione de existentia accidentium explicabitur, vnde distinguetur ab essentia illorum, vel sicut essentia, & existentia realiter, vel sicut modus à re realiter modaliter, ac proinde non poterit ex his argui ad naturam, & exercitiū subsistendi, quod à natura in sententia Durandi (vt iam ostensum est) distingui non potest.

Deinde principaliter argumētor contra ipsam Durandi opinionem argumento ex eodem ineffabili Incarnationis mysterio desumpto. In omni vnione substantiali, in qua resultat aliquid vnum per se, debet aliquod vnibilium esse quid incompletum, & non plenè ens in actu. Sed vnio Verbi, & Humanitatis est vnio substantialis, ex qua resultat vnū per se. Ergo in illa vnum vnibilium debet esse incompletum, & non perfectè ens in actu. Totū argumentum est clarum: Nam & Maior ex communi Philosophorum, & Minor ex communi Theologorum consensu, admittitur. Consequentia verò est in forma: Tunc sic subsumo: In vnione Humanitatis ad Verbum debuit esse vnum illorum incompletum. Sed hoc de Verbo dici non potest. Ergo fuit Humanitas. Sed illud, quod defuit naturæ, & ob cuius defectum dicebatur incompleta, non potuit esse pars naturæ, Christus enim perfectam naturam assumpsit, vnde in symbolo Athanasij dicitur: *Perfectus Deus, perfectus homo*; Ergo fuit aliquid consequens naturam, & tamen complens illam; Ergo terminus intrinsecus naturæ, qui & non est pars naturæ, vt ex præcedenti quæstione constat, & tamen est aliquid naturæ, sicut punctum terminatiuum non est pars lineæ, est tamen aliquid lineę. Ergo hic terminus est aliquid realiter distinctum à natura: siquidem potuit realiter separari ab illa. Ergo cùm per illum natura constituatur in esse completæ, illud, quod constituit naturam in esse completæ, distinguitur realiter à natura. Ergo cū,

Digitized by Google

ex communi Philosophorum, & Theologorũ acceptione, suppositum dicat naturam completam, suppositum in esse talis constituetur per aliquid distinctum à natura, & per consequens distinguetur ab illa realiter, distinctione nimirùm includentis, & inclusi.

Dices fortè, ideò Naturã humanam assumptam à Verbo fuisse illi substantialiter vnitam, & potuisse facere cum illo vnũ per se, quia illi defuit existentia, sine qua non dicuntur esse res complete in actu.

Sed contra est: Nam, vel in hac solutione supponitur, existentiam intrare ad constitutionem suppositi, siue tanquam aliquod extrinsecum connotatũ, siuè tanquàm intrinsecum ipsius, vel hoc non supponitur: Si primum, quamuis sit suppositum falsum, vt ex infrà dicendis patebit, tamen si ab Authoribus contrariæ sententiæ admittatur, destruit sententiam illorum: Cùm enim existentia in sententia S. Thom: distinguatur realiter ab essentia, vt ex dicendis in disputatione de existentia patebit, iàm constitutiuum suppositi, siue intrinsecum, siue per modum connotati importatum, dicet aliquid realiter, quod non dicit natura, & per consequens distinguetur realiter ab ipsa.

Neq; possunt dicere Aduersarij, quòd existentia ab essentia nõ distinguatur realiter, si admittant, in Humanitate Christi, vbi est essentia integra, non fuisse existentiam. Vnde illi Authores, qui non distinguunt essentiam ab existentia, consequenter ad sua principia docent, Humanitatem Christi existere per propriam existentiam creatam. Si verò non supponunt, existentiam intrare ad constituendum suppositum, hæc responsio non soluit argumentum; Nàm vnio Humanitatis ad Verbum fuit vnio ad subsistendum, vnde communiter, & catholicè hypostatica, seù personalis dicitur; Cùm ergò hæc vnio hypostatica fuerit substantialis, & ex illa consurgat vnum per se, Humanitas, vt præintellecta huic vnioni, debuit esse quid incompletum. Ergo non per defectum existentiæ, quia hæc, ex Aduersariorum confessione, ad constitutionem Personæ nihil facit.

§. 2. *Rationes aliæ pro conclusione nostra afferuntur.*

PRobatur secundò nostra Cõclusio, quia opposita sententia verbis tantum differt ab hæresi Nestorij, immò Nestorius ex eodem Antecedenti, quod Aduersarij admittunt, formalissimè intulit consequentiam, in qua ipsius hæresis consistebat. Ergo illa sententia reijcienda est, & nostra amplectenda. Consequ. patet, & prob. Anteced. quantùm ad vtrãque partem, & primò, quòd verbis tantùm differat ab hæresi Ne-

Digitized by Google

Nestorij, patet. Idem enim totum admittit in Humanitate Christi, quod admittebat; & Nestorius, videlicet naturam, & subsistentiam; & verbis tantùm differt, quia Nestorius illud vocabat subsistens, seù personam, & illi non. Vnde (& hic ostenditur secunda pars Antecedentis) Nestorius faciebat tale enthymema: In Christo est Natura cōpleta cum sua subsistentia; Ergo erat ibi subsistens, seù suppositum, seù, quod idem est in rationali natura, Persona.

Durandus idem Antecedens ponit, & tamen negat Consequentiam. Sed, quàm illegitimè, ostendit sequens argumentum formatum ex illo enthymemate, paululùm quidem terminis immutatis, sed idem significantibus. Rationalis naturæ indiuidua subsistentia, seù substantia, est Persona. Sed Humanitas Christi est rationalis naturæ indiuidua subsistētia. Ergo Humanitas Christi est Persona. Consequentia negari non potest, est enim argumentum in Darij. Maior est definitio Personæ. Minor habetur ex concessis à Durando. Ergo &c.

Probatur tertiò Conclusio, quia ex opposita sententia sequuntur plura absurda: Primò sequeretur, Verbum non esse substantialiter vnitum Humanitati, sed accidentaliter tantùm, sicut, v. g. vestis vnitur homini, & sic non posset Christus, in proprietate sermonis, dici Deus, quod est hæreticum. Sequela probatur. In quo enim substantialiter vniretur, si nihil substantiale deest Humanitati, quod suppleretur a Verbo? Ergo cùm non posset dici Deus ratione vnionis in vna persona duarum naturarum, diceretur tātùm Deus ratione specialis inhabitationis, vel adhæsionis Dei ad illum hominem, sicut dicebat Nestorius, explicans scripturæ loca, quæ Christum vocant Deum.

Secundò sequeretur, Personalitatem Verbi non esse Personalitatem Christi, quà homo. Probatur, quia illa Humanitas haberet propriam personalitatem; Ergo illi repugnat habere aliam; Nam, vt docent Theologi, Natura terminata propria personalitate, non potest terminari aliena, etiam de potentia absoluta.

Tertiò sequeretur, falsas esse illas Theologicas maximas, communi plausu scholarum receptas, & Patribus, vt supra ex Albertino diximus, vsitatas, in quibus dicitur, *Verbum suppleuit, impediuit, præuenit personalitatem creatam Christi*: quomodo enim hæc verificarentur, si Humanitas Christi est ibi cum sua personalitate creata, quæ ab illa distincta non est?

Concludo has probationes aliquibus authoritatibus Patrum, ad quas videat Durandus, quid respondeat: Et primò Damascenus de Fide Orthodoxa C. 3. dicit. *Hoc demùm hæreticos in errorem inducit, quod naturam, & personam idem esse statuunt.* Ducitur ergo in errorem hæreticorum, qui naturam idem statuit esse cum persona, & tantùm ex modo signifi-

candi,in abstracto, & concreto,illas distinguit: Neq; enim etiam hæretici adeò stupidi erant,vt nescirent, humanitatem esse abstractum, & hominem concretum. Deinde idem Damasc.cap.9.eiusdem libri contra illud dictum Durandi,in quo dicebat, esse in Christi Humanitate subsistentiã, seù hypostasim creatam, etsi ibi non exerceat munus hypostasis, contradictorie loquitur. *Quamuis nulla sit natura, quæ hypostasi careat,nec vlla essentia,quę personæ sit expers,(nam & essentia,& natura in hypostasibus, & personis considerantur) at non idcircò necesse est,naturas eas, quę personaliter inter se vnitæ sunt, ità comparatas esse, vt suam vtraq; personam habeat. Potest enim fieri, vt in vnam personam confluentes, nec hypostasim habeat, sed vnam, & eandem; Nam cum vna,& eadem Verbi hypostasis ambarum naturarum hypostasis extiterit, nec vtramq; harum hypostasis expertẽ esse sinit,nec rursus diuersã inter se hypostasim habere concedit.* Vbi aduerte,quòd S. Damasc. de hypostasi, vt contradistinctam à natura loquitur, vt verba ipsa sonant: hypostasis autem à natura contradistincta non significat personam, sed subsistẽtiam, vel personalitatem: Persona enim vtrumq; claudit, naturam videlicet, & subsistentiam. Ergò Damascenus negat in Christo subsistentiam creatam,quam Durandus concedit.

Tandèm S. Epiphanius in 6. Synodo dixit: *Errare Euthychianos nihil aliud intendentes, nisi hypostasis, & naturæ identitatem adstruere.* Et S. Tho: in 3. d.5. q.1. a.1. ex eodem principio errorem Arij, & Sabellij processisse dicit, quia non distinguentes inter naturam,& personam,vnus Naturas cum Personis multiplicauit, alius ex vnitate Naturæ pluralitatem in Deo negauit Personarum; videat ergo Durandus, ne cum errantibus,& ipse erret.

Solent aliqui rationibus philosophicis nostram sententiam confirmare,sed quia leues sunt,& nullius roboris, illas non adduco: Neque video aliquid, quo efficaciter ex principijs naturalibus, vel Durandi sententia impugnari,vel nostra probari possit;Solum enim Incarnationis mysterium hanc nobis distinctionem aperuit, & ideò ex illo solo communitèr ab omnibus probatur;Et quamuis ex hoc mysterio tantùm videatur distinctio personalitatis à natura humana concludi, tamen & in alijs re ipsa concluditur; Tùm ob paritatem rationis; tùm etiam, quia non sola natura humana fuit hypostaticè vnita Verbo, sed etiam natura cadaueris,& sanguinis effusi in triduo mortis, quæ erãt naturæ ab humana diuersæ: Vnde in triduo mortis erat verũ dicere:*hoc cadauer est Deus.* Et,vt communiter docent Theologi, aliæ etiam naturæ sunt assumptibiles; Ergo distinguũtur à supposito; Natura enim cum supposito est inassumptibilis, vt docet D. Tho.3.p. q.quem sequuntur communiter

mu-

muniter Theologi: Et præcipuè de Angelis hoc expresè affirmat S. Thomas 3. p.q.4. art.1. ad tertium, & clarè id constat ex illo loco Pauli ad Hæbreos cap.2.vbi, vt exageraret gratiam factam hominibus per assumptionem Naturæ humanæ, dicit: *Non enim Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit*; Ergo Angelica Natura erat assumptibilis, aliàs nullum esset argumentum Pauli; nàm illi responderetur, quòd Deus homines, & non Angelos apprehendit, quia Angelica Natura non fuit assumptibilis, humana verò fuit. Vnde S. Doctor in 1.d.5.q.1.a.1. absolutè dicit: *Quòd in Creaturis essentia realiter differt à supposito*; Quod,quia sine limitatione dixit, stat pro omnibus.

§. 3. *Argumentis, & varijs instantijs in contrarium respondetur.*

ARgumenta pro contraria sẽtentia pauca sunt, & ferè nullius momenti, præter duo ab authoritate, quæ hic adducentur, & soluentur,cæteris omissis.

Primũ ex authoritate Philosophi 7.Metaph.cap.6.,vbi Philosophus definit; *quòd in his, quæ secundùm accidens dicuntur, aliud est ipsum quod quid erat esse,& vnumquodq; non item in substantijs*:quod est idem,ac dicere, suppositum, & naturam non distingui, cùm in substantijs ipsa natura sit quodquid esse,& suppositum sit vnumquodque habens naturam. Ergo, &c.

Resp. primò cum P. Suar.disp. 34. Metaph. sect.3. n. 20; Philosophum ita sensisse,quia lumine fidei destitutus non habuit principium distinguendi subsistẽtiam à natura, sicut etiam ille credidit, Mundum fuisse ab æterno, quia creationem ignorauit, & inhærentiam actualem esse de essentia accidentium, quia nullum accidens à subiecto separatum viderat, quod nobis Quantitas Eucharistica ostendit; Sicut ergo in his duobus non sequimur sensum Aristotelis, vtpotè fidei contrarium, ita etiam in illo primo.

Resp.secundò,in illo loco Aristotelem non tractasse istam quæstionem,sed longè aliam,& potiùs ibi logicè, quàm metaphysicè de *quod quid erat esse* disputasse, vt patet ex cap.5. vbi se clarè explicat, se per *quod quid erat esse* definitionem intelligere, ac per consequens de quodquid esse logicè tractare, definitio enim ad Logicam pertinet. Agit ergo ibi Aristoteles,vt etiam patet ex cap.10. & 11. de definitione comparata ad definitum, quomodò differãt. Hanc verò quæstionem de distinctione suppositi à natura non attingit. Quam solutionem amplectitur Nazarius 1. p. q. 50. art.2. contr.8. not.2. & Suar. in 1. Metaph. disput. 34. sect. 3. num.20. noster Blasius in sua Metaphysica disp.8.quæst. §.2. Fateor etiam, me ad hanc solutionem inclinasse, attentè enim legendo textum

Philosophi in capitibus citatis ex libro 7., non aliud videbatur docuisse Philosophus. Ne tamen ei adhærerem, feci iudicium Angelici Doctoris, (cuius semper sequi, & exosculari placet vestigia) qui expressè affirmat, Aristotelem in illo loco præsentem quæst. tractasse. Accipe ipsius Sanctiss. Præceptoris verba in Quodlibet. Quodlib. 2. q. 2. art. 4. in corp. *Restat ergo considerandum, cùm suppositum, vel indiuiduum naturale sit compositum ex materia, & forma, vtrùm sit idem essentiæ, vel naturæ?* Ecce nostra quæstio in terminis. Audi iam, quid subiungit Angel. Doct. *Et hanc quæstionem mouet Philosophus in 7. Metaph., vbi inquirit: Vtrùm sit idem vnumquodque, & quod quid est eius: & determinat, quòd in his, quæ dicuntur per se, idem est res, & quod quid est rei, in his autem, quæ dicuntur per accidens, non est idem.* Non potest ergo iuxta mentem Angelici Doctoris hæc secunda solutio subsistere, & ideò tenenda est prima.

Vt tamen sensum Philosophi, quantùm possumus, in saniorem partem trahamus, sequamur in hoc sẽsum eiusdem Angelici Doctoris, qui loco citato sic Philosophum explicat. *Secundùm hoc ergò, quòd cuicumque potest aliquid accidere, quod non sit de ratione suæ naturæ, in eo differt res, & quod quid est, siue suppositum, & natura. Nam in significatione naturę includitur solùm id, quod est de ratione speciei; suppositum autem non solùm habet hæc, quæ ad rationem speciei pertinent, sed etiam alia, quæ ei accidunt; & ideò suppositum significatur per totum, natura autem, siue quidditas, vt pars formalis. In solo autem Deo non inuenitur aliquod accidẽs, præter eius essentiam, quia suum esse est sua essentia, vt dictum est, & ideò in Deo est omninò idem suppositum, & natura. In Angelo autem non est omninò idem, quia aliquid accidit ei præter id, quod est de ratione speciei, quia & ipsum esse Angeli est præter eius essentiam, seu naturam, & alia quædã ei accidunt, quæ omninò pertinẽt ad suppositũ, non autẽ ad naturam.* Ecce ergo, iuxta explicationem S. Thomæ, claram habes Philosophi mentem, quando dixit, quòd in iis, quæ dicuntur per se, est idẽ suppositum, & natura, in his autem, quæ dicuntur per accidens, non est idem. Ibi enim Phylosophus per ly, *per accidens*, non intellexit sola composita accidentalia, quasi in his solùm differant *id, quod est, & quod quid est*, sed ipsas etiam substantias, quibus aliquid potest accidere præter rationem suæ naturæ. Cùm itaque solus Deus sit incapax accidentium, in solo Deo suppositum, & natura non distinguentur, vt infert rectè S. Tho. Ne verò credas, voluntariam esse, & nullo fundamento nixam hanc S. Doctoris expositionem, deduco fundamentum ipsius tali ratione, supponendo priùs ex doctrina nostrorum Complut. in Log. disp. 4. quæst. 3. n. 19. inter alia discrimina, quæ in-

Digitized by Google

intercedunt inter abstracta, & cō-creta, esse hoc, quòd Abstracta denotant formas puras, simplices, impermixtas; Concreta verò significare formas sine præcisione aliarum qualitatum, cum quibus permixtæ sunt. Cuius rationem reddunt ex S.Tho: quia id, quod abstractè significatur, significatur, vt *quo*, aliquid est tale, albedo enim v. g. significat id, quo aliquid est album: cùm autē nihil sit albū, nisi per id, quod pertinet ad rationem albedinis, inde est, huiusmodi abstracta nihil in se alienum habere posse. In concretis oppositum contingit propter oppositam rationem: De quo vide Complutenseses loco citato.

Ex qua doctrina sic arguo pro explicatione S. Thomæ. Esentia, quando sumitur, præcisè vt esentia, sumitur in abstracto: nam dùm quæris; quæ est esentia Petri? nullus Philosophus respondebit, quòd sit homo, sed humanitas; & ideò S.Thomas, vt vides in authoritate, ait, quòd suppositum significatur, vt totum, natura autem, siue quidditas; vt pars formalis. Iam verò, iuxta eorumdem Complutensium doctrinam, abstracta significantur, vt partes, & ideò non prædicantur de concretis, concreta verò, vt tota. Ergo, cùm abstracta debeant esse formæ impermixtæ, & simplices, esentijs nihil accidere potest. Ergo illud, cui aliquid accidere potest, est distinctum ab esentia. Ergo vbi inuenio aliqua alia præter esentiam, in illo debeo distinguere ab esentia habentē essentia simùl alijs. Sed habens est suppositum ex communi Philosophorum sensu. Ergo in omnibus, in quibus est aliquid non pertinens ad rationem essentiæ, debet distingui essentia, & suppositum. Et cum in omnibus creatis hoc inueniatur, in omnibus creatis distinguetur. Ecce habes fundamentaliter deductam Angelici Doctoris in explicādo loco Aristotelico subtilitatem. Addo non solùm ex ratione abstracti, qua nimirùm essentia, cùm sumitur sub conceptu essentiæ, debet sumi in abstracto, sed præcisa etiam abstractione, ex ipso conceptu essentiæ petitur, vt non sit capax alicuius additionis: Quod sic ostendo: Nàm vel illa additio fieret alicuius essentialis, & hoc non, quia per illam essentia mutaretur, & transiret de esentia in esentiam, cùm esentiæ sint, sicut numeri: Vel esset additio alicuius extra esentiam, & hoc nō potest dici, quia, cùm essentia sit id, quo aliquid est tale, vt humanitas est id, quo Petrus est homo, cùm nihil sit homo, nisi per id, quod pertinet ad rationem hominis, essentia hominis, quæ Petrum facit hominem, nihil admittit alienum à se: & sic de alijs esentijs ob paritatem rationis discurre.

Secundum Argumentum ex diuersis authoritatibus S. Thomæ, in quibus videtur Angelicus Doctor tenere, in Angelis non distingui realiter suppositum, & naturam. Ita videtur sentire in 3. di-

stin.

stin.5. quæst. 1. art. 1. in corp. vbi dicit: *Sciendum est ergo, quòd in quibusdam differunt natura, & persona secundùm rem, in quibusdam verò secundùm rationem tantùm. Natura autem, secundùm quòd hìc loquimur, est quidditas rei, quam signat sua definitio: Persona autem est hoc aliquid, quod subsistit in natura illa. In simplicibus autem, quæ carent materia, vt dicit Auicenna, ipsum simplex est sua quidditas, quidditas verò compositi non est ipsum compositum*: Idemque repetit paulò inferiùs dicens: *In simplicibus non differt re natura, & persona, quia natura non recipitur in aliqua materia, per quam indiuiduetur, sed est per se subsistens*. Deinde 1. p. quæst. 3. art. 3. in corp. determinando, quòd Deus sit idem, quod sua essentia, vel natura dicit: *Resp: Dicendum, quòd Deus est idem, quòd sua essentia, vel natura. Ad cuius intellectum sciendum est, quòd in rebus compositis ex materia, & forma necesse est, quòd differat natura, vel essentia, & suppositum, quia essentia, vel natura comprehendit in se illa tantùm, quæ cadunt in definitione speciei*. Et prosequitur rationem, qua finita concludit: *In his igitur, quæ non sunt composita ex materia, & forma, in quibus indiuiduatio non est per materiam indiuidualem, idèst per hanc materiam, sed ipsæ formæ per se indiuiduantur, oportet, quòd ipsæ formæ sint supposita subsistentia; vnde in eis non differt suppositum, & natura: Et sic, cùm Deus non sit compositus ex materia, & forma, vt ostensum est, oportet, quòd Deus sit sua Deitas, sua vita, & quidquid aliud sic Deo prædicatur*. Idemque S. Thom: docet pluribus alijs locis, vt quæst. 9. de pot. ar. 3. ad 4. & Opusc. 37. c. 4. Quę loca ipsius non adduco, quia ex solutione, quam adductis in testimonijs adhibebimus, patebit, quid ad illa dicendum sit. Ergo falsum est, quod nos diximus, in omnibus creatis distingui suppositum, & naturam, cùm iuxta S. Thom: in Angelis non distinguantur.

Ad hunc ergo difficillimum S. Thomæ ex prima parte locum (hunc enim explicare placet, quia, quæ in partibus docuit, cæteris præferenda sunt, & ex huius explicatione, alter ille ex Sentent. explicatus manebit,) ad hunc, inquam, difficilem S. Doct. locũ, sub cuius pondere ipsum acumen Caietani defecit, vt illum commentans dixerit, in Angelis differre suppositum, & naturam, nõ intrinsecè, sed tantùm per aliquid extrinsecum, & in 3. parte qu. 4. ar. 2., vbi idem Caietanus opinionem, quam hìc docuit, emendauit, & asseruit, in Angelis, non minùs, quam in materialibus, suppositum, & naturam distingui intrinsecè ratione subsistentiæ, quæ in ratione suppositi, tanquam constitutiuum ipsius, clauditur, cùm contra hanc suã, & veram opinionem obiecisset hunc locum ex prima parte, nihil aliud ad ipsum potuit responde-

re,

Digitized by Google

re, nisi hæc verba, quæ adduco: *Etiam Auctor*: (*intellige S. Tho.*) *in 1. p. qu. 3. ita indistinctè tractat, & decidit quæstionem de distinctione naturæ, & suppositi. Puto autem in causa fuisse, quòd vsque hodie non fuissent excitata ingenia humana ad perscrutandas subtilitates inter personam, & indiuiduã naturam, nisi mysterium Trinitatis, & Incarnationis ad hoc inuitasset*. Hæc Caietanus minùs sublimiter, quàm par est, de ingenio S. Thomæ: quasi verò illius Angelicum ingenium, dum scriberet Theologiam in partibus, (quod quidem vltimum opus ipsius fuit) nondum fuerat ad perscrutandas huiusmodi difficultates sufficienter excitatum! Ad hunc itaque difficillimũ S. Doct. locum, vt respondeamus, Diuino priùs implorato auxilio, ipsiusq; S. Doct: patrocinio.

Supponendum est primò, ex doctrina ipsius Caietani, quam habet 1. p. circa istum articulum, quòd ly, Deus, potest tripliciter sumi. Primò, vt significat concretum quasi specificum naturæ Diuinæ, id est *habens Deitatem*: Sicut etiam v.g. homo, non determinando ad aliquod indiuiduũ, significat similiter concretum naturæ humanę, idest habens humanitatem. Secundò ly, Deus, potest sumi, vt significat concretum, quasi indiuiduale Naturæ Diuinæ, id est *in habentem Deitatem*, sicut ly, homo, potest supponere pro hoc homine. Tertiò ly, Deus, potest sumi, vt signat suppositum Naturæ Diuinæ, id est *hunc incommunicabiliter habẽtem Deitatem*, seu hanc Personã Diuinam; nam Persona, siue suppositum sine incommunicabilitate intelligi non potest, cùm incommunicabilitas sit de ratione suppositi, vt infrà dicetur.

Nota circa primam acceptionem Dei in suppositione positã, Caietanum loqui de nostro imperfecto modo concipiendi, & fundato in pura distinctione rationis ratiocinatæ, aliás propositio esset parùm sana, cum Essẽtia Dei sit essentialiter singularis, & ideò intentionem vniuersalis, etiam ex modo nostro concipiẽdi, quemadmodum Angelica, subire non potest, vt docent nostri Complut: in Log: loco infra cit.

Supponendum est secundò ex eodem Caietan:, quòd in illo quæsito articuli quando S. Tho: inquirit, vtrùm sit idem Deus, quod sua Essentia vel Natura Ly, Deus, ex illis tribus acceptionibus, non sumitur hic primo modo, quia, vt ex processu articuli patet, ly, Deus, vt hic sumitur, claudit principia indiuiduãtia, (ex eo enim, quòd per se indiuiduetur, concludit S. Tho:, quòd sit sua essentia) iam autem ly, Deus, vt supponens pro concreto quasi specifico, principia indiuiduantia, si non excludit, saltem ex vi suppositionis non exprimit: Neque etiam sumitur modo. Tùm quia hìc nulla fit mentio de Personis. Tùm quia

hic

hic S. Thom: de absolutis tractat, Deus autem, vt incommunicabiliter subsistens, inuoluit relationes. Tùm denique, quia hanc quęstionem de distinctione Essentiæ Diuinæ à Personis tractat inferiùs S. Tho: nimirùm q. 39. ar. 1. vbi quærit; Vtrùm in Diuinis Essentia sit idē, quòd Persona? Et certè; quomodò in hac quæstione poterat S. Tho: per ly, Deum, intelligere *incommunicabiliter subsistentem*, siue *Personam*, qui nondùm determinauerat, an nomen, & ratio Personæ inueniatur in Diuinis; quod S. Doct: vsq; ad quæst. 29. a. 3. determinat. Restat ergò, quòd S. Doctor inquirens in præsenti; Vtrùm sit idem Deus, quod sua Essentia, vel Natura? per ly, Deus, intellexit Deum in secunda acceptione, prout nimirùm significat concretum indiuiduale, idest hūc habentem Deitatem, seu hunc Deum. Et hinc communiter ab Authoribus respondetur, S. Tho:, quando dixit, quòd in simplicibus non differt suppositum, & natura, nomine suppositi, intellexisse materiale suppositi, nimirùm naturam indiuiduam. Quæ explicatio, quamuis vera sit, vt ex dictis constat, non tamen plenè euacuat difficultatem. Neque enim contra nos vrg t id, quod de Deo S. Doct. asserit. Sed quod pro principio ad concludēdum de Deo ex generali ratione substantiarum immaterialium assumit, dicens, quòd in eis non differt suppositum, & natura, in substantijs autem immaterialibus creatis non potuit, sicut in Deo, nomine suppositi indiuiduum intelligere; Nam S. Thomas per ly, *suppositum*, ex vi discursus debuit, non quodcunq; indiuiduum intelligere, sed *indiuiduum habens naturam*. Voluit enim concludere, quòd Deus sit sua Deitas. Deus autem significat habentem Deitatem. Ergo, vt formaliter procederet, debuit, si semel nomine suppositi intellexit indiuiduum, non qualecunq; intelligere, sed illud, quod est *habens naturam*. Iam verò, vt ex mox dicendis constabit, quamuis in Deo possit esse indiuiduum habens naturam, & nō suppositum, in creatis hoc repugnat. Nam ly, indiuiduum *habens naturam*, significat indiuiduum in concreto, quia significat, *quo est*, nempè naturam habitam, & *quod est*, nempè indiuiduum habens. Hoc autem est discrimen (vt subtiliter aduertit Caietanus) inter Deum ex vna parte, cæterarumq; naturarum concreta ex alia: quòd in alijs non distinguitur indiuiduum naturæ in concreto à supposito, in Deo autem distinguitur, quia *hic Deus* est simul terminus singularis, subsistens, habens naturam, & communis tribus suppositis, quod est impossibile conuenire indiuiduis aliarum substantiarum. Ergo etsi verum sit, quòd S. Doctor cōcludens, Deum esse suam Deitatem, hic intellexerit indiuiduum Naturæ Diuinæ, non tamen videtur verum, quòd exinde ad solutionem argumen-

Digitized by Google

gumenti infertur, quòd etiam in substantijs immaterialibus per *Ly* suppositum intellexerit indiuiduum, & illud, affirmauerit, non distingui in simplicibus à natura, sicut in rei veritate non distinguitur. *Vel si* contendas, illum etiam in illa generali propositione, nomine suppositi, indiuiduum, etiam substantiarum immaterialium creatarum intellexisse, assignandum est huius fundamētum, ne videatur, non voluntariè tantùm, sed etiam irrationabiliter dictum. Ergo vt hoc altiùs ex fundamento fiat.

Supponēdum est tertiò, ex nost: Salmatic: Tract:6. de Trin: disp.9. dub.5. in Diuinis, vltrà subsistentias relatiuas constitutiuas Personarum, dari vnam subsistentiam absolutam, per quam essentia, cæteraque absoluta, vt præintellecta relatiuis, & ex consequenti Personis, subsistunt: Quæ tamen subsistentia, quia est communicabilis, & de facto, sicut & essentia, communicatur tribus Personis, non constituit Suppositum, siue personam: Vnde in Diuinis etsi sint quatuor subsistentiæ, non tamen quatuor Personæ, quia illa absoluta, etsi constituat hunc Deum subsistentem, & habentem Naturam, non tamen constituit suppositum, vel Personam, ob defectum incommunicabilitatis. Cùm hoc tamen stat, vt licet hic Deus, vt subsistens, absolutè non sit suppositum formaliter, est tamen suppositum æquiualenter, non quantùm ad omnia, quæ dicit suppositum, sed quantùm ad illud, (quod instituto S. Doctoris in præsenti articulo satis erat) nempè quoad habitudinem identitatis, vel distinctionis à Natura, in quantùm comparatur ad illam, vt habens ad habitum, vt *Quod est* ad *Quo est*, vt subsistens ad Naturam, in qua subsistit; hoc enim tantùm in præsenti articulo S. Doctor inquirebat: Quomodo Deus, qui est habens, & vt *Quod*, distinguatur ab essentia, vel natura, quæ est habita, & vt *Quo*.

Supponendum est quartò, quòd sistendo inter principia naturalis discursus, & præcisis reuelatis, Deum, vt hac subsistentia absoluta subsistentem, necessè esset concipere, vt suppositum, nihil enim illi ad esse suppositi deest, nisi sola incommunicabilitas, quam tollit tribus Personis communicatio, hanc verò nos non ratione, sed reuelatione nouimus; Immò, præciso respectu ad relatiua, & purè in absolutis sistendo, cum Natura Diuina, vt terminata hac subsistentia, intrà lineam absolutorum, non sit communicabilis distincto à se, erit intra lineam absolutorum incommunicabilis, & per consequens, vt sic subsistens, & præciso ordine ad relatiua, posset etiam Theologicè *Suppositum* vocari. Maximè in illorum sentētia, (quam etiam nost. Salmatic: ex parte sequuntur) qui concedunt non solùm Essentiæ Diuinæ, sed etiam attributis proprias subsistentias absolutas, immò etiam ipsi Spirationi

actiuæ propriam relatiuã, non tamen personalem, quia Patri & Filio communicatur: Absolutè tamen non est dicendum, quòd illa subsistentia faciat suppositum, quia absolutè non reddit incommunicabile: Vnde etiam, (vt aduertit optimè Caietanus.) S. Tho: rigorem Theologicum in hoc articulo obseruauit, & cautissimè vsus terminis, quamuis generaliter præmiserit, quòd in carentibus materia non differt suppositum, & natura, non intulit tamen hoc, sc: Ergo quia Deus caret materia, in ipso erit idem suppositum, & natura: sed potiùs hoc aliud intulit, vid: Ergò Deus est sua Deitas; & in toto articulo hoc obseruabis, nunquam illum affirmasse identitatem inter suppositum, & Naturam Diuinam, sed inter Deum, & Naturam, nempè Deitatem; quia cùm loqueretur de Deo, vt præuenit relationes, & per cõsequens proprietates personales, vtque tantùm subsistit subsistentia absoluta, quæ non facit suppositum, sed tantùm indiuiduum habens naturam, vsus est nomine Dei, qui habentem naturam significat, & non nomine suppositi.

Supponendum est quintò, quòd licet natura singularis differat à supposito sola subsistentia, quam illi superaddit; tamen Natura absolutè sumpta, & vt præscindens à singularitate, differt à supposito, ratione duplicis superadditi; quia cùm suppositum essentialiter sit singulare, & subsistentia non recipiatur, nisi in natura singulari (vniuersalia enim non subsistunt, sicut neque existunt) indè est, quòd suppositũ naturæ absolutè sumptæ superaddit, & principia indiuiduantia, quibus natura determinata redditur capax subsistentiæ, & ipsam deinde subsistentiam, quæ constituit suppositum: Et quia natura singularis, siue indiuidua, est immediatè receptiua subsistentiæ, indiuiduũ, qua tale, potest vocari suppositum, non formaliter, sed materialiter, & illa distinctio, qua natura absolutè, & indiuiduum differunt, est iam distinctio suppositi, & naturæ absolutè, non formalis, sed in radice, & principio suo materiali, ex quo, & ex formali constitutiuo suppositi, quod est subsistentia, integratur adæquata differentia suppositi à natura absolutè sumpta.

His ergo suppositis, amplector explicationem mentis Angel. Doct: supra insinuatam, quòd nimirùm hic Angel. Doct: locutus fuerit de distinctione indiuidui à natura: Et ratio est, quia, vt ex suppositionibus cõstat, non quærebat hìc S. Doct: de distinctione suppositi Diuini à Natura, (hoc enim tractandum in sequentibus quęstionibus reliquit,) sed tantum tractauit: *Vtrum, & quomodo Deitas distinguatur ab habente Deitatem*: in Diuinis verò ipsum indiuiduũ Naturæ Diuinę, quia vt præuenit supposita, est subsistens, etsi non sit suppositum, est habens Deitatem.

Ex quo infero, quòd cùm S. Doct.

Doct: de Deo, non vt suppositum, sed vt est indiuiduum, concludebat identitatem cum Natura, siue Esfentia, quando illud principium ex immaterialibus substantijs assumpsit, quòd in illis suppositum non differat à natura, nomine suppositi, non intellexit suppositum formaliter, sed radicaliter, siue materialiter, nempè indiuiduum immediatè receptiuum subsistentiæ, & de illo conclusit, non distingui à Natura, nempè distinctione inadæquata, & ex parte principij materialis; Quod verissimum est, quia substantiæ immateriales sũt seipsis indiuiduæ; vnde etiam ipsas numero plurificari, repugnat, quamuis alia distinctione inadæquatã, & se ex parte principij formalis constitutiui suppositi, quà talis, tenente, quæ in materialibus integrat cum illo alio materiali vnum principium distinctionis adæquatæ, etiam in ipsis substantijs immaterialibus suppositum, & natura distinguãtur. Infero, inquam, hoc ex illa positione iam satis demonstrata, quòd sc: hic S. Doct: per ly Deus, intelligebat, non suppositum, sed indiuiduum Diuinum; quia enim ex illa generali: *In immaterialibus etiam creatis non differt suppositum, & natura*, inferebat particulariter de Deo: *Ergo Deus est sua Deitas*: cùm maiorem simplicitatem Creaturis nõ potuerit concedere illa, quam de Deo inferebat; Si ergo de Deo tantùm inferebat, quòd indiuiduum Diuinum sit idem cum Natura, & non transijt ad adstruendam simplicitatem inducẽtem in Deo identitatem suppositi, & Naturæ, sed hoc in vlterioribus quæstionibus tractãdum reliquit; pariter & in creatis hanc tantùm identitatẽ naturæ specificæ, & numericæ intellexit, ne ex maiori, & perfectiori creaturarum simplicitate, minorem, & imperfectiorem in Deo concluderet.

Et vrgetur hoc ipsum ex textu articuli, & ratione S. Tho: qua probat, in immaterialibus etiam creatis, suppositum non differre à natura. In hac enim ratione, vt ex textu patet, assumit pro principio distinguente in materialibus suppositum à natura, principia indiuiduantia, quæ nimirùm excludit à suo conceptu natura, & includit suppositum, & ex huius principij negatione in immaterialibus infert, in ipsis non distingui suppositum, & naturam. Ergo naturam, quam à supposito vult distingui, sumit, vt excludentem principia indiuiduantia. Ergo naturam absolutè. Ergo cùm, vt ex suppositione quinta constat, natura absolute bis distinguatur à supposito, semel quidem per principia materialia suppositi, nempe per principia indiuiduantia, vt contingit in materialibus, iterùm verò per principiũ formaliter cõstitutiuũ suppositi, nempè per ipsam subsistẽtiam superadditã naturæ, si Doctor (vnam distinctionẽ, quã hic voluit à Deo excludere, exclusit etiam ab immaterialibus,

secundam verò intactam in vtrisque reliquit, quia & in Deo nihil circa ipsam definire potuit, priusquàm de processionibus Diuinis, de relationibus, de proprietatibus personalibus (sine quibus *hic Deus* non intelligitur suppositum) tractasset, pariter, & ad hanc, de qua hic agit, Naturæ Diuinæ cum habente, identitatem ex communibus ostendendam, illa identitas, qua in immaterialibus Indiuiduum, & natura specifica nectuntur, satis erat.

Sed dices: (quod in secunda suppositione innui) Si S. Doct: hic probabat, in *Deo* non distingui *habentem Deitatem* ab ipsa *Deitate*, & hoc, intulit ex illa generali propositione; quia sc: in immaterialibus non distinguitur suppositum, & natura. Ergo etiam in illa generali propositione, per *ly* suppositum, debuit intellexisse habentem naturam, aliàs nō benè id de *Deo* intulisset, & variasset suppositionem, dùm in antecedenti supposuisset pro indiuiduo præcisè, & vt distinguitur ab habente naturam, & in Consequ. de indiuiduo, vt formaliter habente naturam. Ergò, cum in creatis habens naturam non sit indiuiduum, sed suppositum, qua tale, (quia, quod intelligitur, vt *habens*, intelligitur, vt *Quod*; Ergo, vt *subsistens*, ergò in creatis, vt *suppositum*, in quibus idem, est esse subsistens, & esse suppositum) quando dixit, quòd in immaterialibus non distinguitur suppositum, & natura, intellexit de supposito formali, non autem de indiuiduo.

Respond. quòd cùm subsistentia absoluta, in Diuinis, spectet ad ipsam formalem lineam Naturæ, seù Essentiæ Diuinæ; iam verò, vt nost. Salmatic: docent Tomo 1. Curs. Theol: Tract. 3. de Scientia Dei, in Diuinis, quæ ad vnam lineam spectant, non distinguuntur etiam virtualiter, hinc est quòd in Deo, cuius essentia est ex se essentialiter singularis, non distinguetur, etiam virtualiter, subsistens absolutè, & indiuiduum, quia vtrumque ad vnam, & eandem lineam spectat. Atque ita ipsi Indiuiduo Diuino, sine aliqua additione etiam virtuali, competit sicut esse subsistens, ita & habens naturam: Vnde S. Doct: ad hanc summam simplicitatem fontalis lineæ attendens, in qua ratio indiuidui, & subsistentis in natura, seu habentis naturam, sine distinctione etiam virtuali, identificabantur, & rem in principio Theologiæ (nimirùm quæst. 3.) tractans, id, quòd faciliùs ex creaturis demonstrari de Deo poterat, nimirùm in ipso, sicut & in creaturis separatis, non distingui indiuiduum naturæ à natura, demonstrauit; certus, quòd statim ex articulo sequenti, in quo determinat, Deum esse suum esse, & ex alijs, quas infra tractaturus erat, quæstionibus, maximè ex quæstione 14. vbi ostendit, intelligere Dei esse formalissimè ipsum esse Dei, quilibet facilè conijcere debuit, idem esse iudicium faciendum, quantùm ad identitatem

cum

cum natura, circa subsistens, siue habens naturam, quod, tanquàm faciliùs, in hoc articulo, ex creaturis de *hoc Deo*, siue de illo quasi *indiuiduo Naturæ Diuinæ* conclusit. Vnde patet, quòd & formaliter, efficaciterque processit, & suppositionem non variauit, quia, sicut in illa generali propositione, per *ly* suppositum, intellexit *indiuiduum substantiæ separatæ*, ita & in subsumpta, per *ly* Deus, intellexit indiuiduum Naturæ Diuinę.

Si autem quæras; Cùr, si ista itá se habeant, Angel. Doct:, cùm de Deo loquitur, non illum vocat suppositum, sed Deum, cùm verò loquitur de substantijs separatis, vocat illa supposita; si enim de illis loquebatur, vt sunt *indiuidua*; cùr istum terminum amphibologicum obstrusit, quem debemus non formaliter, sed materialiter sumere? cùr simpliciter non dixit in separatis non distinguitur *indiuiduum* & *natura*? & tùnc nullum reliquisset de sua mente ambigendi locum.

Resp. mentis S. Thomæ, qua ipse motus *Ly* suppositum, & non indiuiduum, posuit, difficile est rationem assignare, aliquam tamen congruētiam adducere possumus: & est, quia, vt idem Angel. *Do*ct: in eadem q. 3. 1. p. a. 2. immediatè antecedēti, in responsione ad tertium, docuit. Forma, quæ non est receptibilis in materia, sed est per se subsistens, ex hoc ipso indiuiduatur, quòd non potest recipi in alio. Ergo Angeli indè indiuidui, quia irreceptibiles in alio, sunt autem ex eo irreceptibiles in alio, quia sunt per se subsistentes. Ergo indiuiduatio Angelorum inuoluit, saltem tanquàm terminum à se intrinsecè inspectum, subsistentiam; ac per consequens S. Doct: dùm de illis, vt indiuidua sunt, agit, magistraliter, & acutè vocauit illos *supposita*, quæ, in esse talium, per subsistentiam constituuntur, vt identitatem adstruens inter naturam, & indiuiduationem dictarum substantiarum, statim radicem aperiret prædictæ identificationis, quæ non est alia, nisi per se subsistere: vnde sicut cùm quis volens significare formæ receptibilis indiuiduationem, seu ipsam, vt indiuiduam, rectè, & magistraliter vocaret illam formam receptam in materia signata, quamuis tùnc, non ipsius receptionem, sed indiuiduationem explicaturus, quia illa forma indiuiduatur a materia, in qua recipitur; ita Angel. *Do*ctor loquens de substantijs separatis, *vt indiuidua* sunt, vocauit illas supposita, (etsi tùnc de ipsis, non, vt de suppositis, sed, vt de indiuiduis ageret) quia illarum indiuiduatio ex illarum irreceptibilitate, seu ex eo, quòd sint per se subsistentes, ac per consequēs aliquo modo per respectum ad subsistentiam, quæ est constitutiua suppositi, sumitur: *D*eum autem non vocauit suppositum, quia illi, vt subsistenti subsistentia absoluta, (qualiter de illo hic egit) tale prædicatum repugnat, maximè si de illo Theologicè, &

iam

iàm ex principijs reuelatis agatur, vt ex suppositione 4. constat, qualiter hìc de illo agitur.

Ex quibus habes claram explicationem mentis Angel: Doct: & argumentum solutum. Dicimus enim tribus verbis, quod fusè probauimus, S. Doctorem, cùm dixit in substantijs separatis, suppositum non distingui à natura, accepisse *Ly* suppositum, non formaliter, & adæquatè, sed materialiter, & inadæquatè, videlicet pro *ipso indiuiduo*, quod est susceptiuum subsistentiæ, quæ est constitutiuum suppositi. Vel, *si* mauis, dic, vt supradictum est, quòd etsi *Ly suppositum* accipiatur formaliter, vera sit Angel. Doct: sententia, in substantijs separatis non distingui suppositum à natura, in materialibus autem distingui; Sed intellige de distinctione inadæquata, & de natura absolutè; à qua materialia bis distinguuntur, nimirùm per principia indiuiduantia, & per subsistentiam; separatæ verò substantiæ à materia, illa prima distinctione carent, tamen exigunt, si creatæ sint, hanc secundam: Et eodem modo explicantur alia loca eiusdem Angel: Doctoris in omnibus enim ex eisdem principijs procedit, & eodem modo de natura, vt cõtrà distincta principijs indiuiduantibus loquitur, & idem medium ad negandam, vel affirmandam distinctionem assumit, nimirum, principia indiuiduantia, vel inclusa, vel exclusa à natura specifica, vt in ipso eius textu videre potes.

Dices, saltem hanc doctrinam non posse accomodari illi authoritati, quam ex 3. sentent. attribuunt Aduersarij; ibi enim loquitur formaliter de supposito, quod in Natura rationali est *Persona*, vt euidẽter ostendit titulus artic. cit., in quo Angel: Doct: inquirit: *Vtrùm vnio sit facta in Persona*, *& si Christus est vna Persona*? Ergo in hoc articulo debuit tractare de suppósito, qua tali. Ergò cùm hìc affirmauerit, vt ex verbis ipsius in argumento citatis patet, in substantijs separatis *re* non differre naturam, & personam, non solùm materialiter, sed formaliter, suppositum, qua tale, in separatis non distinguetur realiter à natura.

Resp. negãdo huic loco S. Thos: non posse applicari saltem secundam solutionem, in qua diximus, suppositum, adhuc vt suppositum, in separatis differre, & non differre à natura, vt nimirùm, comparatum naturæ absolutè sumptæ, non differat ab illa secundùm principia indiuiduantia, differat autem ratione subsistentiæ. Et quòd S. Doct. etiam in hoc articulo solam primam distinctionem à supposito separatarum substantiarum excludat, patet manifestè ex textu; Nam in primis, in corp: articuli declarat, de qua natura loquatur; dicit enim: *Natura enim, secundùm quòd hìc loquimur, est quidditas rei, quam significat definitio.* Nota illud; *natura, secundùm quòd hìc loquimur*, quasi diceret:

Etsi

Etsi possit quæri de distinctione suppositi à natura, dupliciter accipiendo ly *naturam*, vel absolutè, vel vt indiuiduam, tamen nos hic de illa loquimur vno modo. Et quæsò quo tandem? prout est, inquit, *quidditas, quam significat definitio*. Ergo cùm definitio non competat naturæ, vt indiuiduæ, sed absolutè sumptæ, (indiuidua enim non definiuntur) S. Thom: non loquitur hic de distinctione suppositi à natura indiuidua, sed à natura absolutè sumpta; vnde cùm suppositum possit duplici distinctione differre à natura absolutè, vel ratione principiorum indiuiduantium, vel ratione subsistentiæ, illam primam, velut materialibus propriam, excludit à separatis, hanc secundam de illis non negando. Et quod hæc mens ipsius sit, patet ex textu: Nam reddens rationem, cùr in separatis naturam, & suppositum non differant, dicit: *In simplicibus non differt re natura à persona, quia natura non recipitur in aliqua materia, per quam indiuiduetur, sed est per se subsistens*. Ecce vides, vnde negat distinctionem, ex eo scilicet, quia nō indiuiduatur ab alio; conijce qualem neget, si ex hoc fundamento negat.

Instabis. S. Tho: ibi concludit, in Christo esse vnam Personam: Ergo eo ipso negat, ibi in Christo fuisse personam creatam. Ergo quādo dixit, quòd in separatis nō differt persona à natura, non intellexit de distinctione inadæquata ex indiuiduatione procedente; secundùm illud enim debuit dixisse, in immaterialibus non distingui, in materialibus verò distingui personam à natura, secundùm quod negauit, personam humanam fuisse in Christo: Sed hanc non negauit, secundùm esse indiuidui, sed secundùm esse personæ formaliter, quia natura in indiuiduo, & secundùm ipsum, & secundùm rei veritatem, est assumpta. Ergo &c.

Resp. negando consequ: etsi enim. S. Tho: dixerit, in Christo esse vnam Personam, non ideò voluit negare, non esse ibi personam creatam, vnde hoc examinat paulò inferiùs distin. 6. q. 1. ar. 1., quærens: *Vtrùm in Christo sint duæ hypostases*.

Obijcies tandem contra hucusque dicta. Angel: Doctor loc. cit. & nos in eorum explicatione, videmur asserere, in Angelis indiuiduum à natura minùs differre, quàm in alijs creatis, quia & S. Doctor (cuius etiam nos sensum sequimur) clarè talem distinctionem indiuidui, & naturæ in separatis negat, qualem in materialibus concedit. Ergo cùm in Angelis natura specifica, & numerica differant saltem ratione, in materialibus, illa necessè erit differre realiter: Hoc autem est falsum, vt docent nost. Complut: in Log. disp. 3. qu. 4. Ergo totus discursus noster ruit, & authoritates S. Doctoris non soluuntur; solutiones enim nostræ in hoc fūdabantur, quòd S. Tho:, quando negat, in separatis differre suppositum

situm à natura, vel loquatur de suppoſito, vt indiuiduum, vel de diſtinctione, in ratione ſuppoſiti, de materiali importata, nimirùm ratione principiorum indiuidualium. Ergo ſi indiuiduum, & natura æquè in ſeparatis, & in materialibus, vt volunt noſtr: Complut: non differunt realiter, S. Tho. de neceſſitate intelligendus eſt de alia diſtinctione, & cum alia non appareat, intelligi debet de diſtinctione, vel indiſtinctione naturæ à ſuppoſito, secundùm quòd formaliter eſt tale.

Reſp. concedendo, tàm Angel: Doct:, quàm nos, & omnes cõmuniter Thomiſtas ſupponere, quòd in Angelis minùs differant indiuiduum, & natura, quàm in materialibus; negamus tamen, inde ſequi, vnitatem formalem ab indiuiduali, ſeu naturam ſpecificam ab indiuiduo, adhùc in materialibus, diſtingui realiter formaliter, quamuis concedamus, illa diſtingui virtualiter: nam cùm in ſeparatis, ideſt in Angelis, tanta ſit identitas inter naturam ſpecificam, & indiuiduũ, vt excludat etiam diſtinctionem virtualem, vt oſtendunt noſtr: Salmat. tract. 7. de Angelis diſp. 1. dub. 5. in confirmatione tertia argumenti principalis, eſtque ratio manifeſta: Cùm enim, vt ſupra diximus ex S. Tho., ſubſtantiæ ſeparatæ indiuiduentur ex hoc, quòd ſint formæ irreceptibiles in omni materia, & eſſe irreceptibiles in omni materia, pertineat ad conceptum ſpecificum dictarum ſubſtantiarum; ſi adæquatè quoad ſua ſpecifica concipiantur, planè ſequitur, quòd in ipſis *eſſe indiuiduum* ſpectet formaliſſimè ad conceptum illarum ſpecificum, quantùm eſt ex parte rei conceptæ, quamuis ex parte noſtri modi imperfecti concipiendi poſſint aliquandò conceptu inadæquato, & præciſo (inadæquatione tamen purè ex parte modi concipiendi, & non ex parte rei conceptæ ſe tenente) ſine ſua indiuiduatione concipi; Inde eſt, quòd, ſtante communi ſententi Thomiſtarũ, quam noſt. Complut: in Log. defendũt, veriſſima ſit doctrina S. Thomæ, quam hic explicuimus, in ſeparatis non diſtingui indiuiduum à natura ſpecifica, in materialibus verò diſtingui, quia nimirùm in materialibus diſtinguuntur adhùc à parte rei virtualiter, & ratione, etiàm ex parte rei conceptæ; in ſeparatis autem non diſtinguuntur etiam virtualiter: & ſi diſtinguuntur ratione, illa diſtinctio tantùm eſt ex parte modi concipiendi, non tamen ex parte rei conceptæ, vt intuenti patet: Sed

Inſtabis, hæc, quæ modò diximus, non cohærere cum ijs, quæ docent noſt. Complut: in Log: diſp. 6. n. 43., vbi docent, quòd ſola Natura Diuina eſt eſſentialiter ſingularis; Nos autem hìc videmur concedere etiam Naturam Angelicam, (vtpotè in qua vnitas numerica, & ſpecifica ne quidem virtualiter, & ex parte rei

con-

conceptæ distinguuntur) esse essentialiter singularem. Et iterùm ijdem Complut. loco cit. nu. 37. dicunt, posse nos abstrahere naturam specificã Michaelis à differentia indiuiduali eiusdem, quia licet eadem entitas sit differentia specifica, & indiuidualis, munera tamen talis entitatis sũt valdè diuersa, cùm singularitas non sit de essentia alicuius creaturæ. Et tandem hæc doctrina nostra videtur contradicere S. Thomæ, qui quæst. vnica de spiritual: creat: a.8.ad 4. videtur in Angelis distinguere rationẽ specificam, & numericam; quod nos negamus: Dicit enim, quòd Natura huius Angeli non prohibetur esse in multis ex hoc, quod pertinet ad rationem speciei, sed ex eo, quod pertinet ad rationem indiuidui. Ergo &c.

Resp. negando, nostram doctrinam non cohærere, vel cum mente S. Thomæ, vel cum ijs, quæ Complut. locis cit. docent: Et incipiendo ab authoritate S. Tho: dico, quòd Angel. Doct: locutus est de Natura Angelica, non adæquatè secundùm omnia, quæ importat, sed inadæquatè secũdùm quòd per nostros conceptus imperfectè concipitur secundùm id, quod exprimit, vt quodammodo æquiualet rationi specificæ rerum materialium, & secundùm hunc expressum conceptum, & quantùm est ex vi illius, non exprimit id, quo prohibeatur esse in multis, quia ex parte huius inadæquati conceptus non exprimitur, quamuis de necessitate inuoluatur, indiuiduatio ipsius. Nos autem loquimur de conceptu ipsius adæquato, à quo præscindi non potest, sicut irreceptibilitas, ita & indiuiduatio, vt iàm ex eodem Ang. Doct. vidimus. Et sic hæc authoritas nihil facit contra nos: quam explicationem mentis S. Doctoris adducunt nost. Salmat: tract. de Angel. disp.1. dub.6.n.83.

Ad illud verò, quod ex Complutensibus adducebatur, respõdetur cum ijsdem Salmatic: loco citato, nost: Complut:, quando dicunt, vel solam Naturam Diuinam esse essentialiter singularẽ, vel singularitatem non esse de essentia alicuius creaturæ, intelligendos esse de singularitate, non qualicunque, sed, quæ non sit mixta, & identificata cum vniuersalitate: Et hoc verissimè nulli creaturæ competit; Nàm in Natura Angelica singularitas est mixta duplici vniuersalitati, vni quidẽ, nempè specificæ, à se indistinctæ virtualiter, & alteri, nempè genericæ, virtualiter à se distinctæ; sola autem Diuina Natura ita est essentialiter singularis, vt ipsius singularitas nulli sit vniuersalitati admixta, vnde illi repugnat subire conceptum vniuersalis. Quando verò ijdem Cõplut: vel diuersa munera, vel diuersos cõceptus inadæquatos in Natura Angelica distinguunt, loquuntur de conceptibus formalibus, & ex parte modi concipiendi, quibus ex parte rei conceptæ vnus con-

Digitized by Google

ceptus obiectiuus correspondet. Videantur circa hoc nost. Salmatic: loco cit: Et hæc pro solutione huius difficillimæ authoritatis S. Doctoris dicta sufficiant.

Pro coronide huius quæstionis adduco insignem locum S. Thomæ, quo hucusque dicta explicantur, & nostra sententia confirmatur, quia Angel. Doct. in Quodlibetalibus Quodlibeto 2. qu. 2. ar. 4. in solut. ad primum dicit. *Dicendum quòd non solùm in compositis ex materia, & forma inuenitur aliquod accidens, præter essentiam ipsius speciei sed etiam in substantijs spiritualibus, quæ non constituuntur ex materia, & forma, & ideò in vtrisque suppositum non est omninò idem, quòd ipsa natura: Hoc tamen est aliter, & aliter in vtrisque. Dupliciter autem aliquid accipitur, vt accidens præter rationem rei: Vno modo, quia non cadit in definitione significante essentiam rei, sed tamen est designatiuum, vel determinatiuum alicuius principiorum essentialium, sicut rationale accidit animali, vtpotè præter definitionem eius existens, & tamen est determinatiuum essentiæ animalis, vnde est essentiale homini, & de ratione eius existens. Alio modo aliquid accidit alicui, quia nec est in eius definitione, nec est determinatiuum alicuius principiorum essentialium, sicut albedo accidit homini. His ergò, quæ sunt composita ex materia, & forma, accidit aliquid præter rationem speciei existens vtroque modo: Cùm enim de ratione speciei humanæ sit, quòd componatur ex anima, & corpore, determinatio corporis, & animæ est præter rationem speciei, & accidit homini, in quantùm homo, quod sit ex hac anima, & ex hoc corpore: Sed hoc conuenit per se huic homini, de cuius ratione esset, si definiretur, quòd esset ex hac anima, & ex hoc corpore, sicut de ratione hominis communis est, quòd sit ex anima, & corpore. Accidunt etiam compositis ex materia, & forma, præter rationem speciei, multa alia, quæ non sunt determinatiua essentialium principiorum; substantijs verò immaterialibus creatis accidunt quidem aliqua, præter rationem speciei, quæ non sunt determinatiua essentialium principiorum, (vt dictum est) non tamen accidunt eis aliqua, quæ sunt determinatiua essentiæ speciei, quia ipsa natura speciei non indiuiduatur per materiam, sed per se ipsam, ex hoc, quòd talis forma non est nata recipi in aliqua materia, vnde per seipsam non est multiplicabilis, neque prædicabilis de pluribus* (intellige secundùm rem, nàm secundùm rationem est prædicabilis, vt habes apud Complut. in Logica, vbi sic). *Sed quia non est suum esse, accidit ei aliquid, præter rationem speciei, scilicet ipsum esse, & alia quædam, quæ attribuuntur supposito, & non naturæ, propter quod suppositum non est in eis idem, quod natura*: In quibus verbis, præterquàm quòd habes clariùs explicata, quæ ex eodem Angel. Doct. pro explicatione mentis Philosophi in solutione primi argumenti attulimus, & illa confirmata, quæ de identi-

tate

Digitized by Google

tate naturæ Angelicę cum sua indiuiduatione docuimus; & insuper clarè à S.Tho:assertũ id, quod docuimus, suppositum, vt suppositum formaliter, etiam in separatis distingui à natura, etsi de materiali, & vt indiuiduum ab ipsa nõ differat.

Habes (quòd pro reliquis notandum est) explicationem mentis Angel: Doctoris, quid in diuersis locis intendat, cùm asserit, in substantijs separatis non distingui suppositum à natura; Hoc enim solùm intendit, (vt ex discursu authoritatis patet) in separatis à materia non distingui suppositum à natura per aliquid superadditum naturæ, quod sit designatiuum ipsius, quo fiat ex indeterminata determinata, ex communi singularis, sicut in compositis ex materia, & forma, per principia indiuiduantia superaddita naturæ, ipsamq; designantia, & determinantia, distinguitur: quamuis etiam in separatis à materia distinguatur realiter suppositum à natura, non solùm extrinsecè, sed etiam intrinsecè, scilicet per proprium constitutiuum suppositi nempè subsistentiam, quæ licet sit naturæ completiua, & terminatiua, non tamen designatiua, vel determinatiua, cùm illam supponat iam per principia indiuiduantia designatam, & determinatam.

QVAESTIO III.


Vtrùm suppositum supra naturam singularem addat aliquid positiuum, an negatiuum tantùm: Vbi etiam; An ratio subsistentiæ in aliquo positiuo, vel negatiuo consistat.

CVm suppositum à natura singulari per illud distinguatur, quod illi superaddit, meritò post assertam distinctionem suppositi, & naturæ singularis, descendimus ad explicandum modũ distinctionis, nimirùm, vtrùm suppositum, & natura distinguantur realiter negatiuè, (quod fieret, si solam negationem suppositum naturæ superadderet, vt patet ex ijs, quæ docent nostri Complutẽn: in Logica disput. 3. q. 6.) an verò positiuè? quod fiet, si positiuum illi aliquid superaddat: Et quia illud, quod suppositùm superaddit naturæ, est *Subsistentia*, illius statim essentia explicata, essentia subsistentiæ explicata manebit; quidquid enim de illo superaddito dixerimus, de subsistentia intelligendum est;

Est ergo sententia Scoti, & sequacium, qui tenent, suppositum nihil positiuum addere naturæ singulari, sed duplicem tantùm negationem, scilicet negationem dependentiæ actualis, & negationem dependentiæ aptitudinalis,

Digitized by Google

Illam primam ponit propter Humanitatem Christi,quam ideò dicit,non esse personam,quia actualiter depēdet à Verbo,cui est vnita: Secundā verò propter animam rationalem,quæ nō solùm,vt actu vnita corpori, non est suppositū, quia actu est in supposito,sed etiā dum est separata,suppositum non est, quia apta est pendere à supposito, seù potiùs componere illud.Ita Scotus in 3.d.1. q.1. & d. 6.q.1.& in 1. d.23. sequuntur cōmuniter Principem suum Scotistæ, quamuis Lichetus in 3. d.1. q.1.hanc quidem probabilem reputet, negat tamen, Scotum illi omninò adhæsisse, vnde oppositā velut probabiliorem sequitur. Subscribit Scoto Aureolus apud Capreol.in 3.d.5.q.3.Istamq;opinionem tuentur plures ex Iunioribus Neotericis,qui prælo scripta non mandarunt. Quæ opinio, quantùm conijcere ex Durando licet,nihil planè differt ab opinione Durādi, sed est quasi maior explicatio ipsius; nam & Durandus, vt quæstione præcedenti vidimus, requirebat negationes communibalilitatis ad rationem constitutiuam suppositi: Vnde ob defectū negationis essendi in alio dicebat,Humanitatem Christi nō esse personam,& per hoc principalem rationem infirmare conabatur, cuius impugnationem ad hanc quæstionem remisimus.



§.1. *Sententia Angelici Doctoris adstruitur, & probatur.*

Dicendum est, suppositum creatum addere aliquid positiuum supra naturam,etiam singularem.Ita communiter Thomistæ. Capreol. in 3.dist.5. q.2.Caiet.3.p.q.4. ar.2. Ferrar.4.contra gentes cap.42. Nazar. 1.p. q.50. art. 2. contr. 2. Bannes 1. p. q.3. Aluarez de Incarnat: disput. 28. nostri Complut. in lib. de Generat: & Corrupt:disp.2.q.3.Blasius in sua Metaph. disp.8. q.2.

Probatur primò nostraConclusio authoritatibus S. Doctoris. Prima est, in qua asserit, debere personam corrumpi, si assumeretur 3.p.q.4.ar.2. in corp.vbi probans, à Verbo non fuisse assumptam personam,dicit: *Illud, quod assumitur, oportet præintelligi assumptioni, sicùt illud, quòd mouetur localiter, præintelligitur ipsi motui; Persona autem non præintelligitur in humana natura assumptioni, sed magis se habet, vt terminus assumptionis, vt supra dictum est: Si enim præintelligeretur, vel oporteret, quòd corrumperetur, & sic frustrà esset assumpta, vel quòd remaneret post vnionem, & sic essent duæ personæ, vna assumens, & alia assumpta, quod est erroneum.* Et hoc idem in eadem quæstione ar.1. in responsione ad 3. admittit de Angelis; *quòd si aliquis ex Angelis, qui sunt nùnc, assumeretur, deberet ipsius personalitas corrumpi;*

pi; vel si Deus sine aliqua corruptione vellet assumere naturam Angelicam, deberet illam de nouo producere, & copulare sibi personaliter: Ergo ex mente S. *Doctoris* Personalitas, seu, quod idem est, subsistentia, est aliquid positiuum; negatio enim, quæ nihil est, corrumpi non potest. Et, vt S. *Doctor* 4. contra gentes, cap. 43. dicit, singularium existētium proprium est, desinere esse per corruptionem.

Secunda authoritas est eiusdem S. *Doct*: 3. p. q. 17. art. 2. in corp. vbi docet, quòd receptiuum *esse* non est natura, sed persona, vt enim probet, in Christo non esse, nisi vnum *esse*, dicit. *Ea, quæ pertinent ad naturam in Christo, sunt duo, quæ autem pertinent ad hypostasim in Christo, sunt vnum tantùm; esse autem pertinet ad naturam, & ad hypostasim; ad hypostasim quidem, sicut ad id, quod habet esse, ad naturam autem, sicùt ad id, quo aliquid habet esse*. Et in respōsione ad primum clariùs hoc idē dicit. *Esse consequitur naturam, non sicùt habentem esse, sed sicut, qua aliquid est, Personam autem, siue hypostasim, sicùt habentem esse.*

Tertia authoritas est ex q. 35. art. 5. in corp. vbi probans, in Christo non esse Filiationem realiter correspondentem natiuitati temporali, dicit. *Christus natus est ex Patre ab æterno, & ex Matre in tempore, nec natiuitas est vnius speciei; Vnde quantùm ad hoc oporteret dicere, esse in Christo diuersas filiationes, vnam temporalem, & aliam æternam: Sed quia subiectum filiationis, non est natura, aut pars naturæ, sed solùm persona, seu hypostasis, in Christo autem non est hypostasis, vel persona, nisi æterna, non potest in Christo esse aliqua filiatio, nisi, quæ sit in hypostasi æterna*. Ex his duabus rationibus nō minùs, quàm ex prima, euidenter ostenditur, S. Thomam rationem subsistentiæ, seu personalitatis constituere in aliquo positiuo, quòd suppositum superaddit naturæ.

Ostenditque hoc Caietanus tali ratione. Suppositum, & natura, sic differunt, vt vnum sit realiter susceptiuum alicuius, & nō aliud. Ergo debet aliquid realiter dicere vnum, quod non dicit aliud. Antecedens patet ex locis S. Doctoris de esse, & de Filiatione, quorum neutrum potest recipi in natura, recipitur autem realiter in persona, vel supposito. Consequ. verò prob. quia si naturæ secundùm se repugnat esse susceptiuum harum entitatum realium, scilicet actus essendi, & filiationis, & hoc realiter supposito conuenit; oportet, aliquid positiuum reale claudi in supposito, quod non clauditur in natura, quo fiat per se primò susceptiuum huius rei, cuius illa est incapax; negatio enim ad hoc non sufficit, quia non est constitutiua subiecti realis, cùm ipsa in re sit nihil, quamuis aliquandò sit cōcomitans, vel circumloquens tale cōstitutiuum. Subiectum verò entitatis realis, debet esse quid reale: Vndè licet materia prima requirat priuationem,

nem, seu carentiam vnius formæ, vt sit susceptiua alterius, non tamen per illam priuationem constituitur in esse subiecti, hoc enim habet ex sua natura. Ergo addit aliquid reale positiuum supra naturam. Sed id, quod suppositum addit supra naturam, ex communi sensu, est subsistentia. Ergo &c.

Prob. deindè Cōcl. rationibus primò ex mysterio Incarnat: (simili ratione, qua vsi sumus supra contrà Durandum, quæ etiam statim erit impugnatio illius solutionis ad nostrum argumentum ex Durando, quam impugnandam in hunc locum remisimus.) Est ergo ratio talis. Iuxta Concilia, & SS. Patres, Verbum assumpsit humanitatem, & non assumpsit personam. Ergo Persona dicit aliquid reale positiuum, quod nō dicit natura. Cōseq. patet; Si enim nihil est reale positiuum in persona, quod non sit in natura. Ergo realiter omninò idem erit natura, quod persona. Ergo realiter assumpta illa, & hanc assumi necesse est.

*D*ices ex Scoto, assumpta natura, non assumi personam, quia persona addit negationes supra naturam, quæ per vnionem fuerunt sublatæ.

Sed contra est. Explicet mentem suam Scotus; quas negationes addit suppositum supra naturam? vel enim addit negationem dependentiæ? vel addit negationes vnionis, & vnibilitatis? neutrum autem saluat, quomodò, assumpta natura, non sit assumpta persona. Ergo &c. Probatur hoc in Humanitate Christi, in qua per vnionem non est posita aliqua noua dependentia. Ergo ab illa non est sublata independentia, seu negatio dependentiæ. Ergo si persona in esse talis constituitur per negationem dependentiæ, Humanitas Christi est persona, & cùm Humanitas sit assumpta, persona etiam fuit assumpta. Patet hæc vltima consequentia. Prima verò ex antecedenti euidenter sequitur: negatio enim non tollitur, nisi per positionem illius, quod negat, sicùt cæcitas per visum, tenebræ per lucem, non ens per ens. Anteced: verò prob. nam illa dependētia, quam dicis, de nouo positam in Humanitate Christi, non potest esse de illarum genere, quo omnes creaturæ dependent à Deo in esse, & operari; hæc enim ad constitutionem personæ est omninò impertinens, cùm non auferat rationem suppositi, vt patet. Deberet ergo esse dependentia ab alio, vt sustentante, non per illum modum, quo accidentia dependent à subiecto sustentante, cùm humanitas non sit accidens, sed illo, quo dependet natura à supposito. Sed, stante sententia Scoti, nulla natura dependet à supposito; positiuum enim à negatiuo, sicut ens à non ente, physicè dependere non potest. Ergo cùm Verbum in Christo suppleat vices suppositi, sicùt Humanitas Christi non dependeret à proprio supposito, si illud haberet, vel sicùt natura mea non depēdet à meo supposito, ita

&

& Humanitas Christi non dependet à Verbo.

Vrgetur magis hoc ipsum; nàm in sententia Scoti, Humanitas Christi nullo indiget ad hoc, vt sit per se. Ergo non dependet à Verbo in hoc, vt sit, cùm id possit habere sine Verbo, & sine alicuius nouæ entitatis, siue realis, siue modalis, superadditione.

Confirmatur hoc ipsum; quia Humanitati Christi per vnionē ad Verbum nihil est detractum de sua perfectione, neque per illā est facta minùs perfecta, quàm fuisset in proprio supposito; aliàs cum quælibet res naturaliter appetat suam perfectionē, illa Humanitas esset in statu violento, & cùm nullum violentum sit perpetuum, sequeretur, illam vnionē aliquando dissoluendam esse, quod est impium: Quod enim semel assumpsit, nunquàm dimittet, sed in proprio supposito fuisset independens ab illo; vt enim iam dixi, reale, & positiuum à non ente physicè dependere non potest. Ergo & modò est independens à supposito Verbi, aliàs esset minùs perfecta: cùm dependentia ab alio magnæ imperfectionis signum sit. Quamuis ergo (supposita sententia Scoti) illud complexū ex Humanitate, & Verbo possit pendere ab vnione Humanitatis ad Verbum, que soluta, & illud complexum desinit esse; sed ipsa Humanitas non dependet à Verbo, vt probatum est, nisi fortè ratione complexi, quomodò reciprocè etiam ipsum Verbum necesse est suo modo dependere ab ipsa, quia nō minùs Humanitas non potest esse vnita Verbo, soluta vnione, quàm Verbum Humanitati. Sed hæc dependentia, sicut nullam imperfectionem in Verbo ponit, nec ab illo tollit rationem personæ, ita neque ab Humanitate.

Si verò Scotus dicat, Personā in esse personæ constitui per negationem vnionis, siue actualis, siue aptitudinalis ad aliud.

Contrà est; Tùm quià ex hoc manifestè sequitur, etiam ipsum Verbum post vnionem non esse personam, quod est apertè hæreticum; Si enim Humanitas, (quāuis in illa maneat omnis res, & omnis modus realis, qui est in creata persona, desinit esse persona ex hoc ipso, quia vnitur, & amittit negationē vnionis actualis; Ergo etiam Verbum, cùm similiter vniatur, similiterque amittat negationē vnionis actualis, desinet esse persona. Tùm etiam, quia hæc quæstio plurimorum doctissimorum exercuit ingenia, & in Concilijs agitata, & determinata est. Iam autem illud assertum Patrum, & Conciliorum: *Verbum assumpsit naturā, & non personam*, supposita hac sententia Scoti dicentis, Naturæ, ad hoc, vt sit persona, solam addi negationem vnionis, haberet hunc sensum, Verbum sibi vniuit naturam humanam, & vt sic vnita, non est non vnita: Cùm enim esse non vnitū, seu negatio vnionis constituat personam. Ergo

idem

idem est dicere, non assumpsit personam, ac non assumpsit non vnitam, seù, quod idem est, non vniuit sibi naturam humanam Verbum relinquens illam inunitam. Quis autem non videt, apertissimam esse in his nugacitatem? vt non immeritò illis Concilijs, in quibus tot Episcopi, tot Prælati, tot doctissimi Viri conuenientes, post longas hinc, indè, vltrò, citròque agitatas rationes, tandē definiuissent; Verbum ità sibi vniuisse naturam humanam, vt non maneret post vnionem, non vnita Verbo. Posset (quod absit) scribi Poetæ dictum; Parturiunt montes nascitur ridiculus mus. Sicùt aliquis cætus Doctorū idem mereretur, qui in frequentissima corona, post longas quæstionum agitationes, tandē definiret, quòd dormiens non vigilat, currens nō stat, viuus non est mortuus, Ens non est nihil. Ergo de necessitate dicendum est, personam, in esse personæ, per nullam harum negationem constitui, nimirùm neque per negationem dependentiæ, neque per negationem vnionis.

Confirmatur primò hæc ratio principalis; Nam cùm omnis negatio, præsertim inseparabilis à subiecto, debeat in aliquo positiuo fundari, assignet, quæsò, Scotus fundamentum illius negationis; Non est existentia, quia existentia, si semel distinguitur ab essētia, & non est constitutiua suppositi, vt debet tenere Scotus, dicēs, suppositum, in esse talis, per negationem constitui, debet esse posterior supposito, & per consequens ista etiam negatione constitutiua suppositi. Si autem existentia ab essentia nullo modo differat. Ergo, si fundatur in existentia immediatè, fundabitur in essentia, de quo statim.

Neque potest esse fundamentū huius negationis aliquid positiuum medium inter essentiam, & existentiam; Nam si illud admittat Scotus, illud nos vocamus subsistentiam, ad quam negatio communicabilitatis sequitur, & sic verbis tantùm à nobis differt Scotus. Deberet ergo illa negatio fundari immediatè in essentia, hoc autèm esse non potest.

Prob: quia ex hoc sequeretur, in Christo fuisse personam creatam, quod sic euidenter deduco. Vbi est natura cum hac negatione, ibi est persona, ex sententia Scoti. Sed in Christo esset natura cum negatione suppositi, quod hæc negatio haberet pro fundamento ipsam essentiam, cū n. hæc negatio nō qualitercunq; in essentia fundetur, sed in essētia completa, & perfecta, quia natura, quæ est capax subsistendi, est iam natura completa, & perfecta (subsistere enim neque partibus, neque alijs incompletis, imperfectisque potest competere) non poterit vtique tolli ab humanitate per vnionem ad Verbum. Probatur, quia negatio, quæ fundatur in aliquo cōpleto, & perfecto, qua tali, non tollitur per additionem, sed per sub-

subtractionem, quia negatio non tollitur per se, sed per variationē positiui, in quo fundatur, quæ variatio tantùm potest esse, vel cùm aliquid de nouo additur fundamento, vel cùm illi aliquid subtrahitur. Negatio ergo, quæ fundatur in esse completo, qua tali, debet tolli per variationem completi: Completum verò, qua tale, non variatur per additionem, nam completo repugnat additio. Ergo tantùm variabitur per subtractionem, ac per consequens negatio fundata in esse completo nō tollitur per additionem, sed per subtractionem. Ergo cum in Christo nihil de essentialibus naturæ humanæ vnitæ ad Verbum fuerit subtractum, sequitur euidenter, illam negationem, etiam per vnionem manere in humanitate, ac per consequens illam humanitatem esse personam.

Dices fortè in fauorem Scoti, non omnem negationem tolli per destructionem fundamenti; in aere enim tolluntur tenebræ, & in intellectu priuatio visionis beatificæ, & in materia priuatio formæ, non per subtractionem, sed per additionem alicuius positiui.

Sed contra est; quia inter hæc, & negationem, de qua agimus, est magna disparitas: nàm hæc omnia in defectu, & imperfectione positiuorum fundantur, & ideò non mirum, quòd per additionem alicuius positiui tollantur, nempè tenebræ, per positionem lucis in aere, priuatio visionis beatificæ, per positionem luminis gloriæ in intellectu, & tandem priuatio formæ in materia, per positionem formæ, & vnionis ad ipsam; Iam verò illa Scoti negatio in esse completo, & perfecto ipsius essentiæ fundatur. Ergo nisi ab essentia tollatur esse completum, quod tantùm per subtractionem, & non per additionem fieri potest, vt diximus, illa negatio ab essentia non tollitur. Vnde ad illud, quod dicitur; non omnis negatio tollitur per destructionem fundamenti, verum est, si de fundamento materiali sermo sit, falsum, si loquamur formaliter, realiter tamen; nam illa res debet realiter acquirere, vel deperdere aliquid, & sic realiter mutari ad hoc, vt consequentem se negationem amittat.

Confirmatur secundò argumentando ad hominem contra Scotum; nàm Scotus concedit, posse fieri Diuina virtute, vt suppositum creatum alienam naturam terminet. Quæro itaque à Scoto; Verùm hoc humanitas Christi possit, nec ne? Si dicat, quòd potest, habeo intentum, quod ex Scoti doctrina sequatur, humanitatem esse personam. Si dicat, quòd non; quæro quid illi desit, vt non possit? Si dicat, de esse aliquid positiuum, iterùm habeo intentum, quia persona in esse talis constituitur per aliquid positiuum. Si dicat, quòd deest illi negatio.

Contra est. Terminatio realis debet esse per realem vnionem. Sed ens positiuum negatiuo tra-

liter vniri non potest, vt per se patet; negatio enim, vt sic, nō potest esse terminus formalis vnionis realis. Ergo. Et idem argumentum posset fieri contra Scotum in alijs suppositis, quærendo; per quid Petrus v.g. posset terminare naturam Pauli, si semel illam potest terminare, saltem supernaturaliter, vt vult Scotus, per positiuum quid, vel negatiuum? & quidquid dixerit Scotus, argue, vt supra arguebas.

§. 2. *Aliæ rationes pro conclusione cum suis impugnationibus afferuntur.*

PRobatur secundò nostra Conclusio ratione principali Theologica, ex sacratiss. Trinitatis mysterio desumpta. Ratio personæ formaliter inuenitur in Diuinis, vt ostendit Angel: Doctor 1. p. q. 19. ar. 3. & ratio id manifestè conuincit; Tùm, quia tota definitio Personæ, quòd nimirùm sit *rationalis naturæ indiuidua substātia*, conuenit Personæ Diuinæ, vt ostendunt Salmat. circa illum articulum D. Thom: in Tractatu de Trinitate. Tum etiam, vt arguit ipse Angelic: Doctor loco citato, cùm ly, *persona*, significet id, quod est perfectissimum in natura intellectuali, ratio personæ in Deo ponenda est, in quo quidquid est perfectionis in Creaturis, eminentissimo modo inueniri debet: Tunc sic arguo. Ratio personæ inuenitur in Diuinis, sed personæ Diuinæ non constituuntur per aliquid negatiuum, vt docet ipse Scotus, censens, probabile nō solùm esse necessariàs tres relationes, sed etiam tres rationes personales absolutas, quibus personæ illæ constituantur. Ergo ratio personæ non cōstituitur per aliquid negatiuum. Ergo & ratio suppositi, vt sic; quia suppositum in natura rationali est persona.

Respondebis fortè cum Patre Ioanne de Lugo, cui hæc ratio videtur inefficax, concedendo maiorem, & minorem, sed negando consequētiam, quia variatur suppositio, transeundo à Diuinis ad creata; Longè enim alia est ratio de Diuinis, & de creatis, cum Deo, & creaturis nihil possit esse commune vniuocum; Et sicut nō arguimus ex Diuinis ad creata, quòd, sicut ibi subsistentiæ personales sunt quid relatiuum, ità & in creatis, vel sicut ibi natura, vt præintellecta personalitatibus, subsistit per subsistentiam absolutam sibi propriam, ità & hic; sic neque licebit arguere, quòd sicut in Diuinis personæ constituuntur per aliquid positiuum, ita & in creatis; Illud enim Diuinis cōpetit ob summā, & eminentissimam illorum perfectionē, quę in creatis inueniri non potest. Sed

Contrà est; nàm, vt eruditè ostendunt nostri Salmatic: tom. 1. sui Cursus Theolog: tract. 3. disput. 1. dub. 1. omnes perfectiones simpliciter simplices, repe-

riuntur

riuntur formaliter in Deo. Perfectionem verò simpliciter simplicem definiunt communiter Theologi, *quòd sit melior ipsa, quàm non ipsa, vel qualibet incompossibilis cum ipsa*. Ergo cùm ratio personæ sit perfectio simpliciter simplex; Persona enim est quid perfectissimum in genere substantiæ, estque melior ipsa, quàm non ipsa, vel incompossibilis cum ipsa, ratio personæ formaliter secundùm rationem sibi propriam reperietur in Deo; quod etiam in argumento ex ipso Angel: Doctore probaui, Neque hoc à quopiã Catholicorum negari potest, esse enim hoc certum secundùm fidem, vt ostendunt nostri Salmatic: de Trinitate disput. 9. dub. 2. §. 1. Tunc sic insurgo contra responsionem. Ratio personæ in Deo reperitur formaliter. Ergo in Deo reperitur id, quod est constitutiuum personæ in esse talis; hoc enim petit continentia formalis. Ergo quale videmus constitutiuum personæ in Diuinis, tale debet esse in creatis, quamuis sub alio, longeque imperfectiori modo essendi, ac per consequens cùm in Diuinis Personæ Diuinæ constituantur relationibus realibus, vt communiter docent Theologi, & ipse Scotus concedit, immò vltra relationes, aliquas rationes absolutas, & positiuas ad constitutionem Diuinarum personarum requirit, (in quo tamen eius opinio communiter à Theologis reijcitur,) etiã in creatis constitutiuum personæ, proindeque suppositi, qua talis, debet esse quid positiuum. Vnde non est variata in argumento suppositio, sed ex Diuinis ostendimus, rationem Personæ, vt sic, constitui aliquo positiuo, ac proinde rationem personæ creatæ, contentam sub ratione Personæ, vt sic, debere eodem modo constitui.

Nec refert, quòd in Deo sint sub eminentissimo modo essendi, ex quo illa in Diuinis oriuntur, quæ in solutione adducuntur; modus enim essendi non variat rationes formales rerum. Vndè in Deo ponimus secundùm suas rationes formales, relationes, sapientiam, scientiam, & similia, quæ quamuis ex modo essendi in creatis sint accidentia, & in Deo substantia, tamen illarum rationes formales, etiam sub illo eminentissimo essendi modo saluantur. Quod autem insolutione additur, Deo, & Creaturis nihil esse commune vniuocum, fateor ità esse, sed sicut hoc non obstat in relatione, v.g. vel scientia, vt sicut ratio constitutiua relationis creatæ est *esse ad*, ita & Diuinæ; vel sicut ratio constitutiua scientiæ creatæ est, quòd sit *cognitio rei per causam*, Ità & Diuinæ, sic etiam non oberit, quominùs ratio constitutiua personæ creatæ sit similiter positiua, sicut & Diuinæ, licet illa sit relatiua, & supponat naturam subsistentem, hæc verò non: Immò, vt fusissimè probant nostri Salmatic: ratio personæ Diuinæ non est vniuoca, sed analoga, re-

ſpectu trium perſonarum; quis tamen ſanæ mentis inferet alterius rationis eſſe conſtitutiuum Perſonæ Patris, à conſtitutiuo Perſonæ Filij ita, vt vnum poſſit eſſe poſitiuum,& aliud negatiuum. Sic ergò, etiamſi nomen Perſonæ ſit Analogum reſpectu creatarum, & increatarum Perſonarum,tamen ratio formalis conſtitutiua perſonæ debet formaliter, & intrinſecè ſaluari in vtriſq; Hoc enim non ſolùm vniuocatio,ſed etiam Analogia proportionalitatis propriæ requirit, quamuis ob modum eſſendi longè imperfectius ſit cõſtitutiuum perſonæ creatæ, quàm Diuinæ.

Et hinc ſumitur efficaciſſimum argumentum contra Scotum. Natura Diuina,quamuis ſit per ſe,& eſſentialiter ſubsiſtens, nec ſit alicuius abſoluti capax, per quod reddatur incommunicabilis; quia ſibi omnia abſoluta sũt cõmunia, tamẽ debet illi addi aliquid poſitiuum,licet relatiuum,virtualiter ab ipſa diſtinctum, quod illam reddat incommunicabilem. Ergò à fortiori natura creata, quæ non eſt per ſe,& eſſentialiter ſubſiſtẽs, nec incommunicabilis, requiret aliquid ſibi addi poſitiuum,quod illam, & ſubsiſtentem reddat, & incommunicabilem; Si enim natura Diuina, quæ eſt ſimpliciſſima, non poteſt vnum ex his effectibus habere ſine additione virtuali alicuius poſiti, qumodo natura creata vtrumq; habebit? niſi aliquid illi poſitiuum ſuperaddatur?

Vrgetur hoc magis ad hominem contra Scotum; nàm, in ſententia ipsius,proprietates conſtitutiuæ perſonarum in Diuinis diſtinguuntur formaliter ex natura rei à natura Diuina, & tamen dicit,illas eſſe poſitiuas,non obſtante ſumma ſimplicitate, & perfectiſſima Dei actualitate.Cùr ergò in Creatis, vbi eſt imperfectio, compoſitio, & potentialitas, non concedit,quod in Diuinis admittit? Cur naturam creatam ex ſe imperfectã paucioribus vult egere,quàm Diuinam, vt ad ſuam vltimam perfectionem, nempe ad eſſe perſonale, perueniat?

Probatur tertiò noſtra Concluſ. ratione Philoſophica. Perſona eſt quid perfectiſſimum in genere ſubſtantiæ, vt docet S. Thomas 1.p.q. 29.a. 3. & communiter admittunt omnes; Vnde neque partibus, neque incompletis, neq; habentibus eſſe ſolùm, vt *Quo*, competere poteſt.Ergò non poteſt conſtitui per aliquid negatiuum; cùm enim conſtitutum ſequatur naturam ſui conſtitutiui, repugnat,vt id, quod eſt perfectiſſimum,qua tale, per aliquid omni perfectione denudatum,qualis debet eſſe negatio, cùm ſit non ens, conſtituatur: Maximè, quia per id, per quod natura in eſſe perſonæ conſtituitur, & in eſſe ſubſtantiæ completur, & fit ſubſtantia prima. Quis autem ſanæ mentis dicat, ſubſtantiam in eſſe ſubſtantiæ,hoc eſt,in eſſe entis perfectioris accidentibus, compleri per id, quod eſt formaliter non ens, vel

in

Digitized by Google

in esse primæ substantiæ(quæ quidem iuxta Philosophum est maximè, & perfectissime substantia) constitui?

Confirmatur primò. Negatio communicabilitatis de necessitate supponit aliquod positiuum in natura pro suo fundamento, cui repugnat communicatio. Ergo negatio hæc non constituet, sed supponet suppositum: Conseq; patet, nam illud positiuũ, quod supponitur, sicut reddet naturam incommunicabilem, ita constituet illam in esse suppositi, ac per consequ. antequam intelligatur negatio, iam intelligetur constitutum suppositum. Anteced. autem prob. quia repugnat, vt negatio incommunicabilitatis fundetur in ipsa natura, quæ de se est communicabilis, sicut repugnat, vt negatio lucis fundetur in luce, & generaliter quæuis negatio in forma ponente id, quod illa negat; aliàs idẽ esset, & non esset. Ergò debet priùs natura per aliquid positiuum reddi incommunicabilis, quàm recipiat negationem incommunicabilitatis.

Vrgetur magis hoc ipsum; quia negationes competentes rebus non sunt constitutiuæ rerum, hoc enim implicat, sed ad illarum constitutiua consequuntur. Sicut v.g. ad gradum substantiæ, qui constituit ens per se, consequitur negatio essendi in alio. Ergò etiam negatio incommunicabilitatis nõ est constitutiua suppositi, quamuis consequatur suppositum.

Confirmatur 2. Illud, quod cõstituit suppositum in esse suppositi, constituit illud in esse principij *quod*, actionum, nam actiones sunt suppositorum. Sed hoc non potest competere negationi, quæ est non ens; nam vnumquodque agit, secundùm quod est ens, & in actu. Ergò, &c.

Ex his igitur patet, Subsistentiam, quam addit suppositum naturæ, esse quid positiuum reale, ad genus substantiæ pertinens, sicut vltimum ipsius complementum, reddens naturam incõmunicabilem positiue, & ideò ad illam consequuntur negationes ad *esse in alio*, vt *quo*, tàm actualiter, quàm aptitudinaliter, & capacitates ad personales realitates, vt sunt actus essendi, & filiatio, & *quod est*, & *habens esse*, & reliqua, quæ hypostasi attribuuntur.

§. 3. *Argumenta contraria Soluuntur.*

PRimum ex Authoritate Damasceni lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 6. vbi dicit. *Toti humanæ naturę, totam Diuinitatis essentiam vnitam asserimus: Neque enim Deus Verbum quidquam eorum, quæ cùm nos initio fingeret, naturæ nostræ inseruit, prætermisit; Sed omnia assumpsit, hoc est, corpus, animam intelligentem, & ratione præditam, eorumq; proprietates Anima enim, quæ vnius horum expers est, hominis nomẽ substinere nequit. Totum quippè me totus assumpsit, ac totus toti vnitus est, vt toti salutem*

affe-

afferat: Nam alioqui ne medicina quidem ei allata est, quod assumptũ non est. Ex qua authoritate duo habentur, ex quibus nostra senteutia impugnatur. Primum, quia, vt dicit Damascenus: Verbum totũ assumpsit, quod cùm nos initio fingeret, naturæ nostræ inseruit. Sed quidquid positiuum, & reale est, illi inseruit, aliàs darentur in nobis aliquod ens reale positiuũ independens à primo ente. Ergò quidquid reale, & positiuum in nobis est, assumpsit: Ergò cùm non assumpserit personam, persona in esse talis non constituitur per aliquid positiuum.

Aliud est, quia, vt ex Damasceno habetur, non est sanatum, quod non est à Verbo assumptũ. Ergò si persona in nobis dicit aliquid positiuum, aliquid positiuũ in nobis erit, quod morte Christi sanatum non est, immò illud non sanatum manebit, quod propriè per peccatum vulneratum fuit, quia sicut operari, ita & malè operari, seù peccare attribuitur Personæ. Ergò illa est, quæ potiori titulo vulnerata est per peccatum.

Resp. ad hanc vtramque ex authoritate Damasceni instantiam, & ad primam quidem dicimus, verissimum esse, etiam ad rigorem Theologicum, Damasceni dictum: non tamen esse contra nos; Damascenus enim clarè se explicat, quòd de totalitate essentiali loquatur: nam & titulus huius Capitis nihil aliud illum in hoc Capite tractaturum præmittit, nisi; *Quòd tota Diuina natura in vna suarum personarum, toti naturæ humanæ vnita sit.* Et in verbis citatis, sicut & in toto processu Capitis, clarè de sola natura loquitur. Vnde non dixit *totum* quidquid nobis, vel nostræ personæ, sed *totũ, quod nostræ naturę inseruit, assumpsit*, quod est verissimum, quia Christus assumpsit integram naturam humanam in vno indiuiduo. Vndè & paulò inferiùs idem assumptum probans, dicit; *Quonam autem pacto Deus perfectus, & homo perfectus, eiusdemque cum Patre esse Christus essentiæ diceretur, si quadam Diuinæ naturæ pars eidem humanæ naturæ parti in eo coniuncta est: Dicimus autèm, nostram naturam à morte ad vitam excitatam esse, & in cœlum ascendisse, & ad Patris dexteram consedisse, non quòd omnes hominũ personæ reuixerint, aùt ad dexteram Patris sedeant, sed quòd toti naturæ nostræ in Christi persona hoc contigerit.* Eccè claram Damasceni mentem.

Nec refert, si dicas, Damascenum in eadem authoritate dixisse, *Totum quippè me totus assumpsit*. Ergo cùm ly, me, significet personam, debuisset assumi persona, si esset quid positiuum.

Resp. enim, ibi per ly, me, non signari personam, sed naturam, vt sit sensus: Totum me, id est, totam naturam meam, Nam si rigorem significationis tenere velles, cùm ibi ly, me, non qualemcunque personam, sed personam Diui Damasceni determinatè significet, deberes dicere;

D.Da-

D. Damascenum fuisse ad vnionem hypostaticam à Verbo asũptum.

Secunda instãtia aliquam difficultatem, & quidem multas materias Theologicas inuoluentem habet; quibus tamen profundiùs nos (nisi quantùm necessitas cogit) non immiscendo.

Resp. Supponendo ex nostris Salmatic: to. 4. tract. 13. de Vitijs, & Peccatis, disp. 14. dub. 1. n. 14. Peccatum originale per se primò attribui naturæ iuxta illud Apostoli ad Ephes: 2. *Eramus aliquando filij iræ*, & secundariò personæ: Vnde & paruulis statim ex ipsa conceptione inest, non per aliquam personalem operationem, sed per solius naturæ in generatione transfusionem. Et huius fundamentum est; quia cõmissum fuit ab Adamo, secundũ quòd erat Caput, vicesque gerebat totius humanæ naturæ, & secundùm quòd pro se, & pro tota illa iustitiam originalem acceperat, desumiturque hæc doctrina Salmatic: ex S. Tho: in 2. dist: 2. q. 1. ar. 2. vbi ait. *Peccatum originale est primò, & per se infectio naturæ, & per consequens inficit personam, secundùm quòd dispositio natura in personam redundat*. Cum ergò licèt tam originale, quàm actualia peccata morte Christi deleta sint, tamen, vt docet D. Tho. 3. p. q. 1. a. 4. in Corp. principaliùs Christus venit ad tollendum peccatum originale, quàm actualia, immò, vt idem Angel. Doct. & cum illo tota Schola Thomistica defendit, *Si Adam non peccasset, Filius Dei incarnatus non fuisset*: D. Damascenus, attendens ad primarium finem incarnationis, nempè ad sanitatem vulnerum, à culpa originali inflictorum, quæ quidem naturam primò afficiunt, & ex cõsequenti, personam, dixit, *sanatum non esse, quod assumptum non est*; illa nimirùm sanitate primario intenta, quæ est à peccato originali, & quæ competit naturæ; Et sic non sequitur, personã, vel esse assumptam, vel non esse sanatam, sed sicut illa culpa, propter quam abolendam principaliter Verbum fuit incarnatum, primariò infecit naturam, & secundariò personam; itá assumpta, & sanata natura, etiam ex consequenti sanata fuit persona, quamuis non fuerit persona assumpta.

Vndè patet solutio etiam ad illud, quod in Obiectione dicitur, nimirùm peccatum potiùs lædere personam, cuius est operari, non naturam, intelligendũ namque est, non de peccato originali, sed de actuali, vt ex dictis patet.

Nec refert, si dicas, ex nostra solutione sequi, quòd sicùt secundariò fuit persona sanata, etiàm secundariò saltem assumpta.

Negamus enim Consequentiã, & ratio disparitatis est manifesta; quia persona est quidem sanabilis, non tamen assumptibilis.

Resp. 2. ad hanc secundam instantiam, ex authoritate Damas-

sce-

sceni factam; Ibi S. Damascenum disputare contrà quosdam hæreticos sui temporis, qui dicebant, Verbum solùm Carnē assumpsisse, & non Animam: quorum errorem ipse S. Damascenus in eodem Capite refert, dicens: *Enimuerò mens personaliter ipsi vnita, Diuinitatis sedes extitit, quemadmodum, videlicet, & caro, non autem contubernalis, velut Hæretici, impio opinionis errore, sibi fingunt, (non enim, inquiunt: quod vnius tantùm medij capax est, duo media continebit) corporea nimirum ratione ea, quæ materia vacant, metientes.* Contra istorum ergo ineptias ibi disputans Damascenus dixit, quòd *non fuisset sanata, si non fuisset assumpta,* quod verissimum est, immò non assumpta, nec sanata anima, totus homo non fuisset sanatus, cum gratia sanctificans, quæ peccatum pellit, in sola anima recipiatur, vt communiter docent Theologi.

Secundum aduersariorū argumentū est ex authoritate S. Tho: 3. p. q. 4. a. 2. in responsione ad secundùm, vbi dicit Angel: Doctor: *Dicendum, quòd naturæ assumptæ non deest propria personalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat, sed propter additionem alicuius, quod est supra humanam naturam.* Sed si personalitas esset quid positiuum, cùm hæc desit Christo, & ad perfectionem, humanæ naturæ spectet, tanquàm complementum ipsius, iàm Christus non diceretur persona, propter defectum alicuius, ad perfectionem humanæ naturæ spectātis. Ergò ex mente S. Doctoris subsistentia, seu personalitas non consistit in aliquo positiuo. Et vrgetur hoc ampliùs, quia non gratis S. Doctor dixit, *ad perfectionem* humanæ naturæ, non verò ad humanam naturam, vt præcluderet viam effugio, si diceremus, Christi naturæ nihil deesse; quia habet integram naturam humanam.

Respon: de mente S. Doctoris nullum dubium esse, quòd ille posuerit in Christo defectum alicuius positiui, ratione cuius illa Humanitas non est persona; nā statim in solutione sequentis argumenti, tertij videlicet, istud clarè innuit, quando explicans illa verba *Innocentij Tertij* in Decretalibus; *Quòd Persona Dei consumpsit personā hominis*, dicit ipse Angelicus Doctor: *Ad tertium dicendum, quòd consumptio ibi non importat destructionē alicuius, quod priùs fuerat, sed impeditionem eius, quod alitèr esse posset: Si enim humana natura non esset assumpta à Diuina Persona; natura humana propriā personalitatē haberet, & pro tanto dicitur, personā cōsūpsisse personā, licet impropriè; quia Persona Diuina sua vnione impediuit, ne humana natura propriā personalitatem haberet.* Deest ergo aliquid positiuum Naturæ humanæ Christi, quod, iuxtà verba S. Thomæ, habuisset, si vnita non fuisset. Dicimus ergo cum Caietano, quòd ibi S.

Do-

S.Doct.loquitur de Natura,vt cõtradistincta à Persona, seù de Natura secundùm se,vt planè ex textu patet; illud autem positiuum, quòd nos *subsistentiam* dicimus, spectat quidem ad complementũ naturæ, sed non, vt natura, sed vt iam persona.Et cùm vrgetur;quia scil: non dixit, spectans ad naturam, sed ad perfectionem naturæ, quasi distinguens naturam à perfectione; Respondetur hanc coniecturam de mente Angel: Doct: vanam esse, & nos possumus efficaciùs conijcere de mẽte S. Doct: in fauorẽ nostræ assertionis: Nàm non gratis S.Tho:non dixit, quòd Humanitati nihil deest, sed illam restrictiuam addidit, (nihil deest ad perfectionem naturæ spectans) vt, exceptione firmante regulam in oppositum, innueret,se sentire, deesse illi aliquid,quo posito,esset persona,sed nihil illi deest ad perfectionem, idest integritatem naturæ, qua talis, spectans; quod etiam nos libenter fatemur.

Tertium argumentum ex authoritate eiusdem S. Doct. in 3. d.6. q.1. ar. 2. ad 5. vbi hæc habet. *Dicendum, quòd hoc, quod facit, coniunctum ex corpore, & anima esse hominem,non est,præter animam,& corpus,& vnionem,aliquid positiuè,sed ex hoc ipso, quòd ipsum compositum ex anima, & corpore non adiungitur alteri subsistenti in natura composita,sequitur, quòd cõiunctum sit homo*. Ergo cùm *homo* dicat suppositum naturæ humanæ,suppositum supra naturam nihil positiuum addet, nisi solam negationem.

Resp. admissa integra authoritate D.Thomæ, negando suppositionem consequentiæ, illud nimirùm, quod dicitur, quòd *homo* dicat suppositum humanæ naturæ. Iam enim S. Doct: in eodem articulo explicauit in responsione ad 4. quid per ly *homo* intelligat,vbi dicit, quòd *homo significat humanam naturam, & supponit pro supposito subsistente in natura illa*: homo itaq; non significat suppositum; Vnde iuxta S: Doct:eo ipso,quòd compositum ex anima,& corpore nõ adiungitur alteri subsistenti, sine aliquo positiuo superaddito, est homo, quia eo ipso,& sine aliquo positiuo superaddito, supponet pro supposito proprio, non tamen esset suppositum, nam ad hoc deberet, illi addi aliquid realiter distinctum ab illo,nempè subsistentia;Vnde S.Doct:non dixit,quòd illud coniunctum, cum sola negatione essendi in alio,erit suppositum, sed quòd erit homo: Et concludens responsionem dicit: Si *Christus naturam humanam, quam assumpsit, deponeret, ex hoc ipso esset homo illud coniunctum*: nunquàm verò intulit, quòd esset suppositum.

Quartum argumentum Aureoli apud Capreolum, quia ex nostra sententia sequuntur plura absurda. Primum, quòd Verbum non esset homo, ac proinde ista esset falsa: *Filius Dei est homo*; cùm,illa terminatio,si poneretur, non esset ipse homo. Secundum, quòd prima substantia non haberet rationem primæ substantiæ

per ipsã essentiã, sed per realitatẽ distinctã ab ea, & sic secundę substãtiæ essent magis substãtiæ, quã primæ, quia prima in quãtùm prima, non esset substantia; cuius oppositũ dicit Philosoph: in Prædicamentis. Tertium, quòd nulla res subsisteret per se, sed per aliud à se, sicut nec corpus terminatur per se, sed per superficiem; cùm tamen in scholis hæc non concedatur: *corpus terminatur per se*; hęc verò conceditur: *Substãtia subsistit per se*. Quartũ est, quòd substantia subtracta illa realitate, haberet magis rationem suppositi, quàm constitutiuum ex natura, & ex illa realitate: suppositum namque est, quod primò, & principaliter, & maximè substat; natura autem huiusmodi, quoniam substat illi realitati, cui tamen compositum ex vtroque non substat, cùm sit pars illius, primò, & principaliter substabit. Sed hæc omnia sunt absurda. Ergo &c. Plura ibi absurda adducit Aureolus, sed quia illorum solutio iam patet ex dictis, vel plura, quàm præsens institutum patiatur, ex mysterio Incarnationis ingerit tractanda, ideò omittuntur. Ad hæc verò, quæ adduximus.

Resp. negando hæc absurda, In quantum verè absurda sunt, ex nostra sententia sequi: Addidi in quantum absurda sunt; nàm aliqua fatemur sequi, sed in sano sẽsu, negamus illa esse absurda, vt statim declarabitur.

Ad primum itaque negatur sequela, quæ non rectè probatur per hoc, quia illa terminatio non est homo; verum enim hoc est de illa terminatione præcisè, non tamen de constituto per illam terminationem: Natura enim humana terminata per subsistentiam est homo, non autem ipsa terminatio, vel natura, & sic etiam Verbum præcisum à natura humana, quam terminat, non est homo, aliàs etiam ante Incarnationem Verbum esset homo, quod est falsissimum, sed Verbum terminãs naturam humanam est homo, sicut & illa realitas creata terminans, & coniuncta naturæ humanæ, est homo, & vt videas nullitatem argumenti contrarij, attende ad differentias constitutiuas specierum, & determinatiuas generum; ex hoc enim, quòd rationalitas non est animal, quis sanæ mentis inferet? Ergo constitutiuum per rationalitatem non est animal.

Ad secundũ resp: disting. sequel: nàm quando dicitur: sequeretur, quòd prima substantia non esset substantia per essentiam: distinguitur *ly* per essentiam; non esset substantia per essentiam completam, & terminatam; Nego; per essentiam incompletam, & nondùm terminatam; Concedo: Non sufficit enim ad rationem primæ substantiæ essentia sine termino, sed quia illa realitas, qua terminatur essentia, vt sit prima substantia, non ponit in numero cùm ipsa essentia, vt est essentiæ primæ substantiæ formaliter, & reduplicatiuè, ideò non sequitur, quòd prima

ma

ma substantia, non sit substantia, vel per essentiam, sed per additum, vel vt prima; sicut à simili non est verùm, quòd homo, inquantùm homo non sit animal, quamuis rationalitas, quæ est cõstitutiua hominis, non sit animal. Et multò minus sequetur, quòd secundæ substãtiæ sint magis substantiæ, quàm primæ; nam non minùs primæ, quam secundæ, sunt substantiæ per essentiam, sed, iuxta proprietatem essentiæ vtrique substantiæ competentem, illæ erũt substantiæ per essentiam completam, istæ verò per incompletam. Quamuis aliundè, vt ostendit Philos. in Prædicamentis, substantiæ primæ sint magis substantiæ, quam secundæ.

Ad tertium resp. si illa illatio (sequeretur, quòd nulla res creata subsisteret per se) hunc sensum faciat, quòd non subsisteret per suam essentiam incompletam, verissima est, sed absurda non est: Ad hoc enim, vt aliquid subsistat, debet habere essentiam terminatam, per quam terminationem sistat, vt ipse verborum sensus indicat. Si verò intelligatur, quòd nulla res subsisteret per se, idest per suam essentiam terminatam, & completam, falsa est, neque ex nostra sententia sequitur; quælibet enim substantia per suam essentiam terminatam subsistit, nec subsistere per proprium terminum distinguitur à subsistere per se, quoniam proprius terminus est aliquid sui, sicut & linea dicitur terminari per se, licet terminetur puncto, quia punctum est aliquid lineæ; & similiter corpus respectu superficiei: Et ratio horum est iam insinuata, quoniam non sic est aliud terminus proprius, quia sit aliquid terminati. Ex quo patet solutio ad illud, quod in argumento dicitur, quòd hæc non conceditur à Philosophis: *Corpus terminatur per se*; hæc vero conceditur: *Substantia per se subsistit*: Vtraque enim harum propositionum in eodem sensu est vera, vel falsa: nàm vera est, si accipias tàm corpus, quàm substantiam completam, & terminatam; falsa verò vtraque si sermo fiat de corpore, vel substantia incompletis, & interminatis: Sæpiùs tamen illa prima negatur in scholis propter aliquorum opinionem, indiuisibilia terminatiua quantitatum negantium: Sed sanè intellecta est, & prout à nobis explicata est, verissima est, & concedi potest.

Ad quartum negatur sequela; cuius probatio supponit falsum, quoniam terminatum non substat termino. Aliud est enim subesse alicui, aliud terminari per illud; quod qualiter verum sit, infrà patebit, vbi quæremus: An natura respectu subsistentiæ exerceat aliquam causalitatem?

Quintum argumentum. Si personalitas est aliqua realitas. Ergo ens; Ergo quidditas, & Quid. Ergo Natura aliqua; Quidditas enim Natura est; Ergo assumptibilis à Verbo; cùm omnis natura sit assumptibilis, vt communiter docẽt Theologi. Sed hoc est falsum,

quia Persona non est assumptibilis. Ergo &c.

Resp. disting. consequ. Ergo ens, quod est, vel esse potest, nego; Ergo ens, quo aliquid est, vel esse potest; concedo: Huiusmodi enim entitates, & realitates non sunt entia, quæ sint, sed quibus aliquid fit, vt patet à simili de vnione, & existentia; & ideò, propriè loquendo, non sunt quiddiṭates, & naturæ, hoc enim competit illis realitatibus, quæ sunt constitutiuæ rerum, quæ esse possunt; & per consequens personalitas neque erit assumptibilis à Verbo. Maximè cùm subsistentia separata ab essētia non possit dari, vt infra ostendetur, coniuncta autem essentiæ facit, incommunicabile, & per consequens inassumptibile.

Sextum argumentum; quia sequeretur ex nostra opinione, quòd suppositum esset quarta substantia constituta ex tribus, scilicet, materia, forma, & illa realitate; quod est contra Philosophum triplicem tantùm substātiam admittentem, nimirum materiam, formam, & compositum ex vnione materiæ, & formæ consurgens. Ergo &c.

Resp. neg. sequel: in rigore, & proprietate sermonis, quia cùm illa realitas addatur essentiæ singulari, vt terminus, non ponit in numero cum illa, cùm terminus sit aliquid rei terminatæ, vt iam diximus: Benè tamen sequitur, quòd vltra substantiam sumptam pro essentia, quæ resoluitur in materiam, & formam, & quæ ponit substantiam compositam etiā singularem, inuenitur, non quidē alia substantia, sed aliter substantia, nempè hypostasis, quæ, quia nihil addit supra singularem essentiam, nisi terminum non ponit in numero cum illa, & suis partibus.

QVAESTIO IV.

Vtrùm illud, quod suppositum addit supra naturam, sint principia indiuiduantia? vel aliquod aliud accidens? vel tandem aliqua connotata? quæcunque illa sint.

Postquam in superiori quæstione determinauimus, suppositum addere aliquid positiuū supra naturam singularem, statim pulsat animū alia quæstio: Quidnam sit illum positiuum? Circa quod, quia multiplex est Authorum opinio, in hac vna quæst. omnia nō possunt explicari: In præsenti tamen quæstione tres opiniones minus difficultatis habentes, & ideò specialibus quæstionibus, non indigentes, simùl tractandas coniunximus, vt, his breuiter refutatis, ad grauiora transeamus.



§. 1.

§. 1. *Duæ priores sententiæ referuntur, & refutantur.*

EST ergo prima sententia, quæ asserit, positiuum illud, quod naturæ suppositum addit, esse principia indiuiduantia. Ita aliqui, quos, suppresso nomine, citat Suarez disp. 34. Metaph: sect. 3. vbi dictus Auctor duplicem sensum huius opinionis excogitauit: Dicit enim, quòd quando dicitur, suppositum addere supra naturam principia indiuiduantia, siue indiuiduationem ipsam, potest hoc intelligi, vel de indiuiduatione ipsius naturæ, & hunc sensum, dicit, esse falsum, vt & nos statim dicemus, vel de indiuiduatione suppositi, vt suppositum est, & hic posterior sensus (inquit ille) est verus, loquendo de singulis suppositis; nàm clarum est, vnumquodque constitui in ratione talis suppositi per singularem, & propriam subsistentiam suam, quam addit suæ singulari, & indiuiduæ naturæ. Sed, pace tanti Viri dixerim, non video, quomodò possit dici, suppositum supra naturam singularem addere propriam indiuiduationem, quam indiuiduationem potiùs suppositum, sicut & ipsa subsistentia, à natura indiuidua trahat, nec vllus Philosophus dicet; alia indiuiduatione naturam esse indiuiduam, & alia suppositum. Si ergo vna est indiuiduatio suppositi, & naturæ, quomodò propriam indiuiduationem suppositum addet naturæ, cùm ipsum inueniat in natura, quæ ad illud etiam indiuiduandum extenditur. Non ergo in hoc sensu contra Authores oppositæ sententiæ procedemus. Tùm quia falsus est, Tum etiam, quia licet verus esset, ad præsentem quæstionem, vt benè notauit idem Suarez, est impertines, vbi, non de indiuiduatione naturæ, vel suppositi, sed de eo quærimus, quod addit vnũquodque suppositum supra naturam: Porrò iuxta primum sensũ.

Dicimus, quòd illud positiuũ, quod addit suppositum supra naturam, non possunt esse principia indiuiduantia, siue indiuiduatio ipsa. Probatur facilè ex dictis: Nàm in mysterio Incarnationis Verbum assumpsit naturam in athomo, vt cum Damasceno loquuntur Theologi; vnde ibi Humanitas est indiuidua, & tamen illi deest formale constitutiuum personæ creatę, propter cuius defectum non est persona. Ergo id, quod addit suppositum naturæ, non est indiuiduatio, sed aliquid aliud.

Confirmatur, quia, vt nos supra diximus, & docent nostri Complut: in Log: Indiuiduatio, seu, quòd idem est, vnitas numerica, non distinguitur, adhùc in materialibus, realiter à natura, & ipsius vnitate specifica: Sed suppositum, ratione illius superadditi, distinguitur realiter à naturâ. Ergò illud, quod superadditur naturę, non est indiuiduatio. Maximè, quia

Digitized by Google

quia, vt in quæst.2. probauimus, non à quacunque natura, sed à natura singulari, & indiuidua suppositum in creatis distinguitur realiter. Plura argumenta pro hac Conclusione vide apud P. Blasium disp.8. q.5.

Argumenta pro contraria sententia nulla adducũtur, nisi aliquæ Authoritates S. Tho: maximè illa ex 1.p.q.3. in qua S. Doct. videtur docere, quòd suppositum à natura differat per principia indiuiduantia; Sed ad hoc iàm respondimus quæst.2. huius disput. S. Thomam ibi, nomine suppositi, intellexisse indiuiduum, quod est suppositum materialiter; & nomine naturæ intellexisse naturam specificam, à qua suppositũ, vltra sibi propriam distinctionem ratione subsistentiæ superadditæ, etiam per principia indiuiduantia distinguitur, vt ibidem explicatum est. Plures alias authoritates S. Doctoris pro hac sententia adducit, & soluit noster P. Blasius disp. 8. q. 5. Sed quia multa sub solutionibus immiscet cum nostra doctrina non cohærentia, ideò cautè illius solutionibus vtendum est. Prædictæ autem authoritates optimè eadem solutione, qua illa ex prima parte quæst. 3., explicantur. Et eodem modo explicandi sunt D. Basilius Epistola ad Gregorium de differentia hypostasis, & naturæ, & D. Damascenus lib. 3. de Fide Orthodoxa, Cap.4. & 6., vbi dicunt, suppositum exindè differre à natura, quia suppositũ includit singulares proprietates, quas non includit natura.

Secunda sententia est aliquorum, (quos referunt, & impugnãt Heruæus, & Ioannes de Neapoli citati à Caietano) dicentium, quòd suppositum addit supra naturam affectionem, qua natura subest accidentibus, quia Sortes significat naturam, vt affectam accidentibus, natura verò non. Et videntur huic opinioni fauere aliqua S. Thomę loca, sępius enim S. Thom: tractans quæstionem de distinctione suppositi à natura, recurrit ad accidentia, quæ habet suppositum, & non natura.

Dicendum tamen est. Illud, quod addit suppositum naturæ, neque potest esse aliquod accidens, neque aliqua affectio naturæ, qua subest accidentibus. Ita sentire debent omnes, quicunque subsistentiam ad prædicamentum substantiæ reducunt. Bimembris est Conclusio.

Probatur primò quantùm ad primum. Quando dicis, quòd suppositum, in esse talis, constituitur per aliquod accidẽs superadditum naturæ; Vel loqueris de accidentibus proprijs, & connaturalibus naturæ, vel de accidentibus communibus, & omninò extrinsecis: Neutrum dicere potes. Ergo &c. Minor quoad primum, quod sc: suppositum, in esse talis, non constituatur per aliquod accidens proprium, & cõnaturale naturę, probatur, quia in Christi Humanitate sunt accidentia omnia connaturalia humanæ

manę naturæ, & quæ ad illius perfectionem spectare posſunt; Habetur namque ex definitione Conciliorum, quòd Verbum aſſumpsit humanam naturam, cum omnibus proprietatibus connaturalibus: & nihilominùs non eſt in illa natura perſonalitas creata. Ergo &c. Quoad ſecundum verò, quòd ſc: non sit id, quod ſuperadditur, aliquod accidens commune, & extrinſecum, ex ſe patet eadem minor: nàm perſonalitas eſt terminus intrinſecus naturæ, complens illam in ordine ſubſtâtiali. Ergo non poteſt eſſe aliquod accidens extrinſecum illi; immò neque connaturale, quia etiam iſtud complet accidentaliter, & non ſubſtantialiter.

Confirmatur. Verbum, ſuppleuit Perſonalitatem: Sed non ſuppleuit aliquod accidens, alias, inquit inter illud, accidens ſuppletum, & naturam eſt vnio accidentalis; ita inter Verbū ſupplens, & Humanitatē eſset vnio accidentalis, quod tamen eſt falſum, vt probatur in materia, de Incarnatione: Ergo perſonalitas non eſt aliquod accidens: Ergo &c.

Aduertendum tamen eſt, quòd quando dicimus, illud additum naturæ à ſuppoſito non eſse accidens, intelligimus de accidenti propriè, & rigorosè tali; Nam ſi latè vocetur accidēs, quidquid non eſt de eſsentia rei, ſic poteſt ſubſiſtentia accidens vocari, quia, vt iam diximùs, & ex Myſterio Incarnationis patet, ſubſiſtentia non eſt de eſsentia naturæ indiuidualis. Hic tamen modus loquendi non vſurpatur in hac materia, ne ſit occaſio alicuius erroris in Theologia inferendi, vnionem Humanitatis, & Verbi fuiſse accidentalem. Et per hoc poteſt reſponderi ad loca S.Tho: dicendo, illum (cùm dixit aliquando, ſuppoſitum à natura diſtingui per aliquod accidens) intellexiſse, vel de accidenti lato modo, vel certè de accidenti ſubiectiuè, ideſt de ſubiecto accidentis, Nàm natura, ſecundùm ſe, non eſt receptiua accidentiū, ſed ſuppoſitum, quod per ſubſiſtentiam conſtituitur.

§. 2. *Sententia tertia contraria reicitur, & impugnatur.*

TErtia ſententia eſt ſatis celebris, non inter antiquos ſolùm, verùm etiam inter modernos dicentes, illud, quod, ſuppoſitum addit naturæ, eſse aliquod extrinſecum connotatum, quamuis in explicatione huius extrinſeci, quod connotatur, varient: Aliqui enim putant, eſse exiſtētiam: Quod communiter tribuitur Capreolo, & videtur, id docuiſse in 3. d. 5. q. 3. a. 3. ad 1. concluſ. 2. Quamuis ego legendo attentè Capreolum, non viderim, illum huius ſententiæ fuiſse, ſed docuiſse id, quod nos etiam docebimus, vt infrà oſtendam

dam, cùm nostram sententiam explicabo. Iauellus clariùs hanc sententiam sequitur 7. Metaph: q. 17. Alij illud extrinsecū, quod connotatur, dicunt, esse illa omnia, sine quibus natura esse non potest, v.g. proprietates, & alia accidentia connaturalia, existentiam, operationem, &c. Ita Hæruerus in Quodlib: 3. q. 6. sed disputent illi inter se, in quo diffident; nos contra illorum fundamentum, in quo conueniunt.

Dicimus: Illud, quod addit suppositum naturæ, non sunt sola connotata: Dixi sola, Nàm, sicut supra diximus, suppositum non addere supra naturam solam negationem, (quamuis addat & negationem consequentem aliquod positiuum per se, & primariò additum) ita & hic dicimus non addere sola connotata, quāuis enim addat & connotata, sed ista non sunt, quæ suppositū constituant in esse talis, sed illud præsupponunt iam constitutum, vt infra explicabitur. Hanc sententiam debent sequi omnes Authores tenentes; suppositum cōstitu?, in esse talis, per aliquid positiuum, & intrinsecum supposito,

Probatur primò Conclusio ad hominem contra Authores oppositæ sententiæ. Implicat in adiecto dicere, quòd suppositum, & natura distinguantur realiter, & quod suppositum nihil addat naturæ, quod sit intrinsecum ipsi supposito, sed tantùm extrinseca connotata. Sed omnes Authores oppositæ sententiæ conueniunt; in hoc nobiscum, quòd suppositum, & natura distinguantur realiter, & impugnant Durandum contrarium sentientem. Ergo dicere non possunt, quòd suppositū addat naturæ sola connotata extrinseca. Minor, & Consequentia sunt certæ. Maior prob. Distinctio suppositi, à natura, si est realis, non potest esse alia, nisi includentis, & inclusi cùm suppositum, qua tale? essentialiter claudat naturam: Sed implicat in in adiecto, aliqua distingui per modum includentis, & inclusi realiter; & quòd vnum nihil reale intrinsecum dicat, quod non dicit aliud, vt ex ipsis terminis patet. Ergo &c.

Confirmatur: Inquiro ab Aduersarijs: Suppositū, quod dicitis, distingui realiter à natura, & hoc per modum includentis, & inclusi, importat nè aliquid ex suis constitutiuis intrinsecis, quod nō importat natura, nec ne? Si dicas. quòd importat; illud ergo vocamus subsistentiam, & illud est constitutiuum suppositi, non autem extrinseca connotata, Si dicas, quòd non. Ergo sicut nihil intrinsecum dicit, quod non dicat natura, erit intrinsecè idem cùm natura, & non distinguetur per modum includentis, & inclusi ab ipsa.

Dices cùm Aduersarijs, hoc argumento solùm probari, naturā, & suppositū non distingui intrinsecè, nō tamen probari, illa nō distingui extrinsecè: Neq; enim

no-

Digitized by Google

nouum est, aliqua tantùm extrinsecè distingui, vt patet in potentijs, & habitibus, & in alijs specificatis ab extrinseco; de quo videre poteris nostr. Complut. in lib. de An:disp:7.q.1.& in lib. de Generat.disp:4.quæst:vlt:Sic ergo in præsenti suppositum, & natura non distinguuntur intrinsecè, extrinsecè tamen distinguuntur ratione habitudinis ad existentiam, quam suppositum superaddit naturæ; non enim natura, sed suppositum est,cui debetur esse,vt supra ex S.Tho: diximus.

Sed contra est primò: nàm in intelligibile est, aliqua distingui realiter, & tamen distingui solùm ex aliqua re extrinseca; distinctio enim in hoc essentialiter consistit, vt vnum non sit aliud.Ergo realis distinctio essentialiter petit, vt vnum realiter non sit aliud. Ergo eorum, quæ realiter distinguũtur, vnum id realiter debet esse, quod realiter non est aliud.Sed id,quod aliquid realiter est, intrinsecum illi est,vt ex terminis patet.Ergo id, per quod aliquid distinguitur ab alio realiter, debet esse intrinsecum illi: Vnde paries capax albedinis non distinguitur à pariete capace nigredinis, cùm idem paries sit capax vtriusque simul, non simultate actus, sed simultate potentiæ: tamen paries albus etiã à seipso nigro distinguitur realiter,& hoc, non ob aliud,nisi quia primo modo albedo, & nigredo comparantur ad parietem,vt quid extrinsecum ipsi, secundo verò modo vt quid intrinsecum;album enim, vel nigrum dicunt intrinsecè albedinem, vel nigredinem. Ergo &c.

Ad illud verò, quod dicitur de specificatis ab extrinseco resp. quòd argumentũ procedit ex malè intellectis Philosophorum principijs: Quando enim Philosophi communiter dicunt, aliqua specificari ab extrinseco, non ita sunt intelligendi, vt illa sic specificata nullam intrinsecam entitatem habeant,per quã distinguantur; sed radicem tantùm distinctionis illarum entitatum aperiunt, vt patet ex nost. Complut.loco cit:ex lib. de An: Vnde intellectus,& voluntas, & similia non sunt vna realiter entitas solùm ab extrinseco multiplicata, sed verè sunt duæ entitates receptæ in anima,constitutæ per suas rationes intrinsecas, per quas differunt,quamuis radix differendi sit aliquid extrinsecũ, ad quòd essentialiter ordinantur.

Neque hoc, quod de potentijs, vel alijs specificatis ab extrinseco dicitur, rectè applicatur supposito,& naturæ. Quod probo dupliciter.Primò: Nàm specificata ab extrinseco ideò per illud extrinsecum,saltem radicaliter,distinguũtur, quia terminus habitudinis vnius non est terminus habitudinis alterius, sed vel realiter, vel saltem formaliter debent necessariò distingui illa extrinseca, quæ à diuersis specificatis ab extrinseco, tanquam sua specificatiua, inspiciuntur.Iam verò Aduersarij dicunt, quòd illud extrinsecum, penes quod distinguuntur suppo-

situ, & natura, est esse; licet enim Heruæus etiam alia connotata adiungat, hæc tamen, sicut recipiuntur, ita & inspiciuntur mediante esse, & sic habitudo ad esse erit per se prima, & per consequens diuersificans suppositum, & naturam, si semel verum esset, illa per hãc habitudinem diuersificari. Ergo cùm in habitudine ad esse conueniant essentia, & suppositum, siquidem vtraque intrinsecè ordinantur ad esse, & sub eadem ratione, nempè, vt per illud sint extra causas, non poterunt per hanc habitudinem distingui, sed alia esset assignanda, ita propria vni, ut non competat alteri.

Nec valet, si dicas, quòd essentia mediante supposito respicit esse, cum suppositum sit, & non natura, cui debetur esse. Hoc enim in nostra sententia verissimum est, sed id, quomodo in sententia Aduersariorum subsistere possit, non video: Cùm enim, secundùm illos, nihil intrinsecum dicat suppositum, quod non dicat natura, quomodo, quæso, suppositum dicetur mediare inter naturam, siue essentiam, & esse? Ergo &c.

Confirmatur, quia si contendas, suppositum nihil habere intrinsecum, quod non habet natura, & tamen dicis, non naturam, sed suppositum esse receptiuum existentiæ, dicereq; ordinem ad illam, ad aliud principium recurrere non potes, nisi ad istud, vt dicas, hoc ideò esse, quia natura est, vt *Quo*, & suppositum, vt *Quod*. Ergo incidis in sententiam *Durandi* supra impugnatam, suppositum à natura, ex solo modo cõcipiendi, distinguentem.

Contra deinde argumentor sic. Vel illa habitudo est constitutiua suppositi, vel non, sed supponit suppositum constitutum? Si hoc secundum dicatur. Ergo cùm ante illam habitudinem nihil reale positiuum admittas in essentia, per quod in ratione suppositi cõstituatur, ante illam habitudinem nihil erit, nisi essentia præcisè. Ergo si dicis, ante illam habitudinẽ esse suppositum, essentia præcisè sumpta erit suppositum, sicque suppositum, & natura non distinguentur in creatis, nisi ad summũ ex modo significandi, vt volebat Durandus. Si verò dicas primum, quod nimirùm per hanc habitudinem constituatur suppositum: Quæro sit ne illa habitudo aliqua entitas realis respectiua, siue transcendentaliter, siuè prædicamentaliter? vel sit habitudo rationis tantùm? Ergo cùm hoc secundum dicere non possis; (nam aliàs suppositum, in esse suppositi, per ens rationis constitueretur, quod est manifestè falsum, vt patet, tùm ex collocabilitate suppositi in prædicamento substantiæ, vbi sola entia realia reponuntur. Tùm ex Mysterio Incarnationis, vbi Verbum aliquid reale, & non ens rationis suppleuit. Tùm denique, quia natura, nullo intellectu cogitante, fit suppositum, & capax existentiæ) debes de necessitate dicere primum, quòd scilicet suppositum constituatur per ali-

quid

Digitized by Google

quid positiuum respectiuum, siue prædicamentaliter, siue transcendentaliter, & superadditum naturæ. Ergo tibi ipsi contradicis, dùm negasti, suppositum intrinsecè non constitui per aliquid naturæ superadditum.

Confirmatur ex Mysterio Incarnationis: Nàm humana natura in Christo, vt iam toties dictum est, non est suppositum; & si ab Authoribus oppositæ sententiæ petatur; Quare? de necessitate, inhærendo suis principijs, dicere debent, quia illi desunt connotata existentiæ, & aliorum, quæ peteret, si suo modo essendi connaturali relinqueretur. Tunc sic argumentor, inquirendo ab ipsis; an, præter existentiam, v.g. desit Humanitati Christi aliqua realitas, vel saltem aliquis modus, ratione cuius esset proximè capax existentiæ creatæ, cuius nunc capax nõ est, vel non? Si dicas, quòd desit; illud ergo, nos dicimus, esse constitutiuum suppositi, distinguens naturam ab ipso. Si dicas, quòd nihil desit, nisi sola existentia, ex cuius præcisa carentia definit esse suppositum creatum. Ergo existentia est constitutiua intrinsecè suppositi creati; quod tamen, & ipsi Authores oppositæ sententiæ negant, & nos infrà ostendemus, esse falsissimum; Si enim extrinsecè tantùm constitueret, vt terminus alicuius habitudinis, cùm, separata existentia, maneret in essentia tota illa habitudo, manebit & ratio suppositi, quæ per illam constituitur.

Dices fortè, Suppositum, non per quamcunque habitudinem ad esse constitui, sed per actualem, vt habens ad habitum, vnde cùm Humanitas Christi non habeat proprium esse, non erit suppositum, quamuis habeat potentialem habitudinem ad illud. Sed

Contra est: nam ex hoc manifestè sequitur, quòd existentia constituat suppositum, tanquàm aliquid intrinsecum ipsi. Tùm quia in hac sententia nihil additur essentiæ medium inter ipsam, & esse; nam si admitterent, aliquid addi, siue absolutum, siue respectiuum esset, per illud intrinsecè constitueretur suppositum, quòd tamen illi constanter negant. Ergo, cùm per illud constituatur suppositum, quod additur essentiæ, siue naturæ, si sola existentia additur, sola existentia constituet suppositum, ac per consequens non erit extrinseca supposito, (constitutiuum enim non est extrinsecum constituto,) quamuis erit extrinseca naturæ, cui addita, facit suppositum, sicut albedo, licet sit extrinseca parieti, non tamen parieti albo. Tùm etiam, quia habitudo ad esse, vt habitũ, inuoluit ipsum esse, immò nihil est realiter, & positiuè, nisi ipsum esse actuans, siue terminans essentiam. Ergo si habitudo ad esse, vt habitum, constituit intrinsecè suppositum, etiam ipsum esse illud intrinsecè constituet.

Confirmantur hæc omnia, quia ex opposita sententia sequeretur, quòd in Humanitate Christi es-

Digitized by Google

sent omnia positiua, quæ requiruntur intrinsecè ad constitutionem suppositi, & tantùm propter defectum extrinseci connotati, nempè existentiæ creatæ, illam non dici suppositum. Et hoc fortassis non grauatè concedunt Authores oppositę sentētiæ; est enim hæc doctrina illorum in terminis, sed non aduertunt, quid exinde sequatur; sequitur enim, actiones Christi non esse valoris infiti, & per consequens Christum non satisfecisse ad æqualitatem pro peccatis totius Mundi, quia hæc in ratione offensæ sunt infinita, satisfactio verò, cùm esset actio Christi hominis, erat finita; quo nil absurdius. Quod autem hoc sequatur, euidenter ostendo: Nàm omnes actiones fiūt à natura per suas potētias, vt à principio *Quo*, à supposito autem, vt à principio *Quod*: Certum est autem, quòd ad actiones non concurrit suppositum, sicut & natura, nisi secundùm illa, quæ habet intrinsecè, & realiter, quia actio realis non potest elici ab agente, secundùm illud, quod non est realiter in ipso. Ergo cum Humanitas Christi habeat omnia realia positiua, quæ concurrunt realiter, & intrinsecè ad constitutionem Personæ, erunt in ipsa omnes rationes reales, & formales constituentes illam in ratione principij *Quod* operationum, & per consequens in ratione Personæ, saltem quantùm ad illud, quod requiritur in Persona ad esse principium suarum operationum. Ergo nō in ratione personæ, vel vt clariùs loquar, non esset in ratione principij *quod* operandi infinitæ dignitatis. Ergo, cùm ex dignitate satisfaciētis sumatur valor satisfactionis, sicut ex dignitate offensi sumitur valor offensæ, vt docēt Theologi in materia de Incarnatione, satisfactio Christi non erit infiniti valoris, quia, & ipse satisfaciens, vt *Quod*, & ipsum satisfaciens, vt *Quo*, nempè natura humana non sunt infinitæ dignitatis.

Dices fortè. Humanitatem Christi, non quomodocunque esse principium suarum operationum, sed connotando existētiam, quæ cùm sit increata & Diuina, ac per consequens infinitæ dignitatis, refundet infinitum valorem in operationes satisfactiuas Christi: Sed

Contra est; nam in hac opinione existentia non est illa, quæ intrinsecè constituit suppositum, sed tantùm importatur per modum connotati extrinseci. Sed illa, quæ importantur, tanquàm extrinseca alicui, non denominant illud, vt patet tùm in fide, spe, & charitate, quæ licet obiectum increatum, & infinitum respiciant, non tamen propterea erunt increatæ, vel infinitæ; tùm in lumine gloriæ, (vt sic tacita quædam obiectio excludatur) quod non solùm respicit Essentiam Diuinam, & increatam, vt est in se, sed etiam dicit inseparabilem coniunctionem intellectus beati cum illa; similiter gratia, & charitas dicunt vnionem

cum

cum tota Trinitate animam iusti inhabitante, & tamen istæ qualitates supernaturales non dicuntur increatæ. Ergo etiam licet operans, vt *Quod*, satisfactorias actiones in Christo respiciat esse Verbi increatum, & Diuinum, & per consequens infinitum, non ideò illud dicetur increatum, Diuinum, vel infinitum, aliàs ipsa etiam Humanitas Christi, quæ idem esse respicit, esset increata, & infinita, quod est hæreticum. Ergo illud operans erit finitum, & creatum, ergo etiam ipsa opera erunt finiti valoris, quia valor illorum ex operante.

Hanc Sententiam Capreoli, & Herugi, quam hucùsque refutauimus, pluribus argumentis impugnat nost. P. Blasius. Sed quia ipse omnes suas rationes in hoc fundat, vt probet. Suppositum in esse suppositi non constitui per principia indiuiduantia, potiùs illius argumenta seruiunt ad impugnandam primam Sententiam supra refutatam, quàm ad præsentem, cùm hæc vltrà principia indiuiduantia, pro constitutione suppositi aliqua connotata requirat: Et sic ipsius argumenta contra illum nihil faciunt, excepta hac confirmatione, quam ex aliliquibus ab illo dictis compilatam, & ad nostrum intentum accommodatam, vltimo loco adducimus. Adducit etiam aliquas authoritates S. Thomæ, quasi in fauorem oppositæ sententiæ, illasq; soluit. Sed quia illæ authoritates nihil dicunt, nisi per indiuiduationem constitui suppositum; quod oppositæ sententiæ Authores non dicunt, ideò incompetenter à P. Blas: hæ authoritates pro illorum sententia adductæ sunt, potiùsque pro prima sententia (quam dictus P. Blas: malè cum sententia Capreoli confundit) adduci debent, vt iàm suprà adnotaui, & illa nostra solutione solui, omissis P. Blasij solutionibus, vtpotè multa cum nostra sententia non cohærentia inuoluentibus.

Sunt verò aliæ authorit: S. Thomæ, quibus S. Tho: euidenter asserere videtur, existentiam, si non intrinsecè, saltem extrinsecè intrare rationem constitutiuam suppositi: Sed hæc commodè explicari non possunt, nisi priùs nostram sententiã proferamus, ideòque infra commodiùs adducentur, & soluentur.

Argumenta à ratione nulla planè pars contraria adducit, nisi quia non vult multiplicare entitates sine necessitate. Ergo cùm, inquiunt, cuncta saluari possunt, quæ de Mysterio Incarnationis fides docet, per sola connotata, non est ponenda aliqua realitas intrinsecè constitutiua suppositi. Si quis autem negèt posse saluari, nihil ex ipsis habetur, quo id probari possit. Tamen ex nostris principijs, tàm ex ijs, quæ de principio indiuiduationis docuimus, quàm ex ijs, quæ docent nost. Complut: in lib. de Generat: disput. 2. q. 7. Sic credo, posset, & non infeliciter argui contra nos,

Digitized by Google

in fauorem aduersæ sententiæ, & præcipuè ad ostendendum illud, quod dicunt, iuxta illorum principia, optimè, & Theologicè saluari posse cuncta, quæ fides docet circa Mysterium Incarnationis, absque tot entitatum multiplicatione.

§.3. *Argumentum pro tertia sententia dicente, sufficere sola Connotata, soluitur.*

ARguitur igitur sic. Materia prima nunc est,& ipsa indiuidua, & indiuiduationis principiũ:nũc verò nõ est. Similiter nũc est disposita,nũc nõ est disposita, & hoc totũ realiter, & ante omnem operationem intellectus. Sed esse, vel non esse dispositum, esse, vel nõ esse indiuiduationis principium habet per solam positionem, vel remotionem connotatorum. Ergo, vt aliquid sit, vel non sit à parte rei hoc, vel illud, sufficiunt connotata. Ergo etiam Humanitas Christi, absque defectu alicuius entitatis positiuæ ipsi intrinsecæ, per remotionem solam connotatorum extrinsecorum non erit Persona, esset verò, si connotata ponerentur: Si enim materia est realiter disposita, vel indiuidua, positis connotatis, & ijs solis remotis, neque est realiter indiuidua, neque disposita, cùr natura, per positionem connotatorum præcise, non poterit esse realiter persona,& per solam eorundem remotionem non esse? Ergo cùm ex Mysterio Incarnationis inde tantùm deducamus necessitatem ponendi aliquid intrinsecum supposito, ab illoque superadditum naturæ, vt saluemus naturam fuisse assumptam, & non personam, si hoc, sine additione entitatis intrinsecæ, per sola connotata fieri potest, vt quid multiplicamus entia sine necessitate?

Confirmatur. Natura Diuina, vt est in Patre, & Filio,est fæcunda ad intra, vt verò est in Spiritu S., non est fæcunda ad intra. Similiter intellectio essentialis, vt est in Patre, est dictio,& expressiua Verbi; vt verò est in Filio, & Spiritu S., non est dictio, nec expressiua Verbi. Tandem actus ipse necessarius Diuinæ Voluntatis nunc est liber, nunc non est liber; (Et hæc competunt essentiæ, intellectioni,actui voluntatis, a parte rei, & non per operationem intellectus.) Ergo cùm hæc competant præcise ratione connotatorum, (vt docent nost. Salmatic. tùm in mat. de Trinit., tum in Tract. 4. de Volunt. in disput. de actu libero Dei) connotata sufficient ad ponendum,vel remouendum aliquid à parte rei, & per consequens ad ponendam, vel remouendam rationem personæ à natura; vel ostendatur disparitas, cur ibi sufficiunt,hic vero non?

Fateor,hoc argumẽto,quod ipse mihi propono, aliquando conuictũ,me sententiæ Capreoli sub-

scrip-

Digitized by Google

scripsisse, tanquàm Salmaticensium, & Complutensium doctrinæ satis conformi; (& vt illa speculatio eorumdem de vi connotatorum ad ponendum, vel remouendum aliquid à rebus, tàm necessaria pro explicandis grauissimis, tum philosophicis, tùm Theologicis difficultatibus, maneret inconcussa:) Tamen, re melius perpensa, libratisque profũdiùs rationibus, iam dudùm sententiæ Caietani, vtpotè inter Thomistas communiori, adhæsi: quamuis etiàm modò non negẽ, sententiam Capreoli sua non carere, in via S. Thomæ, probabilitate. Respondeo itaque huic argumento, quod pro Capreolo attuli. Sed

Supponendum primò, hoc esse proprium relatiuorum, vt sc: sint capacia alicuius realis denominationis, absque additione alicuius formæ intrinsecæ, (vt adnotarunt nost: Complut: in Log: disp. 14: q. 7. & Salmat: tr. 1. disp. 2. dub. 3.) Vnde Pater eadem relatione, qua ad primum filium referebatur, sine aliqua additione alicuius intrinseci, & posita sola cõnotatione alterius generationis, incipit referri ad secundum; quod ex eo prouenit, quia cùm relatio essentialitèr pẽdeat à fundamento, & termino, essentialiter petit existentiã vtriusque, cum hoc discrimine, quòd quia realitatem habet à fundamento, ad terminũ autem exercitium illius realitatis, hinc est, quòd post primam generationẽ, posita tota realitate relationis, ad hoc, vt ad secundum, & tertiũ filium terminetur, non est necesse addere illi aliquid realitatis, sed posita sola connotatione existentiæ, terminorum, incipit in exercitio terminari ad ipsos; Vnde

Supponendum est secundò, quòd hæc proprietas relatiuorũ si subtiliùs cõsideretur, inueniemus, hoc illi competere partim ex perfectione, partim ex imperfectione: Ex perfectione quidẽ, quia est quodammodo actualissima quantùm ad intrinseca, habetque totum, quod requiritur intrinsecè ad hoc, vt ad plures, etiam infinitos terminos referat fundamentum, dũmodò illi termini à parte rei ponantur: Ex imperfectione verò, quia hoc prouenit ex debilissima entitate relationis, vt in suo esse à pluribus pendeat, nempè à fundamẽto, & termino, cùm tamen alia accidentia absoluta id tantum intrinsecè respiciant, in quo sũt; vnde propter eandem minutissimam entitatem, ex illaque ortã dependentiam, etiam de potentia *D*ei absoluta, relatio non est separabilis à fundamento, supposita existentia termini, & iterùm per ablationem soliùs termini perit, cùm tamen cætera accidentia absoluta, & separabilia sint ab actuali inhæsione in subiecto, vt patet in quantitate Eucharistica, & quantumuis extrinseca circumscribantur, & pereãt, possunt manere, manente subie-

ctο,

cto, à quo solo dependēt: Hinc fit, &

Supponendum est tertiò, quòd cùm ex duplici capite in relatiuis ortum ducat, vt possint subire aliquas denominationes reales absque additione alicuius intrinseci, & per consequens sine intrinseca sui mutatione, præcise per solam positionem connotatorum; in aliquibus etiam absolutis posse hoc inueniri, vel ob summam eminentiam, & perfectionem, vel ob summam, primãque potentialitatem, & per consequens imperfectionem illorũ.

Primum expresè docent nost. Salmat: in tract. de Angelis disp. 7. dub: 7. vbi cùm docuissent, quòd Angelus per eandem speciem cognoscit naturam cómunem, & indiuidua ipsius, addidissentque quòd species illa Angelica repræsentans naturam cõmunem, ad hoc, vt aliquod indiuid uum in exercitio representet, requirat pro connotato solã existentiam illius indiuidui, & hoc exemplificauerint relatione Paternitatis respectu secundi geniti, objiciunt sibi, quòd licet in relatiuis possit verum esse, vt ex sola cõnotatione alicuius extrinseci subeant nouam denominationem realem; non tamen in absolutis; hæc enim, quia talia, sicut intrinsecè nõ respiciunt aliquod extrinsecum, ita neque accipiunt aliquam denominationē ab ipso. Respondent: quòd hoc etiam in absolutis, non quibuscunque; sed quæ habēt esse eminent, potest contingere; ex eo quòd semper, & in actu habent quidquid intrinsecè requiritur ad denominationes, quarum sunt intra suam lineam capacia, & solũ per modum connotati requirunt aliquid, vt exerceant illud, quod intrinsecè habent, vt propter nouam denominationem fit aliqua mutatio, & cùm hoc in ipsis esse non possit, quia cùm habeant omnia intrinseca, ac per consequens nihil ipsis intrinsecè addi possit, propter cuius receptionē mutentur, debet fieri mutatio saltem in aliquo extrinseco, transeunte de non esse ad esse.

Secundùm verò fundamentum euidenter deducitur, tùm ex nostris Complut: in lib. de Gener: disp. 2: q. 9. tùm etiam ex Salmatic: Tract: 1. de Princ: indiuiduation: disp. 1. dub. 5. vbi docent, materiam, & dispositam, & indiuiduam esse, non per additionem alicuius intrinseci, sed per solam positionem cõnotatorum: quod profectò, si rem attentiùs consideres, videbis, ex summa imperfectione materiæ prouenire, quia nimirum, cùm sit pura potentia omni actualitate destituta, incapax est recipiendi aliquam formam accidentalem, quales deberent esse dispositiones sigillantes ipsam, ante aduentum ipsius formæ substantialis, a qua habet esse simplicitèr.

Supponendum est quartò, connotata, qua talia, nullam veram causalitatem habere, & ideò nihil posse reale ponere in illo, à quo im-

Digitized by Google

importantur. Hanc suppositionē habeo ex doctrina nostrorum Salmaticensium Tomo 4. Tract. 13. de Vitijs, & peccatis disp. 14. dub. 3. vbi exinde negant, per solam connotationem peccati Adami transfundi in posteros peccatum originale, quia nudum connotatum non sufficit ad effectum, siue priuatiuum, siue positiuum de nouo ponendum. Et rationem huius reddunt, quia impossibile est, vt intelligamus aliquid, quod non est à se, poni de nouo in rerum natura, & quod non intelligamus causam, in cuius influxum reducatur: aliàs illud esset, & non esset ens à se, quod implicat; supponitur ergo, tanquam certum à Salmatic. quòd connotatum, qua tale, nullam veram causalitatem habeat; aliàs illorum ratio rueret, vt consideranti patebit. Et ratio à priori est manifesta, quia si connotata aliquā causalitatem exercerent respectu connotantis, aliquidq; intrinsecū in ipso producerent, iam illud intrinsecè mutaretur, & per consequens non per solam connotationem alicuius extrinseci illam nouam denominationem subiret. Ad quod fortè attendētes ijdem Salmat. in tract. de principio indiuid: disp: 1. dub: 5. n. 134. docent, dispositiones tantùm extrinsecè determinare materiam, quia nimirùm intrinsecè illam determinare non possūt, cùm veram rationem causalitatis non habentes, nihil in illa de nouo ponere, vel producere possint. Ex quibus benè perpensis habetur tùm firmior opinionis Capreoli impugnatio, tùm argumenti in fauorem ipsius adducti solutio.

Impugnatur enim ex dictis ipsius assertum sic; Nam natura, qua talis, non est quid completum, & perfectissimum: aliàs si quid completum esset, inassumptibilis esset, vt supra contra Durandum ostendimus. Ergo, vt sit suppositū, quod dicit naturam completam, & perfectam, debet illi addi aliquid intrinsecum. Ergo cùm per sola cōnotata nihil ipsi intrinsecè addatur, vt ex suppositione 4. & ex ipsorum Aduersariorum confessione constat, sola connotata non sufficiunt ad constituendum suppositum.

Ad argumentum verò respondetur, esse magnam disparitatem inter materiam primam comparatam cum accidentibus ipsam disponentibus ex vna parte, & naturam respectu subsistentiæ ex alia: Et disparitas cōsistit in hoc, quia materia cùm sit pura potentia simpliciter, nō est capax actuū secundùm quid, antequam habeat formam substantialem, quæ est actus simpliciter: Insuper, quia pura potentia receptiua successiuè plurium formarum, ad omnes est, ex natura sua, in potentia, & ex sibi intrinsecis aptum subiectū ad recipiendas omnes, ipsiq; debitas superinduendas vnitates, quia est negatiuè vna, idest nullā quidem ex se habens positiuam vnitatem, sed capax omnium, cùm hoc discrimine, quòd specificas

assumat, addita entitate formæ, quia sunt formales; indiuiduales autem sine aliqua superadditione alicuius entitatis, quia sunt materiales. Hinc fit, vt per sola extrinseca cōnotata posit & disponi, & determinari, vt iam disput: prima de Principio indiuiduationis ex nostris Salmat. explicuimus. Cæterùm natura intra lineam naturæ præcisè, non habet totum suum complementū, nec illius, quod illi addi potest ad illā complendā, est incapax, quia illud est quid substantiale, sicut & ipsa, & ideò non mirum, quòd sola extrinseca connotata ad illam complendam non sufficiant, quia hæc nihil ponunt intrinsecè in ipsa, ipsa verò petit intrinsecè compleri.

Ad Confirmationem etiam ex dictis patet responsio; Illa enim, quæ in confirmatione referuntur, habent eminentissimum, actualissimumq; esse, quale esentia creata non habet, & ideò non mirum, quòd illis hoc competat, quod essentiæ creatæ competere nequit; Vnde obseruare poteris apud nostros Salmatic: locis in argumento citatis, quod ipsi semper in eminentissimam actualitatem esse Diuinum reducunt, quòd illi simplicissimæ naturæ diuersæ denominationes conueniant ratione diuersorum connotatorum; sicut è contra hoc idem in summam imperfectionem materiæ primæ reducunt, vt ex suppositionibus constat.

Adde primò, quòd licet daremus, posse connotata aliquas denominationes inducere, etiam in illa, quæ non sunt imperfectissima, vel eminentissima, adhuc in nostro casu id concedi non deberet respectu essentiæ, vt connotantis existentiam; connotata enim non debent repugnare illi denominationi, quam tribuunt, & ideò illa accidentia, quæ connotans materia, dicitur disposita, de facto disponebant illam, quando erant in composito corrumpendo, quo corrupto, & ipsa perierunt: Similiter quantitas est sibi ipsi principium indiuiduationis, & ideò non mirum, quòd, vt præhabita, indiuiduet materiam; Similiter actus liber fit liber per connotationem effectus, quia cùm effectus creatus potuerit esse, & non esse, est aptus ad dādam denominationem liberi, cuius essentia est, vt ita sit, vt potuerit non esse: Similiter species Angelica, connotando existētiam alicuius indiuidui, repræsentat illud, quia idem indiuiduum est potens immittere speciem repræsentatiuam sui in potentiam talis speciei capacem: Similiter intellectio essentialis connotans Paternitatem, est fæcunda, quia cùm sit relatio Personæ primæ, petit secundam, & cùm sit relatio Personæ primæ increatæ, petit secundam etiam increatam, ac per consequens à prima procedētem, & sic de alijs. Connotata ergo debent potiùs inferre illam denominationē, quæ ex ipsis sumitur, quàm illam, quæ repugnaret illis. Tunc sic ad præsens subsumo: Sed denominatio debita supposito repu-

pugnat existentiæ; denominatio enim suppositi est, quòd sit incõmunicabile; existentia autem, vtpotè actus, est communicabilis ex natura sua, vt disput: sequenti declarabitur. Ergo &c.

Adde 2. quòd etsi hæ solutiones non subsisterent (quas tamen solidas esse quilibet, si attentè cõsiderauerit, videbit) ac per consequens argumẽtum pro Capreolo factum in sua vi maneret, adhuc tamen sentẽtia Capreoli subsistere non posset propter illa argumenta, quæ contra Scotum fecimus, quæ omnia contra opinionẽ Capreoli militãt, vt consideranti patebit: maximè illud ex mysterio Trinitatis, quia ibi Personæ Diuinæ, vt omnes Doctores Catholici tenere debent, distinguũtur per aliquid intrinsecum ipsis, & non solùm per extrinseca connotata.

Obijcies contrà illud, quod diximus, radicem istius, quòd absolutis possit aliqua denominatio realis competere sine illorum mutatione, & receptione alicuius intrinseci, duplicem esse, nimirùm summam perfectionem, vel imperfectionem: Impossibile enim videtur, vt illius possit esse radix summa imperfectio, cuius est radix summa perfectio; cùm enim hæc habeãt rationes omninò oppositas, radices vnius, eiusdemque rei esse non possunt. Ergo &c.

Resp. disting. anteced. & concedendo de illis, quæ in suo conceptu dicunt perfectionem, vel imperfectionem; negamus verò de illis, quorum conceptus à perfectione, vel imperfectione præscindit. Ecce enim (& est manifesta instantia) non esse in alio, vt in subiecto, in primis substantijs, à summa illarum perfectione ortum ducit, propter quam illas vocauit Philosophus *maximè substantias*; in materia verò idem originatur à summa imperfectione ipsius, quia, vtpotè primum subiectum, primaq; potentia, non potest esse in alio, vt in subiecto, & hoc totũ ideò, quia nõ esse in alio, vt in subiecto, à perfectione, vel imperfectione ex suo conceptu præscindit, idcòque tàm perfectis, quàm nullam perfectionem dicentibus cõpetere potest, & ab illis originari. Sic ergo etiam in præsenti philosophandum est.

Obijcies adhuc contra idem. Falsum videtur esse, quòd absoluta, quæ possunt realiter suscipere aliquam denominationem sine reali sui mutatione, debeant esse, vel perfectissima, & eminentissima, vel imperfectissima: nam species Angelica repræsentans naturam communem, per solam connotationem alicuius indiuidui illius naturæ repræsentat illud sine sui mutatione, & tamen neque est eminentissima, cùm sit quid creatum, immò accidens, nec sit imperfectissima, cùm sit longè perfectior omnibus speciebus intellectus humani. Ergo &c.

Resp. negando assumptum, ad probat: autem de speciebus Angelicis dico ex doctrina nostrorũ Salmatic. Tract: de Angelis loco

supra citato, etiam naturæ Angelicæ hoc cõuenire, quia est forma eminentissima, non quidem, quia ipsa est increata, sed quia species Angelicæ non accipiuntur à rebus, sed sunt participationes immediatæ Diuinarum idæarum, & ipsius Diuinæ Essentiæ, vt habet rationem speciei intelligibilis, de quo vide nostros Salmatic. loco citato, vbi hanc illarum eminentiam egregiè deducunt, illamq; expressè docuit Angelicus Doctor Quæst. 8. de Veritate, art. 8. vbi dicit. *Cognoscuntur res à Deo non solum in vniuersali natura ex parte formæ, sed etiam in sua singularitate ex parte materiæ; Sicut autem ab Intellectu Diuino effluunt res secundùm formam, & materiam ad essendum ex vtroque, ita effluunt formæ intellectus Angelici ad cognoscendum vtrumque, & ideò per formas innatas cognoscunt res in sua singularitate, & vniuersalitate, in quantùm sunt similes formis factiuis, scilicet idæis in mente Diuina existentibus, quamuis ipsæ non sint rerum factiuæ.*

QVAESTIO V.

Vtrùm secundùm D. Thomã illud, quod addit suppositum supra naturam, sit existentia.

VT hanc Quæstionem specialiter ex mente S. Doctoris tractaremus, dedit nobis occasionem noster P. Blasius, qui in sua Metaph. disp. 8. q. 3. affirmatiuam partem mordicùs propugnans, vt illam esse ipsam mentem S. Doctoris ostenderet, plurimas, easq; satis apparentes, congessit S. Doctoris authoritates, in quibus videtur sentire, existentiam ad intrinsecum conceptum suppositi pertinere; Vndè ad inuestigandam S. Doctoris mentem specialiter hanc quæstionem excitamus, in sequenti quæstione rationibus pro veritate Thomisticæ sententiæ (quam P. Blasius immeritò dicit, Caietanum in Scholam Thomisticam de foris inuexisse) cum Aduersarijs pugnaturi.

Dicendum est ergò. Ex mente Angelici Doctoris existentia non potest esse intrinsecum constitutiuum suppositi, ac proinde non est illa, quam suppositum addit supra naturam. Ita Caiet. 3. p. q. 4. a. 2. Ferari. 4. c. g. cap. 43. Medina 3. p. q. 4. a. 2. Aluarez de Incarn. disp. 23. Nazar. 1. p. q. 50. a. 2. contr. 3. Bannez 1. p. q. 3. a. 3. dub. 1. & communiùs Thomistæ.

Probatur primò authoritate illa celebri desumpta ex S. Doctore 3. p. q. 17. art. 2. in responsione ad primum, vbi dicit: *Esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid est; Personam autem siue hypostasim consequitur, sicut habentem esse.* Quæ verba, si attentè cõsiderentur, sunt planè cõtradictoria oppositæ sententiæ; illa enim cùm dicat, solam existentiam addere suppositum naturæ, planè cogitur fateri, quòd

esse

esse consequatur naturam, vt habentem esse, quod est contradicere S. Doctori.

Respondet huic authoritati P. Blasius dupliciter, primò, quòd ibi S. Doctor non loquatur de sequela physica arguente distinctionem, sed de sequela logica, per quam vnum infertur ex alio & vrget hoc, quia ibi S. Tho: loquitur de esse Christi, quod est certum non distingui realiter ab ipsa Persona verbi, cùm sit esse Diuinum. Sed

Contra primò. Constitutiuum nullo modo potest sequi ad suum constitutum, etiam sequela logica, & per rationem. Ergo non potest intelligi S. Thomas de sequela logica. Anteced. prob: quia ad hoc, vt vnum sequatur ad aliud sequela logica, vel inferatur ex illo, debet priùs concipi illud, ex quo infertur, quàm concipiatur, quod ex illo infertur. Sed nō potest concipi priùs constitutum per suum constitutiuum, inferens ipsummet constitutiuum, quàm concipiatur tale constitutiuum; dùm enim præscindo cōstitutiuum rei à re constituta, nihil in re concipio. Ergo &c. Vnde, quia hoc, quòd sit in se res talis, vel talis essentiæ, habet à suo constitutiuo, proinde potiùs deberet dici, quod constitutum sequatur sequela logica ad suum constitutiuum, quàm è conuerso.

Contra secundò meliùs; nam hæc est violenta explicatio verborum S. Tho: S. enim Doctor soluit ibi argumentum ab authoritate Damasceni propositū, qui lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 13. dicit, in Christo ea multiplicari, quę naturā cōsequūtur: vndè (inquit Damasc.) *in Christo esse duplices naturarū proprietates, duas volūtates, duas naturales operationes, &c.* Quæ, certè sequela physica arguente distinctionem realem in creatis, naturam consequuntur. Ergo de eadem sequela intellexit S. Doct. quando dixit, *esse consequi naturam, non sicut habentem esse*, suppositū verò, tanquàm habens esse: aliàs non ad mentem arguentis respōdisset, qui in vtraque præmissarū sequelam physicam intellexit; Nam cùm arguit: Ea, quæ consequuntur naturam, iuxtà Damascenum, in Christo duplicantur. Sed esse consequitur naturam. Ergò &c: Maiorem iuxta sensum Damasceni, qui fuit (vt iam dixi) de sequela physica, debuit intelligere similiter ac Minorem, quia esse ita consequitur naturā, vt distinguatur realiter ab illa (vt Deo dante in disp: de existētia probabitur.) Ergò &c: Neq; illud vrget, quod pro se P. Blasius affert; Verum est enim, quòd ibi S. Thomas disputabat de esse Christi, sed de illo, quod nō est, non verò de illo, quod est in Christo; In illo enim articulo determinat, in Christo tantū vnicum dari esse increatum Verbi; argumētum autem probabat, dari ibi etiam humanum, & creatùm, quia datur natura creata, quàm consequitur esse. Sanctus ergo

Do-

Doctor, vt neget illud esse creatum, dicit, quòd esse consequitur naturam, non vt susceptiuum, sed vt principium, suppositum autē, vt susceptiuum, quod quia in Christo non datur aliud à Diuino, etiam esse aliud, præter Diuinum, non datur; de illo itaque esse loquebatur, quod ille negabat, & quod argumentum volebat adstruere; Vndè licet vniuersaliter dixerit de sequela, principio, & susceptiuo ipsius esse, vt sic, intelligi debuit secundùm distributionem accommodam, vt quia in creatis esse realiter principiatur, realiter suscipiatur, non verò in Diuinis, vbi Deus est ipsum suum esse: Ita etiam in creatis, non autem in Diuinis, debet intelligi, quòd esse realiter consequatur suppositum, & naturam, realiterque ab vtroque distinguatur.

Respondet secundò idem P. Blasius, quòd admisso adhùc S. Thomam intellexisse de sequela physica, non tamen sequitur, esse distingui à supposito per modum excludentis, & exclusi, sed ad summum per modum includētis, & inclusi, cùm suppositum dicat naturā indiuiduam, & esse. Sed

Contra primò. Vel P. Blasius per sequelam physicam intelligit sequelam alicuius ad aliud à se realiter distinctum, extrà ipsius rationem existens, vel, vt pertinens ad ipsius intrinsecam rationem; Si primò modo intelligat locum S. Tho., iam esse nō erit consequens suppositum, ex mente eiusdem S. Doctoris, vt constitutiuum suppositi, vt ex se patet; secundo autem modo intelligi non potest, nam S. Thomas in citato Articulo docet, pertinere esse, & ad naturam, vt *quo*, & ad suppositum, vt *habens rationem quod*; ita vt suppositum respectu existentiæ habeat se tanquam potentia ipsius. Ergo existentia non poterit pertinere ad rationem intrinsecam suppositi, vt quid constituens; Consequentia prob: quia actus superueniēs alicui reali potentiæ, non est de ratione intrinseca ipsius, quinimmò secundùm proprias rationes Actus, & Potentia mutuò se excludunt, & non includunt. Anteced: autem patet cùm ex loco citato benè perpenso, tùm ex 1. p. q. 50. a. 2. ad 3. vbi hoc etiam clarè insinuat S. Doctor, dum inquit: *Subtracta materia, & posito, quòd ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet comparatio formæ ad esse, vt potentia ad actum*; vbi formam non qualemcunque, sed vt iam subsistentem, ac per consequens, vt *quod*, docet, comparari ad *esse*, vt potentiam ad suum actum, & hoc ipsū insinuat Quodlibeto 9. q. 2. a. 3. in corp. vbi esse attribuit alicui dupliciter.

Deinde ampliùs impugnatur: Si *esse* sequeretur sequela physica ad suppositum, vti Anima sequitur ad Hominem, sicque esset cōstitutiuum suppositi, non rectè S. Doctor loco citato inferret, ideò

in

In aliquo vnicum esse inueniri, quia est vnicum suppositum. Sed hoc non debet dici de S. Doctore. Ergo &c. sequela prob. Nam si existentia, seu *esse*, esset constitutiuum suppositi, supponeret S. Doct:, quod esset ostendẽdum, sicque non rectè inferret. Assumptum probo; Nam sensus istius propositionis (In Christo est vnicum esse, quia vnicum suppositum) esset talis. *In Christo est vnica existentia, quia vnica est existentia*, siquidem, juxta explicationem P. Blasij, idem est esse vnicum suppositum, ac habens vnicam existentiam, per quam formaliter cõnstituitur suppositum.

Contra secũdò meliùs, quia ex hac solutione sequitur, etiã ipsã naturam esse *habentem esse*, quod tamen directè contradicit verbis S. Tho: qui dicit: *esse consequitur ad naturam, non sicut ad habẽtem esse*; quòd autem ex solutione data hoc sequatur, manifestè ostendo; si enim *esse* non distinguitur à supposito per modũ excludentis, & exclusi. Ergo *esse* immediatè recipietur in natura ad hoc, vt constituat suppositum, ac proinde essentia erit habens esse.

Nec hoc refugit concedere P. Blasius, sed dicit, quod tàm natura, quàm suppositum habet esse, sed diuersimodè, illa vt *quo*, & vt subiectum informe, istud vt *quod*, & vt subiectum formatum; Vult enim ille hæc duo confundi, nimirũ subiectum *quo*, & subiectum informe ex vna parte; & ex alia subiectum *quòd*, & subiectum formatum, & dat rationem, quia illud dicitur habere aliquam formam, *vt quod*, quod recipit prędicationem, & denominationem à forma: subiectum autem, quod recipit denominationem a forma, est solum subiectum formatum, qua tale, cùm, quod denominatur à forma, non debeat sumi per modũ præscindentis à forma. Hæc P. Blasius. Sed quàm non philosophicè, euidenter ostendo, & incipiendo ab hoc vltimo ipsius dicto, in quo subiectum *quo* cùm informi confundit, sicut & subiectum *quod* cùm formato; Nam secundùm rectam Philosophiam, vt apud omnes videre potes, aliundè sumitur ratio subiecti *quo*, & *quod*, & aliundè ratio subiecti formati, vel informis; subiectum enim *quod*, illud physicè dicitur, quod est, vt *quod* receptiuum formæ; subiectum verò *quo* est illud, mediante quo recipitur forma in subiecto, sicut Quantitas est subiectum *quo* accidentium materialium; iam verò subiectum *formatum* dicitur illud, quod importat illa, quæ ei communicantur à forma: *informe* verò est illud, quod importat illa præcisè, quæ sunt propria subiecti, de quo videre poteris nostros Complut. in lib. de Anima disp. 2. q. 3. n. 27. Vnde æquè subiectũ *quo*, ac *quod* poterunt esse subiectum formatum, vel informe, si considerẽtur, vt abijciunt, vel non abijciũt

for-

formam; æquè enim potest dici subiectum albedinis esse parietē album, ac superficiem albam: Ex quo patet falsitas illius, quod in fauorem suum adducit P. Blasius, quia nimirum de solo subiecto *quod* forma prædicatur, illudque denominat, cùm certū sit, æquè denominari parietem, ac superficiem albam, sed illum, vt *Quòd*, istam, vt *Quò*. Tandem falsissimum est, quod dicit, Naturam esse receptiuam, vt *quo* existentiæ, tum quia hoc apertè contradicit verbis S. Doct: qui absolutè negat, naturam esse habentem existentiam; tum etiam quia ex hoc sequitur manifestè, in Christo fuisse duplicem existentiam; ex eo enim S. Doct: probat, in Christo vnicam esse existentiam Verbi, quia *esse* magis consequitur hypostasim, quàm naturam, cùm hanc præcisè consequatur, vt principium, illam autem, vt susceptiuum; Si enim, vt vult P. Blasius, natura est susceptiuum esse saltem, vt *Quo*, iam esse magis consequetur naturam, quàm suppositum, quia illam consequeretur simul, vt principium, & susceptiuum, Suppositum autem præcisè tanquàm susceptiuum, ac proinde magis duplicaretur ad replicationem naturæ, quàm retineret vnitatem ratione vnitatis suppositi: quod directè contradicit verbis S. Tho: in eodem articulo, & eadem responsione; vnde pro nobis authoritas eiusdem desumpta est.

Et vrgetur hoc magis (& simul tacita quædam obiectio excluditur) nam licet voluntas v.g. recipiatur etiam in supposito, vt in subiecto *Quod*, qui enim vult, habet voluntatem, adeoq; cùm suppositum sit volens, vt *Quod*, habet, vt *Quod*, voluntatem: & tamen quia recipitur in supposito mediante natura, in qua recipitur primò, tāquàm in subiecto *Quo*, sicut & cæteræ proprietates consequentes naturam, & simul natura est ipsius principium, in Christo tàm voluntas, quàm reliquæ dictæ proprietates duplicantur, contrariumque asserere est hæresis Monotholitarum. Ergo etiamsi natura & sit principium, & susceptiuum, vt *Quo* existentiæ, existentia in Christo duplicabitur, non obstante identitate suppositi, quod est tantùm susceptiuum, vt *Quod*, & quasi remotum existentiæ; & ratio huius est à priori, quia in identitate, vel multiplicatione formarum non tàm attenditur subiectum remotum, quàm immediatum, vt in pluribus exemplis, quæ passim in Philosophia occurrūt, vt videre licet v. g. in materia respectu accidentium, & similibus.

Confirmatur, quia intimius est naturæ *esse*, quàm voluntas, cùm voluntas supponat naturam existentem. Ergo si hæc multiplicatur ad multiplicationem naturæ, multò magis illud.

Tandem hæc doctrina P. Blasij procedit ex malè intellectis verbis S. Tho: quando enim S. Doctor dicit, quòd *esse consequitur*

na-

naturā, non sicut habentē esse, sed sicut Qua aliquid est, per ly, *Qua aliquid est*, non intellexit S. Doct:(vt ipsa verba sonāt, & aduertit Caietanus, & ex illo Nazarius locis citatis,) naturā esse subiectū *Quod* existentiæ, hoc enim de illa absolutè negauit; sed qua aliquid est, significat principium existentiæ, prout sensum suum clariùs aperit idem S.Doct:in corp:artic: cū dicit. *Esse pertinet ad naturam, & hypostasim, ad hypostasim quidem, sicut ad id, quod habet esse, ad naturam autem, sicut ad id, quo aliquid habet esse. Natura enim significatur per modum formæ, quæ dicitur ens ex eo, quòd ea aliquid est, sicut albedine est aliquid album, & humanitate est aliquis homo*. Ecce claram mentem S. Thomæ, quomodò naturam dicit principium formale existentiæ, sicut albedo est principium formale esse albi, vel humanitas esse hominis.

Probatur secundò nostra Conclusio alia authorit: S. Thom: ex Quodlib:2.q.2. ar.4. ad 2. vbi dicit, quòd *esse non sit de ratione suppositi*. Ergo ex mente S.Doct: esse nō est constitutiuum intrinsecum suppositi, si enim esset, esset quoq; de ratione ipsius, cū constitutiuū (maximè, si sit intrinsecum) sit de ratione constituti, vt rationale respectu hominis, sensibile respectu animalis, & similia. Ergo &c.

Respondet P.Blasius, primò distinguendo: Esse non est de ratione suppositi verbaliter, seu in actu exercito, est tamen de eius ratione *esse* nominaliter, & in actu signato. Sed hæc solutio ipsius manebit impugnata quæstione sequenti, vbi ostēdemus, quòd esse, vt cōmunicatū, de quo hic S.Thomam, satis constat, locutum, nunquam sumi posse in actu signato.

Respondet secundò, quòd ibi S.Doctor intelligat, *esse* non fore de ratione suppositi, non, vt suppositum formaliter sumitur, sed, vt suppositū stat pro natura, quæ est, velut pars suppositi. Et vrget hoc; quia ibi S.Tho: adduxit pro vnico distinctiuo suppositi à natura ipsū *esse*. Ergo illud debuit reputare constitutiuū suppositi, cùm idē sit constitutiuū, & distinctiuum: Sed

Contra est, quia hæc solutio violentat textum S. Doctoris, quod, vt videas, adduco integram solutionem. *Ad secundum dicendum, quòd non omne, quod accidit alicui, præter rationem speciei, est determinatiuum essentiæ ipsius, vt oporteat, illud poni in ratione eius, sicut dictū est, & ideò licet ipsū esse non sit de ratione suppositi, quia tamen pertinet ad suppositum, & non est de ratione naturæ, manifestum est, quòd suppositum, & natura non sunt omninò idem in quibuscunq, res non est suum esse*. Vbi, vt vides S. Doctor contradistinguit suppositū à natura, cùm dicit: Esse non est de ratione suppositi, & nō est de ratione naturæ. Ergo quādo dicit, quòd *esse* non est de ratione suppositi, per ly *Suppositum*, non intellexit naturam, quia statim de illo loquitur, dicens, quòd etiam non sit de ratione naturæ. Ergo locutus est de supposito, vt suppositum est formaliter, aliàs ineptam nugacitatē commisisset.

Digitized by Google

Ad illud autem, quod addit, S.Thomam *esse* adduxisse pro vnico distinctiuo suppositi à natura, ac proindè illud idem constitutiuum esse suppositi, dico, S. Thomam adduxisse *esse* pro distinctiuo, non formaliter, & à priori, sed à posteriori, quia nimirùm recipitur in supposito, non verò in natura, vt iam supra explicatum est, & ideò non est necesse; illud esse constitutiuum suppositi. Quod autem dicit, S.Thomam, pro vnico distinctiuo suppositi à natura, adduxisse *esse*, falsum est, vt patet in eodem articulo in responsione ad primum, (ad quam se in hac responsione remittit) vbi dicit de natura Angelica: *Quia non est suum esse, accidit ei aliquid, præter rationem speciei, scilicet ipsum esse, & alia quædam, quæ attribuuntur supposito, & non naturæ, propter quod suppositum in eis non est omninò idem cum natura*. Vides ergo, quomodò non per solùm *esse*, sed & per aliqua alia, quorum est sustentatiuum suppositum, differat à natura, non quidem formaliter, sed à posteriori, quia nimirùm necesse est, illa distingui realiter, quorum vnum est realiter receptiuum alicuius, cuius aliud receptiuum non est, vt supra contra Durandum, & Scotum ostendimus.

Respondet tertiò, quòd quando S. Doctor dicit, *esse* non fore de ratione suppositi, intellexit, non esse de ratione ipsius per modum prædicati alicuius de natura eius specifica per se prædicabilis, non tamen non esse de ratione ipsius per modum prædicati accidentaliter de natura ipsius prædicabilis.

Et in idem coincidit responsio quarta eiusdem P.Blasij, verbisq; tantùm differt à præcedenti, in qua dicit, quòd existentia non est de ratione suppositi per modum alicuius intrinsecè determinantis principia essentialia, seù specifica, est tamen de ratione ipsius per modum extrinsecè, & accidentaliter determinantis ea.

Contra vtramque solutionem vrgeo, quia non est ad propositum: Licet enim verum dicat, existentiam esse extrinsecam, & accidentaliter competere naturæ, tamen hoc nihil ad rem, quia S.Doctor dicit, illam nõ esse de ratione suppositi, & similiter nõ esse de ratione naturæ; Ergo benè P. Blasius dicit de existentia comparata ad naturam, sed non soluit, quomodò non sit de ratione suppositi, vt contradistincti à natura, de hoc enim S.Doctoris verba vrgent; Ergo malè P. Blasius refugit ad naturam. Et deinde, quia hæc ipsius solutio destruit ipsius dicta, vt, Deo dante, quæst. sequenti ostendam, vbi manifestè patebit, quomodò sibi P.Blasius in suis dictis non constet.

Probatur tertiò nostra Conclusio alijs authorit: S.Tho: de nouo ex S.Doct: erutis, & quibus hùcusque nullus est vsus ad comprobandam nostram sententiam, ideòque neque habemus responsiones Aduersariorum ad ipsas:

Pri-

Digitized by Google

Primus est locus ex Sentent. 1. d.23. q.1. ar.1. C.vbi S. Doct: ex professo inuestigans differentiam horum nominum, *Substantia, Subsistentia, Essentia,* relatis, refutatisque aliorum circa hoc opinionibus, suum aperuit sensum verbis, quæ sequuntur: *Dicendum est secundùm Boetium, vt sumatur differentia horum nominum, Essentia, Subsistentia, Substantia, secundùm significationem actuum, à quibus imponuntur, scilicet esse, subsistere, substare: Patet enim, quòd esse commune quoddam est, & non determinat aliquem modum essendi; subsistere autem dicit determinatum modum essendi, prout scilicet aliquid existens per se, non in alio, sicut accidens; Substare autem idem idem est, quod sub alio poni: Inde patet, quòd esse dicit id, quod est commune omnibus generibus; sed subsistere, & substare id, quod est proprium primo prædicamento secundùm duo, quæ sibi conueniunt, quòd scilicet sit ens in se completum, & iterùm quòd omnibus alijs substernatur accidentibus, quæ in substantia esse habent: Vnde dico, quòd Essentia dicitur,* cuius actus est esse: *Subsistentia,* cuius actus est subsistere: *Substantia,* cuius actus est substare. Quæ authoritas, etsi per se clara sit, vt vim tamen ipsius clariùs percipias, super aliqua, necesse est, vt te attentiùs reflectas. Igitur

Aduerte primò, quòd cùm S. Doctor ponit differentiam inter esse, & subsistere, quòd esse communissimum est, subsistere autem dicit determinatum modum essendi, non sic intelligas, quasi subsistentia sit modus determinans ipsum esse, aduenien[s]que post esse; talis enim modus intelligendi est alienus a Schola Thomistica, in qua omnes fatentur, naturam priùs subsistere, quã existere, vel saltem subsistere per ipsum existere, vt vult P. Blasius; sed S. Doct: vocat illud *esse* determinatum, non quia determinat illud esse commune, quod est existere, cùm hoc per suas specificas, vel numericas differentias determinetur, non verò per subsistentiam, sed quia est aliud esse determinatum, ab illo ex æquo distinctum: illud enim primum, & communissimum nihil dicit, nisi *esse extra causas*, hoc autem dicit *esse per se*, hoc est, non esse in alio, siue, vt accidens in subiecto, siue, vt pars in toto, siue vt Quo, in Quod: hoc enim totum subsistere, seu esse per se excludit, vt infra magis explicabitur.

Aduerte secundò hic, quòd ly, *esse per se*, quod significat subsistere, non dicit existere per se à parte rei, hoc enim facit existentia, sed conceptus illius potiùs negatiuè explicatur, vt illum explicuit S. Doct: *non in alio*, siue, vt in subiecto, siue, vt in toto, siue, vt in Quod.

Aduerte tertiò, quòd S. Doct: explicans, quid sit subsistere, quod etiam dixit, esse proprium prædicamenti substantiæ, addidit, *quòd scilicet sit ens in se completum*. Quæ verba notet, obsecro

& P. Blasius, iamque desinat insultare Caietano, quòd illius subsistentia nunquam fuerit à S.Doctore nominata: Ecce enim illam realitatem, siue subsistentiam (vt P. Blasius vocat) Caietani, clarè S. Doctor nominat, & describit, & quidem ita clarè, vt clariùs non optaret Caietanus, dùm dicit, quòd subsistere competit substantiæ, idest naturæ substantiali, secundùm quòd est ens in se completum, illa est enim realitas, quam Caietanus propugnat, per quã natura vltimò cõpletur.

Aduerte denique, quàm clarè S. Doct; in vltimis verbis subsistere distinguat ab esse, quæ quia per se clara sunt, vlteriori discussione non egent. Iam ergo ad alia S. Doctoris loca procedamus.

Secundus locus S. Doctoris est in eodem articulo paulò inferiùs itidem in corp: vbi S.Doct:dicit: *Cùm subsistere dicat esse determinatum, & tota determinatio essendi consequatur formam, quæ terminus est, constat quòd aliquid denominatur subsistens per primam formam, quæ est in genere substantiæ, sicut album per albedinem, & animatum per animam; & ideò in prædicamentis, dicit Boetius, quòd Vsiosis, vel subsistentia est forma; accipiẽs subsistentiam, pro qua subsistitur.* Quæ verba, si intelligantur, vt debent intelligi, luce clariùs dicunt, quod nos dicimus: Vt autem sensum illorum intelligas

Nota primò ex eodem S. Doctore loco cit:, quod etiam repetit in pluribus alijs, *Subsistentiam* aliquando sumi in concreto pro ipso subsistente, (qui sumendi modus iam modò in vsu non est apud Theologos;) Aliquando in abstracto (sicut illam nùnc communiter accipiunt in Scholis) pro illa formalitate, siue realitate naturæ addita; & constituente suppositum, quæ, quia naturæ additur, tamquam complens illam, de se, ante huius realitatis positionem incompletam, lato vocabulo vocatur forma, sumpta metaphora à veris formis, quæ potentialitatem illorum complent, in quibus recipiuntur. Et hoc est, quod dicit S. Tho: quòd quando Boetius subsistẽtiam vocauit formam, accepit subsistentiam pro eo, *Quo* est, idest in abstracto: id enim, quòd sumitur, vt *Quo*, sumitur, in abstracto, sicuti illud in cõcreto, quod accipitur, vt *Quod*; Et eandem subsistentiam S.Doct: vocat primam formam, quæ est in genere substantiæ. Et iure meritò quidem illam vocauit primam. Tùm quia est vltimum complementum naturæ substantialis, ac per consequens prima primitate perfectionis. Tùm quia est constitutiua suppositi, quod dicitur prima substantia; Vnde S.Doctor, ne relinqueret de mente sua ambigendi locum, de qua forma loqueretur in præsenti, clarè se explicuit, cùm dicit: *tota denominatio essendi consequitur formam, quę terminus est.*

Nota secundò illam restrictiuã, *formã, quæ terminus est*: Hæc enim prohibet, ne verba ipsius de alio, quàm

quàm de sola subsistentia intelligas, illa quippè sola est terminus intrinsecus naturæ substãtialis: Ex quo loco sic iam explicato, vt reuera explicari debet, habes euidenter, tùm illam realitatem descriptam, quæ naturam intrinsecè terminat: tùm etiam exclusam existentiam à ratione subsistentiæ; hæc enim neque est rigorose terminus, neq; est constitutiua substantiæ, sicut albedo, albi, & anima, animati, sed potiùs supponit substantiam constitutam: Neque ipse conceptus S. Doctoris patitur, vt de illo aliter intelligas; hic enim explicat formam constituentem subsistens, quam iam supra distinxit ab existentia, quæ est actus essentiæ, non subsistentiæ, vt in præcedenti authoritate, ex Corpore eiusdem Articuli desumpta, vidimus.

Tertius locus ex eodem articulo desumitur, vbi S. Doctor dicit, *quòd nomen subsistentiæ, per prius conuenit generibus, & speciebus, quàm indiuiduis*, quod etiam repetit in 2. distin. 26. quæst: 1. a. 1. ad 4. vbi dicit. *Subsistẽtia, & essentia non nominant distinctum: Vnde etiam, per prius sunt in generibus, & speciebus, quàm in indiuiduis.* Et in alijs plurimis locis idem repetit. Iam autem constat, iuxta doctrinam eiusdem, existentiam per prius competere singularibus, & indiuiduis, quàm generibus, & speciebus. Ergo, secundùm doctrinam ipsius, subsistere distinguitur ab esse, & subsistentia ab existẽtia.

Quartus locus est 1. p. q. 29. a. 1. ad 4. vbi S. Thomas, assignans rationem, cur Boetius in definitione Personæ, posuerit *ly*, naturæ, & non *ly*, essentiæ, quãdo dixit: *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia, ait: Conuenientius fuit, quòd in definitione personæ, quæ est singulare alicuius generis determinati, vteretur nomine naturæ, quàm essentiæ, quæ sumitur ab esse, quod est communissimum*. Ergo euidenter sentit S. Doctor, quòd *esse* non sit constitutiuum suppositi, quod in rationalibus Persona vocatur, aliàs malè diceret, quòd conuenientiùs definiretur persona per *ly*, naturæ, quàm *ly*, essentiæ, ex eo, quod essentia sumitur a b esse, immò oppositum esset dicendum, quia *ly*, essentia, exprimeret statim cõstitutiuum personæ, quod iuxta oppositam sententiam est ipsum *esse*.

Quintus locus habetur ex Opusculo 22. de Natura materiæ, vbi S. Doct: in materialibus compositis, vltra compositionem ex materia, & forma, duplicem aliam ponit, nimirũ naturæ, & suppositi, siue subsistentiæ, quæ facit suppositum, & deinde ipsius suppositi, & esse; dicit ergo S. Doct. *In tali enim composito* (nempè materiali, iam compositionem ex materia, & forma supponente, de quo ibi S. Doctor loquitur) *necessariò est cõpositio duplex, suppositi scilicet, & essentiæ, quæ in re materiali differũt necessariò, cùm indiuiduum in materialibus multa addat supra naturam speciei, quæ essentiam tantùm complectitur, & ideò alia est compositio*

positio totuis rei, & sui esse. Ergo ex mente S. Doctoris clarè patet, subsistentiam non esse existentiā, sed aliquid aliud, ab illa ex æquo distinctum, quòd primo faciat compositionem, seù quasi compositionem cum natura, complens illam, faciensq; totam rem, seu compositum, ad quod deinde sequitur alia compositio, nimirùm totius rei, seù suppositi, & esse; nescio, an clariùs aliquid pro nostra sententia potuerit dicere S. Doctor, circa hanc tamen authoritatem.

Obserua duo. Primum, quòd hæc compositio naturæ, & suppositi non est propria, & rigorosa, vt infra magis hoc ipsum explicabitur. Secundum, quàm acutè S. Doctor in Opusc: de natura materiæ, & de consequentibus materiam, dixerit: *in re materiali, suppositum, & natura differunt necessariò*; quam tamem distinctionem ibi negat in immaterialibus (intellige secundum eandem restrictionem, nimirùm ex eo capite ortam,) quia enim ibi agebat de his, quæ oriuntur ex materia, benè dixit, quòd in materialibus, etiam ex parte ipsius materiæ, petentis principia indiuiduantia, necessariò differunt natura & suppositū; in immaterialibus autem, quæ nō exigunt materiam, & per consequens, nec principia indiuiduantia, non necessariò ex hoc capite differunt suppositum, & natura, quamuis aliundè differant, vt supra explicatum est.

Sextus, & vltimus locus, (omissis pluribus alijs) clarissimus est pro nostra sententia, desumiturque ex Opusc. 37. de quatuor oppositis, Cap. 4. vbi Sanctus Thomas hæc dicit: *Ex dictis ergo manifestum est, quòd in Deo solùm idem est, esse, & natura, & suppositum, omnibus modis; In rebus verò immaterialibus, idem est natura, & suppositum in omnibus, quæ ad idem genus pertinent, In compositis verò omnia prædicta ad inuicem differūt.* Quæ authoritas S. Doctoris, etiam si aliquo modo videatur esse contra nos, inquantùm videtur, in immaterialibus suppositum non distingui à natura, tamen, quidquid sit pro nunc de hoc, certè euidentissimè contra P. Blasium loquitur: Tùm quandò dicit, in materialibus hæc tria, nimirùm esse, naturam, & suppositum ad inuicem distingui: Tùm etiam quia S. Doctor, tàm in hoc, quàm in alijs plurimis locis, videtur docere, suppositum, & naturam in separatis non distingui, semper tamen constantissimè docet, naturā, (immò in multis, sicut hic etiam ipsum suppositum) distingui ab esse, ac proinde sentit, *esse* non pertinere ad rationem intrinsecā suppositi: Si enim pertineret, quomodo fieri posset, vt in ijs *esse* differat à natura, in quibus natura, & suppositum non distinguuntur?

Cæterùm, quia hic locus etiam videtur loqui contra nos, explicādum esset, quomodò in separatis non differat suppositum à natura, nisi seipsum Angelic: Doctor explicuisset, cùm illa verba restrictiua

Digitized by Google

na generalis propositionis, *in omnibus, quæ ad idẽ genus pertinẽt*, addidisset, Quia enim, vt iam supra diximus, suppositum dupliciter potest distingui à natura, absolutè sumpta, nimirùm per principia indiuiduantia, & per realitatem subsistentię, naturæ superadditam; Et quia, vt etiam ex supra dictis constat, & infra fusiùs explicabitur, subsistentia non ponit in numero cum natura, quia est aliquid ipsius, sicut generaliter terminus est aliquid rei terminatæ, S. Doctor ad vtrũque attendens, dixit, quòd *in immaterialibus idem est suppositũ, & natura in omnibus, quæ ad idẽ genus pertinent*: quasi diceret sũpta natura adæquatè cum omnibus, quæ ad genus ipsius pertinent, ac proinde cum suo complemento, & termino intrinseco, qui hoc ipso, quod talis est, debet ad genus naturę pertinere; iam non habemus vnde in separatis, seu in immaterialibus distinguamus suppositum à natura: nihil enim vltrà illum terminum, & cõplementum naturæ datur, per quod possit natura communis distingui à supposito, nisi principia indiuiduantia, quæ quia in separatis nõ sunt distincta à principijs specificis, inde est, quòd natura sumpta adæquatè, vt includit omnia sui generis, & per consequens complementũ suum, erit in separatis idem cum supposito: secus in materialibus, vbi, etsi sumatur natura cum suo complemento, adhùc poterit distingui suppositum à natura cõmuni, ratione principiorum indiuiduantium, quæ includit suppositum, & non naturam, sicut distinguuntur homo, & hic homo: atque hic est legitimus verborum Angelici Doctoris sensus, quem licet apud nullum expositorem viderim, credo tamen satis ad mentem Angelici Doctoris esse expositum, vt verba S. Præceptoris cõsideranti patebit.

Vltimò tandem potest probari, hanc nostram sententiam esse de mente S. Tho:, ex cõmuni consensu veterum, & grauissimorum Thomistarum, qui primitias Thomistici spiritus acceperunt; in quo enim tot grauissimi Thomistæ (quos prò nostra sententia recensuimus) conueniunt, quis dubitet, id esse de mente S. Thomæ? vt non immeritò Bannes sẽtentiã oppositã dicat esse euidẽter falsissimam; ideòque tàm ille, quàm alij omnes Thomistæ in illa impugnanda non immorẽtur; nos tamen fusiores esse debemus propter aliquorum recentiorum Thomistarum, & ipsius P. Blasij argumenta, quæ soluere, & impugnare necesse est, vt puritas Thomisticæ doctrinæ, his depulsis nebulis, clariùs rutilet.

Hic iam soluendæ, & explicãdæ essent authoritates S. Thomæ, quas contrà nostram sententiam P. Blasius congessit: sed quia hoc commodè fieri non potest, nisi nostra sententia explicata, ideò illas inferiùs soluendas, & explicandas remittimus; nunc

vero

verò rationibus cùm oppositæ sententiæ sectatoribus certandum est: Sit ergò.

QVAESTIO VI.

Vtrùm secundum rei veritatem, id quod suppositum addit Naturæ, sit Existentia, itaut per hãc, in esse talis, intrinsecè constituatur.

DIcendum est etiam secundũ rei veritatem inhærẽdo rationibus, siue Philosophicis, siue Theologicis, certum esse, *Existẽtiam*, non esse illud, per quod suppositum in esse talis intrinsecè constituatur. Ità omnes Thomistæ, quæstione præcedenti recensiti, quibus addo nost. Complut. in lib. de Gener. & Corrup. disp. 2. q. 8. n. 25. & n. 29. conclus. 1.; addo & Salmat. tract. 6. de Trinit. disp. 3. dub. vnic., & disp. 9. dub. 4: vbi docent, in Diuinis non esse, nisi vnicam existentiam absolutam, iam verò vltra subsistentiam absolutam, dari tres alias relatiuas constitutiuas Diuinarum Personarum. Eandem sẽtentiã tenent ex Neotericis Suarez in sua Metaphys. disp. 34. sectio. 4. n. 8. & sequentibus: Hurtado de Mendoza, disp. 11. Metaph. sect. 5. P. Mazziotta tom. 1. select. quæstionum, quæst. 10. nu. 151. & seq. Ioannes de Lugo de Incarn. disp. 11. Vasquez in 3. p. disp. 37. cap. 3. Gregorius de Valentia in 3. p. disp. 1. qu. 4. puncto 2. in refutatione sextæ opinionis. Iulius Cæsar Recupitus in sua Theologia, tract. 1. lib. 5. q. 19. n. 6. Et ferè omnes Societatis scriptores, quamuis diuerso fundamento nitantur, quia nimirùm ipsi essentiã ab existentia nõ distinguunt, vno excepto P. Mazziotta, qui sicut in alijs omnibus suis sententijs, sic & in hac fideliter Thomistica premit vestigia; quamuis plures etiam ex relatis Societatis Authoribus, immò quos legi omnes expressè teneant, quòd dato etiam, essentiam, & existentiam in creatis distingui realiter, adhùc suppositum in esse talis non posset per existentiam constitui; Vnde Hurtado de Mendozza loco cit. miratur P. Suarez, affirmãtem non esse, cur suppositum ab existentia distinguatur, si hæc distinguitur ab essentia, probatque ibi etiam, supposita distinctione essentiæ, & *existentiæ*, adhùc hãc non posse ingredi rationẽ intrinsecè constitutiuam suppositi, sed, & ipse Suarez paulò inferiùs ad illa verba (quibus gloriatur P. Blasius, illum suæ sententiæ fauere) se explicat, in quò sensu nu. 10. dixerat, quòd dato, existentiam non distingui ab essentia, præferenda esset opinio, ponens existentiam prò ipsa subsistentia, opinioni Caietani vtrumque distinguentis paulò inferiùs, videlicet n. 14. sua dicta explicat, dicẽs: *Licet suppositio illo principio de dis*

Digitized by Google

stinctione existentiæ ab essentia meritò hæc sententia non multiplicet alias entitates, tamen, adhuc illo principio posito, nulla sufficiens ratio reddi potest, cùr similis distinctio non intercedat inter existentiã, & suppositum. Hæc P. Suarez. Ex quo patet quòd omnes Societatis Authores, (vnũ enim Suariũ pro se allegat P. Blasius) adhùc distinguerent existentiam à subsistentia, etiamsi tenerẽt, existentiam realiter ab essentia distingui.

§. I. *Ratio philosophica excludens existentiam à constitutione suppositi.*

PRobatur Conclusio ratione philosophica prima, quæ est talis. Si existẽtia esset ratio formalis, & intrinseca constitutiua suppositi, sequeretur, quòd non posset concipi suppositum, non concepta saltem implicitè existẽtia ipsius. Sed hoc est falsissimum. Ergo & illud, ex quo sequitur. Maior patet: Impossibile enim est cõcipere rem constitutam, non concepto saltem implicitè ipsius cõstitutiuo intrinseco, cum res per suum constitutiuum intrinsecè sit talis; sicut impossibile est, concipi hominem, non concepta humanitate, vel album, non cõcepta albedine. Minor verò probatur: Nàm possum nùnc v.g. Antichristi personam cõcipere absque eo, quòd implicitè, vel explicitè concipiam existẽtiam; quod euidenter probo: quia si de necessitatẽ in cõceptione personæ Antichristi clauderetur ratio existẽtię, saltem implicitè, non posset verificari negatiua existentiæ, dum affirmo esse personale: Sicut quia in ratione hominis clauditur, saltẽ implicitè, rationale, & in ratione Vnius, vel Boni Ens, non potest verificari negatiua rationalitatis, vel entitatis, de quibus affirmatur *esse* hominis, Vnius, vel Boni: Vnde nõ possum verè dicere: *Hoc nõ est rationale*, de quo dico, quòd sit homo; neque, de quo affirmo, esse Vnum, vel Bonũ, possum cũ veritate negare, quòd sit Ens: Sed sic est, quòd dùm nũc affirmo de Antichristo, quòd sit persona humana, verè possum negare, quòd sit existens; Quærenti enim ex me, quid est Antichristus? verissimè respõdeo, est vna persona humana; & quærenti ex me, si sit existens? falsum dicerem, si affirmarẽ; verũ dico, quando nego. Ergo &c.

Confirmatur. Si existentia esset de ratione intrinseca, & constitutiua suppositi, sequeretur, hãc propositionem (*Petrus existit*) esse æternæ veritatis; Consequens est falsum. Ergò & Antecedens. Sequela prob: quia cùm hęc propositio (*Petrus est suppositum humanum*) in omnium sententia sit æternæ veritatis, & absoluatur à tempore, si constitutiuum suppositi esset ipsa existentia, iàm, sicut idem esset dicere, Petrũ esse suppositum, & esse existentem, etiã hæc (*Petrus est existens*) esset ęternæ veritatis: Quòd tamen nullus sanæ mentis dicet, aliàs Petrus

nunquàm inciperet esse,cùm semper esset.

Respondet P.Blasius huic Cõfirmationi, existentiam posse sumi dupliciter, vel in actu signato, & nominaliter, vel in actu exercito,& participialiter.Dicit ergo ille, quòd existētia in actu signato est illa,quæ constituit suppositum,non autem existentia in actu exercito: Sicque ait,istam propositionem (*Petrus est existens*) si *ly existens* sumatur nominaliter, & in actu signato, esse æternæ veritatis, non minùs, ac illam(*Petrus est suppositum*,) quamuis, inquit ille, si ly existens sumatur participialiter,& in actu exercito,propositio non esse æternæ veritatis, existentia autem sic sumpta, non esse constitutiua suppositi. Et ex hac ipsius responsione, quàm huic cõfirmationi adhibet, posset non difficulter etiam rationi principali responderi, dicēdo,suppositum posse quidem cõcipi sine existentia in actu exercito, non tamen sine existentia in actu signato. Si autē ex illo quæras, quis sit effectus formalis illius existentiæ in actu signato, & nominaliter sumptæ, secundùm quòd esse constitutiua suppositi? Dicit, esse constituere rem existentem in actu signato: Vnde, secundùm illum, existens in actu signato est suppositum.

Sed hæc solutio, & terminis philosophicis abutitur, & implicantia loquitur; Quamuis enim existentia possit nominaliter sumi, sed existens, quod est participium,quomodo sumes nominalitèr? quomodo absolues à tempore? Tota contra te Dialectica clamat, & ipsi Summulistæ talibus dictis Viri eruditi insultabunt. Si itaque dicis, quòd existentia suppositum constituens facit existens in actu signato, seu nominaliter,implicas in adiecto, contra ipsam Grammaticam peccas,dùm participium nomē facis.

Sed impugnemus illam fundamentaliter,& Metaphysicè: quod antequam fiat

Suppono, quòd licet Existētia absolutè possit sumi in actu signato, & in actu exercito,tamen existentia, vt communicata, nūquàm potest sumi in actu signato, sed necessariò quādiù sub hac reduplicatione concipitur, sumitur in actu exercito,& per consequens participialiter: Quod probo euidenter,quia quod essentialiter dicit ipsum exercitium, non potest concipi in actu signato,vt contradistincto ab actu exercito; Sed existentia, vt communicata, essētialiter dicit exercitium existendi,sicut vnio,vt communicata, essentialiter dicit exercitium vniendi, & albedo, vt cõmunicata,essentialiter dicit exercitiū dealbandi.Ergo sicut non potes cõcipere vnionem, vt communicatam,& non vnientem,albedinem, vt cõmunicatam,& non dealbantem,ita non potes concipere existentiam, vt communicatam, & non facientem existere.

Confirmatur hoc ipsum. Non potes concipere existētiam,vt cõmunicatam, nisi concipias causalitates causarum completas, omnes

nes enim tendunt ad communicandum esse. Sed quando concipis omnes causalitates cōpletas, concipis rem existentem à parte rei, & in actu exercito, quia illam concipis extra causas. Ergo quando concipis existentiam, vt communicatam, concipis ipsam in actu exercito.

Hoc ergo supposito, facilè impugnatur solutio P. Blasij: nàm quando concipis existentiam, vt constituentem suppositum, concipis illam, vt communicatam, vt ex se patet: Quomodò enim constitueret suppositum, si non intelligeretur communicata naturæ, cui addita facit suppositum? Sed quando concipis existentiam, vt communicatam, concipis illam in actu exercito. Ergo quàndo concipis existentiam, vt constituentem suppositum, concipis illam in actu exercito. Ergo cùm existentia in actu exercito non absoluatur à tempore, nec propositio de illa est æternæ veritatis. Ergo quando concipis existentiam, vt constituentem suppositùm, debes illam conciperé in actu exercito, & non absolutam à tempore. Ergo & in tempore, quo non existit Antichristus, quando adhuc de illo verificatur, quòd sit suppositum, non potest de illo verificari, quòd habeat esse, ac per consequens *esse* non constituet intrinsecè suppositum, vt probabamus in ratione: & licet propositio, in qua affirmatur de aliquo, quòd sit suppositum, sit æternæ veritatis, non tamen illa, in qua enunciatur, quòd habeat *esse*, vt in nostra confirmatione dicebamus.

Posset secundò, & fortè meliùs, huic nostræ rationi principali in fauorem P. Blasij responderi, dicendo, quòd existentia potest cōsiderari tripliciter, vt possibilis, vt futura, & vt præsens. Quando ergo dicitur, suppositum constitui per existentiam, intelligendum est secundùm distributionem accomodam, ita nimirùm, vt suppositum possibile constituatur per existentiam possibilem, futurum verò per futuram, sicut & præsens, seu actuale suppositum per existentiam præsentem, vel actualem: Vnde quia nunc cum concipio Antichristum esse suppositum, non concipio illum, vt suppositum præsens, & actuale, sed tantùm, vt supposità futurum, etiam existentiam, quam de necessitate in conceptu suppositi, qua talis, inuoluo, non concipio, vt præsentem, sed vt futuram; Futuram verò existentiam attribuere Antichristo, nullum est inconueniens, ab illa enim denominatur Antichristus futurus.

Adde, quòd Antichristus potest dici, & concipi etiam nùnc existens, non quidem in nùnc tēporis, sed in nunc æternitatis, in qua futura, præsentia, & præterita omnia simul existunt, vt docent nost: Salmatic: tomo 1. Tract: 3. disp. 8. dub. 2. & 3. quo fundamento nixi etiam nost. Complut: in Log: disp. 4. q. 2. n. 14. dixerunt, quòd si quis contendat, verbum, *esse*, in propositionibus significare durationem præsentem, dicendum est, illam esse instans, seu

ſeu nunc æternitatis, non verò inſtans, aut nùnc temporis. Sed

Contra eſt, quia ego nunc cõcipio Antichriſtum, vt actu ſuppoſitum, ſicut concipio, vt actu hominem; ſiue id fiat ratione connexionis negatiuæ inter prædicatum, & ſubiectum, vt defendunt noſt: Complut: in Log: diſp: & quæſt: citatis, ſiue ratione connexionis poſitiuæ, vt tenet Caietanus, (cuius ſententiam etiam ego ſequor in mea Metaphyſica, illamque veriſſimam eſſe, ipſamq; mentē Angel: Doct: pluribus ibidē deduco,) his tamen pro nùnc relictis, ex quocunq; id fundamēto proueniat, ſiue ex noſtro, ſiue ex Complutenſium, certum eſt apud omnes, quòd Antichriſtus etiam nùnc eſt verum ſuppoſitum humanum; ac proinde vera eſt de illo hæc propoſitio pro nunc: *Antichriſtus eſt ſuppoſitum humanum*; ſicut pro nunc eſt vera hæc: *Antichriſtus eſt homo*. Ergo nunc vel debet cõpetere, vt nos volumus, vel ſaltem debet non repugnare, (vt volunt Complutenſes,) prædicatum ſubiecto, nempè *ly* ſuppoſitum *ly* Antichriſto. Sed nunc *ly* exiſtens repugnat Antichriſto, verè enim Antichriſtus nunc non eſt exiſtens, aliàs non eſſet futurus. Ergo *ly* ſuppoſitum non eſt idem, quod *ly* exiſtens, ac proinde exiſtentia non eſt conſtitutiuū intrinſecum ſuppoſiti.

Explicatur, & confirmatur magis hoc ipſum, excludendo quandam æquiuocationem, quæ obſcuriora poſſet reddere hucùſque dicta: Nàm quando dicimus (Antichriſtus nùnc eſt ſuppoſitum; vel homo,) dupliciter poteſt ſumi propoſitio. Primò, vt ly *nunc eſt* ſignet exiſtentiam illius ſuppoſiti, vt reddat hunc ſenſum (ſuppoſitum humanum, quod eſt Antichriſtus, nunc exiſtit) & hic ſenſus eſt manifeſtè falſus, neque à nobis aſſeritur, niſi fortè pro nunc æternitatis, de quo ſtatim. Alius ſenſus eſt, prout, ly, *eſt*, ſignificat veritatem propoſitionis, vt ſit ſenſus: (Hæc propoſitio: Antichriſtus eſt ſuppoſitum humanum, vel homo: nunc eſt vera,) & hic ſenſus eſt veriſſimus, quia, vt docent Dialectici, ly, *eſt*, in propoſitionibus in materia naturali, quales ſunt iſtæ, abſoluitur à tempore; Vnde eiuſdem veritatis eſt iſta propoſitio: (Antichriſtus eſt ſuppoſitum, vel homo) ſiue exiſtente, ſiue non exiſtēte Antichriſto; Sed hęc propoſitio (Antichriſtus eſt exiſtens) nō abſoluitur à tempore, eſt enim in materia contingenti, Antichriſtum enim exiſtere, & non exiſtere, contingens eſt, quia dependet à libera Dei Voluntate. Ergo non eſt idem, *quo* Antichriſtus eſt ſuppoſitum, & *quo* eſt exiſtens, ſed exiſtentia eſt exiſtens. Ergo exiſtentia non conſtituit ſuppoſitum.

Neque illud, quod de *nunc* æternitatis adducitur, conuincit intentum; concedimus enim, veriſſimū eſſe, futura, præſentia, & præterita exiſtere ſimul in æternitate, tanquàm in menſura indiuiſibili, infinita, tota ſimul, ſimulq; omnes differentias temporis ambiente;

Digitized by Google

negamus tamen, inde sequi, vt ratione illius existentiæ in æternitate denominetur Antichristus suppositum, loquendo de denominatione, qua nùnc verè dicitur esse suppositum, & ratio est manifesta; quia si ab existencia denominaretur Antichristus suppositum, denominaretur ab illa, non vt habēda, sed vt habita: Iàm autem, licèt Antichristus pro aliquo determinato sinu virtuali æternitatis, nēpè pro illo, qui correspondet tempori, in quo Antichristus erit, sit actu habens existentiam, non tamen pro communi sinu correspōdente omnibus partibus, & instantibus temporis, siue veri, siue imaginarij (de quo potes videre nostros Salmat: Tomo, & Tractatu citatis, dub. 3. n. 80. & sequentib.) Vndè licet Antichristus etiam nùnc habeat *esse* in æternitate, sed non pro parte, vel sinu virtuali æternitatis comprehendente præsens nostrū tempus, sed pro parte, siue sinu virtuali correspondēte illi parti temporis, in qua Antichristus erit, hinc est, quòd cùm res (vt aduertunt nostri Salmat: dub: citato n. 114.) non dicantur simpliciter, & absolutè habere esse, nisi in propria mensura, cùm Antichristus in hoc *nunc* temporis, quo ego affirmo illum esse suppositum, non habeat *esse*, sed habiturus est, immò in *nunc* ipso æternitatis, secundùm illud inadæquatum sui, tēpori nostro præsenti correspondens, illud non habeat, planè sequitur, Antichristum, qui nùnc denominatur suppositum, non denominari talem ab esse etiam habito in æternitate, tùm quia non dicitur esse absolutè, ratione existentiæ in æternitate, vt diximus: tùm etiam quia neque in ipsa æternitate secundùm illum sinum virtualem continentèm præsens tempus, in quo enūciatur de Antichristo esse suppositum, habet esse actu, quod quidē requirebatur ad hoc, vt diceretur suppositum, si semel in ratione suppositi constitueretur per esse: tùm denique, quia mea cognitio, qua ego cognosco, Antichristum esse suppositum, nō mensuratur æternitate, sed tēpore, ac per consequēs secūdùm illa concipio Antichristum suppositum, quæ ipsi competunt, non in æternitate, sed in tempore, quamuis independenter à tempore, ex eo, quòd cognoscā, & enūciem de illo aliquid in materia naturali.

Per quod patet solutio ad illud, quod ex Complut: afferebatur de æterna propositionum veritate, quòd nimirùm in illis ly, *est*, significat durationem æternitatis; ibi enim illi loquebantur de Intellectu æterno, nempè Diuino, cognoscente illas, & sic non mirum, quòd ad existentiam illorū in æternitate refugiant.

§. 2. *Ratio alia probans, existentiam non esse constitutiuam intrinsecè suppositi.*

PRobatur secundò nostra Cōclusio alia ratione philosophi-

phica. In natura substantiali debet dari aliquis terminus complens, & terminans illam intrinsecè. Sed hoc non potest esse existentia. Ergo præter existentiam debet dari aliqua realitas complens naturam, faciensq; suppositum, quod nos subsistentiam vocamus. Maior patet, tùm à paritate quantitatis, in qua, vltra terminationem negatiuam, (vt in prima quæst: diximus) debet dari aliquid positiuum complens, & terminans illam; tùm etiam, quia cùm natura de se sit incompleta, quantumuis cum sua integritate sumatur, vt patet in Humanitate Christi, in qua omnia sunt spectantia ad naturam, & tamen nō est completa, neque vltimò terminata, aliàs non esset assumptibilis, & terminabilis à Verbo. Ergò indiget aliquo complemento intrinseco. Minor verò prob: quia iuxta doctrinam Angel: Doctoris, existentia est quid extrinsecum rei, & accidentaliter competit rebus, vno Deo excepto. Ergo &c.

Respondet P. Blasius huic argumento dupliciter. Primò, negando Minorem, quòd scilicet existentia non possit esse terminus intrinsecus naturæ, & ad probationem in contrarium dicit, quòd existentia ideò tantùm dicitur extrinseca, & accidentalis naturæ, quia est extra rationem specificam ipsius, sicut & nostra subsistentia: quod sicut apud nos nō impedit subsistentiā, ne dicatur terminus intrinsecus naturæ, ita neq; apud illū, impedit existētiā: & addit, quòd quidquid nos dicimus de subsistentia, idem ille dicit de existentia.

Secundò respondet negando Maiorem, quòd scilicet natura substantialis indigeat complemēto, & termino intrinseco, datq; duplicem rationem; Primam ex S.Tho: qui 1.sent: distin:23. q.1. a.1.C. & 2.cont:gen:cap.54. formam substantialem vocat terminum intrinsecum, & complementum similiter intrinsecum substantiæ; Secundam à paritate ex qualitatibus, v.g. albedine, in quibus non datur aliquis terminus intrinsecus naturæ illarum. Ad illud autem nostrum de quantitatibus exemplum, dicit, ex his, quæ conueniunt alicui determinato generi, non esse arguendum ad res alterius generis.

Contrà quam suam regulam (obiter id adnoto) statim ipse P. Blasius peccauit, dùm contra nos ex qualitatibus ad substantias arguit, negando in illis terminum intrinsecum. Sed quidquid sit de hoc, contra ipsas solutiones Blasij arguo; & primò

Contra primam; nàm in primis non constat sibi P. Blasius, vt enim in quæst: præcedenti vidimus, soluens illum locum S. Tho: quòd *esse non est de ratione suppositi*, dixit: Esse non est de ratione suppositi per modum alicuius intrinsecè determinantis principia essentialiter, est tamen per modum extrinsecè determinantis; vbi si de propria determinatione loquitur, per quam aliquid ex differenti fiat determinatum, falsissimum est, quòd vel

per

per esse, vel per subsistentiam natura determinetur, siue intrinsecè siue extrinsecè, vtrumque enim inuenit naturam determinatam, vt supra quæst. 2. huius disput: ex S. Tho: diximus: Si verò loquatur de determinatione latè sumpta, prout terminatio intrinseca potest vocari determinatio, in quantùm naturam, quæ erat aliquo modo indifferens, vt sit in in proprio, vel alieno supposito (dixi aliquo modo indifferens, hæc enim indifferentia non est secundùm eandem capacitatem, sed esse in proprio est per capacitatem naturalem, in alieno verò per obedientialem) determinat ad essendum, vel in hoc, vel in illo, iam planè hæc doctrina ipsius contradicit his, quę modò dicit; nàm hìc vult omnia competere existentiæ, quæ in nostra sententia subsistentiæ competunt. Scit tamen benè, in nostra sententia intrinsecè, & substantialiter naturam terminari, & per cõsequens determinari, vt sit in proprio, vel alieno supposito, non verò extrinsecè, & accidentaliter, vt ille de existentia dicit.

Deindè impugnatur eadem prima solutio; nàm existentia, vltra illam extrinseceitatẽ, quę ipsi cum subsistentia cõmunis est, & de qua agit S. Tho: loco ex Quodlibetalibus à P. Blasio, & à nobis supra q: 2. huius disp: citatis, quòd nimirùm non sit determinatiua principiorum essentialium, habet aliam extrinseceitatem, quia nimirum ita est extrinseca, vt non possit esse intrinsecum complementum naturæ: vnde non solùm est extrinseca respectu naturæ, sed etiam respectu suppositi, ad quod consequitur sequela physica, vt quæstione præcedenti ex S. Thoma vidimus. Iam autem subsistentia etsi illo primo modo possit dici extrinseca naturæ, non tamen secundo, cum ad intrinsecum ipsius complementum pertineat, quæ intrinseceitas cùm ad rationem constitutiuam suppositi pertineat, & non competat existentiæ, existentia non poterit esse constitutiuum intrinsecum suppositi.

Secũda verò solutio nullo modo subsistere potest; euidenter enim patet ex supra dictis contra Durandum, essentiam, siue naturam, secundùm propria, & specifica præcisè esse quid incompletum, ideoq: assumptibilem à Verbo, & facientem vnum per se substantialiter cum illo: neque illud, quod P. Blasius adducit in contrarium, conuincit intentum; non quidem primum ex S. Doct: nàm in primis S. Doctor in illo loco ex 1. Sententiarum dist: 23. citato non de forma substantiali loquitur, sed de subsistentia sumpta in abstracto, quæ constituit suppositum, vt quæst: præcedenti, hanc authoritatem explicando, diximus: Neque memini, me aliquando in S. Doctore obseruasse, vt formam substantialem terminum vocet. Quòd autem in 2. contra gent: illam vocet complementum substantiæ, nihil ad propositum; nàm S. Doct: loquitur de complemento specifico, & es-

stantiali, in quantùm perficit, & complet potentialitatem materię, reducendo ipsam de potentialitate ad actum, nos autem, vltra hoc complemētum, aliud requirimus ad ordinem subsistendi spectans, quod requiri, & sine illo naturam esse incompletam, manifestè conuincit assumptibilitas naturæ in Verbo, idque naturæ compositæ ex materia, & forma, iamque indiuiduæ, vt patet in Humanitate Christi.

Illud verò alterum, quod obijcit P. Blasius de qualitatibus non habentibus terminum, & complementum naturæ, tangit difficultatem hucùsque in Scholis non agitatam, scilicet

VTRVM, sicut naturæ substantiali concedimus aliquem terminum, & complementum intrinsecum extra specifica ipsius, ita & accidentibus sit concedendum aliquid intrinsecè terminās, & complens naturam illorum?

Ad quam tamen difficultatem breuiter respondeo, loquendo consequenter, de necessitate admittendum esse etiam in accidentibus complemētum aliquod, terminumq; intrinsecum subsistētiæ, quam pro naturis substantialibus assignamus, correspondentem.

Probatur tùm arguendo à maiori ad minus; Si enim perfectio naturæ substantialis non est tanta, vt sit ex se completa, & ex se capax existētiæ, sed debet per aliquid compleri priusquàm perfectissimum actum, qui est existentia, recipiat, quantò magis hoc in accidētibus, entibus scilicet multò imperfectioribus, inueniri debet? Tùm etiam ex assumptibilitate accidentis ad subsistendum per subsistētiam increatam, quod esse assumptibile, defendunt plures, & grauissimi Theologi, inter quos Aluarez de Incarn: disput: 22. & plures alij. Tùm deniq; quia non minùs accidens, quàm substantia est capax recipiendi aliqua, quæ sunt extrà propriam essentiam: potest enim vnum accidens recipere alia, saltem, vt subiectum *quo*. Ergò sicùt ex receptione aliorum extrà suum genus arguimus distinctionem in substantia essentiæ, & suppositi, quia, vt arguebamus contra Durandū, essentiæ nulla potest fieri additio, ex eo, quòd illa significat illud solùm, quo aliquid est, ita & in accidentibus illud, quod est esse receptiuum aliorum, est distinctū ab ipsorum essentia, quia sicut humanitas significat præcisè illud, quo aliquid est homo, ita & albedo significat illud tantùm, quo aliquid est album; Vnde etiam communiter dicunt Philosophi, quòd accidentia in abstracto significāt formas puras, & omninò impermixtas, ac proinde debent habere aliquod complementum, aliquemque terminum, quo completa intrinsecè illorum essentia, possint recipere alia à se. At

INQVIRES, quod sit istud cōplementum, quiue terminus naturæ accidentalis? Dico, esse ipsum modum vnionis ad subiectū. Inducor ad hoc asserendum, tùm ex proportione arguendo à substantia ad accidentia; sicut enim

quia

Digitized by Google

quia substantia est ens per se, habet terminum, qui det illi esse per se, ita quia accidentis natura est inesse secundùm aptitudinem, ipsa actualis vnio ad subiectum erit complementum ipsius intrinsecũ. Tùm quia per illam actualē vnionem accidens fit ex abstracto cõcretum, & acquirit quodammodò esse, vt *Quod*, sicut & substantia per suam subsistentiam. Tum quia per illam vnionem accidens intelligitur esse vltimatè completũ; cùm enim sit entis, idest substantiæ ens, suum habet complementum, quando actu vnitur substantiæ. Tùm denique quia ad hanc vnionem immediatè sequitur existentia accidentis; nàm vt Deo dante in disput: de Existentia accidentium ostendam, inhærentia actualis, seù actualis vnio accidentis ad subiectum non est existentia accidentis, sed quid præsuppositum ad existentiam ipsius, sicut etiam ipsa subsistentia præsupponitur in natura ad existentiam substantialem.

Ex quibus iam facilè patet, negandum esse illud assumptum P. Blasij, scilicet albedinem, & alias qualitates non habere terminum, siue complementum intrinsecum naturæ suæ debitum. Ille hoc dicit, sed non probat, nos verò oppositum esse diximus, & probauimus.

Per quod patet ad illud, quòd dicit idem P. Blasius, non esse arguendum ex ijs, quæ sunt propria alicuius generis ad res alterius generis: Hoc enim, quod est habere terminos intrinsecos, non est proprium vnius generis, sed commune omnibus, vt ex modò dictis patet.

Aduertendum tamen est, quòd in quantitate duplices termini requiruntur, alij naturæ, alij extensionis actualis. Terminus *naturæ* quantitatis est, sicut & in cæteris accidentibus, ipsa actualis vnio ad subiectum: Termini verò extensionis ipsius sunt indiuisibilia. Ille prior terminus requiritur ex conceptu generali naturæ ex se solùm negatiuè terminatæ, & non admittentis consortium aliorum à se, ac proinde petentis terminum positiuum, ratione cuius etiam extranea recipiat: Isti verò posteriores termini requiruntur ex speciali natura quantitatis, quę extendens substantiam, facit illam capacem contactus physici tàm à loco circumscribente ipsam, quàm ab alijs corporibus; qui contactus cùm non possit fieri in negatione, de necessitate petit terminos positiuos, vt ostendunt nost. Complut: in Phys: & quia nos ex indiuisibilibus quantitatis arguebamus ad positionem termini intrinseci in natura substantiali, ideò adhuc videtur contra nos vrgere illud, quòd ex proprijs alicuius generis nõ est arguendum ad res alterius.

Dicimus ergo hoc verum esse, quando nulla proportio rerum hoc exigit, secùs quando ex proportione argui potest, & assumitur aliquid, quod est clarius in vno genere ad concludendum aliquid difficilius in alio, sicut hic contingit; nàm proportio ter-

minationis quantitatum ostendit nobis terminationem essentiarũ: Maximè quia non hac vnica ratione nos illum terminum intrinsecum in substantijs adstruimus, sed iam alijs efficacibus rationibus firmatum hoc velut exemplo illustramus.

§.3. Ratione Theologica probatur, suppositum, qua tale, non constitui per existentiam.

PRobatur tertiò nostra Cóclus. ratione Theologica. Si ratio constitutiua suppositi, qua talis, esset existentia, sequeretur, omnes tres Personas Sanctissimæ Trinitatis esse incarnatas: Hoc est cótra fidem. Ergo, &c. Minor, & conseq. patent. Maior verò prob. nam cùm in Diuinis non dentur existentiæ relatiuæ, sed omnes Personæ, sicut & omnia Diuina, existant existentia absoluta Diuinæ Naturæ, si existentia esset constitutiua suppositi, ac proinde in rationalibus esset ipsa personalitas, Verbum ratione existentiæ, & per ipsam, formaliter terminasset Naturam humanam, quia illam terminauit ratione personalitatis, vnde illa vnio vocatur hypostatica, siue personalis. Ergo terminatio illa facta fuisset per aliquid commune, & competés omnibus Personis Trinitatis. Ergo cùm illa terminatio sit ipsa Incarnatio, omnes tres Personæ dicerentur, & essent incarnatæ.

Respódet P. Blasius dupliciter. Primò negando, in Diuinis Personas constitui vltimatè per existentiam, (quamuis per illam in creatis constituantur) sed relationes in Diuinis esse constitutiuas Personarum; & dat rationem disparitatis, quia in creatis existentia est illa, quæ vltimò aduenit rebus; in Diuinis autem non, quia ibi est de primario conceptu Essentiæ Diuinæ, ac proinde non potest esse constitutiua personæ, nam hæc constituitur per illud, quod vltimò aduenit rei. Ex quo sequitur, naturam humanam Christi non fuisse terminatam per existentiam, sed per personalitatem Verbi, ac proinde solum Verbum incarnatum.

Secundo resp. dicendo, quòd quia Verbum illud supplet, quod deest Humanitati Christi, ideò cùm Humanitati non desit solùm existentia absolutè sumpta, sed existentia cum modo incommunicabilitatis, itaut talis modus existendi incommunicabiliter sit id, quod velut primariò deest Humanitati Christi, & cùm in Diuinis modus incommunicabilitatis habeatur à relationibus, inde est, quòd Verbum priùs per relationem naturam humanam terminat; quia verò modus incommunicabiliter subsistendi, qui defecit primariò in Humanitate Christi, nihil est aliud, quàm indiuiduatio ipsius existentiæ, ideò Verbum hunc defectum supplet etiam per existentiam absolutam, non quomodocunque sed vt propriam Verbi ratione adiunctæ re-

Digitized by Google

lationis, secundùm quam ratione cùm iam non sit cõmunis alijs Personis, non sequitur alias Personas Trinitatis esse incarnatas.

Sed vtraq; solutio non satisfacit. Vnde contra primam arguitur sic, ostendimus iam contra Scotum, & probant Theologi in materia de Trinitate, rationem personæ, seù suppositi in natura rationali, formaliter inueniri in Diuinis. Ergo, vt ibidem nimirùm quæst: 3. diximus proportionaliter debemus loqui de suppositi, seù personæ creatæ constitutiuo quomodo loquimur de constitutiuo Diuinarum Personarum. Ergo si existentia Diuina, etsi perfectissima, non constituit suppositum, seù Personam Diuinam, neq; existentia creata cõstituet suppositum creatum.

Et vrgetur hoc ipsum, quia si existentia Diuina, etsi intima omnibus Diuinis, non potest cõstituere suppositum Diuinũ, multò magis creata, quæ est quid extrinsecum naturæ, & non est de ratione etiam ipsius suppositi.

Dices fortè, & benè, existentiam in Diuinis ideò non constituere suppositum, quia de conceptu ipsius non est incommunicabilitas. Sed ex hoc efficaciùs contra opinionem Aduersariorũ insurgo. De conceptu existentiæ non est incommunicabilitas. Ergo non potest constituere personam etiam in creatis, quod enim constituit suppositum, debet esse de conceptu suo incommunicabile, aliàs deberet reddi per aliud incõmunicabile, & sic in infinitũ.

Nec refert si dicas, etiam subsistentiam non esse de conceptu suo incommunicabilem, cùm in Diuinis detur subsistentia communis.

Respondemus enim cum distinctione; & si sermo fiat de subsistentia personali, negamus, illam siue in Diuinis, siue in creatis, nõ esse incommunicabilem: Si verò sermo fiat de subsistentia absolutè sumpta, quam aliqua natura ratione suæ infinitatis vltra personales affert, vt de Natura Diuina cõmunitèr docent Thomistæ, & de attributis multi probabiliter volunt, concedimus libentèr, illam non dicere incommunicabilitatem, inde tamen nihil contra nos, quia illa subsistentia non est constitutiua suppositi. Illa verò disparitatis ratio, quam assignet P. Blasius inter Diuina, & creata, quòd his vltimò adueniat existentia, secus illis, supponit principium falsum, scilicèt, existẽtiam in Diuinis non esse vltimum omnium actuum: Nàm, vt optimè aduertunt nost: Salmat: de Trin: disp:7. n. 76. Existentia vbique vltimò aduenit rebus, quæ nunquàm censentur in facto esse vsq; dùm intelligantur sub existentia: Sed hoc in Diuinis (vbi plura ad diuersas lineas spectantia existũt per vnicam existentiam, quæ est de linea naturæ) intelligendum est secundùm distributionem accommodam, ita scil: vt existentia, quæ in linea fontali intelligitur esse quid actualissimum, & vltimum, licet vt actuans, vel quasi actuans lineam essentiæ, præintel-

ligatur formalitatibus aliarum linearum, v.g. attributorum, & relationum, tamen vt intelligitur extendi ad actuãdas alias lineas, intelligitur vltimò aduenire ipsis: vnde vt ijdem Salmat: Tract: & disp: citatis n.62. & sequentibus fusè, & subtiliter deducunt, Attributa, & relationes quando concipiuntur secundùm propria suarũ linearum, quantumuis secundùm omnem suæ lineæ actualitatem concipiantur, non concipiuntur, adhuc in facto esse, neque in dimanato esse, sed in dimanare tantum, quamdiù ad illas actuandas existentia propria fontalis lineæ non intelligitur extendi, ipsisq; quodammodo superinduci; sicut à simili in creatis passiones consequentes essentiam non intelliguntur in facto esse, vsq; dùm non cõcipiantur cum proprijs existẽtijs: & si posset in creatis existẽtia compositi substantialis extendi ad actuãdas proprietates, nunquàm intelligerentur in facto, seù dimanato esse, vsq; dùm nõ intelligerentur, per dictam existentiam actuatæ. Et ratio horum est, quia conceptus existẽtiæ essentialiter, & in omnibus vbicunque inuenitur est, quòd sit actualitas omnium vltima, omnia actuans, & à nullo actuabilis, nimirùm in illo ordine substantiali, vel accidentali, in quo est existentia. Ex quo patet falsitas illius dicti P. Blasij, quòd scilicet in Diuinis respecta proprietatum personalium existentia non sit illud, quod vltimò aduenit ipsis, ac proinde non minùs in Diuinis, quàm in creatis, erit constitutiua personæ, si semel verum est, vt vult P. Blasius, illam exindè personam constituere, quia vltimò aduenit.

Secunda etiam solutio multò minùs subsistere potest; plura enim inuoluit falsa, & cum doctrina communi Scholæ Thomisticæ non cohærentia: Nàm in primis, quod dicit Humanitati nõ deesse existentiam absolutè sumptam, sed existentiam cum modo incõmunicabilitatis, videtur P. Suarij, & sequacium opinioni adhærere subsistentiam scil: esse modum determinãtem existentiam, quod cum communi opinione Scholæ Thomisticæ pugnat. Omnes enim in hoc contra Suarium conueniũt, quòd existentia nõ sit prior subsistentia, sed vel quid posterius illa, vt nos cum maiori parte Thomistarum dicimus, vel idem cum ipsa, vt opposita sententia, quam P. Blasius sequitur, contendit. Quod autem virtualiter in præsenti doctrina P. Blasij hæc Suarij sententia claudatur, manifestè ostendo: Nàm cùm in omniũ sententia id, quod deest Humanitati Christi, quodq; à Verbo suppletur, sit personalitas. Ergo si, vt vult P. Blasius, id quo deest Humanitati, quodque suppletur à Verbo, esse existẽtiam cum modo incommunicabilitatis, itaut dictus modus sit id, quod primò, & principaliter deest, euidenter concluditur, quòd, vel hic modus sit ipsa personalitas, vel certè sit cõstitutiuus personalitatis; quæ in terminis est sententia Neotericorum communiter à Thomistis rejecta.

Digitized by Google

iecta. Deinde falsissimum illud est, quod addit, modum illum incommunicabilitatis esse id, quod primò, & principaliter deest humanę naturæ Christi; certum est enim, deesse illi propriam personalitatem. Ergo id primò, & principaliter deest, quod est primum, & principale in personalitate: Sed in personalitate prius est esse per se, quàm esse incommunicabile alteri, sicut & generaliter in quacunq; forma priùs est effectus positiuus, quàm negatiuus, sicut rationale priùs facit hominem, & deinde ex consequenti distinguit, & separat hominem ab omnibus non participantibus rationalitatem. Vnde esse incommunicabile est effectus secundarius, quamuis inseparabilis à supposito, quia est negatiuus, vt in simili docet nost: Complut: in Physicis disp: 4. de expulsione alterius formę substãtialis per aduentum nouæ in materiam; subsistere autem, siue esse per se, est effectus primarius prouenieus à subsistentia, quem deinde consequitur incommunicabilitas, vt contra Scotum arguendo diximus.

Confirmatur hoc, quia comparatis his effectibus inter se, nullus dicit, quòd subsistere oriatur ex incommunicabilitate, sed potiùs ex subsistentia oritur incommunicabilitas. Ergo &c.

Deinde ista non cohærent cum P. Blasij doctrina: Ille einm explicans istum modum incommunicabilitatis, dicit, quòd nihil sit aliud, quàm indiuiduatio ipsius existentiæ; iam antèm secundum illum indiuiduatio existentiæ est ab indiuiduatione naturæ, vnde dicit, quod existentia est indiuidua, secundùm quòd gradum indiuidualem naturæ substantialis respicit. Ergo cùm in omnium sententia Humanitas Christi sit indiuidua, non deerit Humanitati indiuiduatio existentiæ, seù, quod idem apud P. Blasium est, modus incommunicabilitatis, sed deest ipsa existentia, quæ indiuiduetur, ac per consequens ipsam existẽtiam indiuiduabilem à natura iam indiuidua supplebit Verbum. Ergo cùm in Diuinis vna sit tantùm existentia absoluta, aliquid absolutum terminabit humanitatem, & cùm absoluta sint communia Trinitati, omnes Personæ terminabunt, omnesq; erunt incarnatæ.

Vrgetur magis hoc ipsũ; Nàm natura creata indiuidua, ad omnimodam incommunicabilitatẽ non indiget alio, nisi vt subsistat, sitq; vt *Quod*, nàm differentiæ specificæ iam illam reddiderunt incommunicabilem alijs speciebus, & differentiæ indiuiduales alijs indiuiduis, tantùm ergo erat communicabilis, vt Quo, seù vt natura supppsito. Sed hoc ipso quòd intelligatur subsistens, & præcisis omnibus alijs, redditur etiam hoc modo incommunicabilis; nec iam superest alius modus communicabilitatis, nisi vt subiectum accidentibus, quam nõ excludit, immò dicit suppositum, cùm sit accidẽtium susceptiuum, ergo natura indiuidua eo ipso, quòd intelligatur subsistens, in-

Digitized by Google

telligitur cum omnimoda incõmunicabilitate,& per consequens suppositum, seù in rationalibus persona. Ergo cùm Humanitas Christi sit indiuidua, hoc solo, quòd ponatur subsistens,erit omninò incommunicabilis, & per consequẽs persona. Ergo id,quod illi deest, est solum subsistere. Ergo cùm in sententia P.Blasij existere in natura indiuiduali sit subsistere, posita sola existentia in natura indiuiduali Christi, subsistet, eritque suppositum humanũ, seù persona,& per consequens sola existentia sine relatione faciet illam personam.

Per quod patet falsitas illius, quod dicit P.Blasius,quòd scilicet relatio principaliter terminat: Nam præterquàm relationi ex propria linea non conueniret terminare; si ex propria linea non supponeretur subsistens, (sicut in sententia P.Blasij non potest supponi,si verum est,quod ille dicit, subsistentiam esse idem cum existentia, nam in Diuinis sicut vnica est existentia absoluta,ita vnica esset & subsistentia.) Ad quid, quæso, ponit P. Blasius relationẽ in Humanitate Christi? Non potest enim poni ad in communicabilitatem, quia relatio respectu tantùm sui correlatiui dicit, sicut oppositionem,ita & incommunicabilitatem, Vnde cùm non opponatur personis creatis, sed Diuinis,respectu creatarum non reddet incommunicabilem: Neque est necesse,vt reddat incommunicabilem illam naturam Personis Diuinis, quia ex communi sensu Theologorũ omnes Personæ Diuinæ potuerunt terminare vnam numero naturam humanam Christi, sicut de facto Diuinam terminant. Ergò impertinens erit illa terminatio per relationem. Maximè cum iam per principia indiuiduantia supponatur natura incommunicabilis omnibus indiuiduis.

Dicet fortè P.Blasius, ideò relationẽ Filiationis addi illi existentiæ absolutæ terminanti naturam humanam,vt sola Persona Filij dicatur incarnata. Sed hæc est manifesta petitio principij,respondet enim per hoc, quod est in quæstione; Et insuper, si semel Relationes Diuinæ non habent propriam subsistentiam, vt illam, necesse est, eas non habere in sententia P.Blasij subsistentiam cum existentia confundentis; in Diuinis enim (vt iam toties dixi) non est nisi vnicum *esse* absolutum, iam impossibile esset, vt relatio terminaret aliquam naturam ad subsistendum; & sic impossibile esset, vt decretum Diuinum fuisset de Incarnatione vnius Personæ sine alia, præcipuè eo modo, quo fuit facta, nimirum ad subsistendum; sed debuisset fieri decretum Diuinum de Incarnatione secũdùm aliquod prædicatum absolutum, & commune, quod solum posset terminare ex suppositione; ac per consequens de Incarnatione non vnius, sed omnium Personarum Sanctiss: Trinitatis. Ergo vt ex hucùsque dictis patet, ex sententia P. Blasij, per euidentissimas consequentias de-

du-

Digitized by Google

ducitur, omnes tres Personas Sanctissimæ Trinitatis fuisse incarnatas.

Probatur quartò, & vltimò nostra sententia efficacissima ratione ex Mysterio Sanctiss: Trinitatis. Quod multiplicatur realiter, non potest esse idem cum illo, quod non multiplicatur. Sed in Diuinis subsistentiæ personales multiplicãtur realiter, sicut & ipsæ Personæ, vt ostendunt nost. Salmat: Tract: cit. de Trin: disp. 9. dub. 4. per totum; Existētiæ verò non multiplicatur, sed vnica existentia omnes Personę existunt, vt fusissimè ostendunt ijdem Salmat: Tract: citato disp. 7. dub: vnico per totum. Ergo in Diuinis non est idem existentia, & subsistentia, neque existentia erit constitutiua Diuinarum Personarum. Ergo neque in creatis, cùm vt supra contra Scotum diximus, debeamus proportionaliter de constitutiuo personę creatę dicere, quod fide docente, scimus de Diuinis, quia sicut ex Diuinis omnis Paternitas, iuxta Apostolum, ita etiam omnis personalitas.

Confirmatur. Quæ in Diuinis distinguuntur virtualiter, & ad diuersas lineas spectant, in creatis non solùm realiter, sed etiam essentialiter differre debēt, vt communiter docent Theologi, & euidenter conuincit eminentissima simplicitas Diuinorum. Sed in Diuinis existentia, & subsistentia personalis distinguuntur virtualiter, & ad diuersas lineas spectant; Existentia enim spectat ad lineam essentiæ, subsistentia verò personalis ad lineam relationis. Ergo hæc in creatis non solùm realiter, sed essentialiter differeat, ac proinde existentia non poterit esse constitutiua suppositi intrinsecè; quia hoc subsistentiæ tribuitur.

In contrarium est opinio confundentium subsistentiã cum existentia, ac proinde docentium, illud, quòd addit suppositum naturæ, per quodque ipsum in esse talis intrinsecè constituitur, esse ipsam existentiam, vt indiuiduam, idest existentiam, quatenus gradum indiuidualem naturæ substãtialis respicit. Ita Zumel 1. p. q. 3. ar. 3. concl. 4. & q. 5. ar. 2. noster P. Blasius in sua Metaph: disp. 8. q. 3. & 4. citatque pro sua sententia Capreolum (sed immeritò, vt quæst: sequenti videbimus,) Paludanum Dezam; & alios plures. Probat suam sententiam pluribus argumentis, sed quia ferè omnia in incommunicabilitate suppositi fundãtur, commodè solui non possunt, nisi priùs hanc incommunicabilitatem explicemus; vnde simul cum authoritatibus S. Doctoris, quas pro se adducit, ad quæstionem nonam, soluenda remittimus. Modò sit.



QVÆ-

QVAESTIO VII.

Quid tandem est illud, quod suppositum addit naturæ singulari, & per quod in esse suppositi constituitur? Quidue sit Subsistentia.

REfutatis aliorũ opinionibus circa naturam subsistentiæ, rationem constitutiuam suppositi, restat, vt nostram opinionem proponamus. Et quamuis adhuc confutanda remaneat communis opinio Neotericorum, qui subsistentiã ponebant esse modũ quẽdam superadditum existentiæ, ex eo, quòd credant existentiam, & essentiam non distingui realiter; Sed quia hãc illorum opinionem confutandi proprius locus est in Tractatu de existentia, ideò ad illum refutãdam remittimus. Pro nunc.

Dicendum est: Illud, quod suppositum addit naturæ indiuiduæ, est Realitas quædam media (vel quasi media) inter naturam, & existentiam, quæ est terminus purus, vltimus, & intrinsecus naturæ, complens illam, & faciens, vt *Quod*, & immediatè susceptiuam existentiæ, & hęc realitas vno nomine vocatur, in Scholis *Subsistẽtia*. Ita omnes Authores quæst: præced: relati, quantum ad substantiam, quamuis in aliquibus punctis non omnes conueniant, vt explicantes Conclusionem adnotabimus. Estque hæc ipsissima mens S. Doctoris, vt ex ipsius authoritatibus in quæstionibus antecedentibus, & præcipuè ex his, quas in quæstione immediatè pręcedenti retulimus, satis patet. Explicanda est nostra Conclusio, & quantùm ad singulas partes confirmãda, vt postmodum facilè generalis ratio pro ipsa deducatur.

§. 1. *Quòd subsistentia sit* res, *& non modus.*

IN primis ergo dicimus, illud, quod addit suppositum supra naturam singularem, esse realitatem quandam. Per hoc excludimus opiniones non solùm iam refutatas, subsistãtiam vel in aliquo negatiuo, vel in conceptione abstracti, & concreti; vel in connotatis extrinsecis constituentium, sed etiam opinionem aliquorum nobiscum sentientium, qui subsistentiam credunt esse modum quendam naturæ superadditum, cuius opinionis sunt Suar: Vasq:, & plures ex Neothericis; ex Thomistis verò Sot: citatus à Bann: 1. p. q. 3. ar. 4. dub. 1. concl. 6. & vltima, & ipse Bannez illam reputat probabilem, quamuis nostram, velut probabiliorem, sequatur.

Est ergo nostra sententia, subsistentiam esse rem, prout res distinguitur à modo; vnde subsistentia distinguetur à natura, tanquam res à re, non autem tanquàm modus à re, & ad hoc explicandum vocamus illam realitatem. Sequimur in hoc grauissimos Thomistas Caietanum, Bannez, Nazarium, & alios ex supra citatis in præcedenti quæstione.

Pro-

Digitized by Google

Probatur facilè; nàm iuxta hunc dicendi modum meliùs intelligitur Mysterium Incarnationis: cùm enim modus in hoc distinguatur à re, quòd nec intellectu quidem sit ab illa separabilis, non enim possum concipere modum, quin saltem implicitè concipiam rem, cuius est modus, v.g. non possum concipere sessionem, quin concipiam sedentem; quantumuis enim velis mente abstrahere, sessionis speciem non habebis, nisi illam flexuram corporis sedentis concipias, & hoc voluerunt, credo, explicare Philosophi, quando modum definientes dicunt, quòd sit adiacens rei determinatio, quasi essentia ipsius sit adiacere rei inseparabiliter, nō re tantùm, sed etiam ratione; multa enim, quæ sūt verè res ob intimā connexionem separari non possunt realiter, vt patet de relatione, quæ à fundamento, & termino est omninò inseparabilis, manente vtroque. Cum ergo modus ita adiaceat rei, vt ab illa separari non possit, difficilè explicari potest, si subsistentia esset modus, quomodò possit suppleri à Verbo, cuius subsistentia, in omnium sententia res est non modus.

Confirmatur primò, quia verè possum concipere subsistentiam non cōcepto subsistēte. Ergo, &c.

Confirmatur secundò, quia cōplementum substantiæ dans illi vltimam perfectionem, & constituens illam in esse primæ, idest perfectissimæ substantiæ, non potest esse modus, sed res; quomodo enim à minutissima, & debilissima entitate modali tanta perfectio oriri potest? Ergo &c.

Cōfirmatur tertiò, quia si causalitas causarum intrinsecarū non potest suppleri à Deo ob illatum imperfectionem, quantò magis repugnabit Deo supplere aliquem modum, tantam à re modificata dependentiam dicentem? Ergo cùm fide docente sciamus, subsistentiam esse suppletam à Verbo, debemus tenere, illam modum non esse, sed rem.

Neque aliquid solutione dignū adducunt Authores oppositæ sētentiæ: Illorum enim rationes ad duo omnes, reducuntur. Primò nimiùm, quia nolunt multiplicare entia, sine necessitate. Secundò, quia dicunt, sola distinctione modali saluari omnia circa Mysteriū Incarnationis; vnde cùm ex hoc mysterio occasionem sumpserint Scholæ inuestigandi distinctionē suppositi à natura, non est necesse maiorem ponere, quam hoc, mysterium poscat, sed vtrumque iam ex dictis solutum manet; nā & necessitas ponendi istam realitatem complentem intrinsecè naturam in linea naturæ est ipsa incompletio naturæ in sua linea; & cùm non videatur per aliquid Diuinum posse suppleri modum, adeò à modificato dependentem, vt sine illo ne quidē concipi possit, habetur ergo ex dictis, subsistentiam esse rem, & non modū.

Quod adhuc vlterius cōfirmare possum à negatione definitionis, ad negationem definiti: Nam modus est adiacens rei determinatio: Sed subsistentia non est ad-

iacens rei determinatio. Ergo subsistentia non est modus: Maior est definitio modi communiter in Scholis recepta. Minor verò prob: nàm si esset subsistentia alicuius rei determinatio, maximè naturæ, cui adiacet, tanquam terminus terminato. Sed non potest esse determinatio naturę, quia nullam ab illa indifferentiam tollit; Non specificam, vel numericam; vtraq; enim iam supponitur sublata, illa per formales, ista per materiales, siue indiuiduales differentias; non ad essendum, vt *Quo*, vel vt *Quod*, neque ad essendum terminatam proprio termino, vel alieno (qui duplex indifferentiæ modus poterat in natura excogitari per subsistentiam auferibilis,) sed quia vterque respectu extremorum supponit diuersam in natura potentiam; primus enim est secundùm potentiā, quam natura habet à parte rei, & secundùm potētiam, quam habet in intellectu; nàm cum natura à parte rei non sit extra suppositum, à parte rei semper est, vt *Quod*, & tantum per intellectum separantem naturam à supposito, potest esse, vt *Quo*. Secundus autèm modus est iuxta potentiam naturalem, & obedientialem; nam ad essendum in proprio supposito habet potentiam naturalem, ad essendum verò in alieno, obedientialem: Hinc est, quòd respectu istorum, non possit esse indifferens; indifferens enim (vt ipsū nomen sonat, & aduertunt nostri Salmat: Tom. 3. Tract. 10. disp. 2. n. 28.) videtur significare capacitatem, seù potentiam ad plura, & ad nullum illorum determinatam. Ergo secundùm diuersas potentias non potest attendi; nam vnaquæque illarum potentiarum est determinata ad suum actum; vnde quamuis ego per potentiam obedientialem possim volare, non dicor tamen propriè indifferens ad volandum, & non volandum, quia ad non volandum mea potentia naturalis est determinata. Ergo subsistentia non est determinatio rei, cui adiacet, & per consequens non modus, sed res.

§. 2. *Subsistentia est prior ipsa Existentia.*

SEcunda particula nostrę assertionis dicit, illam realitatem esse mediam inter naturam, & existentiam: per quod contradicimus, cùm omnibus Neothericis, qui existentiam ab essentia non distinguunt; ac proinde dicere debent, prout & dicunt, subsistentiam, sicut naturæ, ita & existentiæ aduenire; tùm illis Authoribus, quos præcedenti quæst. refutauimus, qui existentiam, & subsistentiam confundebant; Sed quia horum opinionem satis efficaciter refutauimus.

Contra illos pro nostra assertione argumentor breuiter. Indiuiduum naturę substantialis priùs debet habere totalitatem, quam existentiam; priùs enim, ac intimiùs rebus conuenit ratio totius, vel partis, quàm existentia. Ergo cùm natura, etiam indiuidualiter

sumpta,

Digitized by Google

sumpta, per seipsam incompleta sit, & veluti pars substantiæ primæ, seù hypostasis, cui soli competit totalitas substantialis, debet priùs terminari, & compleri per subsistentiam, quàm intelligatur existens.

Arguit primò contra istud nostrum dictum sic P. Suar: Si subsistentia antecederet existentiam, non posset facere compositionem actualem cum essētia; compositio enim actualis requirit extrema actualia. Ergo cùm ante existentiam nulla sit actualitas in essentia, si subsistentia antecedit existentiam, non poterit componere cum natura, illamque terminare. Confirmatur; quia essentia ante existentiam est realiter nihil: quomodò ergo cum nihilo fiet compositio.

Resp: quòd adhuc loquēdo de compositione rigorosa, qualem nos inter naturam, & suppositum negamus, falsum est, requiri ad compositionem realem actualem, entitates componentes esse actuales; sufficit enim esse entitates reipsa, vt patet in compositione, quæ fit inter materiam, & formā, vbi materia non est entitas actualis, sed entitas reipsa. Deinde negamus, essentiam ante existentiam non esse actualem actualitate essentiæ, quāuis non sit actualis actualitate existentię; immo addo, quòd tùnc, cū terminatur natura per subsistentiā iā est actualis etiā actualitate existētiæ, non quidem in facto esse, sed in fieri, quia tunc intelligitur iam proximè, & immediatè egredi extra omnes causalitates: per quod patet responsio etiam ad Confirmationē.

Arguit secundò, idem P. Suar: Figmentum est, assignare pro existencia aliquam potentiam receptiuam: nulla enim est potentia respectu existentiæ, nisi actiua, & obiectiua. Ergo &c.

Resp. Suarez hoc dicit, sed non probat; vnde etiam nos simpliciter possemus negare, nullam negationis assignando rationem, sed vt videat, quàm fundamentaliter Thomistæ assignāt existētiæ creatæ potentiam receptiuam, adduco rationē efficacem negationis: nā cùm actus irreceptus sit actus illimitatus, & infinitus, si existentia non haberet potentiam receptiuam, in qua, & à qua limitaretur, sicut esset irrecepta, ita esset illimitata, & infinita, quod existentiæ creaturarum repugnat, vt Deo dante, in Tractatu de Existentia fusiùs explicabimus.

Arguit tertiò, quia ex nostra sententia sequitur, Humanitati Christi duas entitates deesse, videlicet subsistentiam, & existentiam creatas, ac per consequens duplicem vnionem factā ibi fuisse cum Verbo, alteram ad subsistendum, alteram ad existendum: ex quo sequitur, quòd cùm existentia in Diuinis sit vnica, & cōmunis toti Trinitati, ratione illius alterius vnionis, quæ erat ad existendum, omnes Personas fuisse incarnatas. Vlteriùs ex nostro principio sequitur, posse vnam vnionem istarum separari ab alia, de potentia absoluta atq; ita humanitatem personatam propria

personalitate, posse vniri existentiæ Diuinæ, vt per illam existat, etiamsi nõ vniatur Diuinæ Personæ, vt supposite tur, quæ cum sint absurda, non est admittenda aliqua entitas media inter existentiam, & essentiam, per quam natura reddatur capax existentiæ.

Resp. concedendo, Humanitati Christi deesse duplicẽ illam realitatem, sed negandum est, illam suppleri à Verbo per duplicem vnionem; cùm enim Verbum sit sua existentia realiter, eo ipso, quòd fuit vnita personalitati Verbi, fuit per eandem vnionem vnita etiam ipsi existentiæ, non absolutè sumptæ, secundùm quòd est communis, sed vt determinatæ ad Personam Verbi per relationem personalem ipsius, quæ relatio ratione suę subsistentiæ personalis terminabit immediatè Humanitatem, vt in materia de Incarnatione docent Theologi. An verò possit humana natura iam terminata propria subsistentia, assumi ad existendum existentia Diuina, (quod vltimò infert Suarius) dicemus, soluendo argumenta Patris Blasij, nam hoc ipsum argumentum Suarij, P. Blasius pro sua sententia adducit. Istæ sunt instantiæ P. Suarez.

Arguit quartò Vasquez. Sequeretur ex nostra sentẽtia, priùs natura constitutum, & productum esse suppositũ extra causas, quàm habeat existentiam. Sed hoc repugnat, cùm per existentiam res ponatur extra causas. Ergo &c. Sequela prob. Siquidem suppositum cõstituitur illa entitate reali, quæ prior est quàm ipsa existentia. Ergo &c.

Resp. Maiorem esse bimembrem, & secundum vnum membrum, nimirùm quòd ex nostra sententia sequatur, suppositum esse constitutum ante existentiam, verissima est, & conceditur; nec Vasquez falsitatem illius probat, vel probare poterit: Quantùm verò ad aliud, quod infert ex nostra sententia, nimirùm ex illa sequi, suppositum ante existentiã esse productum, & extra causas, falsa est: nàm vt benè dicit, ponere rem extra causas, sine existentia, esse non potest, cùm sit effectus formalis ipsius. Ad probationem verò istius sequelæ dicimus, naturam per additionem illius nostræ entitatis cõstitui quidem in esse suppositi, non tamen in esse existentis extra causas in facto esse, hoc enim non habet ab illa realitate, sed ab existentia spectat, quæ est vltima rerum actualitas.

§. 3. *Quòd propriè, & rigorosè loquendo, subsistentia respectu naturæ nullam causalitatem exerceat.*

Diximus tertiò in nostra assertione hanc realitatem mediam inter essentiam, & existentiam esse terminum purum, & intrinsecum naturæ, vt à subsistẽtia omnem causalitatis modum excluderemus respectu naturæ, quam

Digitized by Google

quam terminat: Nàm respectu operationum habeatnè, vel non habeat aliquem influxũ, vel causalitatem? infrà dicemus, explicantes illud axioma, *Actiones sunt suppositorum*; nunc verò illam, dicimus, nullam causalitatem exercere respectu naturæ, sed comparari ad illam, vt purè terminum ad terminabile. Et de efficienti quidem per se patet; quia cum præcedat existentiam, effectiua causalitas illi competere non potest, quæ exigit *esse*. De alijs verò causarum generibus videtur esse aliqua difficultas: Nam in primis videtur, rationem causæ finalis habere, cum constituat quid perfectissimum in natura, & per consequens, sicut natura ordinatur ad suppositum, ita etiam ad hanc realitatem constitutiuam suppositi.

Et confirmatur, quia cùm quælibet natura ordinetur ad *esse*, tanquàm ad finem vltimum in naturalibus, ordinabitur ad istam realitatem, saltem tanquàm ad finem intermedium, hæc enim illam cõstituit in esse susceptiui immediati existentiæ. Similiter de causalitate formali videtur esse aliqua difficultas: Cùm enim hæc realitas adueniat naturæ, & faciat vnum per se cum illa, & adueniat vt incompleto completiuum, recipietur vtique in natura, istaque comparabitur ad illã, tanquã potentia, & pars materialis, illa verò ad ipsã, tanquam actus, & forma. Tandẽ videtur, causalitatẽ materialẽ ipsi cõpetere. Tũ quia ab ista realitate habet natura esse per se. Ergo ista realitas est sustentatiua naturę. Ergo habet rationem causę materialis respectu ipsius. Tùm etiam quia complementum vltimum alicuius causæ reducitur ad genus illius causæ; Ergo cùm hæc realitas sit vltimum complementum naturæ in esse susceptiui existentiæ, vt diximus, complebit illam in ratione causæ materialis, ac per consequens exercebit causalitatem respectu naturæ ad genus causæ materialis spectantem. His tamen non obstantibus.

Dicimus, Subsistentiam esse pũrum terminum naturæ, ac proinde nullam causalitatem respectu naturæ exercere. Ita Caietanus, & communiter Thomistæ. De causis intrinsecis id facilè probatur; quia Verbum suppleuit subsistentiam creatam Humanitatis Christi: iam autem, ex communi sensu Theologorum, causarum intrinsecarum causalitates à Deo suppleri non possunt, cùm intrinsecè dicant imperfectionem. Ergo &c.

De causa autem finali potest probabiliter sustineri, illam posse subsistentiæ competere; nullam enim habet repugnantiam cum ratione termini, qua talis: Tamen ad saluandum; subsistentiam esse purum terminum, probabilius est, illam neq; rationem causæ finalis habere: Vnde etiam communiter à Theologis dicitur, quòd in Mysterio Incarnationis vnio personalis secundùm nullũ genus causæ attenditur; Et ratio videtur aperta; nàm loquendo in creatis priùs competit naturæ, subsistentia, quàm esse. Cùm ergo tota bo-

ni-

nitas fundetur in esse, & vt docēt nost: Complut: in Physica disp: 14. q. 3. sola bonitas sit, per quam finis causat, planè sequitur, subsistentiam, rationem causæ finalis sibi vsurpare non posse. Maneat ergo; subsistentiam purum terminum esse omnis causalitatis expertem: Tamen Caietanus loco citato paulò inferiùs, versus finē Commenti, in responsione ad secundum dubium, limitat hanc suam doctrinam, & dicit, *quòd licet in creatis personare, & personari non nihil causalitatis habeat annexum, formaliter tamen (vt superiùs de eo communiter diximus, sine causalitate comparari ad naturam) sublato omni eo, quod imperfectionis est, vt in Diuinis inuenitur, nullam causalitatem includit.* Mouetur autem ad hoc dicendū authoritate S. Doctoris qui 3. p. q. 1. a. 1. ad 2. dicit, *quòd ex anima, & corpore constituitur in vnoquoq; nostrum duplex vnitas, naturæ*, & *personæ*. Sed certè ex hac authoritate licet benè inferatur, (vt infert idem Caietanus) subsistētiam esse distinctam entitatem ab entitate naturæ: vbi enim duplex vnitas, duplex debet esse & entitas, cùm Vnum, & ens conuertantur, non video, quomodo Caietanus inferat aliquam causalitatem in subsistentia respectu naturæ. Sed quidquid sit de hoc, ego potiùs dicerem, quòd cùm radix indiuiduationis sit materia, inde potiùs posset natura comparari ad subsistentiam creatam, tāquàm quid materiale ad formale, quia subsistentia adueniens naturæ (non tamen recepta in ipsa: hoc enim rationi ipsius repugnat) indiuiduatur; & sic poterit hæc mutua causalitas, vel potiùs aliqua vmbra causalitatis materialis, & formalis inter ipsas inueniri: Hæc tamen non potest inferri de subsistentia Verbi, quia hæc cùm sit essentialiter singularis, non indiuiduatur à natura, quam terminat.

Ne verò gratis videamur dixisse, subsistentiam esse terminū, probatur hoc duplici ratione Caietani Theologica, & philosophica. Theologica quidem; Nam personare, & personari sunt terminare, & terminari vltimatè. Ergo personalitas, ac per consequēs subsistentia est terminus vltimus. Conseq. patet, & prob. Anteced. ex communi phrasi Theologorū, qui personari naturæ humanæ à Verbo dicunt terminari, & naturam personatam vocant terminatam. Philosophica verò ratio est ex apparentibus substantijs homogeneis, in quibus videmus, omni causalitate circumscripta, per solam diuisionem generari diuersa supposita, v.g. ad diuisionem aquæ, vel ligni. Ergo cùm proprium sit terminorum ex diuisione resultare, subsistentiæ, quæ constituunt supposita, erunt termini, non qualescunq; sed vltimi, nō quidem tales per negationem alicuius vlterioris extrinseci, sed intrinseci: subsistentia enim est, quæ ex intrinsecis naturæ vltimò potest aduenire.

Illæ rationes dubitandi circa causalitatem subsistentiæ soluuntur

Digitized by Google

tur facilè. Et primò de causa finali dicimus, subsistentiam quidē constituere suppositum, quod est quid perfectissimum in genere substantiæ, & quòd natura ordinetur ad hoc perfectissimum: Sed hoc intelligitur de supposito non absolutè, sed vt connotante existentiam, sine qua connotatione omni perfectione caret. Et insuper hæc perfectio non est in supposito alia à perfectione naturæ, quamuis ad hoc, vt illam natura explicet, requiratur subsistentia. Et ratio huius est, quia cùm omnis perfectio, & bonitas fundetur in esse, vt tam diximus de passionibus entis, & essentia comparetur ad esse, vt principium, suppositum autē, vt subiectum, iam verò per priùs videtur participare perfectionem, quod est principium ipsius, quàm quod est purum subiectum, quia illa principium videtur in se præhabere, inde est, quòd naturæ debet potiùs competere perfectio, & bonitas, quam supposito: Per quòd patet ad Cōfirmationem.

Adde, quòd suppositum tātùm dicitur perfectum, & perfectius natura, quia est completum, complensque naturam de se incompletam, sicut v. g. domus sine tecto dicitur incompleta, & imperfecta, domus verò cum tecto, cōpleta, & perfecta: Et sic eodem modo poterit natura ordinari ad suppositum, suppositumque dici finis naturæ eo modo, quo finis fabricationis est domus perfecta, & completa; Sed vt aduertunt nost. Salmat: Tomo 3. in explicatione tituli quæstionis primæ S. Thomæ ex 1.2.n.2. hæc acceptio finis, (sicut & aliæ plures, quas ibi recensent) est impropria, neque spectat ad cōceptum finis, vt causa est. Et hæc solutio videtur esse fundamentalis, & integrè sopire difficultatem.

Ad illud verò, quod de causalitate formali dicebatur, facilè patet solutio. Dicimus enim, subsistentiam terminare quidem, & complere naturam, quod est proprium termini, non tamen recipi in ipsa, ac proinde non exercere rationem causæ formalis propriè dictæ ergà ipsam.

Similiter illa, quæ pro causalitate materiæ adducebantur, non conuincunt: dicimus enim, ab illa realitate subsistentiæ materiam habere esse per se, non *vt in quo*, seù, vt *à quo*: & ideò non est subiectum sustentans illam, sed terminus complens illam, & dās illi, vt possit esse per se, & vt quod, similiter ad secundum dicimus, concedendo, quòd subsistentia compleat naturam ad hoc, vt in supposito sit susceptiua existentiæ, & similiter concedimus, quòd ratione huius reducatur ad genus causæ materialis, sed negamus, quòd hoc sit respectu naturæ, sed erit respectu existentiæ, quam recipit. Nos verò nō negamus, subsistentiam constituere naturam in ratione subiecti existentiæ, immò hoc est nostrum perpetuum assertum, sed quod negamus, est, subsistentiam respectu naturæ aliquam causalitatem exercere.

§. 4.

Digitized by Google

§. 4. *Quòd Subsistentia cum natura propriam, & rigorosam compositionẽ non faciat; Vbi etiam explicatur celebris illa Thomistica distinctio compositionis in compositionem ex his, & cum his.*

EST & aliud, quod per illam particulam, *Terminus purus*, volumus intelligi, nimirùm subsistentiam cum natura compositionem rigorosam non facere: hoc enim proprium est terminorum, vt patet in indiuisibilibus quantitatis: neque enim dicimus, quòd linea componatur ex partibus, & punctis, sed quòd ex solis partibus componatur, punctis verò, vel continuetur, vel terminetur. Ita Caiet. loco supra citato ex 3. parte, §. Patet tertiò de compositione, &c. fusius in eadem 3. p. q. 2. a. 4. §. ad tertium dubium &c. sequũtur communiter Thomistæ.

Et quia in hac nostra determinatione duo videmur dicere; primum, quòd ex natura, & subsistẽtia fiat aliqua compositio; Secundum, quòd illa compositio non sit rigorosa; vtrumq; ergo probãdum est.

Primum probatur primò, ex authoritate S. Tho: Tùm 4. contra gent: cap. 49. vbi in solucione sextæ obiectionis dicit, quod *natura humana sit simplicior, quàm Verbum, in quantùm Verbum est hic homo*. Iam autem Verbum, vt est hic homo, dicit complexum ex natura humana, & subsistencia Verbi. Ergò ex natura humana, & subsistentia Verbi facta est aliqua compositio; aliàs in hoc excederetur in simplicitate à natura absolutè sumpta, & consequenter etiam ex natura, & personalitate, siue subsistentia creata à fortiori erit aliqua compositio; compositio namq; magis pertinet ad imperfectionem, quàm ad perfectionem. Ergo si cõpetit illi vnioni ineffabili, & perfectissimæ, multò magis competet imperfectiori Creaturarum. Tùm etiam ex. 3. p. q. 2. a: 4. in c. vbi S. Tho: dicit, *Personam Christi post Incarnationem esse compositam*: & vt aduertit Aluarez de Incarnat: disp: 12. hoc verum est non solùm de compositione ex duabus naturis vnius Personę, sed etiam de compositione ex natura, & personalitate. Idemq; docet Angelicus Doctor pluribus alijs locis, & sequuntur communiter Theologi in Tractatu de Incarnatione.

Prob: secundò ratione; nàm compositio est duorum distinctorum vnio. Sed natura, & subsistentia distinguuntur realiter, vt iam probauimus. Ergo quando vniũtur, faciunt compositionem.

Confirmatur; nàm, vt deducunt nostr: Salmatic: Tomo 2. Tract: 6. disp: 5. dub: 2. (arguendo contra Scotum asserentem, relationes distingui ab Essentia Diuina formaliter ex natura rei, & ante omnem operationem intellectus, & deducendo illum ad hoc impossibile, quod ex eius sententia

sequeretur, Personam Diuinam esse compositam,) duorum distinctorum vnio sine compositione esse, & intelligi non potest, adeò vt quo modo duo illa vnita distinguuntur, talis erit cōpositio, ita, quòd si distinguātur, vt actus, & actus, quando vniuntur, erit cōpositio per accidens; si distinguātur, vt actus, & potentia, siue rigoroso, vt v.g. materia, & forma, siue non, sicut terminus, & terminabile perfectiuum, & perfectibile completiuum, & complebile, facient compositionem per se talem: Rursùs si distinguantur, vt res, & res, facient compositionem realem; si verò vt res, & modus, facient compositionem modalem, cuius ibi adducunt exemplum in valdè probabili (vt loquuntur Salmat:) aliquorum Thomistarum sententia putantium, subsistētiam esse modum, quæ iuxta huius probabilis opinionis principia faciet cum natura compositionem modalem: & sic verum est, quòd vbicunq; distincta vniuntur, fit compositio. Ergo &c.

Aduerte hic ex eorundem Salmat: doctrina, etiam in hoc imitari subsistentiam causalitatē formæ, quia complet, & terminat naturam, vt quid complebile, & terminabile, non tamen est rigorosè forma, quia nec recipitur in natura, nec natura dicitur simpliciter potētia respectu ipsius, & tandem quia nō potuisset suppleri à Verbo.

Secundum verò, quod scil: non sit rigorosa compositio inter naturam, & subsistentiam, probatur tum ex his, quæ de puncto, & linea diximus. Tum etiam, quia omnis vera compositio, faciens vnum per se, debet esse ex partibus, quæ sint verè tales, & insuper, quarum vna sit potentia, & alia actus, vt patet in omnibus compositionibus propriè, & rigorosè talibus: Nam & in compositione physica, quæ fit ex materia, & forma, materia est potentia, & forma, actus, vtraque autem est vera pars compositi; & in compositione metaphysica; quæ fit ex essentia, & esse; & in compositione logica, quæ fit ex genere, & differentia, idem cernere licet. Sed in hac nostra compositione, quæ ex natura, & subsistentia constituitur suppositum, neutrū inuenitur; nam neq; sunt veræ pates, neq; cōparantur inter se, vt potentia, & actus; vt ex supra dictis patet. Ergo &c. Tùm deniq; quia eo modo componuntur, quo modo distinguūtur. Sed nō distinguūtur rigorosè, quia subsistentia est aliquid naturæ, sicut generaliter terminus est rei terminatæ. Ergo neque rigorosè componentur, ac proinde hæc compositio, etsi sit vera, non tamen rigorosa. Et iuxta hanc explicationem intellige Caietanum, quando 3.p.q.4. ar.2. dixit, quòd *inter terminum, & terminatum nulla est compositio*; per ly enim *nulla* non exclusit Caietanus omnem compositionem: (vt illum malè intellexit, & impugnat Suar:) nàm expressè admittit compositionem aliquam inter terminum, & rem terminatam eadem 3. par. q.2. ar.4. §. ad tertium dubium, sed per ly *nullam* exclusit omnem

compositionem, quæ rigorosè sit talis, vt verborum ipsius sẽsus sit: Nulla rigorosa compositio intercedit inter terminum, & terminatum.

Ex quibus collige, quàm subtiliter Caietanus loco modò citato distinxerit compositionem in cõpositionem *ex his*, & compositionem *cum his*, & hanc secundam tribuit naturæ, & subsistentiæ, & generaliter termino, & terminato, primam verò de ijs negat: quæ Caietani distinctio, quia multis displicet, (quamuis à plurimis, immò ferè ab omnibus Thomistis probatur) explicanda, & probanda hoc loco est. Sed in primis vis terminorum percipi debet, quid nimirùm significet compositio *ex his*, & quid compositio *cum his*; non enim eodem modo hanc Caietani distinctionem intelligunt etiam ex illis, qui illam approbãt.

Nàm in primis Nazarius 1. p. q. 50. ar. 2. contr. 4. §. vltimo, videtur sic explicare compositionẽ *ex his*, vt sit illa, quando ex vnitis partibus resultat aliquid tertium: Compositionem verò *cum his* per oppositum, quando aliquid tertium non resultat: Vnde infert, compositionem ex natura, & subsistentia esse *cum his*, quia hypostasis non est alia substantia præter naturam compositam ex materia, & forma. Sed hæc explicatio subsistere non potest: Cùm enim, vt docent nost: Complut: in Physicis disp: 6. q. 4. Totum non sit aliqua entitas distincta à partibus simul sumptis, & vnitis, nulla daretur compositio *ex his*, cùm in nulla compositione consurgat aliquid tertium à partibus simul sumptis, & vnitis distinctum.

Deinde P. Mazziotta tomo primo quæst. selectarum q. 7. n. 39. sic hanc distinctionem intellexit, vt compositio *cum his* conueniat parti, & non toti: compositio verò *ex his* conueniat toti, & non parti; sicut v. g. materia, quæ est pars, cùm est vnita formæ, dicitur esse composita, idest simul posita cum forma, non autem composita ex forma, vt patet ex terminis; Sicut à contrario totum (v. g. humanitas) non dicitur esse compositum cum alio, sic enim haberet rationem partis, & non totius, siquidem cum alio componeret totum: Quæ explicatio, etsi subtilis, & verè alias vsurpari potest, non tamen est iuxta mentem Caietani, qui longè aliter hic compositionem *ex his*, & *cum his* sumit: Caietanus enim aliquibus concedit compositionem *ex his*, & negat compositionem *cum his*. Iam autem iuxta hanc expositionem P. Mazziottæ, vbicunq; inueniretur compositio *ex his*, inueniretur compositio *cum his*, quia in quacunq; compositione inueniuntur componentia, & cõpositum; & sic compositio ad cõponentia relata, esset, *cum his*, ad compositum verò, *ex his*.

Vera ergo mens Caietani est, tùnc esse compositionem *ex his*, quando vtrumque componentiũ est vera pas, vna actualis, & alia potentialis; tùnc namq; *ex his* cõsurgit vnum totum compositum. Compositio verò *cum his* est, quãdo

do vnum componentium est totum, cui aliud adiungitur, non tãquàm compars ad constituendum totum, sed tanquàm terminus, & complementum alicuius incompleti: tunc enim verè non erit cõpositio *ex his*, quia ex ipsis non consurgit totum, sed supponitur, erit tamen compositio *cum his*, quia terminus, & complementum additum illi toti incompleto, & nondùm terminato, facit illud cõpletè, & perfectè totum. Ex quo patet, idem esse compositionem *ex his*, ac compositionem rigorosam, sicut etiam compositionem *cum his* cum compositione non rigorosa coincidere.

Patet vlterius, compositionem naturæ, & subsistentiæ non esse *ex his*, sed *cum his*. Et ratio est manifesta, quia natura iam cum sua integritate, & totalitate essentiali præsupponitur, & tantùm eget complemento suę totalitatis, quo habito, fit suppositum, & in rationalibus, persona: Vnde aduerte, quòd non sic ex natura, & subsistentia fit persona, sicut ex materia, & forma cõpositum; ibi enim nulla partium dicit totum, quod dicit compositum, hic verò natura dicit totum, quod dicit persona, quia etiam illud complementum, quod superaddit, clauditur intra terminos naturæ adæquatè sumptæ; & insuper etiam sumpta natura, vt contradistincta à subsistentia, non sumit ab ipsa totalitatem, sed complementũ totalitatis. Neq; mireris dùm audis compositionem sine partibus; habes enim expressè apud S. Doct: compositionem absque partibus inueniri posse; Explicãs enim Angelicus Doct: 3. p. q. 2. a. 4. quomodo fuerit Christus compositus ex natura humana, & Diuina, & quòd illæ Naturæ non habeant (sicut non possunt) rationem partium, cùm tamen compositio debeat esse ex partibus, dicit in responsione ad 2. *Dicendum, quòd illa compositio personæ non dicitur ratione partium, sed potiùs ratione numeri; sicut omne illud, in quo duo conueniunt, potest dici ex eis compositum*, Ecce habes expressam mentem S. Tho: quo modo possit esse vera compositio sine partibus. Maneat ergo, compositionem ex natura, & subsistentia non esse compositionem rigorosam, seù *ex his*, esse tamen compositionem lato modo, seù *cum his*.

Sed hæc Caietani doctrina plures Aduersarios habet; præcipui sunt P. Suar. & P. Blasius, multaq; contra ipsam obijciunt; & Suarez quidem nihil dignum solutione dicit; impugnat enim Caietanum, velut omnem compositionem à supposito, qua tali, excludentem, probatq; multis argumentis, ibi compositionem inueniri, quod & nos libenter cum Caietano concedimus, vt ex dictis patet, P. Blasius aliqua obijcit difficultatẽ præseferentia, & solutione digna.

Primò ergo arguit contra id, quod dicimus, subsistentiam cum natura non facere compositionẽ rigorosam. Nam ixta D. Thomam Cap. 5. de ente, & essentia. *Quidquid non est de conceptu essentię, &*

quidditatis, hoc est aduenies extra, & faciens compositionem cum essentia. Sed illa entitas Caietani, nimirùm subsistentia, non est de conceptu essentiæ. Ergo facit cõpositionem cum illa. Et vrgeo in fauorem P. Blasij, quòd illa verba S. Doct: non possunt explicari de compositione non rigorosa, quia ibi agebat de compositione ex essentia, & esse, quę secundùm nos est rigorosa.

Resp. ipsum S. Doct: soluisse hanc obiectionem, & instantiam; ipse enim explicuit se, quid intelligeret per illud, *quod non est de conceptu essentiæ*, adiungẽs, *hoc est aduen iens extra*: quo significatur, actum extrinsecum, qualis est existentia, facere veram, & rigorosã compositionem cum essentia, non tamen terminũ intrinsecum, quia hic non est omninò extra conceptũ essentiæ adæquatè sumptæ, vt iam totiès diximus.

Secundo arguit P. Blasius cõtra idem, & efficaciter. Quæ concurrunt, tanquam actus, & potentia propriè dicta, ad constituendum aliquid per se vnum, faciunt compositionem rigorosam; Sed essentia, siue natura, & subsistentia sic se habent. Ergò &c. Maior, & Conseq. patent. Minor verò probatur. Subsistentia complet, & perficit naturam, & ideò suppositum dicitur quid completissimũ, & perfectissimum in genere substantiæ. Ergo subsistentia debet esse aliquis actus maximè perfectus. Ergò cùm actus, nisi sit per se subsistens, irreceptus, & infinitus, sit correlatiuus potentiæ, quã perficit, & in qua recipiatur, sicut subsistẽtia habet rationem actus, ita natura rationem potentiæ. Ergo &c.

Confirmatur. Omne ens, aut est actus, aut potentia ex Philos. 9. Metaph. Textu 1. Sed subsistentia, secundùm nos, est ens, & non est potentia relata ad essentiam. Ergo erit actus; tunc sic: non est actus irreceptus, aliàs esset infinitus, quia iuxta S. Tho: actus irrecepti sunt actus infiniti. Et ideò 1.p.q.5.a.2.ad 4. dicit, quòd Angeli, quia sunt formæ subsistentes, & irreceptæ in materia, sunt infiniti inferiùs, in quantùm non recipiuntur in alio, quamuis sint finiti superiùs, quia recipiuntur ab alio. Ergo subsistẽtia est actus receptus in alio; sed non est assignabile aliud receptiuum ipsius, nisi natura, vel essentia; Ergo illa erit potentia. Ergo compositio ex illis erit ex potentia, & actu. Ergo &c.

Nec valet, si dicas, inquit P. Blasius, subsistentiam limitari à natura, non quia recipiatur in ipsa, sed quia terminat ipsam.

Nàm contra est, inquit. Natura creata non limitat subsistentiam, quia illam terminat terminabilitate passiua: Tùm quia aliàs etiã limitaret subsistẽtiam increatam Verbi, cùm terminetur ab ipsa. Tùm etiam, quia ratione terminationis non pendet à natura. Ergo non potest limitari ab illa.

Respondetur ad hanc Obiectionem negando Minorem, ad cuius probationem, concesso antecedenti, negamus vtramq; Conse-

sequentiam: quia enim essentia, siue natura in suo ordine essentiali, & præciso ordine ad existēdum, non est potentia, sed totum actuale, quamuis adhuc non vltimò terminatum, & ideò incompletum, non illo genere incompletionis, quo potentia dicitur incompleta, sed illo, quo totum dicitur incompletum sine sua terminatione, inde est, quòd illud, per quod cōpletur, non sit actus, sed terminus, & ideò neque ipsa comparatur ad ipsum, vt potentia actuabilis; sed vt actualitas vltimò terminabilis; Et sic compositio, quam faciunt, non erit *ex his*, & rigorosa, sed *cum his*, & lato modo sumpta.

Respondetur secundò, quòd adhuc gratis admisso, non tamen concesso, Subsistentiam esse actū, negatur Consequentia, quòd ipsi debeat correspondere potentia receptiua, potest enim dici actus respectu alicuius potentiæ, quam actuat, non informando, sed terminando: Neque inde sequetur, actum illum fore illimitatum, & infinitum, vt patebit ex mox dicendis in responsione ad Confirmationem.

Ad confirmationem ergo respondetur primò distinguendo illud Philosophi: *Omne ens, aut est potentia, aut actus*; formaliter, & per se nego; vel per se, vel reductiuè, concedo; & deinde concessa minori, disting: conseq: Ergo subsistentia erit actus, formaliter, & per se, nego, reductiuè, concedo. Dicimus ergo, quòd Philosophus quando distinxit ens in Potentiã, & Actum, non sumpsit hæc membra presè, & formaliter, sed amplè, secundùm quòd comprehendit tam illa, quæ per se, quàm illa, quæ reductiuè sunt talia: nàm si presè sumpsisset, ad quod, quæso, membrum reduxisset compositum? Iam verò amplè sumptis potentia, & actu, dicimus, quòd subsistentia sub eodem membro collocabitur, sub quo collocatur ipsum compositum, cuius subsistentia est intimum complementum non ponens in numero cum ipso, & cùm compositum substantiale, formaliter, qua tale, idest intra lineam essentiæ indiuiduæ, reducatur ad actum, est enim ens in actu essentiali constitutum, inde est, quòd subsistentia reducetur ad actum. Ex quo tamen malè infert, quòd debeat esse actus receptus, ne sit infinitus, hoc enim tantùm verum est de actu, qui est verè, & propriè talis, non autem de actu reductiuè tali, nam hic non respicit potentiam receptiuam, vt patet in composito.

Nec refert, si in fauorem P. Blasij dicas, aliam esse rationem de composito, & aliam de subsistentia: Compositum enim intelligo, vnde limitatur, nempè ex partibus, ex quibus constat, quarum quælibet limitatur ab alia: sed in subsistentia nihil ostendi potest, à quo limitetur, si semel non recipitur in essentia; nàm per hoc, quòd terminat essentiam, non videtur posse limitari, vt probatur in Confirmatione.

Resp. negando, quòd subsistētia non possit limitari per hoc,

quòd

quòd terminet esſentiam: Cùm enim iuxta vulgare Philoſophorũ proloquium, *Vnumquodque limitatur per ſuum oppoſitum*,& termino, qua tali, opponatur terminabile, vtique terminus à terminabili limitabitur, sicut actus à potentia, non in qua recipitur, ſed quam terminat.

Nec illa obſtant, quæ in confirmatione obijcit P. Blasius. Nõ quidem primum, propter diſparitatem rationis inter ſubsiſtẽtiam increatam, & creatam; illa enim eſt ſubsiſtens, vt *Quod*, & terminat, vt *Quod*, ac proinde incapax eſt limitationis, vnde potiùs trahit naturam ad ſuum eſſe increatum, & illimitatum, quam trahatur ab illa, vnde etiam vulgariter dicitur, quòd aſsumpſerit naturam. Cæterùm ſubsiſtentia creata eſt ſubsiſtens, vt *quo*, & trahitur à natura ad ſuum eſse eſsentiale, vt sit illius receptiuum, cuius natura eſt principium, ac per conſequens determinatur, & limitatur à natura ad hoc potiùs eſse, quàm aliud.

Neque ſecundum obſtat, quod dicit P. Blasius; dicimus enim, quòd licet ſubsiſtentia non pendeat à natura, tanquam à ſuo ſuſceptiuo, pendet tamen ab illa, tãquam à toto complebili per ſe, ſine quo in rerum natura inueniri non poteſt.

Secundò reſp: ad hanc Confirmat: neg: mentem Philoſophi illã eſſe, quam ſupponit P. Blaſius: nimirùm in diuiſione entis in actũ, & potẽtiam, per potentiã intelligi potentiam receptiuam ſolùm, & per actum, intelligi actum, vel informantem, vel ſubſiſtentem. Ampliùs enim Philoſophus ſumpſit hæc verba ſuæ diuiſionis, & ſicut ſub actu comprehendit tam actus primos, nempè formas, quàm actus ſecundos, nempè operationes, ſic ſub nomine potentiæ comprehendit omnem veram, & realem potentiam, actiuam nimirùm, & paſſiuam. Hanc autem eſſe mẽtem Philoſophi, patet ex ipſius verbis, quæ adduco ex cit. lib. 9. Metaphyſ. lect: 1. apud D. Thomã Explicãs ergo Philoſophus membra ſuæ diſtinctionis dicit: *Manifeſtum igitur eſt, quòd quodam quidem vna eſt ipſius facere, & pati potentia; potens enim eſt, et eo quòd ipſum habeat patiendi potentiam, & eo quòd aliud ab eo, quodammodo verò alia; hæc enim in patiente eſt: propterea enim, quòd habet aliquod principium, & quod materia aliquod principium eſt, patitur, quod patitur, & aliud ab alio: pingue namque combuſtibile eſt, cedens verò ſic preſſibile, & ſimiliter de cæteris. Hæc verò in faciente, vtputa calidum, & ædificatiua, hoc quidem in calefactiuo, hæc verò in ædificatiuo*. Vbi, vt vides, clarè Philoſophus de vtraque potentia loquitur, ac per conſequens de vtroq; actu; immò contextus illius libri principaliùs in explicando potentia actiua, & actu ipſi correſpondente occupatur, quam in alia, actuque ipſius, vt videre licet, tùm in ipſo textu Philoſophi, tùm in Commentarijs S. Doctoris ſuper ipſum.

Ex quo infero, quòd cum ſubſiſten-

Digitized by Google

sistentia compleat naturam in ratione principij *Quod* radicaliter operatiui, vt infrà dicetur, quando explicabitur illud axioma (Actiones sunt suppositorum,) sub potentia actiua fuit cōprehensa, ac proinde rationes P. Blasij ex illimitatione actus nullæ sunt.

Resp: tertiò, quòd gratis admisso, subsistentiam esse actum adhuc non erit actus illimitatus, & infinitus, etsi non recipiatur in aliquo; quia enim non est actus purus, sed multum habet de potentialitate admixtum, non quidem in ordine essentiali, vbi est vltimum complementum, vltimusque terminus, sed in ordine existendi, vbi ipsam naturam cōstituit in ratione susceptiui *Quod* existentiæ, hinc est, quòd etsi non esset limitabilis per potentiam, in qua recipitur, est tamen limitabilis per actum, quem recipit. Quòd si contendas, adhuc in ordine essentiali debere illum limitari, dicimus, vt iam diximus, illum limitari per id, quod terminat: addendo insuper, nullum esse inconueniens, si quod de Angelis S. Doctor dixit, & nos de subsistentia dicamus, nimirùm illam, etsi non esse limitatam infrà, esse tamen limitatam supra, quia licet non habeat aliquid, in quo recipitur, habet tamen causam, à qua recipitur.

Tertiò arguit P. Blasius contra illud, quod diximus, nimirùm naturam, & subsistentiam facere cōpositionem *cum his*, suppositum verò, & existentiam, *ex his*: Videtur enim, iuxta explicatam à nobis compositionem *cum his*, magis competere composito ex supposito, & existentia, quàm composito ex natura, & subsistentia: Nam si illa est compositio *cum his*, quādo vnum componentium habet rationem totius, cùm ratio totius magis competat supposito, quàm naturæ, potiùs compositio ex supposito, & existentia erit *cum his*, quàm compositio ex natura, & subsistentia.

Resp. negando assumptum, & ad probat: dicimus, quòd licet suppositum in linea essentiali habeat rationem totius completissimi, non tamen in ordine existendi, in quo comparatur, vt pura potentia nihil actualitatis habens huic ordini debitæ, & per consequens componet cum existentia, quæ est actus huius ordinis proprius, & simpliciter vltimus, vt potentia cum actu, seu vt pars cum parte, sicque illa compositio erit rigorosa, & *ex his*. Oppositum autem contingit in compositione ex natura, & subsistentia, vt iam explicatum est.

§. 5. *In quo explicantur vltimæ particulæ Conclusionis, & ratio generalis ipsius assignatur.*

VLtimæ particulæ nostræ Cōclusionis erant, quòd illa realitas, quam communiter *Subsistentiam* vocant, constituat naturam in ratione susceptiui *Quod*

existentiæ. Illud, quod hæ particulæ clarè sonant, iam ex D. Tho: demonstratum est, quo modo solum suppositum sit susceptiuum, vt *Quod*, existentiæ; & insuper facilè ex dictis probari potest; quia cùm natura sit tantùm, vt *Quo*, nihil extraneum admittere potest. Ergo cùm existentia sit extraneũ quid omni creaturæ, priùs natura debet deponere rationem *Quo*, & esse, vt *Quod* ad hoc, vt recipiat existentiam. Cùm ergò subsistentia addita naturæ faciat illam, vt *Quod*, ab illa habebit, vt sit susceptiua existentiæ.

Sed est aliud, & quidem valdè notandum, quod nobis prædictæ particulæ innuunt, nimirùm Subsistentiam, atque adeò per illam constitutum suppositum, dicere intrinsecum, & impræscindibilem ordinem ad existentiam. Ita sentit Bannez in p: p: q:3: ar: 4. dub:1. Conclus: 5., & hoc idem videtur docuisse Capreolus, vt attentè legenti ipsius textum loco, quo citatur pro illa opinione, quæ in connotatis extrinsecis ponit rationem subsistentiæ, nimirùm 3, sent: dist. 5: q. 3. ar. 3. in sol: ad primum contra secundam Concl: ibi enim concedit, suppositum constitui per aliquid positiuum; & insuper dicit, *quòd existere, vel esse, quod est actus entis, non debetur, nisi subsistenti*: Et hoc ex professo probat dist: 6. quæst: vnica ar. 1. adducendo in fauorem suum illa verba S. Tho: quòd *esse sequitur ad hypostasim, tanquam ad habentem esse, ad naturam autem, non sicut ad habentem esse*. Ergo sensit, suppositum constitutum ante esse per aliquid intrinsecum ipsi, additumque naturæ, aliàs quo modo saluaret, quòd non natura, sed suppositum haberet esse. Ergo quando inuoluit connotationes existentiæ, vult tantùm docere nostram sententiam, quòd scilicet subsistentia dicit ordinem intrinsecum, & impræscindibilem ad esse; sed quidquid sit de mente Capreoli.

Probatur primò nostra Conclusio: nam subsistentia facit suppositum, quod est immediatum susceptiuum existentiæ. Ergo dicet ordinem immediatum ad ipsam, tanquàm potentia ad proprium actum; Ergo impræscindibilem, quia ordo potentiæ ad actum est essentialis; essẽtialium autem non fit præcisio.

Probatur secundò. Essentia, quantumuis incompleta, dicit ordinem essentialiter ad esse, totam enim suã realitatem habet ab hoc ordine. Ergo à fortiori subsistẽtia, quæ essentiam complet, vt sit immediatè susceptiua existentiæ, dicet ordinem essentialem ad ipsã.

Probatur tertiò, quia hoc saltèm conuincunt plurimæ authoritates S. Tho: in quibus videtur dicere, quòd esse sit constitutiuum suppositi, vt mox soluendo argumenta P. Blasij dicemus.

Aduerte hic, & nota diligenter, (plures enim huius inconsideratio in errorem præcipitauit) quòd quando communiter dicitur: subsistentia dat esse per se, vel subsistere: non est intelligendũ actualiter, quasi illud complexum ex

pa-

natura, & subsistentia intelligatur subsistere, seù in se existere, quod idem est actualiter, sed intellige aptitudinaliter, idque secundùm aptitudinem immediatam, quòd nimirùm natura terminata subsistentia, accepit totalitatem, ita vt ex esse, vt *quo*, fiat vt *quod*, vt petat statim existere, seù subsistere per se, addita sibi existentia: Vnde effectus formalis, vel quasi formalis subsistentiæ, non est subsistere actu à parte rei, sed aptitudinaliter: Hæc tamen intellige secundùm communem modum intelligendi, prout communi acceptione subsistere dicit consistere, seu existere à parte rei, non verò, prout subsistere dicit in se sistere, & alio non indigere, vt sustentante; sic enim subsistere actualiter est effectus formalis subsistentiæ propriè, & metaphysicè sumptus. His explicatis.

Ratio generalis nostræ assertionis est, quia suppositum debet aliquid reale, & positiuum addere naturæ, ratione cuius distinguatur realiter ab ipsa, vt contra Scotum, & Durandum probauimus. Sed hoc positiuum non possunt esse aliqua connotata extrinseca, neque principia indiuiduantia, neque aliquod accidens, nec tandem ipsa existentia, vt iam probauimus. Ergo debet esse id, quod à nobis est assignatum.

Confirmatur, quia iuxta nostrũ discursum meliùs saluantur, quæ fides docet, tùm de mysterio Incarnationis, tùm de mysterio Trinitatis, vt ex quæstionibus antecedentibus patet. Ergo &c.

§. 6. Soluuntur argumenta, quæ ab authoritatibus S. Thomæ proponuntur.

Iam tandem ipse ordo, & connexio rerum nos vrget, vt authoritatibus S. Thomæ respondeamus, quas pro sua sententia adducit P. Blasius, quasque in hunc locum soluendas reiecimus; & quia ipsas in tres veluti classes diuisit, nos simili ordine illas proponemus, & soluemus.

Prima itaq; Classis est illarum authoritatum, in quibus S. Doct: affirmat existentiam per se ad rationem constitutiuam personæ pertinere. Primus locus est ex Opusc: 48. Tract: 3. de decem Prædicam: cap. 2. vbi S. Doct: hæc dicit: *In quacunq; substantia creata est compositio ex esse, & essentia; quæ non est compositio materiæ, & formæ, sed est compositio duorum principiorum suppositi, quorum essentia est potentia, & esse est actus.*

Secundus locus est ex 3. p. q. 19. ar. 1. ad 4. vbi dicit: *Esse, & operari est persona à natura: alitèr tamen, & aliter nàm esse pertinet ad ipsam constitutionem personæ.*

Adducit plura loca in hac Classe P. Blasius, quæ apud ipsum videbis, & soluere poteris similiter, sicut ista duo soluentur, neque enim vacat omnia transcribere, cùm specialem difficultatem non habeant, hæc enim duo sunt, quæ magis contra nos vrgent.

Resp. primò ad primam autho-

ritatem, illud Opusculum, ex quo testimonium desumpsit P. Blasius, non esse S. Thomæ, & ideò inter Ipsius Opuscula minoribus characteribus est impressum.

Resp. secundo, supponendo ex S. Tho: 1. p. q. 16. ar. 1. ad 3. *Quòd quia substantiales differentiæ non sunt nobis notæ, vel etiam nominatæ non sunt, oportet interdum, vti differentijs accidentalibus loco substātialium, puta si quis diceret ignis est corpus simplex, calidum, siccum; accidētia enim propria sunt effectus formarum subsistantialium, & manifestant eas*, & ex hoc fundamento assignat rationem, cùr Boetius per indiuiduum (quod est nomen secundæ intentionis) definierit personam, quæ rem aliquam significat, subiungitque: *& similiter nomina intentionum possunt accipi ad definiendum res, secundùm quòd accipiuntur pro aliquibus nominibus rerum, quæ non sunt posita; & sic hoc nomen, indiuiduum, ponitur in definitione personæ ad designandum modum subsistendi, qui competit substantijs particularibus*: In quibus verbis duo obseruanda sunt: primò illa doctrina generalis, quòd quando essentiales differentiæ non sunt nobis notæ, vel nominatæ, licet vti, loco illarum, differentijs accidentalibus. Secundò nomen subsistentiæ, quod significat modum subsistendi non esse, vel saltem temporibus S. Thomæ, non fuisse ita notum, vt iure Boetius, prout dicit S. Doctor, ad illud explicandum substituerit nomen intentionis. Ex quo habes, quod quando S. Tho: (vel quisquis Auth: est illius Opusculi) vocauit existentiā principium suppositi, hac sua regula vsus est, quia nimirùm cùm tùnc ratio subsistentiæ non fuisset ita nota, & ex alia parte subsistentia dicat immediatum ordinem ad existentiam, eademque actione indispensabiliter producatur subsistens, & existens, vt infrà probabitur, S. Thom: vocauit existentiam principium suppositi, intelligens per existentiam constitutiuum immediati susceptiui ipsius, nempè subsistentiam. Et certè si Boetio licuit nomine Intentionis explicare subsistens, cur non licebit S. Doctori nomine existentiæ explicare subsistētiam? cùm maiorem habeat connexionem subsistentia cum existentia, quàm subsistens cum nominibus secundæ intentionis, & sic quando S. Thom: dixit, existentia est principium suppositi, sensus est, existentia non per se, quia vt tibi S. Doct: dicit: *existere de speciebus, & generibus dicitur, sicut accidētia communia*, & insuper dicit: *quòd esse existentia per priùs conueniat indiuiduis*. Iam autem, secundùm ipsum, principium cōstitutiuum suppositi, nempè subsistentia, & non est accidens commune respectu naturæ, vt supra probatum est, & per priùs subsistentia cōuenit speciebus, quàm indiuiduis, vt constat ex ipsius authoritate, quam contra P. Blasium adduximus: Intellexit ergo nomine existentiæ, quando illam dixit esse principium suppositi per modum actus, subsistentiam,

quæ

quæ potest vocari existentiam, denominatione sumpta, tùm ab intrinseco ordine ad ipsam, tùm ex eo, quia constituit naturam in ratione immediati susceptiui existentiæ, tùm etiam ab immediata consecutione: ad subsistere enim immediatè, & indispensabiliter sequitur existere, vnde (iuxta illud vulgare axioma; quod propè est ad actum, nihil differt ab actu) potest subsistentia existentia vocari: Sicut à simili posset quis vocare vnionem principium compositi, quamuis non ipsa, sed partes, quæ vniuntur, sint principia constitutiua ipsius.

Resp. tertiò, supponendo ex nost. Salmat: Tract: 6. de Trinit: disp: 7. n. 54. familiare esse Patribus nomine existentiæ, pro subsistentia vti; quam phrasim Patrum etiam Angelicum Doctorē secutum fuisse, vt pro *ly* subsistētia poneret *ly* existentia, aduertit Nazarius 3. p. q. 17. ar. 2. controu: vnica in resolutione quæstionis. Vide ibi Nazar: probat enim id euidenter ex ipso textu S. Doct: Quo supposito, dico ad præsentem authoritatem, S. Doctorem (si semel verum est, ipsius esse hoc Opusculum) nomine existentiæ intellexisse subsistentiam, & probo hoc euidenter ex textu illius capitis, cuius titulus est: *Quid sit substantia secundum intentionē logicam?* incipitq; caput definiendo substantiam, & dicit: *Est autem substantia ens per se existens. Ad videndum particulam huius descriptionis sciendum, &c.* Prosequiturq; explicationem membrorum definitionis, & vbi venit ad explicādum ly *existens*, dicit verba, quæ citat P. Blasius. Eodem ergo modo ibi sumit *existens*, quo sumpsit in definitione: Certum est autem in definitione non sūpsisse ly *existens* pro existentia, existentia enim nullius creaturæ definitionem intrat. Tùm etiam, quia hic S. Doct: definit substantiam secundùm intentionem logicam. Ergo vt spectat ad scientiam; res autem sub existentia non sciuntur. Quando ergo S. Doct: dixit, quòd substantia est per se existens, manifestè per ly *existens* intellexit *subsistens*, & erit definitio perfecta, quia substantia definitur, quòd sit ens per se subsistens.

Et his solutionibus possunt solui omnia loca, quæ pro se adducit P. Blasius: aut enim in illis vtitur nomine existētiæ pro subsistentia, notificando minus notum per existentiam, quæ est magis nota, aut si de existentia loquatur, vocat subsistentiam existentiam ratione intimi, & essentialis ordinis ad ipsam, sicut ignis dicitur calefacere, non quòd ipsius substātia sit immediatè operatiua, sed quia habet immediatam connexionem cum calore, qui est potentia immediatè calefactiua; vnde cum dicitur, Existētia est id, quo subsistit substantia Angeli, intellige mediatè, vt sit sensus; quo subsistens per subsistentiam talis essentia existit.

Ad secundum locum resp: cùm Caiet: *esse* ideò dici pertinere ad constitutionem personæ, quia

spectat ad personam, vt propria actualitas eius; Persona enim nihil est aliud (inquit Caietanus) quam *natura deducta ad hoc, vt sit propriè id, quod est*: subditq; postquam ostendit, in quo iuxta hāc explicationē *esse* differat ab operari, dicens: *Eadem ergo doctrina est hic, & superiùs tradita, non enim docemus hic, quòd esse sit de intrinseco intellectu personæ, sed quòd pertineat ad constitutionem personæ: Et verò sic est: quoniam constitutio personæ est constitutio ipsius esse: tùm quia non alia actione fit persona, & alia fit esse, sed vna, & eadem: tùm quia ad hoc constituitur persona, vt sit, quod est, dictam constitutionem personæ terminari ad esse, tanquā ad ipsi personæ propriā, & immediatā, vltimāq; actualitatē infrà latitudinem sui generis, scilicet substantiæ.* Hucusq; Caietanus. Ex quibus verbis ipsius patet, etiam illum nobiscum sensisse, subsistentiam dicere intrinsecum, & imprescindibilem ordinē ad existētiam, ratione cuius ordinis dicitur existentia pertinere ad ipsam constitutionem personæ, quia nimirùm constitutiuum personæ nō potest pręscindere ab ordine ad esse.

Secunda Classis authoritatum est apud P. Blasium, in quibus S. Doct. asserit, subsistentiam, & existentiam per se esse vnum, & idē; Ad quas omnes authoritates possem generaliter respondere, hoc esse pro nobis: Nos enim dicimus, quòd S. Doctor aliquando nomine existentiæ, tanquàm magis noto, pro subsistētia vtitur; Sed quia nonnulla ex his locis videntur aliquā specialem difficultatem habere, illa producam, cæteris relictis, quorum solutio facilè ex dictis deduci potest.

Primus itaq; locus est ex Cap. 5. de ente, & essentia propè finem, vbi S. Doct. dicit: *Quia intelligentis quidditas est ipsamet intelligentia, ideò quidditas, vel essentia eius est ipsum, quod est ipsa, & esse suū receptum à Deo est id, quo subsistit in rerum natura, & propter hoc à quibusdam huiusmodi substantiæ dicuntur cōponi ex quo est, & quod est, vel ex esse, & essentia.*

Resp. hunc locum, tantum abesse, vt sit contra nos, quin potiùs est clarè pro nobis: In primis enim quando S. Doct. dicit, quòd *esse intelligentiæ* receptum à Deo sit id, *quo subsistit* in rerum natura, *ly subsistit* sumpsit pro *existit*; subsistere enim in rerum natura iam est existere. Cum ergo dicit S. Doctor, intelligentias componi *ex quo est, & quod est*; quæro ex P. Blasio, per *ly Quod est*, quid intelligit: essentiam absolutè, an essentiam vt terminatam subsistentia seù, quod idem est, suppositum? Non potest dici quod intelligat essentiam absolutè, nam essentia, qua talis, est vt *Quo*, & non vt *Quod*: intelligit ergo essentiam cum subsistētia, seù, quod idem est, suppositum: Ergo cùm dicat, illud *quod* est cum *quo* est, nempè cum existentia, facere cōpositionem, supponit, existentiam esse extra conceptum illius, *quod est*, quomodo enim componeret cum ipso, si nō distingueretur ab ipso,

ipso, essetque extra conceptum ipsius? Ergo cùm *quod est* sit suppositum in omnium sententia, existentia erit extra conceptum suppositi: Et eadem solutione debet explicari ille locus, quem P. Blasius adducit ex quodlibeto 9.q.4.a.6.c.idem enim ferè dicit S.Tho: in illo, quod in præcedenti.

Secundus locus est ex quæst:9. de Potentia a.6. vbi S.Doct:hæc habet: *Dicendum, quòd subesse, à quo imponitur vocabulum subsistendi, Deo non conueniat, tamen per se esse, ad quod significandum imponitur, competit ei.* Nec potest hoc intelligi (vrget P.Blas:) de per se esse aptitudinaliter, quia S. Tho: contradistinguit illud, quod subsistere significat, ab eo, vnde huius nominis significatio desumitur. Ergo cùm id, à quo imponitur vocabulum subsistendi, sit ipsa potentia ad esse per se, sub quo est substantia, (vt ipsemet D. Tho: asserit) dicendum est, quod id, ad quod significandum *ly* subsistere est impositum, sit aliquid aliud, quàm substantia, prout per modum potentiæ receptiuæ ad suũ esse existentiæ ordinatur.

Resp. nos verba S. Thomæ (vt debent intelligi) intelligere neque de esse existentiæ, neque de esse potentiali existentiæ, formaliter qua tali, sed de esse subsistẽtiæ: ibi enim nihil aliud S. Tho: dicit, nisi quòd Deus dicatur subsistens, non à substando, sed à subsistendo; seù essendo per se, quod quidem nõ habetur ab existentia, sed [illegible] stentia:& sic instantia P. Blasij nihil facit contrà nos.

Tertius locus est ex primo ad Hannibaldum, dist.23.quæst: vnica, a. 4.c. vbi dicit: *Esse significat id, quod est in omnibus generibus commune, subsistere verò specialem modum essendi, qui competit substantijs, scilicet esse per se.* Ergo ex mente S. Doctoris *esse* per se est idem, quod subsistere.

Resp: hunc locũ esse pro nostra sentẽtia, & similẽ huic suprà ad probandandam nostram opinionem retulimus; vult enim hic dicere S. Doct: quòd existentia, qua talis, quia nihil aliud dicit, quàm esse rem extra causas, est communis omnibus Prædicamẽtis: subsistentia verò, adhuc qua talis, dicit esse per se (intellige de esse subsistentiæ & non existentiæ) & ideò propria est Prædicamenti substantiæ; quãuis aliundè existentia substantialis etiam ipsa pertineat reductiuè ad Prædicamentum substantiæ, in quantùm coniungitur supposito, quod petit per se separatum existere; sed hoc illi non competit, qua existentia, ex hoc enim conceptu nihil dicit, nisi ponere rem extra causas, sed quia coniungitur subsistenti.

Tertia Classis authoritatum citatur à P.Blasio, in quibus S.Doctor asserit, personam dicere illud, quod est perfectissimum, & completissimum in toto genere substantiæ. Ita 1.p.q.29.a.3.c. & 3.p.q. 16. a. 12. ad 2.& 3. & in pluribus locis à P. Blasio relatis, ex quibus locis sic arguit P.Blasius,

Digitized by Google

sius. Existentia est vltimum cõplementum substantiæ, & actus perfectissimus, qui sit in toto illo genere, ex D. Tho: quæst:7. de Pot.a.2:ad 9.& 1. contra gent. c. 28. & 1.p.q.4.a.1. ad 3.& passim alibi. Ergo si suppositũ est quid perfectissimum, & completissimũ in toto genere substãtiæ, debet in esse talis constitui per existentiã.

Resp. admissis authoritatibus S.Doct. distinguendo subsumptũ; & quando dicit, existentiam esse vltimum complementum substantiæ, extrinsecum concedimus, intrinsecum negamus: Suppositum autem est perfectissimum, & completissimum perfectione, & complemento intrinsecis, non verò extrinsecis.

Pro Coronide adducit P. Blasius contra nos duo alia testimonia S. Thomæ. Primum ex varijs locis S. Tho. in quibus Angel. Doct: dicit, in Angelis tantùm esse vnicam compositionem realem, scilicèt essentiæ, & existentiæ, & in rebus materialibus datur tantùm duplex, nimirùm materiæ, & formæ, & essentiæ, & existentiæ. Sed si subsistentia distingueretur ab existentia, daretur in Angelis duplex compositio, nimirum naturæ, & subsistentiæ; & deinde suppositi, & existentiæ, in rebus verò materialibus triplex, materiæ, & formæ, naturæ, & subsistentiæ, suppositi, & existentiæ. Ergo &c.

Resp. primò, S. Doctorem non enumerasse omnes compositiones metaphysicas, in Angelis inuentas sed tantùm illam, quæ ad ipsius propositum deseruiebat; assignabat enim ibi discrimen inter Substantias materiales, & immateriales, quãtũ ad hoc, quod est componi, vel non componi ex materia, & forma: atque ita dixit, in Substantijs materialibus inueniri quidem nõ solùm metaphysicam ex *esse*, & *essentia* compositionem, sed etiam physicam ex Materia, & Forma; iam verò in Angelis tantùm metaphysicam, quæ est ex esse, & essentia; per quod tamen non exclusit alias metaphysicas compositiones in ipsis inuentas, vt ex Genere, & differentia &c. præcipuam tamen inter omnes posuit, quæ est ex esse, & essentia; Compositio enim ex natura, & subsistentia est tantùm (vt sic dicam) vialis, & ordinata ad præcipuam compositionem metaphysicam ex esse, & essentia; Vnde non videtur ponere in numero cum illa, iuxta Aristotel. 1.Topic: dicentem: *Vbi sunt plura propter vnum, ibi est magis vnum, quàm plura*. Igitur S. Doct; prout ad propositũ ipsius deseruiebat, fuit contentus ponere explicitè, ac expresè solùm illam cõpositionẽ metaphysicã ex esse, & essẽtia. Dixi *Explicitè*, quia implicitè ibi posuit, & cõpositionem ex Natura, & Subsistentia; Nam in illo Articulo docet, non naturam, sed ipsum subsistens, consequenter compositum ex natura, & subsistentia, esse proprium receptiuũ existentiæ, quæ postea superueniens ipsimet supposito iam aliã facit cõpositionem. Vel breuiùs secundò.

Resp.

Resp. S. Thomam in illis locis numerasse tãtùm compositiones, quæ sunt verè, propriè, & rigorosè tales; & ideò non mirum, illum non numerasse compositionem, quæ fit ex natura, & subsistentia, quia hæc degenerat à ratione compositionis rigorosæ, vt supra explicatum est, vbi etiam inuenies soluta, quæ ex P. Blasio possunt contra hãc responsionem obijci: Hanc autem nostram solutionem esse iuxta mentem S. Thomæ potes videre locis citatis apud S. Doct: præcipuè 1. p. q. 50. ar. 2. ad 3. semper enim assignans illas compositiones, loquitur de compositione potentiæ, & actus, quæ est compositio rigorosa, & non inuenitur inter naturam, & subsistentiam, vt dictum est.

Alterum locũ producit P. Blasius ex 1. p. q. 3. ar. 7. vbi S. Doctor ad probandam omnimodam simplicitatem Dei, excludens omnem modum compositionis ab ipso, non meminit compositionis ex natura, & subsistentia. Ergo vel iuxta sensum S. Doct: hæc cõpositio non datur, vel si datur, non est sufficiens argumentum S. Thomæ, neque enim dici potest, quòd S. Doctor ibi dicat: *etiam quòd in Deo nõ sit aliud suppositum, & natura*: Hoc enim dicit referendo se ad præcedentes articulos, vt ex contextu patet; iam autem in articulo tertio, quẽ hæc verba respicere possunt, non locutus est de supposito, quà suppositum, sed qua indiuiduum, vt nos ipsi in quæst: 2. huius Tract: explicantes mentem S. Doctoris in illo articulo diximus: Ergo &c.

Resp. ex dictis in quæst: 2. citata, S. Thom: in illo articulo non exclusisse quidem formaliter à Deo distinctionem suppositi, & naturæ, hoc enim reliquit determinandum inferiùs, & determinat quæst. 39. ar. 1. vbi quærit: Vtrùm in Diuinis essentia sit idem, quod persona? tamen & in illa quæst. 3. virtualiter, determinauit suppositum, & naturam non distingui, quando artic: 4. determinauit, in Deo esse idem essentiam, & esse, natura enim, quæ pertingit ad hoc, vt sit suum esse, non potest non esse sua subsistentia, & sua personalitas, cùm subsistentia sit prior existentia: immò etiam in Diuinis existentia, vt actuans, vel quasi actuans Personas Diuinas, intelligitur aduenire post personalitatem, vt supra ex nost: Salmat: vidimus.

QVAESTIO VIII.

Quomodò Subsistentia reddat naturam incommunicabilem.

IN titulo aliquid, vt certum supponimus, & aliquid in dubiũ vocamus. Supponimus enim, subsistentiam reddere naturam incommunicabilem: Quia enim natura, antequam terminaretur subsistentia, erat communicabilis, (vt patet in Humanitate Christi) & per subsistentiam facta Suppositum,

situm, est iam incommunicabilis saltem naturaliter in omnium sē-tentia (quid enim per ordinem ad potentiam absolutam Dei dicendum est, sequenti quæst: explicabitur) euidenter sequitur, naturam reddi per subsistentiam incommunicabilem: Loquimur autem de subsistentia creata; nam quomodò subsistentia absoluta in Diuinis, nec reddat naturam incommunicabilem, nec constituat suppositum, disputant Theologi in materia de Trinitate, de quo potes videre nostr. Salmatic: Tract. 6. disput. 9. dub. 5. Restat ergo determinandum, quomodò hoc præstet *Subsistentia*, & qualem habeat natura incommunicabilitatem ab ipsa? quod in præsenti vt explicemus, sit.

§. I. *Quam incommunicabilitatem habeat natura à Subsistentia?*

QVia incommunicabilitas dicit negationem communicationis, vel communicabilitatis; ex varijs modis communicationis diuersos modos incommunicabilitatis operæ pretium est præcognoscere, antequam aliquid in hac materia definiamus. Itaque

Supponendum est primò, quòd communicatio potest esse, vel extrinseca, vel intrinseca. Extrinseca est illa, qua vel bonum dicitur esse diffusiuum, siue communicatiuum sui, alliciendo scilicet ad sui dilectionem; vel causa efficiēs dicitur se communicare suis effectibus. Intrinseca communicatio est multiplex. Quædam est secundùm communitatem rationis, quomodò species, & genera dicuntur communicari inferioribus: Quæ adhuc est duplex; Alia qua genus communicatur speciebus; Alia qua species communicatur indiuiduis. Quædam verò realis; & hæc iterùm diuiditur in plura membra; nam alia est, qua communicatur forma materiæ; alia qua reciprocè cōmunicatur materia formæ; alia qua communicatur subiectum accidenti; alia qua accidens subiecto, siue illud accidens prædicabile sit, siue prædicamentale: Alia qua natura integra communicatur supposito, siue illud sit vnum, siue plura: Et pluribus quidem suppositis sola Natura Diuina est communicabilis, loquendo de suppositis proprijs (nam quid de alienis sentiendum sit, disputant Theologi in materia de Incarnatione, & nos inferiùs aliquid dicemus) vni autem etiam creata natura de se est communicabilis: Quæ communicabilitas iterùm, vel potest esse per identitatem, vel per vnionem: Per identitatem communicatio non reperitur extra naturam Diuinam; Vnde incommunicabilitas hoc modo sumpta conuenit quidem omni subsistentiæ creatæ, non tamen ex eo, quia subsistentia est, sed quia finita. Quia ergo tot modis dicitur cōmunicabilitas, totidem quoque modis incommunicabilitas dicitur, quæ negationem communicabilitatis importat.

Quo

Digitized by Google

Quo supposito, certum est in primis, quòd subsistentia non excludat communicabilitatem extrinsecam, tàm illā, quæ ad genus causæ finalis, quā illá, quæ ad genus causæ efficiētis spectat; immò ad vtramq; causalitatem habendam complet naturam, vt adueniente existentia, sine qua nec agere, nec bonitatem in actu exercito habere potest, vtrumq; in actu supposito competat. De intrinsecis autem communicabilitatibus certum est, etiam subsistentiam, aliquas, non excludere, sed supponere exclusas: Nam in primis communicabilitatem rationis, tàm illam, qua genus dicitur cōmunicari speciebus, quàm illam, qua species communicatur indiuiduis, aduenïens subsistentia inuenit exclusas; primam quidem per differentias specificas, secundam autem per indiuiduales, quibus determinatur natura ad *esse huius*, non solum in specie, sed etiam in indiuiduo, vt patet euidenter in Humanitate Christi. Similiter communicabilitatem realem, tàm qua forma communicatur materiæ, quàm qua materia communicatur formæ, non tollit subsistentia, formaliter loquendo; iam enim inuenit sublatas, inuicem se illis partibus compositi determinantibus, vt nec materia reduplicatiuè, vt est in composito hoc, possit recipere aliam formā, nec forma informare aliam materiam, quod quomodò fiat, in Tractatu de Principio indiuiduationis dictum est. Illa etiam duplex communicatio, qua natura vel communicatur pluribus suppositis proprijs, vel siue pluribus, siue vni per identitatem, tollitur quidem per subsistentiam creatam, (de qua sola hìc sermo) sed non qua subsistentia, sed qua creata, & finita, quod à posteriori euidēter probatur, quia increata vtrumque patitur. Denique illa communicatio, qua accidens communicatur subiecto, non excluditur per subsistentiam, quia iam per ipsum gradum naturæ substantialis inuenitur exclusa. Non esse enim in subiecto, competit substantiæ, qua substantia est. Tota ergo difficultas reducitur ad duo. Primum est, vtrùm communicabilitatem, qua subiectum communicatur accidenti, siue illud sit prædicamentale, siue prædicabile, excludat subsistentia? Secundum, vtrùm subsistentia tollat à natura communicabilitatem illam, qua dicitur esse communicabilis supposito? & an hæc sola sit, quam tollit? Quibus in præsenti discussis, manebit definitum, quid de incommunicabilitate suppositi, quam habet à subsistentia, sentiendum est?

Incipiendo ergo à primo, P. Blasius in sua Metaph: disput: 8. quæst. 4. §. 1. duplicem incommunicabilitatem dicit esse de ratione suppositi, nimirùm incommunicabilitatem actus, & incommunicabilitatem potentiæ: Vtramq; verò incommunicabilitatem paulò inferiùs explicat sic; quòd suppositum non possit communicari alicui, actuando illud, aut illud recipiendo, taliter vt faciat vnum

Bbbb per

per se cum eo, cui communicaretur. Et certè consequenter ad sua principia loquitur: Cùm enim, per ipsum suppositum constituatur per existentiam, quæ est vltimus actus in ordine substantiali, & postquam quidquid aduenit, non potest facere vnum per se cum natura substantiali, rectè infert, suppositum excludere communicabilitatem omnem ad aliud, cum quo faciat vnum per se. Nec de communicabilitate per modum actus cum ipso cõtrouertimus; nàm in hac parte, vt in determinatione secundę difficultatis patebit, ipsius sequemur sententiam; de communicabilitate verò per modum potentiæ, ipsius opinioni adhærere non licet, & ideò nostrum hac in parte sensum explicando.

Dicimus primò, Subsistentiam nõ excludere à natura illum modum communicabilitatis, qua subiectum communicatur accidenti. Ista Conclusio est expressa S. Thō: multis in locis, præcipuè 3. p.q.17.a.2.c. vbi dicit: *Est autē considerandum, quòd si est aliqua forma, vel natura, quæ nõ pertineat ad esse personale hypostasis subsistentis, illud esse non dicitur esse illius personæ simpliciter, sed secundùm quid, sicut esse album est esse Socratis, non in quantùm Socrates, sed in quantùm est albus; & huiusmodi esse nihil prohibet multiplicari in vna hypostasi, vel persona.* Vbi clarè S. Doctor admittit plura aduenientia supposito, quæ non faciunt esse per se cum illo, neque de hoc aliquis dubitabit: & ideò ipse P. Blasius, negans in supposito potentiam receptiuam, restrinxit propositionem addens: nihil recipit, quod faciat vnum per se cum illo: Neq; nos hoc volumus contra P. Blasium premere, sed quod vrgemus est, suppositum ex conceptu suppositi non excludere communicabilitatem alteri per modum potentiæ receptiuæ alicuius actus, etiam facientis vnum per se, dummodò sit extrinsecus tàm naturæ, quàm ipsi supposito, iste verò actus est sola existentia, nihil enim substantiale aduenire supposito potest, nisi ipsa, cùm in linea substantiali, quantùm ad intrinseca, Natura per subsistentiam compleatur, & ex extrinsecis sola existentia sit substantialis actus, atq; adeò aptus, vt faciat vnum per se cum supposito, quãuis dicatur accidens prædicabile, quia affirmari, & negari potest de supposito citra ipsius corruptionem.

Probatur primò Conclusio illa celebri Angelici Doctoris authoritate 3.p.q.17.a.2.ad 1. vbi dicit. *Quòd esse consequitur naturam, non sicut habētem esse, sed sicut qua aliquid est; Personam autem siue hypostasim consequitur, sicut habentem esse.* Vbi vt iam supra expendimus, existentia recipitur, non in natura, sed in supposito. Ergo de mente S. Doctoris subsistentia non excludit communicabilitatem receptiuam alicuius facientis vnum per se; existentia enim facit vnum per se, & tamen recipitur in supposito per subsistentiam cõstituto. Idem quoque docuit

cuit

cuit Angelicus Doctor Quodlib. 2.q.2.a.4. vbi dicit: *Et ipsum esse Angeli est præter eius essentiam, seù naturam, & alia quædam ei accidunt, quæ omninò pertinent ad suppositum, non autem ad naturam.* Sequuntur S. Doctorem omnes illi quicunque tenent, existentiam recipi in supposito: Nàm licet istam quæstionem non tractent, tamen ita sentire debẽt, illo principio posito, vt cõsiderãti patebit.

Probatur ratione. Natura per subsistentiam constituitur, sicut in ratione suppositi, ita in ratione susceptiui existentiæ. Ergo subsistentia non tollit à natura rationem potentiæ receptiuæ alterius, etiam facientis vnum per se cum illa. Vtraque propositio probatione non indiget, clara enim est ex his, quæ modo, & supra in antecedentibus quæst: contra P. Blasium diximus.

Probatur, secundò fundamentaliter. Subsistentia non excludit à natura communicabilitatem potentiæ receptiuæ altérius non facientis vnum per se cum illa. Ergo neque excludet respectu illius, quod facit compositionem per se. Antec: admittitur ab omnibus, etiam ab ipso P. Blasio: Cõsequ: verò prob: Tùm à paritate rationis. Tùm etiam, quia ex nullo conceptu subsistentiæ, vel suppositi potest assignari disparitas, cùr sit receptiuum non facientiũ vnum per se, non verò facientiũ: Nam in primis, non ex hoc capite, quia subsistit; subsistere enim non excludit substare, sed potiùs infert illud, & præsupponitur ad ipsum: neque ex hoc capite, quod substet facienti, vel non facienti vnum per se, quia hoc est de materiali respectu ipsius: immo videtur cõnaturalius illud scil. substare facientibus vnum per se cum illa; Certum est enim, gradus genericos, & specificos facere vnum per se, & tamẽ istis substat, illosque sustentat suppositum; Vnde dixit Philos. in Prædicamentis, quòd *ablatis primis substantijs, impossibile est, aliquid cæterorum remanere.* Deinde ex eo capite repugnare non potest, quia subsistentia est vltimum complementum, & suppositum vltimò completum, & terminatum; ex hoc enim tantum habetur, quòd vbi est vltimò completum, & terminatum, in illo ordine non admittit aduẽtitia: Iàm autèm suppositum tantum intrinsecè dicitur vltimatè completum, & terminatum; Ergo tantùm respectu intrinsecorum est incommunicabile. Ergo quæcunq; sunt extrinseca, siue faciunt vnum per se, siue non, non excluduntur à receptibilitate in supposito; Neque aliquid aliud est imaginabile in supposito, ratione cuius excludãtur intrinseca facientia vnum per se, non verò illa, quæ non faciunt vnum per se; Ergo si ista potest recipere, poterit & illa.

Aduertendum autem est, nos hic non dicere, suppositum omnium actuum extrinsecorum immediatè receptiuum esse, sed secundùm distributionem accommodam, vt illos immediatè recipiat, qui sunt immediatè in sup-

posito receptibiles, non verò illos, qui naturam pro suo susceptiuo petunt, qui verò actus extrinseci in natura, & qui in supposito immediatè recipiantur, nõ difficile erit à posteriori colligere; Nam qui ex communi sensu attribuuntur illis, quæ non sunt supposita, quales sunt partes, recipiuntur immediatè in natura; Vnde quia possum dicere, digitus est quantus, est albus, est calidus &c: hæc omnia accidentia recipiuntur in natura, *qui* verò partibus non conueniunt, sed toti cõpleto, recipiuntur in supposito; vnde quia filiatio, paternitas, existentia non conueniunt partibus; neq; enim digitus dicitur filius, vel pater, vel existens secundum se, hi actus recipiuntur in supposito.

Et hinc habes doctrinam pro multis difficultatibus in materia de Incarnatione resoluendis, quomodo potuerunt in Christo fuisse accidentia tùm propria, tùm communia, cùm suppositum Diuinum, quod solum erat in Christo, sit incapax accidentium? quare filiatio temporalis correspondens natiuitati temporali non fuit realis in Christo? sicut etiam neque relatio realis ad Matrem? & cùr cætera accidentia in ipso fuerint, hæc non? cùr in Christo non potuit esse, etiam de potentia absoluta, existentia creata? & similia alia, ex discrimine iam assignato inter actus receptibiles in natura, & supposito, facilè resoluere poteris.

Dicendum est secundò, respondendo secundæ difficultati propositæ. Vnica, & sola incommunicabilitas, quam subsistentia naturæ totali confert, est, quòd non possit communicari, *vt Quo* illi, quod habet esse *vt Quod*, seù vt natura supposito, ad quam incommunicabilitatem reducitur, quòd non communicetur, vt pars toti. Naturæ verò partiali, quæ subsistit, subsistentia saltem illã incommunicabiltatem debet tribuere, qua repugnat ipsi communicari; vt forma materiæ, à qua dependeat, vt à sustentante, seù (quod idem est) in esse, fieri, & conseruari; quæ adduntur propter animam rationalem, quæ licet sit subsistens, est tamen communicabilis, vt pars toti, & vt forma materiæ, quamuis non tanquàm sustentanti, & ideò absq; dependentijs supra dictis: & propter eandem animam additum est, in prima parte assertionis *ly naturæ totali*: Anima enim communicatur toti, quod per illius subsistentiã fit suppositum, sed hoc illi non repugnat, quia non est natura totalis; quomodo autem hæc animæ rationali competant, & quomodo non præiudicet hucusq; dictis de subsistentia, quam diximus esse vltimum terminum, & complementum naturæ totalis, paulò accuratiùs explicandum est, cùm grauem in hac materia pariat difficultatem, etiam ad aliquas quæstiones in materia de Incarnatione decidendas multùm necessariam, præcipuè ad illas, in quibus cum S. Thoma quærunt Theologi 3. par: quæst: 6. de ordi-

Digitized by Google

ne assumptionis; Vt. um nimirum priùs fuerint assumptæ partes, quam totum? Vtrùm priùs anima, quàm corpus? Vtrùm anima priùs assumpta à Verbo, quàm corpori vnita? Vtrùm natura fuerit assumpta mediantibus partibus? &c.& similes, quæ multùm à præsentis difficultatis determinatione pendent; eundem enim ordinem Verbum Diuinum seruauit in terminatione naturæ, qui seruatus fuisset, si humana natura propria subsistentia in Christo personaretur, (non enim multiplicanda sunt miracula sine causa) vnde quomodo creata subsistentia habet se ad animam, ita & Diuina in Christo ad ipsius beatissimam Animam. Vt ergo fundamẽtaliùs hoc determinemus, specialem §. post soluta argumenta P. Blasij circa hoc instituemus. Pro nunc.

Probatur breuiter Conclusio; Natura de se est communicabilis alteri, vt supposito, sicut de facto communicatur in omnibus proprijs suppositis, & in Christo communicata fuit alieno, & postquam est terminata propria subsistentia, etiam de potentia absoluta nulli alteri supposito est cõmunicabilis. Ergo istam incommunicabilitatem habet à subsistentia, per quam, quia in complemento suæ totalitatis vltimò cõstituitur, ac proinde omnis partialitas ab ipsa aufertur, etiam reductiuè ad istam incommunicabilitatem pertinebit exclusio illius communicationis, qua pars communicatur toti; & cum aliàs omnes communicabilitates, vel exclusas supponat, vel quas non supponit exclusas non excludat, sed potiùs inferat, hæc sola est incommunicabilitas, quæ naturæ datur à subsistentia, & quæ consequitur suppositum, qua tale.

Dicendum est tertiò: si de subsistentia secundùm suam analogiam loquamur, prout nimirùm abstrahit à subsistentia naturæ totalis creatæ, vel increatæ, tùnc incommunicabilitas, quam essentialiter subsistentia cuilibet naturæ confert, est, quòd non sit cõmunicabilis alicui, præcisè vt *Quo*, suo receptiuo, cui primò competat esse, vt *Quod*.

Probatur facilè Cõclusio: Nam natura subsistens essentialiter est vt *Quod*. Ergo si sit communicabilis alteri, vel ob summam perfectionem, vt in natura increata contingit, vel ob aliqualem perfectionis defectum, vt euenit in anima rationali, tùnc communicabitur simul, & vt *Quod*, & vt *Quo*, nunquàm verò præcisè vt *Quo*. Ergo incommunicabilitas, quam cuilibet naturæ subsistentia tribuit, hæc erit, ne communicetur alteri præcisè, vt *Quo*.

Dices ex nostris principijs in fauorem P. Blasij contra nostram primam Cõclusionem; Nàm nos arguendo contra Durandum, q. 2. huius disp: ratione tertia principali pro nostra Cõclusione, exinde probamus, subsistentiam esse aliquid distinctum à natura, sine quo natura est quid incompletũ, quia cùm ex natura humana, & suppositalitate Verbi consurrexerit

xerit

xerit aliquod vnum per se, debuit vnũ vnitorum fuisse incompletũ, aliàs quomodo consurrexisset ex entibus completis vnum per se? & cùm Verbum non sit quid incompletum, intulimus, hoc conuenire humanitati: Tùnc sic ad præsens: Ergò cùm suppositum sit ens cōpletum, non poterit dicere potentiam receptiuam alicuius actus, cum quo faciat vnum per se.

Resp. huic argumento concedendo, & approbando totum illũ nostrum discursum, & negando subsumptum. Ibi enim loquebamur (vt ex ibi dictis patet) de vnitate personali, & de complemento intrinseco, & ideò non mirùm, quòd dixerimus, naturam vltimatè completam (qualis deberet esse, si à sua subsistentia non distingueretur, vt volebat Durandus) non posse facere vnũ per se, quia cùm terminatio hypostatica Verbi sit terminatio intra lineam intrinsecorum, non faceret vnum per se, si intra eandem lineam vniretur enti vltimatè completo. Cæterùm hic licet natura supponatur vltimatè intra lineam intrinsecorum completa per subsistentiam, & ideò ita cōpletæ in hoc ordine vlterius complementum repugnat, tamen in ordine extrinsecorum, qualis est ordò existendi, est pura potentia, & ideò non mirùm, si recipiens actum illius ordinis, faciat vnum per se cum illo.



§. 2. *Respondetur argumentis* Patris Blasij *ex quæstione sexta hùc remissis.*

QVia P. Blasius ferè omnia argumenta, quę contra nostram realitatem mediam inter naturam, & existentiam, constituentem suppositum obijciebat, fundabat in incommunicabilitate suppositi, commodè solui non poterant, nisi hac priùs explicata; quod cùm iã fecerimus, ipsius rationes proponimus, & soluimus.

Argumentum primum ipsius est. Constitutiuum suppositi debet ab illo excludere communicabilitatem duplicem, tàm potentiæ, quàm actus in ordine facientium vnum per se. At hoc nō facit subsistentia (vt ille inquit) Caietani, sed existentia. Ergo ista, & non illa, erit constitutiua suppositi. Minor quantùm ad vtramque partem patet, quia natura cum subsistentia, seù (quod idem est) suppositum, dicit potentiam receptiuam existentiæ, quæ facit vnum per se cum ipso, Existentia autem, cùm sit vltimus actus substantialis, nihil recipere potest, quod faciat vnum per se cũ existente. Maior autem probatur, quia suppositum debet dicere omnem incommunicabilitatem, vt habetur ex D. Tho: tùm q. 7. de Poten: ar:6. tùm q. 9. ar.6. c. tùm 1.p. q.29.ar.4. si autem suppositum diceret solam incommunicabilitatem per modum actus,

non

non diceret absolutam incommunicabilitatem, sed tantùm incommunicabilitatẽ in aliquo genere. Ergo &c.

Resp. iuxta dicta negando maiorem; Suppositum enim, vt diximus, non dicit incommunicabilitatem potentiæ receptiuę respectu actus extrinseci, etsi facientis vnum per se. Ad probat: autem respondetur, S. Thom: in illis locis innuere quidem, suppositum, vel personam dicere incommunicabilitatem, non tamen dicere illam incommunicabilitatem esse simpliciter, & omnimodam, ac proinde nihil dicit contra nos. Immo & contra ipsum P. Blasium vrgeretur, si ita dixisset Angel: Doctor; nam communicatio, qua suppositum communicatur actibus non facientibus vnum per se cum ipso, est aliqua communicabilitas. Ergo si suppositum debet excludere omnem communicabilitatem, etiam istam. Dicimus ergo, suppositum dicere omnimodam incommunicabilitatem in linea intrinsecorum, quia in hac linea est vltimò completum, non tamen in linea extrinsecorũ, vbi est incompletum, & pura potẽtia.

Secundum ipsius argumentum est, illud, per quod suppositum constituitur, debet ab illo excludere omnem rationem partis, tàm physicæ, quàm metaphysicæ, & omnem communicabilitatem ipsis conuenientem; nàm suppositum est quid totum, & completissimum. Sed sola existentia, non verò illa realitas media, hoc facit, quia adhuc illa realitate natura terminata, est pars in compositione metaphysica, quæ fit ex supposito, & existentia; iam verò post existentiam nulla sequitur compositio substantialis, cùm sit vltimus actus in isto ordine. Ergo &c.

Resp. disting: maiorem, & si intelligatur pro illo ordine, in quo est completum, est verissima, & sic in ordine intrinsecorum, & essentialium suppositum non habet rationem partis, siue physicæ, siue metaphysicæ (nàm & illa compositio, qua suppositum coalescit ex natura, & subsistentia dicitur metaphysica, quia etiã in abstractis à materia reperitur, licet communiter compositio ex supposito, & existentia vocetur metaphysica, quia hæc est rigorosa, non verò illa, vt iam supra dictum est:) si verò eadem Maior argumenti intelligatur pro illo ordine, in quo suppositum nõ dicit rationem completi, sicut in ordine existendi, neganda est; ibi enim, sicut non dicit quid completum, ita potest subire rationẽ partis componibilis cum alia; quamuis, quia ita in illo ordine est pars, vt simul in alio ordine sit totum, non dicetur pars omninò, & absolutè talis, sed cũ addito, nimirùm in ordine existẽdi.

Tertium argumentum. Suppositum est totum simpliciter, & per autonomasiam in genere substantiæ. Sed si nõ includeret existentiam, non diceretur totum simpliciter, & per antonomasiam; nam totum includens existentiam esset perfectius illo. Ergo &c.

Resp.

Resp. concessa maiori, neg: minorem: Ad cuius probat: dicimus, quòd licet totum includens existentiam sit, & complectius, & perfectius, vtpotè absolutè in vtraque linea tàm intrinsecorum, quàm extrinsecorum substantialium completum, tamen huius totalitatis nō habetur ratio apud Philosoph: quia cum contingenter rebus competat, sicut & ipsa existentia, non est cura ipsius in scientijs, quæ sunt de necessarijs, & perpetuis, estque ibi quasi non esset, & ideò nil mirum, si suppositum ab illis per antonomasiam *totum* vocatur.

Quartum argumentum. Totum est, cui nihil deest. Ergo natura ante existentiam non est totum, quia ipsi deest existentia, quæ est vltimus actus, vltimumque rerum complementum. Nec refert, (inquit P. Blasius) si dicas, existentiam esse quid extrinsecū, & ideò ipsius defectum non impedire totalitatem: nam contra est. Illud, ad quod aliquid per se primò ordinatur, tanquàm ad aliquid sui generis, non potest esse ipsi extrinsecum. Sed substantia per se primò ordinatur ad existentiam, tanquàm ad aliquid sui generis. Ergo &c.

Confirmatur, quia quando dicimus, subsistentiam esse terminum intrinsecum, existentiam verò extrinsecum, vel ideò subsistē-tiam vocamus terminum intrinsecum, quia est intra rationem naturæ substantialis, vel quia est valdè intima rei; primum est falsum, quia subsistentia est extra rationem specificam naturæ substantialis: Secundùm autem non facit differentiam inter subsistentiam, & existentiam; nàm ex D. Tho: pluribus in locis existentia est quid intimè conueniens rebus. Ergo &c.

Resp: ad argum: admittendo solutionem inter arguendum datam, quia defectus extrinseci non tollit totalitatem ab intrinsecis. Ad prob: in contrarium dicimus, substantiam non ordinari per se primò ad existentiam, in quantum substantia, sed in quantum ens, siue essentia aliqua; substantia enim nihil dicit intrinsecè, nisi repugnantiam ad essendum in alio, vt in subiecto; iàm verò vt substantia completa, dicit subsistere, & substare, existere autem contingēs est ipsi. Deinde falsum est, quod dicitur, scil: id, ad quod aliquid per se primo ordinatur, non posse esse illi extrinsecum, vt patet in potentijs operatiuis, quæ per se primò ordinantur ad actū, & tamen actus est ipsis extrinsecus; cum quo tamen stat, quòd ordo ad illud extrinsecum possit esse intrinsecus, & sic in substantia contingit, cui ordo ad esse est intrinsecus, quia sicut ipsa ratio entis, ita & iste ordo consequens, vel potiùs constituens rationem entis intrinsecè, & transcendentaliter imbibitur in omnibus rationibus, & differentijs substātiæ.

Ad Confirmationem resp: subsistentiam dici intrinsecam naturæ substantiali, quia est intra rationem specificam ipsius; non quidem, tanquam pars rationis spe-

specificæ, sed tanquam terminus ipsius, sicut & pũctum est aliquid lineæ, vt constat ex his, quæ diximus supra qu. 1. huius Disputat: Quando autem subditur à P.Blasio, substantiam definiri per ordinem ad existentiam.

Resp: hoc fieri per definitionẽ descriptiuam potius, quàm essentialem, sicut si definiretur homo per animal risibile, quia risibile necessariò sequitur ad rationale; sic esse sequitur ad suppositum constitutum per subsistentiam. Vel etiam dicendum, substantiam definiri potiùs per ordinem ad subsistentiam primò per se, quam per ordinem ad existentiam, & ideò definitur, *Ens per se subsistẽs*; Vel tandem definitur primò per se per ordinem ad existentiam sub ratione entis, cui primò per se correspondet actus existentiæ, non autem sub ratione substantię formalissimè.

Et cum vltimò additur, existẽtiam fluere ex intrinsecis principijs naturæ substantialis: Resp: si per ly *ex intrinsecis principijs*, intelligatur consecutio alicuius, ex vi actionis attingentis naturam substantialem necessariò requisiti ad hoc, vt natura substantialis sit extra suas causas, conceditur: si verò intelligatur consecutio alicuius ingredientis rationem formalem naturæ substantialis per modum intrinseci complementi, idque vltimi eiusdem naturæ intra genus Substantiæ, negatur, vt ex supra dictis patet.

Quintum argumentum, si de ratione subsistentiæ esset reddere naturam capacem existentiæ, sequeretur, quòd natura substantialis non haberet immediatam capacitatem existentiæ, & ita natura substantialis non ita immediatè ordinaretur ad existentiam, sicut natura accidentalis, & consequenter substantia non esset ita ens perfectum, sicut accidens, quia cùm ens dicatur ab actu essendi; qui est existentia, quò aliquid immediatiùs ordinatur ad esse, eò est perfectiùs. Ergo &c.

Resp: negando vtramque sequelam illatam ex nostra positione; nàm neque subsistentia tollit immediationem à natura respectu esse, quia non ponit in numero cum natura, sicut nec generaliter terminus cum re terminata; sed requiritur tantùm, vt complementum intrinsecum naturæ, sine quo existere nequit, cùm hoc proprium sit entium completorum. Neque verum est naturas accidentales ita immediatè respicere *esse*, vt excludant suum intrinsecũ complementum, nàm, vt supra diximus, etiam naturæ accidentales habent aliquid, quo intrinsecè compleantur, antequam suum esse secundum quid, (quod ipsis nõ minùs, quàm substantiæ, extrinsecum est) recipiant.

Sextum, & vltimum Argumentum. Ex nostra sententia sequeretur, quòd Deus posset supplere existentiam creatam in supposito creato, & cum illo facere vnũ per se: Hoc autem implicat, quia suppositum creatum est inassumptibile, etiam per ordinem ad potentiam absolutam, vt infra pro-

babitur. Ergo &c. Minor,& consequentia patent. Sequela autem maioris probatur; nàm in nostra sententia suppositum constituitur per subsistentiam, ante aduentum existentiæ, quæ dicitur actus extrinsecus respectu suppositi, & cùm ex alia parte existentia nullam inuoluat imperfectionem, cū sit actus perfectissimus, ergo posset suppleri à Deo;& cùm ex alia parte illa existentia idem faceret, quod existentia creata,si ibi esset; sicut etiā subsistentia Verbi nùnc idem facit, quod faceret subsistentia creata,si esset in Humanitate Christi, ideò sicut existentia propria facit vnum per se cū existente,ita & in hoc casu Diuina faceret vnum per se. Ergo &c.

Confirmatur. Sicut se habet punctum ad terminandam quantitatem, ita subsistentia ad terminandam naturam,iuxta nostra principia. Sed potest supplere Deus existentiam, sicut aliorum accidentium, ita & quantitatis,vt docent plures Theologi etiam ex schola S. Thom: Ergo sicut, cum quantitas à parte rei non inueniatur sine punctis terminatiuis, assumeretur terminata punctis ad existendum, ita etiam natura poterit assumi iam terminata per subsistentiam,vt existat existentia Diuina.

Resp: ad argum: negando sequelā; ad cuius probat: dicimus, duplicem esse implicantiam, cùr Deus non possit ad existendum naturam personatam assumere. Prima est ex imperfectione: quāuis enim existere absolutè, & ex conceptu suo nullam dicat imperfectionem,tamen existere supposito creato inuoluit imperfectionem; cùm enim suppositum, si creatum est, sit in potentia receptiua ad existentiam, ideò faciens illud existere, debet illud actuare, & recipi in ipso; nam cùm illud dicat potentiam actuabilem per receptionem, non autē complebilem per terminationem, inde est, quòd nihil potest ipsius potentialitatem explere, quam habet vt existat, nisi existentia, quæ recipitur in ipso; vnde cum hoc Diuinæ existentiæ repugnet, non poterit natura creata, facta suppositum,assumi ad existendum per existentiam Diuinam. Quòd si reflectas super dicta quæst: præcedenti,videbis disparitatem,cùr possit assumi ad subsistendum per subsistentiam Diuinam natura creata; non item suppositum ad existendum. Secunda implicantia deducitur ex eodem principio, quia scil: faceret, & non faceret vnum per se: faceret,vt suppono, quia omne existens in genere substantiæ, qua tale, est vnum per se:Non faceret,quia cum potentia nihil facit vnum per se,nisi actus commensuratus illi potentiæ; Sed existentia Diuina non est actus commensuratus supposito creato,quod est in potentia receptiua existentię,cùm existentia Diuina sit irreceptibilis. Ergo &c.

Ad confirmationem patet solutio ex dictis in præced. quæst: nàm, iuxta supra dicta, quantitas duplices terminos habet, alios

suæ

Digitized by Google

suæ extensionis per ordinem ad vbicationem; alios suæ naturæ per ordinem ad existentiam primi sunt puncta, secūdi vnio actalis ad subiectum: & sic nihil contra nos, quòd quantitas sit assumptibilis cum punctis.

§.3. *Vbi explicatur, quomodò cohæreat cum natura subsistentiæ, vt competat Animæ rationali, quæ non est natura totalis, sed pars compositi physici.*

IAm illa celebris difficultas explicanda nobis est, quam §.1. huius quęstionis innuimus, & hùc explicandam remisimus: quod fundamentaliter, & radicitùs faciendum est, iuuabit enim plurimùm, tùm ad naturam subsistentiæ cognoscendam, tùm ad plures quæstiones Theologicas dissoluendas, quarum aliqua supra innuimus.

Supponendum est ergo primò, Animam rationalem esse formam corporis, & insuper esse per se subsistentem. Quòd sit forma corporis, de fide est, vt patet ex diuersis Scripturæ locis, & definitionibus Conciliorum, præcipuè Lateranensis sub Leone X. sess:8. Item Lateranensi sub Innocentio III. in cap. firmiter de Summa Trinitate; & in Viennensi sub Clemente V. cuius acta habentur in clementina vnica, vbi opinio negans animam rationalem esse formam corporis, velut erronea, & Catholicæ veritati inimica dānatur. Quòd verò sit per se subsistens, est proximè connexum cum principijs fidei; nàm in hoc fundatur ipsius immortalitas, seu incorruptibilitas, vt poteris videre apud nostr: Complut: de An: disp.16: q.2. §.3. & apud P. Ioannem à S. Thom: Tomo 2. quartæ partis naturalis Philosophiæ q.9. ar. 1. Negare autem immortalitatem animæ est error damnatus à Concilio Lateranensi tertio sess: 8. ex quo duo videntur sibi inuicem contraria, animam rationalem inuoluere nimirùm esse formam, & per consequens partem, & esse per se subsistentem, quod propriè naturæ totali competit, & hinc præsentis difficultatis occasio est.

Supponendum est secundò; quod cùm forma sit, quæ dat esse rei, qualis est forma, tale & esse; si forma materialis, *esse* materiale, si forma spiritualis, etiam *esse* spirituale. Cùm ergo in homine sit forma spiritualis, nempè Anima rationalis, (quam purè spiritualē esse, vel de fide est, vt multi volunt, vel saltem ita connexū cum principijs fidei, vt oppositū dicere temerarium sit, & errori proximum, de quo videre poteris nost: Complut: in lib: de An: disp: cit: q.1. §.2.) etiam *esse* hominis erit spirituale: ex quo

Infero, quòd cùm in omnibus substantijs existentibus subsistentia constituat illas in ratione proximi susceptiui existentiæ, & priùs velùt dimanare intelligatur à forma, quàm dimanet existen-

tia, idcircò in homine, vbi est forma spiritualis, & existentia (vt iã dixi) spiritualis, etiam subsistentia debet esse spiritualis, & cùm subsistentia, & existentia animæ sint subsistentia, & existentia totius, vt §. sequenti demonstrabimus, hinc est, quòd existentia, & subsistentia in homine sit forma, *vt proprium*, & hominis, seu compositi, *vt communicatum*: atque hinc est radix incorruptibilitatis animæ: & cur (sicut aliæ formæ) simul cum composito non amittat *esse*, quia in alijs compositis *esse*, & subsistere conuenit composito, vt *quod*, & formis, vt *quo*, ac per consequens primò composito, & ratione compositi formæ: in solo homine conuenit primo, & vt *quod*, & vt *quo*, & deinde cõposito, vt *quod*. Et sic licet separetur à composito, in corruptione, non est necesse illud separari à forma, quia habet suum primum susceptiuum.

Supponendum est tertiò, quòd cùm ex recessu à materia, quæ est pura potentia, & accessu ad Deũ, qui est purissimus actus, libretur rerum perfectio, vel imperfectio, hinc est, quòd cùm formæ per se subsistentes taliter elongentur à materia, vt absque illa subsistant, sunt perfectissimæ, & primo actui proximæ, non tamen erunt actus puri, quia etsi nihil habeãt materialitatis, habent tamen multum potentialitatis, in quantum non sunt suum esse, & hinc oritur illarum diuersitas, secundùm quòd plus, vel minus participant actualitatis, vel potentialitatis. Inter has autem formas anima rationalis infimum obtinet locum, & ideò inter formas subsistẽtes maximè recedit à primo actu, & ideò accedit ad aliud extremum, nempè materiam primam, vt illi ad faciendum vnum per se coniungatur, constituatque vnam naturam humanam cum ipsa; cæterùm quia hæc forma spiritualis, & intellectualis est, quando vnitur, iàm materia quodammodò limites suos materiæ exit, & ad altiorẽ se gradum trahitur. Pro cuius intelligentia

Supponendum est quartò ex Caietano cap. 4: de Ente, & Essentia quæst: 10. duplicem ordinem rerum inueniri, intelligibilium scil: & sensibilium; quod est idẽ, ac dicere, materialium, & immaterialium, Ordo enim sensibilium materialis est, omnes enim substantiæ sensibiles materiam necessariò habent: Ordo verò intelligibilium immaterialis est, cum vnumquodque reddatur intelligibile per separationem à materia. Quando itaque materia erit sub aliqua forma sensibilis ordinis, cuiusmodi est omnis forma habens suas omnes potentias organis corporeis affixas, non egreditur limites proprios, ipsa enim est radix illius generis. Cùm verò materia est sub forma intelligibilis ordinis, sicut contingit in homine, extra limites suos ascendit, & trahi dicitur ad aliquid extra suam sphæram, scil: ad subsistere, & esse rei à se non dependentis: Sicque in homine eleuatur materia ad esse superius; in

Digitized by Google

illoq; infimum supremi, & supremum infimi; nempè infimum intelligibilium, & supremum sensibilium coniunguntur. Quibus suppositis, iàm facilè explicari potest quod quærimus, respondemus enim, &

Dicimus primò, incommunicabilitati, quæ essentialiter consequitur subsistentiam, non præiudicare communicabilitatem animæ rationalis. Probatur; nam incómunicabilitas essentialiter consequens subsistentiam est, vt non communicetur, vt *Quo*, habenti esse, vt *Quod*: Et hoc competit etiam Animæ rationali; cum enim illa sit, vt *Quod*, adhuc dùm est in corpore, (vt §. sequenti contra Caietanum probabimus) hinc est, quòd non communicetur præcisè, vt *Quo*, sed simul vt *Quo*, & *Quod*, & communicatur illi, quod ab illa habet *esse*, vt *Quod*. illa autem incommunicabilitas, quæ negat, quòd aliquid communicetur alteri, vt pars toti, tantùm reductiuè pertinet ad incommunicabilitatem prouenientē à subsistentia; idq; non quomodocunq; accepta, sed vt facit suppositum, seu (quod idem est) vt afficit naturam totalem; nàm non sola subsistentia, sed natura quoq; totalis intrat ad constitutionē suppositi, ob cuius totalitatis defectum anima ralionalis licet subsistens sit, suppositum non dicitur.

Dicimus secundò, quòd subsistentia per se debetur naturæ totali, & ideò in intentione semper primò illi attribuitur, cæterum in executione ex speciali ratione priùs attribuitur animæ rationali, quàm toti per illam constituto. Ratio est, quia cùm totum illud claudat materiā, velut extra sphæram suam (vt diximus) extractā; hinc est, quòd in aliena velut domo materia subsistēs, ad alienam subsistentiam trahitur; & sic illa subsistentia priùs debet communicari illi, ad cuius *esse* trahitur materia, quam materię. Ergo cùm materia intret rationem constitutiuam hominis, priùs debet anima subsistentiam habere, & deinde ipsam toti, & materiæ communicare, vt subsistant; sed hoc est per accidens, & via executionis; via tamen intentionis, priùs debetur illa subsistentia toti, quàm animæ, cùm etiam anima ipsa sit propter totum, & ideò neq; creatur extra corpus, vt ipsius essentialis ordinatio ad componēdum totum ordinatur. Quandocunq; ergo dicimus, quòd subsistentia debetur naturę totali, si intelligas distributiuè pro omnibus, intellige via intentionis; nàm hoc planè in omnibus, etiam in ipso homine verificatur: si autem vnā naturam humanam excipias, etiā via executionis in omnibus alijs naturis inuenitur.

Ex quo habes, quòd in generatione hominis hic est ordo naturæ quantùm ad subsistendum, (realiter enim ibi omnia sunt simul.) Anima creatur subsistens, & existens, vt *Quod*; postea vnitur corpori, & resultat natura humana, cui primò tribuitur ab anima subsistere, & ratione illius, materiæ tanquàm parti ratione

Digitized by Google

totius: & idem ordo seruatus est in assũptione Humanitatis à Verbo, vt docent Theologi cùm Angelico Doct: 3.p. quæ: 6.a.3.& sequentibus. Sed hæc ampliùs §. sequenti explicabuntur.

§.4. *An dentur Subsistentiæ partiales?*

QVia Subsistentia incommunicabilitatem dat naturæ, necesse est, vt, illam ipsa habeat; nemo enim, dat, quod non habet. Ad quam eius incommunicabilitatem cognoscendam non parum conducit præsens dubitatio: si enim subsistentiæ partiales essent, ita quòd alia esset subsistentia materię, alia formę, sicut materia, & forma vniuntur, communicanturq; sibi ad constituendam vnam naturam totalem, ita etiam illæ partiales subsistentiæ deberent ad inuicem communicari ad vnã subsistentiam totalem integrandam; cùm quo non videtur, incõmunicabilitatem subsistẽtiæ posse cohærere: & quia clarum est ex ipso titulo huius paragraphi, non esse sermonem in præsenti de subsistentijs rerum spiritualium; in illis enim hæ subsistentiæ partiales non possunt fingi, cùm sint formæ simplices, & per consequens partes essentiales, (quibus tales subsistẽtiæ possint attribui) non habentes. Tota ergo controuersia est de substantijs, & subsistentijs materialibus. Est igitur.

Sententia Patris Suarez disput: 34. suæ Metaphys: sect: 5. acriter propugnantis subsistentias partiales, qui dicit, etiam in ipso homine materiam primam habere propriam subsistentiam, & animam, alteram, ex quibus deinde subsistentijs ad inuicem coniunctis vna integra totius humanæ naturæ resultat subsistentia, quam etiã dicit esse materialem, hocq; à fortiori in omnibus alijs materialibus compositis concedit. Et certè mirum est, quomodò iste Author audeat reprehendere Thomistas, quòd distinguẽdo essentiam, subsistentiam, & existentiã, tot multiplicẽt in composito entitates, cũ ipse in eandem culpã incidat, tot entitates multiplicãdo, quot mulplicari necesse est, ipsius partialibus subsistentijs admissis.

Vt clariùs in hac difficultate procedamus: Priùs dicemus, quid in homine, deinde quid in alijs materialibus compositis de partialitate subsistentiarum sentiendum sit? Et antequam faciamus primum, disputandũ nobis priùs est *de modo, quo anima rationalis in corpore subsistit, an præcisè, vt* Quo, *an verò vt* Quo *simul & vt* Quod? Huius enim difficultatis resolutio non parum ad præsens conducit.

Circa hanc difficultatem Caietanus 3.p.q.6.a.3. duo dicit. Primum, Animam rationalem, dùm est in corpore mortali, subsistere præcisè, vt *Quo*, non autem, vt *Quod*. Secundum. Animam separatam à corpore subsistere, vt *Quod* incompletum, & tanquàm semipersonam, quam subsistentiã vt Quod, dicit, animam post re-

lur-

surrectionem, & reunitionem ad corpus retinere: & sic (infero hoc iuxta sensum Caietani) post resurrectionem anima erit subsistens, vt *Quo*, & vt *Quod*. An verò, quando anima subsistit in corpore adhuc mortali; eadem omnino sit subsistentia, qua tunc subsistit, vt Quo, cum illa, qua vel in statu separationis subsistit, vt Quod, vel in statu reunitionis subsistit vt Quo, & vt Quod, non satis, se explicat Caietanus. Quãtùm tamen ex ipsius discursu colligi potest, videtur dicere, subsistentiam hominis, qua nunc in corpore anima subsistit, vt *Quo*, esse aliam ab illa subsistentia, qua anima separata subsistit, vt *Quod*. Dicit enim ibi. Tùm quòd *statim separata anima est semper persona, ac per hoc proprio termino terminatur, quæ in corpore existens terminabatur termino totius hominis*. Tum etiam *si natura assumitur nõ præexistens separata) tunc, solum, vt seminatura assumitur, & vnitur, quia non adhuc terminata intelligitur proprio termino, quem in sui à corpore, & ab hypostasis separatione* (nota benè hæc verba, & quæ sequuntur, ex his enim clarè patet mens Caietani) *nata est habere. Notanter autem dico non solùm à corpore, sed ab hypostasi, quia si anima separaretur à corpore, & non ab hypostasi, (quod in solo Christo accidit in triduo) tunc non nisi, vt seminatura separata à tota natura, quę desineret, remaneret subsistens non per se, sed per hypostasim alienam, puta Filij Dei, cui semper est vnita*. Hæc Caiet: cuius opinioni subscribit Bannes 1. p. q. 25. dub. 4. §. sed tunc.

In contrarium verò est communior Thomistarũ opinio, quam sequitur Aluarez de Incar: disp: 29. quod nimirum anima rationalis adhuc dum informat corpus corruptibile, seù pro hoc statu, est *id, quod* subsistit, & *id, quo* totum compositũ subsistit. Huic etiam nos subscribimus, &

Dicimus, illam esse de mente S. Tho: quod patet ex plurimis authoritatibus ipsius, sed potissimè ex tribus, quas Aluarez loco citato adducit.

Prima est ex 1. sent: dist: 8. q. 5. a. 2. ad 2. vbi S. Doct: dicit: *Anima sine dubio habet in se esse perfectũ, quamuis hoc esse non resultet ex partibus componentibus quidditatem ipsius, nec per coniunctionem corporis efficitur ibi aliquod aliud esse, immò hoc ipsum esse, quod est animæ per se fit esse coniuncti, esse enim coniuncti nõ est, nisi esse ipsius formæ; sed verum est, quod aliæ formæ materiales non sunt per illud esse, sed sunt tantùm principia essendi*. Vbi nota hanc differentiã inter animam, & alias formas, quod illæ *non sunt*, licet sint principia essendi; anima autem ita est principum essendi, quòd ipsa *sit*. Ergo ex mente S. Doct: anima rationalis est vt *Quod*; nã hoc sublato, ostendatur quæsò disparitas, quam hic intendit S. Doct: inter animas nostras, & formas reliquas materiales?

Secunda authoritas est similis huic ex Quæst: de spir. Creat. a. 2. ad 3. vbi hæc habentur. *Habet*

ani-

anima esse subsistens, in quantùm esse suum non dependet à corpore, vtpotè supra materiam corporalem eleuatum, & tamen ad huius esse communionem recipit corpus, vt sic sit vnum esse animæ, & corporis, quod est esse hominis.

Tertia authoritas, quam Caiet: explicans, à sua sententia recessit, & nobiscum sentit, habetur 1. p. quæst: 76. a. 1. ad 5. vbi ait Angelicus Doct: *Anima illud esse in quo subsistit, communicat materiæ corporali, ex qua, & anima intellectiua fit vnum, ità vt illud esse, quod est totius compositi, est etiam ipsius animæ, quod non accidit in alijs formis, quæ non sunt subsistentes, & propter hoc anima humana remanet in suo esse destructo corpore, non autem aliæ formæ.*

Rationibus etiam suadetur nostra conclusio, & probatur primò. Anima per creationem accipit *esse* primò, & per se sibi conueniens, quod postmodum communicat corpori, vt fatentur ipsi aduersarij, & defendit Bannes loco citato. Ergo per creationem accipit etiam subsistentiam, quæ ipsi primò, & per se conueniat, cùm *esse* supponat subsistentiam, vt ex supra dictis patet. Ergo subsistet, vt *Quod*, etiam in corpore; Nam illud intelligimus per subsistens, vt *Quod*, cui per se, & primò competit subsistere, sicut per existens, vt Quod, cui per se, & primò competit existere. Ergo cum ex vi creationis animæ, cōpetat per se, & primò subsistere, nec hoc per vnionem ad corpus amittat, (ad quid enim illi datū fuisset, si statim debuisset amitti) etiam in corpore subsistet per se primò, ac per consequens, vt Quod.

Probatur secundò; nam iuxta oppositam sententiam non ità benè saluatur immortalitas animæ; tota enim ratio ipsius immortalitatis est inseparabilitas ab esse, quæ de necessitate supponit, vt sit proprium susceptiuum existētiæ; nam si totum illius esset susceptiuum proprium, necesse esset ad destructionem proprij susceptiui (quod fit in corruptione substantiali) etiam ipsum *esse* corrumpi, & sic corrumperentur omnia, quæ per illud sunt. Ergò, & anima, si per alterius existentiam esset; Si autem anima est proprium susceptiuum existētiæ, de necessitate debet esse subsistens, vt *Quod*, existentia enim cùm sit terminus extrinsecus, non recipitur, nisi in illo, quod supponitur terminatū intrinsecè, quod autem est terminatum per subsistētiam tanquàm per terminum proprium, est subsistens, vt *Quod*. Ergo de primo ad vltimum ad saluandam animæ immortalitatem, necesse est, illam esse absolutè, & omni statu subsistentem, vt *Quod*.

Probatur tertiò ex mysterio Incarnationis, (quod primo nobis ad inuestigandam naturam subsistentiæ viam aperuit) nam anima Christi subsistebat, vt *Quod* per subsistentiam increatam Verbi, etiam vnita corpori mortali, priusque naturæ ipsi communicata fuit subsistentia increata Verbi, quàm toti humanitati, vt docens

tent nobiliores Theologi, de quo videre poteris Aluarez de Incarnat: disp. 30. Ergo etiam in nobis subsistit anima, vt Quod. In hoc enim Mysterio satis ex se admirabili, non sunt multiplicanda miracula sine necessitate.

Aduerto tamen cum Nazario 3: p. q. 6. a. 3. Controu. vnica: has prima fronte contrarias Thomistarum de subsistẽtia animæ sententias posse probabiliter conciliari.

Supponendo, quòd *ly subsistere per se, vt* Quod, stat dupliciter. Vno modo simpliciter, & absolutè, quod est idem, ac per se separatum existere; secũdo modo prout dicit subsistere independenter ab alio, & esse, vt Quod, per primum susceptiuum existentiæ, & ratione cuius alia subsistant, & existant: quando ergo Caiet. 1. p. q. 75. a. 6. circa solutionem ad 5. & 1. p. q. 90. a. 2. circa explicationem rationis S. Tho: dicit, quod anima etiã in corpore subsistit, vt Quod, intelligendus est de secundo modo subsistendi per se, non autem de primo: cùm certum sit ex vi suppositionis, qua supponitur esse in corpore, illam non subsistere separatam, quamuis independenter ab alio, cui priùs subsistentia competat, subsistat; & hoc idem tenet Aluarez loco supra citato, cùm Ferariensis in 2. cõtrà gentes c. 68. Tùm etiam nostra conclusio eodem modo intelligenda est, aliter enim implicat illam intelligi, vt consideranti patebit. Quãdo verò Caiet. 3. p. q. 6. a. 3. & Bannes 1. p. q. 75. a. 6. negant, animam in corpore mortali subsistere, vt *Quod*, intelligendi sunt primo modo, quem sensum etiam nos admittimus, & hinc inducitur illud discrimen, quod volunt dicti Authores inter animam separatam, & coniunctam corpori mortali; quia coniũcta, licet subsistat, vt Quod, nõ tamẽ, vt Quod simpliciter, & absolutè, quia non subsistit separata. In statu verò separationis, subsistit vt *Quod* absolutè, & simpliciter, seù vt dicit Caiet. tanquam semipersona, & simili modo possunt alia dicta prima fronte opposita dictorum Authorum conciliari; quando alij dicunt subsistentiam per se primò competere animæ rationali, & ratione illius composito: alij hoc negant, & dicunt, illam per se primò competere composito, seù naturæ, & ratione illius, animæ; sicut generaliter partes subsistunt ratione totius. *Ly* enim *per se primò*, stat dupliciter. Vno modo, proùt *ly*, per se primò, excludit omne aliud, cui prius vtcunq; conueniat, & sic subsistere, & existere conuenit per se primò animæ rationali, & ratione illius, naturæ. Alio modo, itá vt *ly* per se primò, non excludat alia omnia, sed tantùm alia subsistentia, vt suppositum, ita vt sit sensus, quod illud sit per se primò subsistens, vt suppositum, & in hoc sensu certum est, quòd subsistere per se primò competat naturæ, & non animæ; qui ergo dicunt subsistere in homine per se primò conuenit animæ, intelligendi sunt primo modo; qui verò stant pro na-

tura, intelligendi sunt secundo modo, & vterq; sensus verissimus est, vt consideranti patebit.

Iam ergo hac difficultate determinata, & conciliatis oppositis Thomistarum, non tàm sententijs, quàm verbis, quibus in illa explicanda vtuntur, ad principalem cum Suario controuersiam reuertamur, cuius quantùm ad primam partem determinatio iam quasi ex dictis patet.

Dicendum est primò, in homine non dari illas subsistētias partiales, quarum vna, anima, & altera, materia subsistat, sed omnia ibi subsistere per vnam animæ rationalis subsistentiam; rationem huius fundamētalem adducemus in determinatione generali, circà alias naturas; eadem enim ratio militat de illis, & de natura humana, hoc solo discrimine posito, quia aliorum suppositorum formæ non subsistunt, vt *Quod*, sed præcisè, vt *Quo*, neque illis, sed naturæ totali per se primò debetur subsistentia.

Specialiter verò quantùm ad hanc partem. Probatur Conclusio tùm authoritatibus S. Thom: suprà in hoc eodem §. adductis. Tùm etiam ratione.

Probatur primò, quia anima rationalis communicat cùm toto in operationibus etiam sibi maximè proprijs, quales sunt intelligere, & velle; verè enim, sicùt dicimus anima intelligit, ita etiā dicimus homo intelligit. Ergo communicat cum ipso etiam in subsistere, & existere, hæc enim præsupponuntur ad operari. Sed non potest communicare cum corpore in alio subsistere, & existere, quàm in suo proprio, communicando illud corpori: cùm namque sit per se subsistens, & existens, non est capax alterius subsistentiæ, & existentiæ. Ergo vnam, eandemque substantiam animę rationalis subsistent primò ipsa, deindè compositum, & tandem materia. Ergo non erunt ibi subsistentiæ partiales.

Probatur secundò ex mysterio Incarn: nam ibi per eandem subsistentiam Verbi subsistebant omnia, nimirùm anima, totum, & materia; vnde etiam post mortem remanserunt vnita Verbo anima, & corpus, & hoc ex vi primæ vnionis, vt communiter docent Theologi. Ergò cùm ibi idem fecerit subsistentia increata, quod in alijs hominibus facit creata, etiam in alijs, tàm anima, quàm corpus, quàm totus denique homo per eandem subsistētiam subsistent, & non per illas (quas inducit Suar:) subsistētias partiales.

Obijcit contra Suar: Si tota humanitas subsisteret per eādem subsistentiam, qua subsistit anima, cum subsistentia animæ rationalis, sicut & ipsa anima sit spiritualis, sequeretur, subsistentiam totius humanitatis esse spiritualem. Hoc est falsum. Ergò, & illud, ex quo sequitur. Maior patet. Falsitas verò minoris prob. Nā si tota humanitas, seù formalius loquendo, si totus homo subsisteret per subsistentiam spiritualem, sequeretur, quòd homo posset dici persona spiritualis; sicut

enim

enim Christus vocatur persona Diuina non ob aliam certè rationem, nisi quia subsistit per subsistentiam Diuinam Verbi: ita si homo subsisteret per subsistētiam spiritualem, vocaretur persona spiritualis: quod tamen est contra communem vsum loquendi Philosophor: qui hominem non spiritualem, sed materialem personam vocant.

Vrgetur magis hoc ipsum, nam similes denominationes potiùs attenduntur ex subsistentia, quàm ex natura: vnde in Christo licet fuerit natura creata, quia tamen subsistentia, qua illa natura subsistebat non erat creata, sed increata, tota persona dicebatur increata. Ergo etiam à simili, immò à fortiori, licet in homine natura sit ex parte materialis, & ex parte spiritualis, vtpotè constituta ex materia, & spiritu, ob spiritualem subsistentiam tota persona hominis deberet dici spiritualis.

Resp. negando minorem primi argumenti: ad cuius probationem neg: sequel: quod nimirum deberet dici homo persona spiritualis, si subsisteret per subsistentiam animæ, quæ est spiritualis; neque à Persona Christi ad præsens valet argumentum; magna enim est disparitas inter naturam humanam Christi, & aliorum hominum naturas: In Christo enim, natura non constituebat personā, sed ad subsistendum per subsistētiam personæ iam constitutæ, tracta fuit; vnde non mirum, quod non det denominationem personæ, quam non constituit; & sic in Christo non dicitur ab ipsa, persona increata: Cæterum in alijs hominibus natura cum subsistentia sibi ab anima communicata, constituit personam humanam, & ideò quia natura humana dicitur materialis, (nam licet includat etiam spiritum, nempè animam, tamen simul includit materiam; bonum autem ex integra causa, malum verò) quale est esse materiale (ex quocunque defectu) ideò & persona aliorum à Christo hominum, dicitur materialis: vt verò huius fundamentalem rationem videas.

Aduerte: quòd omnes denominationes sequuntur aliquam formam, vt communiter docent Philosophi: cum autem omnis forma sit actus, hinc est, quòd denominationes potiùs tenent se ex parte principij actualis, quàm potentialis; vnde homo dicitur simpliciter rationalis, quia rationalitas est quid actualius in ipso. Si ergo subsistentia esset aliquis actus dans omnem actualitatem supposito, ita vt natura comparetur ad subsistentiam, sicut potentia ad actum, tunc qualis esset subsistentia, tale deberet esse & suppositum, sicut quia ratio animalis comparatur ad rationale tanquam quid potentiale ad actuale, homo ex ipsis constitutus dicitur rationalis: sed non itá se res habent in præsenti, nam, vt supra diximus subsistentia habet rationem puri termini, vnde natura non comparatur ad ipsam tanquam potentia ad actum, sed tanquam

quam terminabile ad suum terminum, totaque actualitas suppositi est actualitas naturæ, subsistentia verò affert præcisè terminationem actualitatis: Inde est, quòd suppositum non dicitur tale à taleitate subsistentiæ, sed à taleitate naturæ: intellige de natura constitutiua suppositi; natura enim non constitutiua suppositi habet se ad illud denominandum, tanquam si ibi non esset, & per hoc patet responsio ad vltimam instantiam.

Dicendum est secundò. Generaliter in omnibus suppositis nō dantur partiales subsistentiæ. Probatur primò facilè. Tum à paritate rationis de supposito humano. Tum etiam, quia subsistentia est ex conceptu suo vltimus terminus. Ergo ipsi repugnat terminabilitas. Ergo in vno supposito repugnant plures subsistentiæ; nam si hæ darentur, deberet esse vna vnibilis cum alia, & per consequens vna terminabilis per aliā.

Confirmatur, quod est vltimū in aliquo ordine repugnat illi esse potentiale in illo ordine, vt ex se patet, sed in ordine subsistendi, subsistentia est quid vltimum, cùm sit terminus. Ergo illi repugnat esse potentiale in illo ordine. Tunc sic subsumo: Subsistentiæ repugnat esse potentiale in ordine subsistendi. Ergo repugnant subsistentiæ partiales; si enim hæ darentur, sicut vnirentur inter se ad constituendum vnum per se, nempè subsistentiam totalem facientem suppositum, ita deberent inter se comparari, vt potentia, & actus &c: quod etiam ipse Suarius ingenuè concedit, num. 22. Sed quomodò cùm hoc ratio vltimitatis termini saluetur, nihil dicit, forte supra hoc, se non reflexit. Ergo &c.

Probatur secundò, quia ex opposito sequitur, animam v.g. equi posse separatam existere naturaliter; ex eo enim anima rationalis potest, quia est forma per se subsistens, nec qualitercunque, sed subsistentia partiali iuxta principia Suar. Sed etiam anima equi esset per se subsistēs sua partiali subsistentia. Ergo non minus ista posset separata existere, quàm illa.

Confirmatur ex supradictis. Subsistentia excludit communicabilitatem alteri, tanquam causæ materiali, à qua dependeat. Sed formæ materiales dependent in esse, fieri, & conseruari à materia. Ergo non possunt esse subsistentes propria subsistentia, sed consubsistunt per subsistentiam totius.

Scio quid ad hæc possit dici ex mente Patris Suar: Ipse enim num: 42., & sequentibus probat, formas materiales non habere propriam subsistentiam partialem, illasque in hoc distinguit ab anima rationali. Sed vt verum fatear, ludere verbis videtur iste Author, dùm in illo suo longissimo circa hanc materiam discursu, rem concedit, & nomen negat, quòd, vt clariùs constet, reduco ipsius dicta, ad aliquas propositiones.

Dicis ergo primò num. 9. Omnem

nem subsistentiam rei materialis esse duplici compositione compositam, integrali nimirum, & essentiali, & relicta pro nunc cōpositione integrali, de qua agemus §. sequenti, dicit secundò num. 22. quòd illæ partes, seù extrema compositionis essentialis comparantur inter se per modum potentiæ, & actus, & rationem huius sui dicti satis bonam iuxtà ipsius principia assignat, quia cùm (vt ille dicit) subsistentia sit modus, debet sequi naturam rei, cuius est modus, vnde sicut natura totalis, ita & subsistentia totalis debet esse composita cum proportione ad naturam, & partes eius, quas afficit: omnis autem compositio essentialis requirit extrema, quæ se habeant tanquam actus, & potentia. Ergo &c. Maximè quia cùm partes compositi, seù naturæ, vna sit potentia, & alia actus, debent & ipsi modi his partibus competentes eodem modo inter se comparari. Dicit tertiò num: 27. In homine integra subsistentia totius humanitatis, constat ex partialibus subsistentijs animæ, & corporis, ita vt horum, dissoluta vnione, maneat in vtraque parte compositi pars subsistentiæ. Dicit quartò num. 35. In alijs substantijs materialibus, præter hominem, licet integra subsistentia componatur ex partialibus modis materiæ, & formæ, & per eorum separationē dissoluatur, non tamen post separationem vterque modus partialis conseruatur in esse, sed tantùm partialis modus materiæ, & ideò in his sola materia habet partialem subsistentiam, non autem forma.

Si verò contra ipsum instes, quomodò fieri potest, vt modus ille existendi, quem tribuis formæ, & quem dicis, cum illa subsistentia partiali materię componere integram subsistentiam totius naturæ substantiæ materialis, non sit subsistentia; cùm subsistentia totalis non possit componi, nisi ex subsistentijs partialibus. Dicit quintò num. 43. fatemur, subsistentiam integram naturæ omninò materialis componi ex partialibus modis materiæ, & formæ; dicimus tamen, modum partialem materiæ esse partialem subsistentiam, non tamen modū formæ, quia modus materiæ non innititur alteri, vt sustentanti, modus verò formæ, sicut & ipsa forma innititur materiæ, vnde modus formæ, licet sit complementum subsistentiæ totalis, non tamen est subsistentia partialis, neque necesse est, inquit, vt illud ex quo componitur aliquid, participet denominationem eius, quod componit, vt patet in homine, in quo partes componentes ipsū non dicuntur homo. Dicit sextò num. 45. Hos modos materiæ, & formæ, esse distinctos à modis vnionis ipsarum partium inter se: imò superiùs dixit, esse etiam distinctos à modis vnionis ipsarum partialium vnionum. Ex quo clarè vides, quod iste Author entitates modales in vno supposito multiplicat, qui nos acriter, sæpiusque reprehendit, quòd distinguen-

guentes essentiam, subsistentiam, & existentiam, tres istas entitates sine causa (vt ille inquit) multiplicemus. Sed quidquid sit de hoc.

Habetur ex assertis à Suario, formas materiales dicere aliquem modum completiuum subsistentiæ totalis, illamque cum subsistentia partiali materiæ componere tanquam actum cum potentia; non tamen modum illum competentem formis materialibus posse dici subsistentiam, ex eo quia non facit ipsam formam independentem à materia, vt à sustentante. Hæc autem inintelligibilia sunt, & idem facit Suarius, ac si concederet, aliquid esse animal, bipes, implume, erectum caput habens, &c: & negaret esse hominem, quia non est rationale, quod ostendo: nam sicut hic illa accidentia, ita sunt propria hominis, vt alteri nequeant competere, (vnde de necessitate supponunt rationalitatem,) ita Suar: modis illis formarum materialiũ illa omnia concedit, quæ inhærendo ipsius principijs, non possunt competere, nisi subsistentiæ; nam esse vltimum complemẽtum alicuius naturæ substantialis, idque intrinsecum, & determinatiuum existentiæ, non potest iuxta illius principia alteri competere, quam subsistentiæ. Ergo cum illa concedat de modo formarum materialium, quomodò negat illam esse subsistentiam.

Respondet, & dicit, ideò quia dependet ab alio. Sed implicat in adiecto: quia ille modus determinat existentiam formæ substãtialis, tanquam ipsius vltimum determinatiuum, vt dicit ipse; repugnat autem substantiæ, existentiam determinari vltimò per modum essendi in alio, cùm hoc ipsius rationi repugnet. Ergo &c.

Vrgeo magis. Modus materiæ est subsistentia partialis, quamuis sit determinabilis, & potentialis. Ergo multò magis modus formæ erit subsistentia partialis, quia est completiuus, & actualis.

Nec valet illa responsio Suarij, quia modus materiæ facit materiam esse independenter ab alio, tanquam à sustentante, nõ autem modus formæ, quia de conceptu subsistentiæ non minùs est independentia ab alio, vt sustentante, quam vltimitas, & indeterminabilitas per aliquã rationẽ actualiorem, & vlteriorem intrinsecam ipsi determinabili. Ergo si carentia primi tollit rationem subsistentiæ à modo formæ, etiam carentia secundi tollet eãdem à modo materiæ, vel si hac non obstante, modus materiæ est subsistentia, etiam non obstabit illa, vt formę materialis modus, subsistentia dicatur.

Deinde quis quæso intelligat, vt illud, quod constituit subsistẽtiam totalem in ratione subsistẽtiæ, complendo, & actuando illã in hoc ordine, non sit subsistentia? ergo cùm taliter se habeat ex doctrina Suar: ille modus formæ materialis, erit vtique subsistentia. Per quod excluditur illud effugium Suar: quando dixit, cõponentia non debere subire denomi-

Digitized by Google

nominationem compositi, vt patet in partibus hominis, quæ non dicuntur homo; istud enim verum est de denominatione totius, qua totum, sicut in exemplo allato cernitur, non tamen de denominatione formali totius, non reduplicatiuè, sed specificatiuè, vt quia homo dicitur rationalis, illud, quod illum in esse talis cõstituit, debet esse rationalitas; & præcipuè, quando concurrunt pars potentialis, & actualis, si pars potentialis habet eandem denominationem, quam totum: si hæc denominatio perfectionem significet, non debet parti actuali denegari, cùm actus semper sit perfectior potentia, ergo cùm ratio subsistendi spectet ad perfectionem; (hoc enim perfectionem substantiæ, qua vincit accidentia, exprimit) & hæc attribuatur materiæ, quæ cum suo modo est pars potentialis in illa compositione, etiam debet attribui formæ, quæ est pars actualis, & complens subsistentiam totalem in esse subsistentiæ: vnde sicut implicat, vt illud, quod constituit hominem in esse rationalis, non sit rationalitas, ita implicat, vt illud, quod cõstituit subsistentiam in esse subsistentiæ, non sit subsistentia.

Fateor ego, benè aduertere Suarium, illum modum non posse dici subsistentiam, quia non facit animam subsistentem, sed non intelligo, ad quid illum modum in forma ponat; quid facit ille modus? quid dat formæ, quod forma de se nõ habeat? explicet quæso munus illius modi; cum verò nihil faciat, non video ad quid illum modum ponat, nisi vt saluet subsistentiam partialem materiæ, quam, quia non vult, neque potest dicere esse subsistentiam totius, (cùm subsistentia totius potiùs sequatur formam, quàm materiam) finxit alium modum, cum quo illa subsistentia partialis materiæ componat subsistentiam totalem naturę totius. Ergo cùm iste modus formæ sit impertinens, etiam subsistentia materiæ, vt fictitia reijcienda; & meliùs dicet, si nobiscum sentiens, vnica totius subsistentia etiam partes subsistere affirmabit.

Qui alias rationes ad impugnandas has partiales subsistentias desiderat, videat nost. Complut: in Physicis disput: 3. quæ enim ibi illi circa existentiam materiæ primæ dicunt, hic proportionaliter applicata, istam multiplicationẽ partialium subsistentiarum destruere possunt; & quia P. Suarez multa circa præsentem difficultatem dicit, sed nihil contra nos solutione dignũ obijcit, omnia enim ipsius dicta fundantur in illo principio, quòd Subsistentia sit modus existentię, iam dudum à nobis exploso, ideò nulla ipsius argumẽta referimus.

§. 5. *Vtrùm Subsistentia rerum materialum sit diuisibilis?*

HOc vnicum restat nobis explicandum ad completam in-

Incommunicabilitatis subsistentiæ notitiam. Et licet diuisibilitas duplex possit esse, vel in partes essentiales, vel in partes integrãtes, de hac secunda solùm in præsenti sermo est, primam enim §. præcedenti exclusimus, partialibus subsistentijs reiectis. De subsistentijs autem rerum materialium quærimus; immaterialium enim sicut naturę, ita & subsistentiæ, certum est, quòd (vtpotè nulla quantitate extensæ) nullas partes integrantes habeant, quia hæ non habentur, nisi à quantitate, vt fusè demonstrant nost. Complut: tùm in Logica disp: 13. q. 3. tùm in lib. de Generat: & corrupt: disput. 5. quæst. 3. & sequent. vsque ad finem disputationis. Vt autem status præsentis difficultatis concipiatur.

Sciendum est, quòd cùm subsistentia sit terminus intrinsecus naturæ, ideòque aliquid ipsius de necessitate consequitur modum naturæ substantialis, quæ per ipsam subsistit; hinc est, vt si aliqua substantia sit purè materialis, ita vt ratione quantitatis extendatur, & sit diuisibilis in partes integrantes, pulsat statim animum quæstio, Vtrùm subsistentia ipsius in hoc etiam eius conditionem sequatur, ac proinde ad diuisionem eiusdem substãtiæ, quæ fit ratione quantitatis ipsa subsistentia diuidatur; v. g. substantia aquæ, quia materialis est, est quoque ratione quantitatis extensa, & diuisibilis; quæritur ergo vtrũ ad diuisionem aquæ diuidatur ipsius subsistentia, ita vt partes aquæ diuisæ per eandem subsistentiam post diuisionem subsistant, per quam subsistebant ante diuisionem? an verò ad diuisionem aquæ subsistentia ipsius, quæ erat totalis naturæ complementum, penitùs corrumpatur, & de nouo aliæ subsistentiæ generentur, per quas partes aquæ diuisæ subsistant, fiantq; supposita?

In qua quæstione est duplex opinio. Prima negat diuisibilitatem subsistentiæ. Ita Fonseca lib. 5. Metah: cap. 8. q. 6. sect. 5. Valquez. 3. p. q. 4. a. 2. disp. 32. Altera affirmat, omnem subsistentiam substantiarum materialium, quarum natura post diuisionem conseruatur, esse etiam diuisibilem. Ita P. Suarez in sua Metaph: disp: 34. n. 25. & 26. quamuis Suarez videatur docere, omnem subsistentiam rerum materialium quarumcunque esse diuisibilem in partes integrantes, quantùm est ex se, quamuis ratione subiecti in aliquibus non possit diuidi, quia illorum natura post diuisionem non conseruatur, v. g. in minimo naturali, & in animalibus perfectis. Patrem Suarez sequitur Ioannes de Lugo de Incarnat: disp: 12. sect: 4. n. 55.

Hæc Quęstio iuxta principia Neothericorum non tantam difficultatem patitur, & vtraque opinio iuxta illorum principia probabiliter potest defendi; sed in Schola D. Tho: difficiliùs est determinabilis: Cùm enim in Schola Neothericorum subsistentia consequatur existentiam, non inuoluitur præsenti difficul-

tati

tati *Existentia*, quæ apud nos magnam difficultatem parit; Nam cùm teneamus, subsistentiam esse priorem existentia, immò per subsistentiam constitui propriũ, & vnicum susceptiuum existentiæ, dùm de diuisibilitate subsistentiæ agimus, intento mentis oculo existentiam respicere debemus, ne indiuisibilitatem subsistentiæ adstruentes, (quæ mens videtur fuisse aliquorum Thomistarum) dùm nouas ad diuisionem materialium substantiarum diceremus generari subsistentias, illis, qua vnitæ subsistebant, corruptis, etiam ipsas existentias veteres amitti, nouasq; acquiri, ac proinde verè & physicè ad quamcunque diuisionem generari, & corrumpi teneamur affirmare: vel si id nolimus, cogamur dicere, existentias sua propria receptiua mutare, & de supposito in suppositum migrare posse, quo nil absurdius. Neque aliquem Thomistam legi, qui nobis in hac quæstione præluceat. Altum est in Schola nostra circa iliã silentium. Vnus Nazarius 1.p. q. 50. a. 2. aliquid circa hoc dixit, & videtur in Vasquezij sententiam inclinare; sed quàm ieiunè id expediuerit, ipsius verba ostendunt, quæ adduco. Dicit ergo loco citato in fine controuersiæ. *Disputat latè* Suarez disp. 34. sect. 5. *Vtrùm omnis subsistentia creata sit indiuisibilis? & sustinet, cuiuslibet materialis rei subsistentiam esse compositam, & habere partes, sed oppositam sententiam satis efficaciter tuetur* Vasquez 3.p.q.4.a. 2.disp.32. *vbi refert, & soluit argumenta Suarij*. Hucusque Nazarius, nec plus aliquid circa præsentem difficultatem, tantùmque nos ad Neothericos remittit, à quibus nihil hac in parte discere possumus, cùm illos ratio, quæ contra nos militat, non premat. Ex Caietani quoq; principijs potest non obscurè deduci, illum tenere indiuisibilitatem subsistẽtiæ, adhùc in materialibus, 3.p.a. 2. vbi docet, ex sola diuisione aquæ, vel ligni, noua generari supposita; quod etiam nos supra ex ipso diximus, ad probandum subsistentiam esse purum terminum; Ergo generabuntur nouæ subsistentiæ; Suppositum enim duo dicit, Naturam, & Subsistentiam. Ergo vt dicatur suppositũ generari, debet aliquid istorum generari; sed natura non generatur, cùm eadem sit natura ligni diuisi, quæ fuit vniti, aliàs non diuideretur diuisione propriè dicta; ergo generabitur subsistentia noua, & antiqua corrumpetur, ac per consequens iuxta principia Caietani, immo iam nostra, vt ex supra dictis patet, debet esse subsistentia indiuisibilis. Vt ergo aliquid circa hanc quæstionem definiamus.

Supponendum est primò ex nost: Complut: in lib: de An. disp: 5. quæst: vnica, hoc, quòd aliqua natura sit diuisibilis ad diuisionẽ Quantitatis, prouenire ex nimia formæ constituentis illam naturam immersione in materia: Cuius signum manifestum est, quia formæ aliàs materiales, non ta-

men omninò immersæ in materia, quales sunt v. g. animæ animalium perfectorum, nō sunt diuisibiles. Quam doctrinam etiam repetunt in lib. de Generat: & Corrupt: disput: 5. multis in locis, sed præcipuè q. 5. n. 71.

Supponendum est secundò ex ijsdem Complut: loco cit: ex lib. de An. quod illud propriè diuisibile dicitur, quod potest in vtraque parte manere; facta diuisione, & ideò animæ animalium perfectorum sunt indiuisibiles, imperfectorum autem diuisibiles, quia hæ in vtraque parte diuisæ manent, quod partium motus indicat, non verò illæ; vnde quamuis in homine v. g. possit manus, quæ informatur anima, abscindi, & à corpore diuidi, non tamen vel anima, vel substantia hominis dicetur diuisibilis, quia pars abscissa eandem naturam non conseruat.

Supponendum est tertiò ex ijsdem Compl: in Phys: disp: 3. quæst: 5. n. 61. quod corrumpi illud propriè dicitur, non quod vtcùnque amittit *esse*, sed quod ita illud amittit, vt loco amissi aliud illi non communicetur: Et exinde est, vt materia quæ totiès amittit *esse*, nunquam tamen corrumpatur, quia pro eodem instanti statim acquirit aliud. Et quamuis hoc videatur esse proprium primi subiecti, vt transeat de esse ad esse, tamen etiam formæ, (ac per consequens naturæ per tales formas constitutæ) quæ nimis sunt materiæ immersæ, sicut in multis, ita & in hoc naturam materiæ sapiunt; & sicut ex prædicta immersione in materia possunt esse diuisibiles, ita & in hoc possunt naturam materiæ imitari, vt vno amisso, nouum *esse* possint acquirere, sicque non corrumpi. Quod vt fundamentalius explicetur.

Supponendum est quartò ex ijsdem Complut: in lib. de Generat: & Corrupt: disp. 5. q. 5. n. 70. & 75. aliquas formas esse, quæ ob suam imperfectionem, & immersionem in materia habent vnitatem numericam amissibiliter, ex eo quòd, sicut & ipsa materia, possent sigillari nunc ad hanc, nunc ad aliam quantitatem; & hinc est, quod ad inuicem vniri, quæ erant diuisæ, vel etiam diuidi, quæ fuerūt vnitæ, possunt. Aliquæ autem sunt, etiam ex indiuiduatis quodammodo ab extrinseco, quæ suam vnitatem positiuā inamissibiliter obtinent, quia licet indiuiduentur per ordinem ad materiam sigillatam, quia tamen ita hanc materiam, hancq sigillationem respiciunt, vt eis repugnet respicere aliam, habent ex hoc respectu inuariabili suam vnitatem positiuam, & numericā inamissibiliter. Et quia existere conuenit singularibus, ideò quod hic de vnitate singulari, seù indiuidua dicimus, proportionaliter ad existentiam applicandum est, vt nimirùm formæ; (quæ sicut sunt principium essendi, ita non nisi *vt hac* dant *hoc* esse) quibus variabiliter, & amissibiliter competit vnitas numerica, iuxta diuersam suam vnitatem, quam subeunt, diuersarum existentiarum

sius

Digitized by Google

sint principia, itaut in hac vnitate cõferant hoc esse, & in alia aliud; duo enim indiuidua per vnum numero *esse* existere non possunt; vnde etiam naturæ per illas formas constitutæ, sicut citra corruptionem ex vna indiuiduatione ad aliam, ita etiam ex vno esse ad aliud transire possunt. Quibus suppositis.

Dicendum est. Quamuis satis probabile sit, subsistentias rerum omninò materialium, quarum scilicet formæ diuisibiles sunt, esse etiam diuisibiles, tamen oppositum & est probabilius, & doctrinæ Thomisticæ magis conforme.

Prima pars Conclusionis patebit ex argumentis, quæ pro parte contraria adducemus; & patet maximè ex illo, quod adduxi de amissione existentiæ; quod certè plurimum vrget; nec video, quomodo aliter solui possit, præter hunc modum, quem iam in suppositionibus innuimus, vt infrà, soluendo argumenta, huic obiectioni accommodabimus. Nam quod aliquis fortè posset dicere, ad diuisionem naturæ materialis, & diuisibilis, sicut subsistentiam, ita etiam existentiam perire, non quidem realiter, sed formaliter, & ideò rem non corrumpi, friuolum est, luditur verbis, nec status difficultatis penetratur. Quãdo enim ego arguo in hunc modum (pereunte subsistentia, etiam existẽtiam perire, est necesse) loquor realiter, & physicè de illa entitate existentiæ, quæ recipitur in supposito, & facit existens, & quæro de illa, peritnè illa entitas physicè, an physicè manet? Si dicas, perirè physicè, itaut amplius non sit, infero corruptionem cõpositi. Si dicas, quòd manet, & tantùm mutatur formaliter, quia quæ anteà faciebat existere partem, nunc facit existere totum, infero; ergo, cùm suppositum solum sit susceptiuum existentiæ, vt supra probatum est, sicut post diuisionem iam est aliud suppositum ab illo, quod fuit ante diuisionem, ita de necessitate fateri debes, illam realitatem existentiæ, transire de supposito in suppositum, de receptiuo in receptiuum, quod planè est inintelligibile.

Secũda verò pars Conclusionis priùs explicanda est, posteà probanda. Dicimus ergo, quòd quando aliqua substantia materialis, & diuisibilis, v.g. aqua, vel lignum, vel aliquod animal imperfectum, ad diuisionem quantitatis diuiditur, subsistentia illa, qua antea subsistebat, perit, & nouæ subsistentiæ generantur, quibus partes illæ, diuisæ, iam factæ tota, subsistant. Vnde iam constat, quam hic modus dicendi sit conformior principijs Thomisticis, maximè illi fundamento, quod supra ex Caietano ad probandam subsistẽtiam esse purum terminum adduximus. Quæ ratio etiam potest deseruire pro probatione præsentis Conclusionis, vt considerandi patebit; quę iterùm vt firmiùs stabiliatur, alijs rationibus vtimur.

Probatur primò; nã subsistentia, de qua est controuersia, competit naturis totalibus, & consti-

tuit suppositum; illa enim subsistentia, quæ animæ rationali competit, & ratione animæ toti homini, extra controuersiam est, cùm vt ex supradictis constat, sit spiritualis, sicut, & ipsa anima, & per consequens indiuisibilis. Ergo soluta totalitate, perit subsistentia. Anteced: patet. Consequ: prob: nàm quod competit alicui reduplicatiuè vt totum, soluta totalitate ipsius, necessariò perire debet: Tunc sic subsumitur: Sed per diuisionem soluitur totalitas. Ergo, &c.

Probatur secundò. De ratione subsistentiæ est, quòd vna non possit communicari alteri, vt supra contra Suarium impugnando partiales ipsius subsistentias diximus. Sed si subsistentia esset diuisibilis in partes integrales, vna subsistentia esset communicabilis alteri. Ergo &c. Minor prob: nàm quod est diuisibile est iterùm vnibile, vt patet in aqua, quæ sicut diuidi, ita & vniri iterùm potest; Ergo si subsistẽtia ad diuisionem aquæ esset diuisibilis, ad ipsius vnionẽ esset iterùm vnibilis; Sed vnionem aliquorum sine mutua communicatione non possumus intelligere; si enim vniuntur, inuicem sibi cõmunicantur. Ergo &c.

Probatur tertiò; nàm per diuisionem ligni, vel aquæ producuntur noua supposita, vt ipsi Aduersarij fatentur, & euidens est, quia iam sunt post diuisionem aquæ plures primæ substantiæ, pluraq; indiuidua à parte rei separatè existentia, ac proindè plura supposita: Tunc sic quæro ab Aduersarijs; additur nè aliquid reale positiuum illis partibus aquæ diuisis, vel nihil? si dicas, quòd nihil additur, sed ratione solius diuisionis fiunt supposita, cùm ante illam non fuissent; Ergo sola negatio vnionis cum alio constituit suppositum, quæ erat sententia Scoti supra à nobis, & ab istis ipsis Authoribus opposita sententia reprobata. Si dicas, quòd additur aliquid; cùm ergo illud aliquid addatur ad constituendum suppositum, illud addetur, quod solum potest constituere suppositum, Ergo cùm sola subsistentia hoc possit, vt ex supradictis patet, id, quod de nouo addetur, debet esse subsistentia, ac per consequens partes aquæ diuisæ per nouas subsistentias subsistent, non autem per illam diuisam, per quã in toto subsistebant; alias vnum ex duobus inconuenientibus euitari nõ posset, nimirùm, vel quòd in toto etiam erant supposita, quod nullus concedet; vel quòd suppositum, in esse talis, per solam negationem vnionis cum alio constituitur; quod est incidere in opinionem Scoti.

Confirmatur hæc ratio. Natura aquæ diuisę ab alia aqua habet suam totalitatem, quam ante non habuit, & ratione cuius potest iã separata existere, cùm antea non posset. Quæro vnde illa totalitas? Non iam (vt videtur docere Suarez loco citato n. 26.) ex eo, quòd loco punctorum cõtinuatiuorum resultarunt noua puncta terminatiua illius: hoc enim facit totalitatem quantitatiuam respectu ca-

pacitatis vbicationis separatæ, non verò totalitatem, & completionem, siue terminationem intrinsecam essentiæ in ordine ad existendum per se, & separatim; vt prorsùs mirùm sit, Suarium has diuersas totalitates in aqua separata non aduertisse, & in re tam obuia Virum aliàs eruditissimum hallucinatum fuisse. Ergo debebit addi aliquid illi naturæ, vt dicatur completa, & terminata intrinsecè, quod ad totalitatem requiritur; Ergo cum illam supponas cū subsistentia, subsistentia non erit vltimus terminus intrinsecus, supponetur enim terminabilis, & completibilis intrinsecè per aliū; quod est contra omnes Philosophos, & maximè contra ipsum Suarium, & alios sequaces, qui dicunt, subsistentiam esse terminum simpliciter vltimum, cùm illam ponant post existentiam. Restat igitur, vt aliqua Aduersariorum argumenta proponamus, & soluamus.

§. 6. *Satisfit argumentis circa diuisibilitatem Subsistentiæ.*

PRimum argumentum est illud, quod ego ipse in fauorē oppositæ sententię proposui, quia nimirum sequeretur, rem totiès corrumpi, & generari, quotiès diuiditur, quod videtur absurdum. Sequela autem manifesta est, quia si ad diuisionem petit subsistētia, qua illud totū subsistebat, necesse est, vt pereat & existētia, ne illam cogamur de subiecto in subiectū trāsferre, quo nil absurdius. Ergò cùm res, quæ amittit *esse*, corrūpatur, & quæ acquirit, generetur, necesse est, aquam totiès generari, & corrumpi, quotiès diuiditur.

Resp. facilè ex suppositionibus, quòd etsi ibi nouæ existentiæ, & subsistentiæ, veteribus corruptis, producantur, non tamen aqua ipsa dicetur generari, & corrumpi, quia pro eodem instanti, quo prius *esse* amittunt, acquirunt aliud; iàm autem, vt ex Complutensibus dixi, corrumpi illud dicitur, quod ita amittit *esse*, vt pro eodem instanti non acquirat aliud. Vrgeo adhùc, & sit.

Secundùm argumentum, quòd in fauorem oppositæ sententiæ propono. Ex nostra sententia sequeretur, rem permanētem à causa secunda productam, & iterùm destructam, posse eandem numero naturaliter reproduci. Sed hoc est contra communem Thomistarum sententiam, vt videre potes apud nost: Complut: in lib: de Generat: & Corrupt: disp: 13. q. 1. Ergo &c. Minor, & consequ: patent. Maior autem sic deducitur: Nā hauriat aliquis ex puteo vnā amphoram aquæ, procul dubio secundùm nostram sententiam, produxit nouas duas entitates, nempè existentiæ, & subsistentię, quia fecit nouum suppositū existens à parte rei, quod antea non erat: Iterùm diuidat illam aquam ex amphora in plura vascula; tùnc iuxta nostram sententiam illam priorem subsistētiam, & existentiam destruxit, & nouas ge-

Digitized by Google

nerauit, per quas illa aqua per plura vascula diuisa subsistit, & existit: Iterùm ex illis vasculis refundat illam aquam in illam vnam amphoram, ex qua illam per vascula diuiserat; tùnc iterùm illa aqua subsistet, & existet per vnicam subsistentiam, & existentiam. Quæro ergo, an in hoc casu subsistet, & existet per illam eandem subsistentiam, & existētiam, per quam subsistebat, & existebat antequàm per vascula diuideretur, vel non? Si dicis, quòd sic. Ergo virtute agentis naturalis, res aliqua permanens, qualis est subsistentia, vel existentia, semèl destructa, iterùm eadem numero reproducitur. Si dicas, quòd non per eandem, hoc videtur impossibile; nàm illa subsistentia, & existentia fit per resultantiam, & non per nouam actionem; ergo fit ex vi primæ generationis, vel productionis aquæ. Ergo cum natura sit determinata ad vnum, vna existentia, & vna subsistentia est, in quam se aliqua natura exiui generationis explicare potest. Vnde ergo illæ aliæ subsistentiæ, & existentiæ, quas in infinitum multiplicari necesse esset, si ad quamlibet diuisionem, & reunitionem nouæ generari deberent?

Neque ad miracula refugere potes, dicendo; quod virtute Diuina illa subsistentia reproducitur. Quis enim credat, ad lusum pueri aquam de vase in vasa trāsfundentis virtutem Diuinam patrandis miraculis præstò esse? Ergo &c.

Resp. primò explicando, quid sit illud, cui semel destructo repugnat naturaliter reditus. Qui enim ex Philosophis hoc tuentur (sicut omnes ferè discipuli S. Thomæ, vt videre poteris apud Complut: loco citato) vel intelligendi sunt de re propriè dicta, & cui absolutè fieri, & esse competunt non autem de istis entitatibus minutis, quæ nullam nouā actionem requirunt terminatam ad se; sed resultant à natura sine aliqua media actione. Hancque mentem Philosophorum esse, facilè deducitur ex ratione, qua vnica ad probandum, non dari naturaliter rei destructę reproductionem; communiter vtuntur: Probant enim hoc ex irreuocabilitate actionis illius, per quam res producta est; Ergo loquuntur de naturis, quæ per veram actionem fiunt, & quibus propriè cōpetunt fieri, & esse, non autem de istis terminis naturæ, quæ nulla media actione fiunt, sed naturali sequela resultant. Quod etiam vrgeri potest duplici exemplo, tùm philosophico aquæ reducentis se ad innatam frigiditatem vi caloris depulsam: quam quidem, etsi multi negent, (inter quos Suar: to. 2. in 3. p. disp. 44. sect: 6.) esse eandem numero cum frigiditate priori, ego tamen constanter teneo eandem esse; & ratio in promptu est; nàm negare nemo potest, illam frigiditatem, ad quā se aqua reducit, esse proprietatem ipsius, cùm fundamentum reductionis omnes assignent esse proprietates; Ergo cum eandem numero naturam easdem consequatur

tur

tur numero proprietas, planè sequitur, illam frigiditatem, ad quā se aqua post calorem reducit, eādem numero esse cum frigiditate, quæ primò naturam aquæ in generatione fuit consecuta. Quod etiā ipsa vox *reductionis* sonat, nā *reduci* significat ad idem ducit; vt ergo aqua propriè dicatur se ad frigiditatem reducere, eadem omninò debet esse frigiditas, quam deperdidit, & quam de nouo acquirit. Tùm etiam exemplo Theologico idem probo; nàm in sententia communi Theologorum, si Natura humana in Christo dimitteretur à Verbo, explicaret se ad subsistendum, & existendum subsistentia, & existentia naturali.

Similiter in via S. Tho: cum eodem Angelico Doctore dicimus, quòd si Humanitas præsupponeretur existens, & subsistens ante assumptionem, ex vi assumptionis necesse esset, destrui ipsius naturalem subsistentiam, & existentiam. Tùnc sic arguo: fingamus fuisse assumptam Humanitatem existentem, & subsistentem, atque ideò existentiam, & subsistentiam destructas: Si iterum dimitteretur, explicaret se ad subsistendum, & existendum citrà nouum miraculum (vt grauissimi Theologi defendūt, quos sequor) per connaturalem subsistentiam, & existentiam; sed non per distinctam numero ab illa, qua subsistebat, & existebat priùs, quia natura humana non est ex illarum numero, quibus ob suam imperfectionem, sicut vnitas numerica, ita & existentia variabiliter competunt; ergo per eandem; ac proinde poterunt isti termini naturaliter reproduci. Nota tamen circa hucùsque dicta, quod quando diximus, existentiam, vel subsistentiam dimanare à natura, non locuti sumus de dimanatione actiua, qua passiones dicuntur dimanare à subiecto, sed de dimanatione, & consecutione formaliter, in quantùm sunt termini eiusdēm indiuisibilis actionis, qua producitur ipsa natura, vt infrà, cùm in hoc tractatu, tùm in tractatu de existentia explicabimus.

Resp: secundò conformiter ad doctrinam nostr: Complut: in lib. de Gener. & Corrupt. disp. 13. q. 1. in respons: ad 3. Negamus ergo, ex nostra sententia sequi reproductionem eiusdem rei ab agente naturali. Ad probationem verò dicimus, subsistentiam, & existētiam, quibus aqua reunita subsistit, & existit, esse numero distinctas ab illis, quibus ante diuisionem subsistebat, & existebat, illasque nouas subsistentias, & existentias, dicimus, produci ex vi actionis generatiuæ aquæ: Quia enim aqua sortita est per generationem talem naturam, vt ob suā imperfectionem respiciat variabiliter suam vnitatem, etiam talem naturam sortitur, vt variabiliter respiciat subsistere, & *esse*; ac per consequens vis generatiua aquæ, sicut respiciebat naturam aquæ, vt potentem sub varijs diuisionibus, & reunionibus subsistere, & existere, ita respiciebat illa diuersa *esse*, & subsistentias, & vnitates numericas, vt iuxta exigentiam

illius naturæ, siue diuisæ, siue reunitæ ex vi primæ generationis resultarent.

Hoc autem dici conformiter ad mentem Complutensium, patet ex verbis ipsorum: Vt enim soluerent argumentum, quo probatur ex diuisione, & reunione aquę reproductio eiusdem entitatis, idque ab agente naturali, dicunt: Dicendum est, aquam illam diuisam in multas partes non perijsse quoad entitatem materialem, sed quoad terminationem, & ea, quæ ad illam, & prædictam diuisionem consequuntur; & ita si iterùm vniātur illæ partes, semper perseuerat, modo supra dicto, eadem entitas, non tamen sub eadem terminatione, atque ita nunquàm id, quod semel extinctum est, reddit per naturam.

Vbi obserua, quomodò naturam aquæ post diuisionem dicunt manere, & solas terminationes corrumpi, ipsasque in reunitione aquæ non redire: quod non solùm de terminationibus quātitatiuis, sed etiam de terminatione naturæ, qua talis, quæ fit per subsistentiam (vt intelligi debet) intellectum, manifestè ostendit, ex mente Complut: alia subsistentia naturam aquæ reunitæ terminari, ab illa, qua terminabatur ante diuisionem.

Tertium argumentum est ex P. Suarez. Subsistentia imitatur naturam, cuius est subsistentia. Ergo subsistentia naturæ diuisibilis, erit etiam diuisibilis.

Resp: cum distinct: concedendo quidem, quòd subsistentia imitatur naturam in omnibus, quæ rationi puri, & vltimi termini non repugnant, non tamen in ijs, quæ tali rationi repugnant: Vnde cum illi repugnet diuisibilitas, vt ex dictis constat, licet naturam imitabitur in materialitate, non tamen indiuisibilitate.

Quartum Argumentum est ex eodem Suarez, subsistentia rei materialis si esset indiuisibilis, vel esset tota in toto, & tota in qualibet parte, vel tota in aliquo indiuisibili naturæ. Sed non est tota in toto, & tota in qualibet parte, hoc enim est proprium rei spiritualis, illa autem, vt supponitur, est materialis: Neque potest esse in aliquo indiuisibili naturæ v.g. in puncto; quis enim vel cogitare potest hoc figmentum, aut explicare cùr in hoc sit potiùs, quā in alio, rationemque reddere, quomodò in puncto existens totam naturam reddat subsistentē? Ergo absolutè dicēdum est, quòd sit tota in toto, & pars in parte, ac per consequens diuisibilis.

Resp. facilè ex nostr: Compluten. in lib. de Generat: disp: 6. q. 4. negando, subsistentiam non posse esse totam in toto, & totam in qualibet parte: hoc enim, in Schola Angel: Doct: non solùm spiritualibus, sed etiam materialibus competit, vt ibidem deducūt Complut: Addo tamen, beneficio quantitatis, sicut ipsam substantiam materialem, ita & ipsius subsitentiam extendi, non tamen propriè diuisibilem esse, quia post diuisionem non manet, sed sicut continuitas, integritas, &

Digitized by Google

totalitas,ita etiam subsistentia per ipsam diuisionem destruitur.

Quintum Argumentum est ex Ioanne de Lugo,quia ex nostra sententia sequeretur, toties subsistentiam maris corrumpi, quoties ex ipso aliquid aquæ hauritur, vel iterùm in mare refunditur, siquidem nos dicimus, quòd ad diuisionē,& reunionem aquæ subsistentia ipsius corrumpitur. Et vrgeo magis hoc in gratiam eiusdem P. Lugo; quia cùm aqua maris continuò aquas fluminum recipiat, & continuò per subterraneas scatebras aquas effundat, sequeretur,mare nunquàm esse in facto esse,sed semper in fieri;continuò quippè existentiam, & subsistentiā amitteret,& acquireret.

Resp. ad ipsum argumentum negando sequelam ipsius: Sicut enim ex hoc, quòd per continuā nutritionem viuens, licet continuò partes nouas acquirat, & alias deperdat,est idem numero, vt videre potes apud nost. Complut:in lib:de Generat: disp:6.q.5. & hoc ideò, quia illæ partes, quæ acquiruntur, vel deperduntur,de materiali se habēt ad ipsā substantiam viuentis,ita etiam in præsenti philosophandum est, quòd per subtractionem alicuius vasis aquæ mare nō amittit subsistentiam, quia illa pars vna de materiali se habet ab subsistentiam totius maris; immò sicut, absciſſo v.g. brachio,totus homo non amittit suam subsistentiam, quamuis illam brachium absciſsum amittat,ita similiter ob proportionem rationis illa aqua hausta ex mari nouam acquiret subsistentiam, per quam separata subsistat, Mare verò in sua subsistentia,& existentia non variatur. Ad id verò,quod in fauorem argumenti vrgendo addidi, resp: vnumquodque elementum quamdiù partes eius continuantur, vnica subsistentia subsistere, vnde flumina non alia subsistentia subsistunt ab illa, qua subsistit mare, sed eadem; & ideò natura prouidit aquis de subterraneis meatibus,quibus continuentur, vt possint vnica, & indiuisibili subsistentia gaudere.

QVAESTIO IX.

Vtrùm natura terminata subsistentia propria sit de potentia absoluta terminabilis aliena.

QVæstionem hanc tractant Theologi 3.p. tùm super q. 3. ar.6. tùm super q.4. ar. 2. tùm etiam in 1. distin. 1. illam tamen hic duxi tractandam: Tùm quia ad perfectam incommunicabilitatis, quam subsistentia dat naturæ, notitiam, valdè est necessaria. Tùm etiam, quia in præcedentibus, sæpiùs hoc principio vsi sumus, quòd scil: natura per subsistentiam terminata, sit incommunicabilis, Tùm denique quia magis philosophica, quam Theologica est; ex ipsa enim natura subsistentiæ creatæ nascitur,

quòd sit, vel non sit assumptibilis natura terminata per ipsam, vt in decursu præsentis quæstionis patebit. Vt autem status quęstionis capiatur.

Supponendum est, quòd licet natura terminata per subsistentiã sit suppositum, vel persona, (loquendo de naturis totalibus, & creatis, de quibus nùnc sermo) hìc tamen non quærimus, an suppositum, vel persona sit assumptibilis, vel terminabilis? de hoc enim nulla est inter Doctores controuersia, omnesque vno ore negant, posse suppositum, vel personam assumi, seu terminari vlteriùs, cùm hoc implicet; suppositum enim dicit essentialiter esse terminatum, ac per consequens ipsi ratio terminabilis repugnat. Sed quia suppositum distinguitur realiter à natura ratione superadditæ ipsi subsistentiæ, quærimus: Vtrùm natura iã terminata propria substentia, saltem per Diuinam potentiam absolutam, (naturaliter enim, vel de potentia ordinaria, certum est id repugnare) possit iterùm alia subsistentia, saltèm increata, terminari? Nòtanter autem quærimus de natura terminata propria subsistentia, siue personalitate; nàm quòd natura semel terminata aliena personalitate possit iterùm alia itidem aliena terminari, v.g. Natura humana Christi terminata personalitate Verbi possit terminari personalitate Patris, vel Spiritus S: tanquàm certum supponimus, idque docent communiter Theologi cum Angel: Doct: 3. par. q. 3. ar. 6. Et hinc nascitur præsentis quæstionis difficultas: Vtrùm sicut natura potest terminari pluribus personalitatibus alienis (loquendo de increatis, nàm quid de alienis creatis sentiendum sit, quæst. sequenti dicemus) possit etiam terminari vna propria, & altera aliena? In quo est duplex sententia.

Prima est affirmatiua, docens, quòd sicut alienis pluribus, ita etiam vna propria, & alia, vel etiam alijs pluribus alienis naturam terminari possit. Ita Hurtado disp: 11. Metaph: sect. 7. in quo planè est singularis, nullum enim vidi, qui in hac quæst: cum illo sentiat, quamuis Vasquez, & Suarez locis infrà referendis hanc opinionem reputent probabilem, additque Suarez se vidisse illam à doctis, & grauibus Viris, publicè defendi.

Altera sententia negat, etiam de potentia absoluta, naturam creatam propria subsistentia terminatam posse adhùc aliena terminari. Ità communiter cum S. Doct: Thomistæ, de quo videre potest Caietanus 3. p. q. 3. ar. 6. §. *Ad cuius euidentiam*; Aluarez de Incarnatione disput: 26. Nazarius 3. p. quæst. 3. ar. 6. controu. 6. §. *Qunitò notanda est*: P. Mazziotta tomo 1. selectarum quæst: 10. per totam. Eandem sententiam docet Scotus, in 3. dist. 1. quæst. 2. §. *Ad probationem minoris*, quem sua schola sequitur. Idem docet Durandus, in 3. d. 1. q. 3. n. 16. subscribunt eidem opinioni omnes Neotherici, quorum scripta vidi;

Sua-

Digitized by Google

Suarez in 3.p. q.4. ar.6. disp.14. Vasquez tomo 1. in 3. p.disp.29. n.6.& communiter alij.

§. 1. *Varij sensus secundæ Sententiæ negatiuæ circa præsentem quæstionem referuntur.*

QVamuis autem in hac Conclusione côueniant prædicti Authores, in ipsa tamen explicanda plurimùm differunt; vnde ex ista vna opinione tot aliæ pullularunt: Nàm in primis Scotus ampliat implicantiam; dicitque implicare contradictionem vnam naturam terminari pluribus subsistentijs, siue vna sit propria, & alia aliena, siue vtraque propria, vel vtraque aliena: Illam enim illationem,(qua contra sententiam nuper relatam arguitur; quòd sc: si potest natura vna subsistẽtia aliena terminata terminari altera aliena; ergo etiam propria terminata, potest terminari aliena) ita constantem, & efficacem existimauit Scotus, vt ne concederet côsequens,negarit antecedens.Huius opinionis(quamuis longè ex alio fundamento) etiam est P. Mazziotta, qui in tantùm concedit,plures Personas Diuinas vnam numero naturam potuisse terminare, in quantùm credit, illas nullis subsistentijs relatiuis, iuxta multiplicitatem Personarum Diuinarum multiplicatis, sed vnica absoluta, omnibusque communi subsistere; quâ etiam subsistentia dicit terminãdam fore naturam creatam, si ab omnibus personis assumeretur. Sicque explicat sensum S. Doct: quando 3.p. q.3. ar.6. dixit, *plures Personas potuisse assumere vnã naturam humanam.* Sed quàm immeritò, ipse textus Articuli conuincit;ibi enim S.Tho:disputat:an tunc natura humana à tribus Personis assumpta possit dici vnus homo? quæ disputatio non curreret in sententia P. Mazz: cum esset, & natura vna, & subsistentia vna; ac proinde nullum esset fundamẽtum multiplicitatis, maximè cùm ipse P. Mazz: dicat n. 73. in illo casu, subsistentiam absolutam non debere, neque posse terminare illam naturam creatã, vt modificatur per relationes, sed secundùm suum esse præcisum, & absolutum.

Deindè P. Suar: loco nuper citato, videtur de omni supposito alieno concedere, quod pluribus possit terminari eadem natura; nam arguens contra positionem Paludani, dicit, posse Angelum naturam humanam terminare, & illa natura, sic supposito Angelico terminata, potest assumi ab aliqua Persona Diuina, & certè consequenter ad sua principia loquitur; nam ipse, impugnatis aliorũ dicendi modis, dicit,quòd ideò repugnat, naturam terminari proprio supposito, & alieno simul, non verò repugnat alienis pluribus, quia cum propria subsistentia terminata sit in se: aliena autem sit in alio, vt patet in Hu-

manitate Christi, quæ non est per se, sed in Verbo; repugnat autem esse per se, & esse in alio, non verò repugnat esse semel in alio, & iterùm in alio. Ergo &c.

E contrà verò Ioannes de Lugo dicit, repugnare quidem vnã naturam terminari vna subsistentia propria, & alia aliena, non tamen repugnat vnam naturam adhuc creatam terminari pluribus subsistentijs proprijs, & connaturalibus, & id quidem de natura Increata certum est in via S. Tho: cùm ibi vltrà subsistentiam absolutam, & communem, alias relatiuas agnoscamus, & ideò à paritate rationis infert, idem concedi posse naturæ creatæ, non aduertens illud, quod ex infinitate naturæ Diuinæ oritur non rectè naturæ creatæ, ac per consequens finitæ applicari; vnde rectè Vasquez hanc opinionem in intelligibilem, & in imaginabilem vocat, eamque optimè impugnat, vt videre est apud ipsum, loco cit:

Tandem alij omnes dicunt, naturam posse quidem pluribus subsistentijs alienis terminari, si sint Increatæ, nõ tamen pluribus proprijs, vel vna propria, & altera aliena; & quidem pluribus proprijs, illam non posse terminari, probat benè Vasquez, & sic iterũ potest contra opinionem Lugo demonstrari; nàm illæ duæ subsistentiæ sunt propriæ secundùm te. Ergo ortæ ex principijs naturæ. Ergo connaturales. Ergo si potest natura per illas de potentia absoluta subsistere, poterit connaturaliter; (quod tamen ipse Lugo non dicet) cùm enim illæ subsistentiæ cõnaturales sint, & ex principijs naturæ ortæ, non deeforis illas potentia absoluta adducet, neque contra impetum naturæ ex principijs ipsius educet, alias non connaturales essent, sed ex principijs naturæ naturaliter orientur. Ergo natura per ipsas connaturaliter existet, videturque P. Lugo implicantia loqui; dùm illas subsistentias proprias vocat, & tamen dicit, quòd per solam potentiam absolutam Dei possit natura per illas subsistere; quòd verò per plures alienas creatas eadem natura subsistere non possit, quod est dictum contra opinionem Suarij patebit quæst: sequenti, vbi ostendemus, subsistentiam creatam alienam naturam terminare non posse: iàm autem contra Scotum, & P. Mazz. Theologis probandum relinquimus, posse Personas Diuinas plures ratione suarum subsistentiarũ relatiuarum, vnam naturam terminare; hoc enim institutum Metaphysicum superat, & nos id tanquam certum ex doctrina S. Tho: supponimus.

Itaque tota controuersia reducitur, vt probemus, (hanc enim vltimam opinionem nostram esse volumus) quod licet non repugnet, naturam pluribus subsistentijs alienis, & increatis terminari; repugnat tamen illam iam terminatam propria personalitate, posse terminari alienam etiam increata, & consistit cardo difficultatis, vt ostendatur disparitas, seù differentia, quæ intercedit inter

sub-

subsistentiam propriam, & alienam, ob quam hæc, non verò illa possit pati consortium alterius in vna natura terminanda, in qua disparitate assignanda non conueniunt Authores, & fermè sunt quot capita, tot sensus; referunt plures dicendi modos, illosque impugnat P.Suar:& P.Mazziotta locis suprà citatis. Nobis non vacat omnes recensere, & impugnare, nobiliores adducam, & discutiam, alij possunt apud prædictos Authores videri cùm suis impugnationibus.

§. 2. *Modi dicendi varij Authorum in explicando ipso puncto difficultatis refutantur.*

IN primis ergo Caiet: tribus differentijs assignatis inter subsistentiam propriam, & alienam, infert pluribus alienis (loquendo semper de increatis) posse vnam naturam terminari, non tamen vna propria, & altera aliena.

Prima differentia, & radix cæterarum est, quia natura, habens propriam personalitatē, seu subsistentiam, constituit personam, seu suppositum, & quia hæc natura suaptè natura non potest se extendere, nisi ad vnam personam sibi propriam, & personæ repugnat assumi, ideò natura terminata semel propria personalitate, non est ampliùs etiam de potentia absoluta terminabilis aliena. Cæterum natura terminata per subsistentiam alienam non constituit personam, vt patet in Humanitate Christi, quæ personatur per Verbi personalitatem absque eo, quod constituat personam, quia hæc cùm sit Diuina, fuit constituta ab æterno, & sic natura illa est assumptibilis ab alia persona Diuina.

Secunda differentia est, quia propria personalitas terminat naturam adæquatè, tàm intensiuè, quàm extensiuè, vtpotè nata ex visceribus naturæ, ideoq; illi omninò commensurata: aliena verò, licet totaliter intensiuè; non tamen totaliter extensiuè naturam terminat, ac proindè non omninò adæquatè, sicque reddit adhuc terminabilem.

Tertia est, quia subsistentia propria est intrinseca naturæ, & ideò nō est assumptibilis natura, quia assumeretur persona, quod implicat; subsistentia verò aliena cùm sit extrinseca, non impedit, quod adhùc natura sit assumptibilis, non assumpta persona.

Hæc doctrina Caiet: quam ad vnguem sequitur Nazar. multis displicet, pluraque contra ipsam obijciunt, tùm Neotherici, vt videre potes apud Suar:& Vasquez, tùm Scotistæ: præcipuè Rada in sua 3. p. controuersia 1. ar. 4. & certè neque ego video, quomodò hæc dicta Caiet: difficultati satisfaciant.

Nam prima quidem differentia verissima est, sed non videtur inducere inassumptibilitatem in natura; nā quantumuis concipias na-

naturam constituētem personam, sēper tamen relinquis distinctionem realē inter naturam, & personam, vt ex supra dictis contra Durandum patet: quæ ergo implicantia erit, vt assumatur natura, non assumpta persona, etiamsi natura constituat personam? si semel distinguuntur.

In secundo autem discrimine, & differentia, vt benè aduertit Suarez, videtur Caiet: quodammodò petere principium, obscuriùs repetēdo id, quod est clariùs in quæstione. Dicere enim, naturam à propria personalitate intensiuè, & extensiuè, ab aliena verò intensiuè tantùm, & non extensiuè terminari, est dicere à propria ita terminari, vt non possit terminari ab alia; ab aliena verò ita, vt ab altera sit adhuc terminabilis, quod est in quæst.

Similiter ex tertio discrimine non eneruatur difficultas, quia illa intrinseceitas quanta assignetur, numquam erit tanta, (nisi in Durandi partes transeat) vt tollat distinctionem realē inter naturam, & suppositum. Ergo, vtpotè distincta, poterit saltem de potentia absoluta assumi, non assumpto supposito.

P. Suarez aliorum reiectis modis dicendi, suum proponit ex tali discrimine, quod intercedit inter subsistentiā propriā, & alienam; quia nimirùm propria, & creata subsistentia solùm est modus quidam intrinsecus per se existendi: hic autem modus habet formalem, & immediatam repugnantiam cum illo modo vnionis, quem habet natura assumptā in alieno supposito, quia esse per se, & in alio immediatè repugnāt, & vnum includit negationem alteriùs; iam verò duo modi existendi in alio, quos afferunt subsistentiæ alienæ, non sunt inter se repugnantes, sed habent se disparatè, sicut etiam duo modi essendi per se, vnde sicut naturæ Diuinæ ob hanc rationem non repugnat esse simul in pluribus personis, quia in omnibus est per se: ita similiter vni naturæ creatæ non repugnat esse in pluribus alienis, quia in omnibus habebit esse in alio;

Sed hæc etiam Suarij speculatio subsistere non potest.

Nam in primis falsū est, quod supponit, subsistentiam creatam esse modum existendi, vt supra probauimus; deindè quando ille dicit, quòd propria subsistentia, dat esse per se, & aliena dat *esse in alio*: aut falsum dicit, aut ad præsentem difficultatem impertinens; si enim per *ly* esse in alio, intelligat, vt accidens in subiecto, falsissimum est, naturam terminatam personalitate aliena esse in alio, vt in subiecto, aliàs rationē naturæ substantialis amitteret, quod falsum esse conuincit humanitas Christi assumpta à Verbo, rationem naturę substantialis non amittens: si autem per *ly* esse in alio, intelligat esse in alio, vt partem in toto. Si loquatur de parte rigorosè, iterùm falsum est, naturam existentem in aliquo supposito esse propriè partem, vt patet in eadem humanitate; si ve-

Digitized by Google

rò intelligat de parte lato modo, quo modo, quidquid etiam impropriè, & non rigorosè componens cum alio vocatur *pars*; falsum iam erit, naturam in proprio supposito non esse hoc modo partem; Siquidem cum propria subsistentia (vt supra diximus) facit aliquam compositionem, similiter si loquamur de esse in alio, vt *Quo* in *Quod*. In hoc certè vtraque natura conuenit, tùm in proprio, quàm in alieno supposito subsistens, cùm vtrobique natura comparetur ad suppositũ, vt *Quo* ad Quod, ac proinde hic dicendi modus est impertinens ad præsentem difficultatem soluendam, in qua assignãda est aliqua proprietas subsistentiæ propriæ, ratione cuius repugnat illi consortium alienæ, ob cuius defectum in aliena subsistentia possunt plures alienæ circa eandem naturam, saltem diuinitùs combinari: quòd cùm non assignet Suarez, ratio ipsius est nulla; vt vero tollatur ęquiuocãdi materia

Explicandum nobis est, quid velint Metaphysici & Theologi cùm ordinariè dicunt, naturam terminatam propria subsistentia esse per se; terminatam verò aliena esse in alio; In quo alius sensus veritati conformis deprehendi non potest, nisi iste, vt Natura terminata per propriam subsistẽtiam dicatur esse, seu subsistere per se, in quantum illud per quod subsistit & existit, habet ex proprijs, non verò emendicatum aliunde; natura verò, terminata aliena personalitate, aliunde habet, alienumq; est, per quod subsistit, & existit. Vtraq; ergo est *per se*: quia vtraq; est substantia completa terminata iam existens vt *Quod*; sed quia hoc vni competit ex propria natura, dicitur absolutè *per se* altera verò non, propter oppositam rationem. Esse autem sic *per se*, & *in alio*, quæ quæso implicantia? Immò magis fundamentaliter potest obijci Suario petitio principij, quam Caietano, pro qua tamen Suarez redarguit Caietanum; nàm si *ly* subsistere *per se* idem est, quod habere id, per quod subsistit ex proprijs, seù (quod idem est) subsistere per propriam subsistentiam; & subsistere *in alio* idem est, quòd non habere subsistentiam propriam, sed alienam, planè Suarez petit principium, cùm assignat pro ratione, quod est in quæstione, cùm enim probat, non posse naturam terminatam subsistentia propria terminari aliena, quia esset per se, & in alio, idem dicit, (vt ex dictis patet) ac si diceret, quia haberet subsistentiam propriam, & alienã friuolum ergo est, quod Suarez, alijs acriter reprehensis, ex suo sensu profert.

Iam autem illa explicatio Patris Mazziottæ est potiùs subterfugium difficultatis, quàm eius enucleatio: Nàm, vt optimè aduertit Nazarius, punctus præsentis difficultatis non est de subsistentia absoluta; non enim hanc assumunt Aduersarij pro medio, quando vrgent, quòd possit natura terminata propria subsistentia iterùm terminari aliena ex eo se;

quòd

quòd plures Diuinæ Personæ possunt vnam numero naturam terminare, nam ratione subsistentiæ absolutæ potiùs terminant, vt vnum, quàm, vt plures. De relatiuis ergo tota est cõtrouersia: quas quia negat P. Mazziotta, extra quæstionem nostram versatur. Alios modos dicendi relatos, & impugnatos vide apud Suarez, & Mazziottam, nobis enim non vacat referre omnium dicendi modos, cùm præsertim ad nostrum institutum parùm conferant. His ergo præmissis, vt iam tandem nostrum sensum aperiamus, sit

§. 3. *Modus dicendi noster, & sensus in decidẽdo puncto ipso difficultatis aperitur.*

SVpponendum primò, quando hic de subsistentijs alienis sermo est, de solis increatis nos intelligere. Vnde disparitas, quæ in præsenti quæritur, petenda est ex discrimine, quod intercedit inter subsistentias personales (de his enim, vt iam diximus, & non de absoluta, in præsẽti est sermo) increatas, & propriam creatam. Et quamuis obuiam statim occurrat, quia nimirùm hæc finita, illæ verò infinitæ; istud tamen discrimen ad præsens nihil iuuat; quamuis enim in infinitatem refundatur, quòd alienam possint terminare naturam, vt sequenti quæstione videbimus, non tamen, quòd plures vnam, in quo præsens quæstio versatur: Immò potiùs huic obstat infinitas, quia exhaurit totam capacitatẽ, & terminabilitatem naturæ magis, quàm propria subsistentia creata: ac proinde magis, quantùm est ex hac parte, tollet ab illa terminabilitatem per aliam. Aliud ergo nobis inuestigandum est discrimen, quod præsentem difficultatem complanare possit, in qua tot eruditissimorum Virorum desudarunt ingenia, Pro quo.

Supponendũ est secundò Subsistentiam creatam non posse esse relatiuam, quia cùm in creatis relatio sit accidens, subsistentia autem ad genus prædicamenti substantiæ pertineat, inde est, quòd sicut id, quod est substantia, repugnat esse accidens, ita repugnat, vt subsistentia creata sit relatio. Oppositum in Diuinis contingit propter oppositam rationem, de quo Theologi in materia de Trinitate. Et hinc nascitur primum discrimen ad præsentis difficultatis resolutionem spectans, quia nimirùm subsistentia creata est quid absolutum, subsistentiæ verò personales in Diuinis sunt ralatiuæ.

Supponendum est tertiò, quòd cùm S. Doct. 3. p. q. 3. a. 6. determinans, plures Personas Diuinas posse vnam numero naturam assumere, recurrat ad conditionem Diuinarum Personarum, quibus non repugnat esse in vna natura vnde pro fundamento suæ assertionis assumit istud principium, dicens in Corp: Artic: *Est autem*

talis Diuinarum Personarum conditio, quòd vna earum non excludit alias à communione eiusdem naturæ, sed solùm à communione eiusdem personæ, videndum est, cùr Diuinæ Personæ non excluduntur à communione eiusdem Naturæ Diuinæ, vt inde possimus concludere cum Angelico Doctore, quòd non se excluderent etiam à cõmunione vnius naturæ creatæ. Hoc autem optimè explicarunt nost. Salmatic: Tract: de Trinit: disput. 1. dub: 3. §. 2. quia nimirùm illa supposita, etsi infinita, sunt tamen inadæquata respectu Naturæ Diuinæ, & ideò Natura Diuina, vt modificata per vnum, non modificatur per aliud, potestque tribuere aliquid vni, quod non tribuit alteri, v. g. tribuit Patri generare, & non generari, Filio verò tribuit generari, & non generare, quod manifestè inadæquationem conuincit; nàm si adæquatè ab vnoquoque terminaretur, vnicuique tribueret totum id, quod posset, sicut (vt obseruant idem Salmatic: loco citato n. 7.) natura creata, quia tantùm petit vnicum suppositum, ideò prout est in illo, vt in supposito adæquato sibi connaturalissimo, tribuit illi quidquid in se habet. Et hinc est secundum discrimen inter suppositum proprium creatum, & Diuina Personalia, quia illud semper est suæ naturæ adæquatum, hæc verò inadæquata respectu Naturæ, quã connaturaliter terminant. Ergo cùm S. Doct: iubeat, nos ad modum, quo personalitates Diuinæ terminant naturam increatam, respicere, (vt patet tùm in corpore articuli tùm in argumẽto. *Sed contra*, tùm in responsione ad secundum) vt possimus cognoscere modum, quo possunt plures Personæ Diuinæ vnam naturam humanam assumere, planè iuxta mẽtem Angel: Doct: natura humana pluribus personalitatibus alienis eo solũ modo terminabilis esset, quo de facto ab illis natura increata terminatur. Ex quibus infero, &

Dico primò, rationem fundamentalem, cùr possint plures Personæ Diuinæ vnam numero terminare naturam, non verò potest natura propria personalitate terminata, terminari aliena, esse hãc, quia propria est absoluta, & naturam adæquatè terminans, ac proinde excludens consortium alterius cuiuscunque, etiam increatæ, Diuinæ, quia esset adæquata, & inadæquata: Iam verò Diuinæ, quia relatiuæ, & quia inadæquatè terminarent, neque se à consortio vnius naturæ excluderent, neq; illa implicantia sequeretur, vt consideranti patebit. Ex quo adhùc infero, &

Dico secundò, quòd quando aliqui Theologi dicunt, naturam humanam terminatam personalitate Verbi, vt est in Christo, esse adhùc assumptibilem ab alijs Personis Diuinis, intelligi debent de assumptibilitate, quæ fieret, dissoluta priùs hac terminatione, qua de facto terminatur, non autem de assumptibilitate, stante

præsenti vnione; nam pro nùnc personalitas Verbi supplens vices propriæ personalitatis, & sola id faciens, adæquarè naturam humanam terminat, ac proinde in sensu composito interminabilem relinquit, itaut implicet, illã ab alia terminari, aliàs esset, & non esset adæquate terminata. Si verò vellent illam etiam aliæ Personalitates Diuinæ terminare, priùs hæc; quæ modò est, vnio solueretur, & deinde ab omnibus tribus Personis, inadęquate à singulis, adæquatè ab omnibus terminaretur. Et hinc patet, cùr subsistentia connaturalis, & propria nõ patiatur alienã; quia cùm propria, & connaturalis sit connaturalitèr, ideòq; quantùm potest se communicet, & cùm, vtpote propria, commensuretur naturæ, adæquatè terminabit ipsam, nec vltra, etiã de potentia absoluta nõ relinquet terminabilẽ. Cæterùm alienæ non connaturaliter terminant, & ideò non faciunt totum, quod possunt, ac proinde, (licet ipsæ infinitæ in ratione terminandi) poterunt naturam, finitam terminabilitatem habentem, inadæquate terminare. Quod vt fundamentaliùs capiatur.

Sciendum est, quòd cùm Angel: Doct: (vt ex textu Articuli citati, & præcipuè ex responsione ad primum constat) dicat, illam naturam assumptam à tribus Personis, non fore multiplicandam realiter cum ipsis, neque suam vnitatem nnmericam amissuram; Iam autem, vt fusè, & eruditè ostendunt nost. Salmatic: Tract: de Trin. disp: 9: dub: 5. §. 5. n. 116. & sequent: natura, quæ est in pluribus suppositis, si sit in illis præcisè vt *Quo* in *Quod* debet realiter multiplicari in ipsis; Vnde, vt ibi ijdem optimè aduertunt, non est discrimen inter naturam finitam, & infinitam, quòd infinita possit esse in pluribus suppositis, finita autem nõ possit; vtraque enim potest, vt patet in natura humana, quæ est in tot suppositis, quot sunt indiuidua naturę humana; sed discrimen inter illas hoc est, quòd natura creata in suppositis multiplicatur, non verò increata, & infinita; cuius radicale fundamentum est, quia illa, antequam intelligatur recipi in supposito, est præcisè vt *Quo*; hæc verò adhùc ante terminationes Personales est, vt *Quod*, ratione subsistentiæ absolutę sibi proprię, & ad suam lineam spectantis. Hinc ego

Infero, & nisi fallor, fundamentaliter, & evidenter, quòd si in casu, quo natura humana assumeretur à tribus Personis, maneret cum sua vnitate numerica, necessariò deberet priùs terminari per subsistentiam absolutam communem tribus Personis, & deinde sic terminata, iterùm subsistentijs personalibus terminari, aliàs supponeretur, vt *Quo* ante terminationem, sicq; iuxta fundatissimum Salmaticensium discursum, deberet in illis multiplicari. Ex quo fit, quòd sicut dictę subsistentiæ personales naturam creatam terminarent, vt priùs subsistentem per subsistentiam absolutam, sic

cus

Digitized by Google

cut etiam terminant naturam Diuinam, vt sic priùs subsistentem, ita sicut, ibi respectu illius subsistentię absolutæ, naturæque per illam subsistentis, sunt inadęquatæ ita & hic; quia licet natura ipsa esset finita, & limitata, tamen immediatum terminabile per ipsa, nępe ipsa subsistentia absoluta esset infinita, & illimitata. Quomodo autē subsistentia absoluta sit terminabilis per subsistentias relatiuas, cùm de ratione subsistentiæ sit vltimitas, & per consequens interminabilitas, quia Theologicum est; hic commodè explicari non potest, explicant tamen id nost: Salmatic: Tract: citato de Trinit: disp:9. dud:5.§.7. quò Lectorem sciendi cupidum, & curiosum remittimus.

Neque suspicetur aliquis, nos hic sequi modum dicendi P. Mazziottæ supra à nobis refutatum; longè enim aliud dicimus, ac ipse dixit; ille siquidem credidit, nullas esse in Diuinis subsistentias relatiuas, & ideò purè ratione solius subsistentiæ absolutæ (idq; adhùc non modificatæ per relationes) plures Personæ Diuinæ terminarent Naturam humanam, & ideò extra statum quæstionis fuit, in qua Theologi, & Metaphysici exinde, quia natura potest pluribus subsistentijs alienis terminari, disputant, vtrùm etiam possit vna propria, & alia aliena: Nos verò & subsistentias relatiuas admittimus, neque negamus, illas tunc terminaturas illam naturā, sed prærequirimus subsistentiam absolutam ex eo præcisè, vt vnitas numerica naturæ conseruetur, & sic nō sumus extra statum quæstionis, vt nostra dicta consideranti patebit.

Quamuis autem aliqua obijciat P. Suar. contra explicationē Durandi, & Paludani, qui exindè dicebant, non repugnare Diuinis Personalitatibus vnam numero terminare naturam, quia sunt relatiuæ, & per consequens non se excludentes à consortio vnius naturæ: quę etiam nostra est in parte sententia; sed quia nos vltra rationem relatiui, addimus modum terminationis illis debitum, nempe, vt inadęquate terminent, ideò quæ obijcit Suarez, cōtra nos nihil faciunt; & vltra ea, quæ ibi contra hunc dicendi modum adducit.

Potest efficaciter ex dictis impugnari explicatio Durandi, quia modo de facto Humanitas Christi terminatur per subsistentiam relatiuam, & tamen supposita, & stāte hac terminatione, etsi relatiua, quia tamē adæquata, nō posset dicta Humanitas ab alijs Personis assumi. Ergo vltra esse relatiuum requiritur modus terminandi inadæquatus ad hoc, vt plures Personæ vnam naturam possint terminare.

Dices fortè, quòd hoc posset diuinitùs fieri etiam circa subsistentiam propriam, & connaturalem, vt licet illa connaturaliter postulet terminare adæquatè, tamen per potentiam absolutam posset vis terminatiua ipsius re-

ftringi,& fieri,vt inadæquatè terminando, relinquat naturam adhuc terminabilem per subsistentiam alienam: Neque hoc videtur Diuinæ potentiæ denegandum, nisi ostendatur aliqua implicantia,quæ non ita facilè apparet in præsenti.

Resp. neg: sequel; quòd scilicet posset saltem diuinitùs fieri, vt propria, & connaturalis subsistētia inadæquate terminet,quòd si implicantia quæratur,in promptu est,quia nimirùm esset,& non esset connaturalis: esset quidem, vt supponitur: Non esset verò, quia connatulis subsistentia adæquat naturam, tanquam proprius terminus ipsius;vnde sicut implicat, quòd corpus palmare ponatur in loco palmari, & quod non adæquet illum, ita implicat, vt terminus proprius respectu cuius natura in terminabilitate essentialiter dicit commensurationē, ponatur in natura, & quòd non terminet illam adæquatè.

Adde, quòd propria subsistentia terminat naturam constituendo suppositum; Ergo terminando adæquatè, & incommunicabiliter,quia de ratione suppositi, sicut incommunicabilitas, ita & vltimata completio est indispēsabiliter. vnde si Caiet. in sua explicatione ad adæquationem terminationis per propriam subsistentiam,ex qua,& natura constituitur suppositum, recurrisset, non autem ad assumptibilitatem talis naturæ sine persona, optimus, & fundamentalis ipsius discursus fuisset.

Deinde P. Mazziotta adducit opinionem P.Amici,quam habet Tomo de Incarnat: disp:14.sect: 6. qui ferè in omnibus nobiscum conuenit, nisi quòd addit, duplicem esse effectum subsistentiæ, alium terminare naturam, & hūc dicit esse primarium, alium sustentare naturam, & hunc dicit secundarium;dicitq;quòd ratione primi adęquate se communicarent tres Diuinæ Personæ, si vnā numero sustentarent, ratione verò secundi inadæquate. Sed hęc distinctio effectuum subsistentię friuola est; nàm subsistentia, & terminando sustentat, & sustentando terminat, vt benè ibi arguit Mazziotta. Et quia nihil aliud contra illum modum dicēdi obijcit, nisi quo impugnet istā distinctionem effectus subsistentiæ,& quod adęquatè terminetur, & non adæquate sustētetur,quod & nos reijcimus,ideò nihil habemus, quod ex ipsius obiectionibus solui oporteat.

Aduertendum tamen est,posse Amici dicta amicè, in bonum sensum trahendo,explicari,vt dicamus, quòd Personæ Diuinæ in casu nostro adæquatè terminarent illam naturam,in quantum ad totum suum esse personale illam traherent, quia in nulla Persona(quæ vtiq, est quid maximè simplex) non possemus duo partiri,vt secundùm vnum terminet, non verò secundùm aliud. Et in hoc sensu certū est, illas adęquatè, seù totas terminare. Neque contra hunc sensum procedunt argumenta Mazziottæ, sed contra

tra

tra illum, qui verè falsus est, quo dicitur, quòd naturæ adæquate ab vnaquaq; persona terminetur; si enim ab vna adæquate terminaretur, iam ampliùs non esset terminabilis ab alia.

Superest, vt argumenta P. Hurtadi singularis opinionis Patroni adducamus, quibus ille probat, quòd natura per propriam personalitatem terminata, non minus, ac per alienam, sit adhùc ab alia, vel alijs terminabilis. Duo ergo sunt, quibus ille suam sententiam firmat. Probat primò impugnãdo omnes dicendi modos, quibus ostenditur, naturam non posse terminari pluribus subsistẽtijs, vna propria, & altera aliena, posse verò pluribus alienis. Sed nostrum modum dicendi non impugnauit, quia fortè non præuidit; & ideò nihil est; ad quod respondeamus. Secundò probat, quia nulla potest adduci ratio repugnantiæ, neque discrimen assignari inter propriam subsistentiam, & alienam: sed huic argumento nostro dicendi modo, quem explicuimus, credo abundè satisfactum.

QVAESTIO X.

Vtrùm Subsistentia creata possit alienam naturam terminare.

MYsterium Incarnationis sicut ad naturam subsistentiæ inuestigandam nobis viam aperit, ita ad præsentem quæstionem agitandam plurium Theologorum, & Metaphysicorum ingenia excitauit. Quia enim ex mysterio Incarnationis didicimus, duplicem naturam, Diuinam nimirùm, & humanam in vna Persona subsistere, pulsat statim animum quæstio, an hoc illi subsistentiæ competat, quia Diuina, & infinita, an verò quia subsistẽtia? Si enim hoc etiam creatæ subsistentiæ concedi potest, manifestè constat, personalitati Verbi, non ex infinitate, sed ex communi, & analoga subsistentiæ ratione competere, vt duplicem possit naturam terminare. Pro qua decisione.

Supponẽdum est, titulum quæstionis duplicem sensum posse habere; primò enim potest intelligi copulatiuè; an subsistentia creata, terminando vnam naturam propriam, possit simul alienam terminare? sicut contingit per subsistentiam increatam in Christo. Secundò diuisim; an scilicet vna subsistentia possit de vna in aliam naturam transferri, & relicta propria, terminare alienam? v. g. subsistentia Angeli ablata ab Angelo, an possit terminare naturam Petri, vel etiàm, alterius Angeli? Loquimur autem de potentia absoluta, nam de ordinaria, & secundùm cursum naturæ, apud omnes in confesso est, non posse subsistentiam creatam alienam terminare naturaliter. In qua quęstione quatuor inuenio diuersas Authorum sententias.

§. I.

Digitized by Google

§. 1. *Sententiæ diuersæ quatuor recensentur.*

PRima Sententia affirmat, non tantùm id posse fieri, sed de facto iàm subsistentiam, seù potius suppositum terminasse alienam naturam, loquuntur enim isti in primò sensu quæstionis nuper explicato. Tribuitur hæc sententia Tertulliano lib: de Carne Christi cap. 4. & 6. & lib. 3. contra Marcionem cap. 9. vbi docet, Angelos, qui olim apparuerunt Abrahæ, veram carnem assumpsisse: Et debuit intelligere de assumptione per vnionem hypostaticã, cùm ex hac vnione probet possibilitatem vnionis hypostaticæ. Eandemque D. Hieronymus tribuit Origeni, qui tomo secundo in Ioannem, exponens illa verba: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine*, docet, plures Angelos olim incarnatos fuisse, & ex eis vnum fuisse Ioannem Baptistam. Immò & ipse D. Hieronymus huic videtur fauere sententiæ in Caput. 1. Aggæi, qui vbi retulisset, aliquis sensisse, Malachiam, Aggæum, & Ioannem fuisse Angelos in assumptis corporibus, subiungit. *Nec mirum, hoc de Angelis credi, cùm pro salute nostra Filius Dei Corpus assumpserit.* Vbi D. Hieronymus, velut è maiori ad minus arguens, videtur supponere, possibile esse, vt Angeli corporibus hypostatice vniantur.

Secunda sententia est aliorum, qui dicunt, de facto quidem nullam subsistentiam creatam alienam terminasse naturam; tamen id posse Diuina virtute fieri, constanter affirmant, cùm nulla in hoc appareat implicantia. Ita Ocham: in 3. qu. 1. dub: vlt: ad 14. Bassolis in 3. dist. 1. quæst. 3. & alij, quos refert, & sequitur Hurtado disput: 9. Metah: Sect. 8. Fauent huic sententiæ Gabriel dist. 1. q. 2. dub: 5. & Scotus q. 4. qui licet vtramq; opinionem, affirmatiuam nimirùm, & negatiuam, probabilem reputent, magis tamen in hanc affirmantem inclinant, videnturque huic opinioni fauere dicta SS. Patrum, qui sæpiùs dicunt, potuisse fieri redemptionem per Angelum vnitum hypostaticè naturæ humanæ. Eandemque opinionem Maior: in 3. dist: 1. q. 1. a. 2. tribuit aliquibus alijs SS. Patribus, quos refert, docuisse, Antichristum futurum dæmonem incarnatum.

Tertia sentẽtia est P. Valentiæ, tomo 4. disp: 1. q. 3. puncto 6. qui dicit, quòd licet nulla ex personis creatis possit, etiam de potentia Dei absoluta, alienam terminare naturam, tamen non implicat, aliquam personam creari tãtæ perfectionis, vt alienam possit terminare naturam; immò talem vt possit terminare infinitas, si infinitæ naturæ darentur.

Quarta tandem sententia dicit, implicare contradictionem, vt aliqua persona, siue creata, siue creabilis, possit alienam terminare naturam. Ita Caietanus, Medina, Nazarius super a. 1. q. 3. p. 3. D. Tho: Aluarez de Incarnat:

disp:

disp:18. Bernardinus Mazziotta select: quæst: tom. 1.q. 10.n. 30. Suarez tomo 1. in 3. p. disp: 13. sect. 4. quamuis ille magis contrariæ sententiæ subscribendus esset; in tantùm enim ille hanc nostram sequitur, in quantùm putat, subsistentiam esse modum, ideoq, à re, cuius est modus, inseparabilem esse: subdit verò: Quocircà si personalitas creata est entitas, & res, fateor, me nullam inuenire rationem, quæ hanc sententiam persuadeat; idemq; repetit in Metaph: disp: 34. sect. 4.n. 36. sequuntur eandem sententiã relati. Huic sententiæ etiam nos subscribimus: Sed vt clariùs procedamus, duplici Conclusione rẽ explicabimus, iuxtà duplicem sensum quęstionis iam supra relatum.

Dicendum est itaq; primò, implicare contradictionem, vt aliqua persona creata alienam naturam terminet, ac per consequẽs subsistentia creata non potest, terminando vnam naturã, & constituendo personam, simul aliam naturam terminare.

Probatur primò expressa author: S.Tho.3.p.q.3.a.1.ad 2.vbi dicit: *Non est contra rationem personæ sic communicari, vt subsistat in pluribus naturis, quia etiam in personam creatam possunt plures naturæ concurrere accidentaliter, sicut in persona hominis inuenitur quantitas, & qualitas: Hoc autem est proprium Diuinæ personæ, propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum non quidem accidentaliter, sed secundum subsistentiam.* Vbi, vt vides, S. Doct: in solam infinitatem Personæ Diuinæ refundit, quòd possit alienam terminare naturam, ac per consequens persona, quæ non est infinita, quales sunt omnes personę creatæ, id non poterit; & insuper cùm S.Doct: dicat, proprium esse Diuininæ Personæ, alienam terminare naturam, euidenter ostendit, id personę, quæ non est Diuina repugnare.

Probatur secundò ratione ex isto loco Angelici Doct: deprompta. Implicat, aliquam subsistentiam creatam, vel creabilem esse infinitam. Sed si posset alienam terminare naturam; dum terminat propriam, esset infinita. Ergo &c. Maior patet, quia implicat, aliquid esse simul finitum, & infinitũ: Subsistentia verò creata, & infinita esset simul, & finita; finita quidem, quia creata: infinita verò vt supponitur. Minor verò prob: subsistentia, cuius virtus terminatiua per terminationem vnius propriæ naturæ non exhauritur sed terminando propriam, potest terminare alienam debet esse infinita; quia non est maior ratio, cur posset vltra propriã terminare vnam, quàm duas, vel tres, vel centum, vel mille, ergo etiam infinitas, si darentur; iuxta illud axioma, quod Caietanus in præsenti adducit. *Vbi pluralitas non facit differentiam, nec infinitas faciet differentiam.*

Confirmatur si vnum corpus per proprias dimensiones posset esse in duobus locis circumscriptiuis, posset esse in infinitis, posset q;

Digitized by Google

setq, esse immensum,& vbique, vt ostendunt nost. Complut: in Phys:disp:19.q.8.§.3.Ergo etiam si vna subsistentia creata posset duas terminare naturas, vnam propriam, & alteram alienam, posset infinitas,& per consequẽs haberet vim terminatiuam infinitã;nõ enim minùs est cõmensurata vna subsistentia vni naturæ, quàm vnum corpus vni loco circumscriptiuo.

Probatur tertiò ratione Durandi, (quæ licet P. Suar: displiceat, ego tamen illam fundamentalem,& efficacem existimo) estq; ratio talis. Si subsistentia creata posset alienam terminare naturã, vel hoc posset per suam virtutẽ, & entitatem naturalem, vel per aliquid superadditum sibi:Vtroq; modo non potest. Ergo &c. Minor prob:quantùm ad naturalem virtutem: quia si hoc illi competeret secundùm naturalem virtutem, posset hoc naturaliter quia etiam, vt optimè aduertit Vasquez, eo ipso peteret agens naturale, quod ipsam coniũgeret alienæ naturæ; omnis enim virtus naturalis postulat agens naturale, quod ipsam in actum reducat. Quantùm verò ad secundam partem, quod scilicet nihil ipsi possit superaddi, probatur eadem Minor; quia illud superadditum esset impertinens ad terminationem; quomodo enim illud superadditum explicas? vel erit aliquod accidens, & hoc certum est non posse facere terminationem substantialem: vel erit quid substantiale. Dic igitur quid illud erit? intensio virtutis terminatiuæ in subsistentia? Vanum est: Neq; enim substantia ipsa, nec aliquid substantiale potest esse insensibile. Deriuatio aliqua virtutis Diuinæ? Parùm philosophicè loqueris; quia subsistentia terminando non spectat ad genus causæ efficientis, ad quod reducuntur instrumenta, quorum proprium est agere in virtute alterius. Ergo cùm nihil ipsi superaddi possit, neque, vt diximus, secũdum se hoc illis competat, planè sequitur, nullam subsistentiam creatam posse simul propriam,& alienam terminare naturam.

Hac Durandi ratione vtuntur etiam nost: Complut: in Phys: disp:4. *q. 6.* ad probandum, vnã formam substantialem non posse plures materias informare actu. Ex quibus magis nostra ratio illustratur,&

Confirmatur quod ex natura sua est impotens ad aliquem effectum præstandum, nisi ei aliquid addatur; impossibile, est, vt illũ præstet; si enim nihil illi superaddatur, manet impotens, sicut antea. Sed subsistentia creata, *de se* est impotens ad terminandam aliam naturam, vt est in confesso apud omnes,& nihil illi superaddi potest; nam, vel illud, quod superadderetur, esset eiusdem speciei cum subsistentia illa creata, vel diuersæ: Si eiusdem; Ergo sicut virtus præexistens in subsistentia non poterat terminare aliam, ita etiam, & cum addita, cùm ambæ sint eiusdem speciei. Si diuersæ; fateor, quòd illa vir-

tus

tis sup r addita fortè poterit se solo terminare aliam naturam, non tamen poterit dare subsistētiæ illi virtutem ad terminandū: subsistentia enim, sicut est essentialiter terminus, ita non potest habere vim ad terminandum, nisi per intrinsecam suam entitatem; vnde sicut illud additum non pertinet ad intrinsecam entitatem eius, ita non potest illi dare vim ad terminandum, nam sicut forma informat, dando se materiæ, ita & subsistentia terminat, dando se naturæ.

Respondet P. Suar: dicendo tùm ad rationem, tùm ad Confirmationem, creatā subsistentiam, non per aliquam nouæ virtutis additionem, (hoc enim chymericum est, vt rectè probat argumētum) sed per propriam entitatē, & virtutem pluribus naturis coniunctam, posse plures illas terminare: nihil enim aliud dicit *terminare* naturam, quàm *coniungi* ipsā subsistentiam naturæ, subsistentia autem vnam naturam terminans, licet naturaliter non possit coniungi alteri, potest tamen supernaturaliter, & ratione potentiæ obediētialis: sicùt etiam vna forma potest coniungi alteri, materiam vnam informando, vnum punctum potest terminare duplicem lineam, etiam loco distantem: vnum accidens esse in duobus subiectis: Corpus de se incapax caloris, sicut est cælum, recipere calorem, & similia: quæ licet (inquit ille) naturaliter fieri non possint, possunt tamen Diuina virtute: Sed

Contra est. Hæc ipsa exempla Suarij euertunt ipsius doctrinam: Nam hæc omnia implicant, quæ ille adduxit; ergo implicabit & illud, ad quod illustrandum adducit. Et certè Suarez ostendit, se esse vnum ex illis Theologis, quibus, cùm de Diuina Omnipotentia agitur, omnia possibilia vidētur, vt videantur ipsam chymerā Deo possibilem asserere, vt illi hoc obijcit Vasquez loco nuper citato, hanc eius solutionem impugnando. Ad illud verò, quod dicit, quòd subsistentia terminās, licet naturaliter non possit coniungi alteri naturæ, potest supernaturaliter, dicimus, hoc implicare in subsistentia creata, quia per vnam terminationem omnis vis eius terminatiua fuit exhausta; neque aliquid ei addi possit, ratione cuius terminet, vt probatum est.

§. 2. *Reflexio specialis circa Aluarez.*

ADuerte hìc, si fortè in hanc quæstionem incideris apud Aluarez disp: 18. de Incarnat: qui satis confusis, & improprijs terminis illam tractat: Nam cum in titulo inquisiuisset. *Vtrùm de potentia absoluta possit suppositum creatum propriam, & alienam naturam terminare?* partem negatiuam, quam nobiscum loquitur, probat argumento petito ex ratione causæ principalis, & instrumentalis: quia nunquam si persona creata alienam terminaret na-

turam, necesse esset, vt ad illam terminandam concurreret per modum causæ principalis, & non instrumentalis, cùm ergo, inquit, impossibile sit per omnem potentiam absolutam, vt suppositum creatum per modum causæ principalis terminet alienam naturã, impossibile est, quòd possit illam terminare. Ergo ne fortè tibi ridiculum, & parùm philosophicũ videatur, quòd *terminationem* vocet causam principalem, & instrumentalem, cùm *terminatio* nihil affinitatis habeat cum causa efficienti, (in qua sola genus causæ principalis, & instrumentalis reperitur) sed potiùs genus causæ formalis saperet, si terminatio pura aliquam causalitatem posset exercere, quod supra puro termino denegauimus, id ò

Aduerte deinde, & nota quòd S.Thom: loco ex 3.p.citato istam quæstionem sub alijs terminis proponit. *Vtrùm* nimirùm *Persona Diuina conueniat assumere personam creatam*? & Theologi ibidem tractant hanc quæstionem de assumptione alterius naturæ. In quo (vt subtiliter ibidẽ notauit Caiet: & ex Caietano clariùs explicuit Vasquez) duæ quasi quæstiones virtualiter clauduntur, alia de principio actiuo, & alia de principio formali, seu quasi formali terminationis: quia enim ly *assumere*: significat idem, ac *ad se sumere*, dupliciter denotat, illud, pro quo stat, *concurrere ad assumptionem*, nempè pro principio actiuo, quod denotat ly *sumere*, & pro principio quasi formali terminationis, quod denotat *ad se*: nam si ipse non esset terminus assumptionis, non ad se, sed ad aliũ sumeret: Vnde quando quæritur: *Vtrùm suppositum possit alienam assumere naturam*? istæ duæ inuoluuntur quæstiones, prima; (Vtrùm possit illam terminare, seu coniungi formaliter illi? Secunda; (Vtrùm possit esse principium effectiuũ istius vnionis, seù coniunctionis? Quo etiam sensu solent disputare Theologi: Vtrùm aliqua creatura, saltem per modum instrumenti, potuerit causare vnionem hypostaticam inter Verbum, & humanitatem? Aluarez ergo inter has duas quæstiones non distinxit, sicut debuit, & ideò inintelligibilia, & parũ philosophica loquitur; vel certè aliquo errore factum est, quod pro *assumere*, tàm in titulo, quàm in Conclusione, & rationibus, posuerit *terminare*. Quod si obseruaueris, legẽdo hanc in illo quæstionem, super parùm consona dicta non hærebis.

Aduerte secundo, nos hìc non disputare de principio effectiuo terminationis, quia friuola esset hæc quæstio: cùm enim quæramus de potentia Dei absoluta, an possit subsistentia creata propriã, & alienam simul terminare naturam, iam principium effectiuum ipsius, nempè Deum, per potentiam suam absolutam operantem, ostendimus. Deinde cum negatiuam sententiam sequamur, non occurrit inquirere, nùm hoc creatura saltem instrumentaliter possit efficere: quod etiam per re-

Digitized by Google

spectum ad Omnipotentiam iudicamus impossibile.

Dicendum est secundò. Nulla subsistentia creata potest, etiam diuisim, alienam terminare naturam. Hæc conclusio non minus est certa in schola D. Thomæ, quàm præcedens, quamuis non ex eodem principio eius certitudo desumatur: quod tamen (licet obuium sit res attentiùs perpendenti) neminem, quem viderim, aduerti obseruasse: Nôn ex limitatione ergo, vel negatione infinitatis (quæ nulla ad hoc requiritur, vt subsistentia ab vna natura ablata, terminet alteram, vt consideranti patebit) sed ex principio indiuiduationis hęc quæstio confirmanda est.

Probatur ergo ex ijs, quæ in Tract: de principio indiuiduationis diximus. Implicat aliquid esse hoc, & non esse hoc: Sed si subsistentia creata alienam terminaret naturam, esset hæc, & non esset hæc. Ergo &c. Maior, & conseq: patent. Minor verò prob., quia subsistētia cùm sit terminus intrinsecus naturæ, indiuiduatur ab eodem principio cum natura. Ergo si transferetur in aliam naturam, iterùm ab illa natura indiuiduaretur, sicque esset hæc, & non esset hæc.

Dices. Verbum terminat per suam personalitatem naturam creatam, & tamen non currit hæc implicantia. Ergo similiter non curret in subsistentia creata.

Resp. esse disparem rationem; nam personalitas Verbi non potest indiuiduari ab alio, cùm sit sicut, & ipsa natura Diuina essentialiter singularis, quod creatæ subsistentiæ non competit.

Aduertendum tamen est hic, quòd subsistentiæ illarum naturarum, quibus variabiliter indiuiduatio competit, possunt & ipsæ variabiliter respicere indiuiduationem, cùm indiuiduatio naturæ sit etiam indiuiduatio ipsarũ, & ideò crederem, ipsas per Dei potentiam absolutam posse diuisìm alienam naturam terminare, quia de illis implicantia supradicta non currit, neque hoc in illis aliquem excessum in perfectione arguit, sed potiùs ex magna ipsarum imperfectione hoc prouenit.

§.3. *Argumentis sententiarum oppositarum respondetur.*

PRimum fuit, quia multi homines vocantur in scriptura Angeli, vt S.Io: Baptista, &c.

Resp. illos vocari Angelos non à natura Angelica, quam non habebant, sed vel ab officio, quia fuerunt nuntij Dei, vel à puritate vitæ.

Secundùm. SS. Patres docent potuisse per Angelum fieri redemptionem. Ergo poterit hypostaticè vniri.

Resp. negando sequel; nam SS. Patres intelligendi sunt, de redemptione in natura Angelica, non autem in natura humana; nam sapientia Diuina potuisset inuenire modum, vt Angelus, manens Angelus, redemisset genus

humanum, vel per actum obediētiæ, vel humilitatis, vel alterius virtutis, quam Deus id redemptionem acceptasset.

Tertiū; quia Antichristus futurus est dæmon incarnatus. Ergo.

Resp. id falsum esse, & ab Ecclesia communiter reprobari.

Alia argumenta vide cum suis solutionibus apud Suar. Solùm illa nobis authoritas S. Hieronymi explicāda est, ne tantus Doct: falsæ sententiæ suffragari videatur. Dicimus ergo, quòd S. Hieronymus id dixerit, quasi excusando cōtrarium opinantes, quòd non crediderint aliquid inimaginabile, cùm Filius Dei, qui purus Spiritus, & sublimior Angelis est, carnem assumpserat, & ideò poterant decipi id credentes de Angelis, & non attendentes, infinitatem, quam non habent Angeli, ad terminandam alienam naturam requiri.

Quartum Argumentū est pro secunda sententia, quia id nullā videtur implicare contradictionem, cùm ad hoc, in subsistentia non requiratur virtus infinita. Ergo &c. Resp. iam satis implicantia in nostris rationibus ostēsa est.

Quintum argum. (& est contra nostram secundam Conclusionem, quod proponit Hurtado) Subsistentia non est modus, sed res: Ergo poterit conseruari sine natura. Ergo sic conseruatam poterit vniri alteri naturæ.

Resp. primò negando, suppositum posse conseruari sine natura: sicut enim punctum sine linea, ita & suppositum sine natura etiam diuinitus conseruari non potest. Nec conuincit, quòd sit res; sunt enim multæ res, quæ separatæ nequeunt adhuc diuinitùs conseruari, siue ob intimam connexionem, siue ob debilissimam, & modali similem entitatem, quamuis reuera modi non sint, vt in mille exemplis videre licet.

Resp. secundò, quòd admisso adhuc, quod possit conseruari sine natura, negandum est, quod possit vniri, quia quando conseruaretur separatum à propria natura, retineret suam vnitatem numericam per ordinem ad illam: Si autem alteri vniretur, sicut esset terminus intrinsecus ipsius, nec qualiscunque, sed qui non est ex se, & essentialiter singularis, iterùm indiuiduaretur ab ipsa, & sic esset idem, & non esset idem, quod implicat.

Sextum pro tertia sententia, Gregorij de Valentia, est tale. Posset produci aliqua persona altioris ordinis ijs omnibus, qui de facto sunt producti, quæ eo ipso contineret subsistentias inferiorum ordinum. Ergo posset terminare illius subsistentia naturas alienas.

Resp. primò negando suppositum Antecedentis, quòd scil: sit possibilis aliquis ordo rerum, vltra productos à Deo, nam vt cōmuniter docent Thomistæ 1. p. q. 50. a. 1. defendentes rationem S. Doctoris, qua in illo Articulo vtitur; quamuis sint possibiles plures essendi modi intra eundem gradum, non tamen plures

gra-

gradus. Tùm quia ad perfectionem vniuersi spectabat, vt omnes producerentur: Tùm etiam quia supra gradum pure intellectualē, non videtur alius possibilis, quia hic maximè accedit ad Deum, quamuis ex participatione actus, & potentiæ intra eundem gradū (vt supra ex Caietano diximus) possint esse plures, & plures species, se inuicem in perfectione excedentes.

Resp. secundò, quod adhùc gratis admisso, non tamen concesso, possibilitatem huius personæ altioris gradus: negandum est, illius subsistentiam posse terminare alienam naturam: nam neque illam simul cum propria posset terminare; ad hoc enim, vt supra probatum est, requiritur virtus infinita; neq: diuisim, quia currit implicantia supra allata, etiam contra hanc creaturam altioris gradus: neq; illa continentia illam iuuaret inferiorum subsistentiarum, vt posset alienam naturam terminare, sicut & animæ rationali nullus concedet, quod possit constituere plantam, bouem, leonem, asinum, materias illorum informando, quamuis (iuxta sententiam valdè probabilem, quā sequuntur nostri Cōpluten: in lib: de Anima, disp. 4. q. 3.) vtrāmq; animam, sensitiuā nimirum, & vegetatiuam contineat formaliter eminenter.



QVAESTIO XI.

Vtrum de Potentia Dei absoluta possit aliqua natura creata, & substantialis existere sine omni subsistentia propria, vel aliena?

Occasionem huius quæstionis tractandæ dedit nobis Caiet: 3. p. q. 4. ad 2. §. ad quartum dicitur; soluens quoddam argumentum Scoti, quo ille probabat, Subsistentiam non esse aliquam entitatem positiuam, quæ aliàs esset separabilis à natura; possetque natura, saltem diuinitùs conseruari, & existere sine illa, dicit, quòd si sensus sit de potentia Dei absoluta (verba sunt Caiet:) fateor, nullam me vidisse impossibilitatis rationem, quarè non possit Deus naturam conseruare cum actu tantùm essendi miraculosè consequente, absque Personalitate, quæ est proprium ipsius subiectum secundùm naturæ ordinem, cui non est alligata potentia Diuina. Ex his Caiet: dictis moti sunt Metaphysici ad inuestigandum, nùm verè sit in hoc aliqua implicantia, quæ Caietanū latuerit; in qua difficultate duplex est opinio.

Prima asserit, nullam in hoc esse implicantiam. Ita Aluarez de Incarn: disp. 25. Nazar. 1. p. q. 50. ar. 2. contr. 2. & alij ex recentioribus Thomistis, qui sua scripta

non

non euulgarunt. Ex Neothericis Valentia to.4. disp.1. q.1. pun.2. §.nec obstat. Hurtad. in Metap. disp.9. sect.9. §.96. Ioa: de Lugo de Incarn. disp.12. sect.7. n.93.

Alij, qui putarunt speculationi suæ, & Caietano relictum locum, dùm non definitiuè pronunciet, non implicare contradictionem, sed fatetur tantùm, se nullam aduertisse, accuratiùs, subtiliusque naturam subsistentiæ, existentiæque ipsius naturæ librantes, non vnam, sed plures implicantias in hoc aduerterunt, si natura sine vlla subsistentia à parte rei existeret. Ità Cabrera 2. p. qu.4. art.2. disp.6. nu.10. Suarez in sua Met. disp.34. sect.6. n.25. & sequuntur Fonseca 5. Met: cap.8. q.9. sect.5. ad 4. Scoti.

Addit Aluarez loco cit. tertiã opinionem dicentium, posse aliquam subsistentiam creatam per solam manutenentiam Dei conseruari in rerum natura absque omni subsistentia, & existentia; quam sententiam excogitarunt Theologi, fugiendo vim illius validissimi Argumenti, quo probatur, potuisse diabolum solis viribus naturæ cognoscere euidenter mysterium Incarnationis iàm Incarnatione facta, cum Angelus, siue bonus, siue malus cognoscat naturas creatas, & naturalia comprehensiuè, videns naturam humanam Christi, non vidit ibi subsistentiam, & existentiam creatam, ergò cum sciret, nullam subsistentiam creatam, & existentiam posse alienam terminare naturam, euidenter intulit, quòd illa natura humana subsistit, & existit per subsistentiam, & existentiam increatam, quod est cognoscere euidenter mysterium Incarnationis. Hoc igitur Argumento constricti, nè rem tanti momenti refunderent in solam discretionem Angeli suspendentis iudicium circa conclusionem, ex tàm euidentibus principijs deductam, credendo, suum intellectum diuinitùs impediri, ne cognoscat, quod naturaliter potest (quã discretionem fortè malus Angelus non haberet, sed præcipitaret iudicium, & tunc respondendum esset Argumento, & explicare, quomodò non cognosceret adhuc in hoc casu mysterium Incarnationis) nè se in has angustias reducerent, non implicare aliquam naturam existere sine existentia, dixerunt; Sicuti etiã alij huius Argumenti vim refugientes, dixerunt, posse diuinitùs, subsistentiam creatam alienam terminare naturam, quorum opinionem quæstione præcedēti impugnauimus. Hæc ergo est secunda opinio, quam refert Aluarez, quam ego in præsenti refutare nolo, quia proprium locum habet in tract. de Existentia, vbi fusè ostendo, implicare contradictionem aliquam naturam à parte rei sine existentia existere, non minùs ac implicat, aliquod esse sine albedine album, vel calidum absque calore.

Dico igitur, implicare contradictionem, quòd aliqua natura creata existat sine propria, vel aliena subsistentia. Hanc senten-

tiam

etiam vltra Authores supra relatos, fuisse etiam Scoti in 3. dist. 1. q. 1. arbitror, nam ibi, velut impossibile, aliquid ex nostra sententia, qui subsistentiam in aliquo positiuo cōstituimus, sequi dixit, quod possit diuinitus conseruari aliqua natura sine subsistentia propria, vel aliena. Est verò hęc opinio, meo iudicio, euidenter S. Thomæ, idque colligo primo ex 3. sent. dist. 5. q. 3. ar. 3. ad 3. vbi docet, quòd si humanitas Christi dimitteretur, eo ipso resultaret ptopria subsistentia in ipsa: En verba S. Doctoris, *Separatio dat vtrique partium totalitatem, & in totinuis dat etiam esse in actu, vndè hoc ipso, quod hominē deponeret, subsisteret tùnc ille per se in natura rationali, & ex hoc ipso acciperet rationem personæ.* Et quamuis ibi S. Doct. nihil de potentia absoluta dicat, tamen infertur ex dictis etiam per respectum ad Diuinam potentiam à dimissa Humanitate debere resultare subsistentiam, Si enim sensisset, quod saltem de potentia absoluta posset conseruari sine subsistentia, vt adæquatè solueret difficultatem, debuisset dicere, quòd illa Humanitas, vel se in propriam subsistentiam explicasset, vel sine ipsa adhùc dimissa à Verbo per solam manutenentiam Diuinam conseruaretur, ergo cum S. Doct. dicat, quod hoc ipso, quòd dimitteretur à Verbo, subsisteret, planè sentijt, inter hæc, subsistere in alio, & per se, non dari medium, adeoque implicare, vt aliqua natura substantialis existat sine propria, vel aliena subsistentia, quod est dicere, quòd existat, nec per se, nec in alio. Et vrge, magis premendo illa verba S. Thom: Separatio dat vtrique parti totalitatem, & illa hoc ipso, quòd dimitteretur, subsisteret, quæ essentialem connexionem indicant inter dimissionem ab alia Persona, & resultantiam propriæ Personalitatis, quā adhuc magis confirmat exemplo quantitatis, quæ, vt omnes fatentur, essentialiter ex sola diuisione habet nouam terminationem positiuam.

Secundò mentem Angel: Doct: colligo ex illo loco 3. p. q. 17. a. 2. vbi in responsione ad 2. dicit, quòd esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed qua aliquid est. Quæ verba, si attentè considerentur, manifestè ostendunt, implicare contradictionem, vt aliqua substantialis natura à parte rei existat, siuè (quod idem est) conseruetur sine existentia, sine qua conseruari non potest, vt in Tract. de Existentia dicetur, ac per consequens, neque potest conseruari sine omni subsistentia, vel propria, vel aliena, quod, vt fundamentaliùs pateat, tali istud ratione deduco; sitque pro nostra Conclusione.

Ratio prima ex nuper citatis Angelici Doct. verbis desumpta. Natura de se non est susceptiuū existentiæ, sed solùm suppositum, ergo implicat, quòd existat sine omni subsistentia propria, vel aliena. Antecedens est D. Th. Consequētia verò probatur. Implicat, quòd forma aliqua recipiatur in

Digitized by Google

eo, quod non est susceptiuum ipsius, ergò si natura non est susceptiuum existentiæ, sed solum suppositum, implicabit, quod existentia recipiatur immediatè in natura, sed si aliqua natura existeret sine subsistentia, existentia reciperetur immediatè in Natura, ergò &c. quæ ratio adeò efficax est, vt certè mirum sit, quomodò Caiet. propugnans illud dictum S. Th. quòd natura non sit susceptiua existentiæ, dixerit postea, non implicare naturam existere sine subsistentia.

Respondebis fortè ex principijs Caiet: Natura non est susceptiuum existentiæ, secundùm cursum naturalem, benè tamen per potentiam Dei absolutam, quæ naturali rerum ordini non est alligata. Sed contrà est, quia quod repugnat alicui essentialiter, etiam diuitus ipsi communicari non potest, sed naturæ essentialiter repugnat, esse susceptiuũ existentiæ, ergò &c. Probatur minor, in qua est difficultas: Natura tantùm est, vt quo, sed illi, quod est tantum, vt quo, essentialiter repugnat recipere aliquod extrinsecum, vt ex supradictis patet; cum ergò existentia sit terminus extrinsecus, repugnabit, naturam esse susceptiuum existẽtiæ. Poteruntq; ad confirmationem huius minoris accommodari illa, quæ pro nostra assertione paulò inferius ex interminatione naturæ, & ex essentiali subordinatione existentiæ ad subsistensistentiam dicentur.

Resp. secundò ex Aluarez, supponendo id, quod præsupponitur ex parte subiecti, ad hoc, vt in illo aliquis actus recipiatur, esse in duplici differentia; Nam aliquandò est forma constitutiua subiecti in esse talis, sicuti forma substantialis constituit materiam, quia subiectum susceptiuum accidentium, & tunc actus habet essentialem dependentiam ab illo constitutiuo; Aliquandò verò est tantum connotatum, & complectiuum subiecti, vt conditio requisita ex parte naturæ, & hoc potest diuinitùs suppleri, & recipi forma in subiecto sine isto, & talis est, inquit, subsistentia, quæ nõ constituit naturam in esse naturæ, sed tantum est terminus completiuus illius, & conditio prærequisita ad receptionem existentiæ, & ideò supplebilis à Deo.

Sed contra est, nàm licet subsistentia non constituat naturam in esse naturæ, vt benè dicit Aluarez, constituit tamen illam in esse susceptiui existentiæ, quia, vt supra diximus, solùm suppositum est susceptiuum existentiæ; vndè, sicut natura per subsistentiam cõstituitur in esse suppositi, ità & in esse susceptiui existentiæ.

Neque illud obstet, quod innuit Aluarez, subsistentiam, vtpotè purum terminum, esse supplebilem à Deo, quia, vt inquit ille, nullam dicit imperfectionem; concedimus enim libenter, subsistentiam creatam supplebilem esse à Deo eo modo, quo suppleta fuit in mysterio Incarnationis, tribuendo scil. naturæ subsistentiam, & existentiem Diuinam, non

tamen ità est supplebilis (vt volunt Aduersarij) vt nimirum natura sine subsistentia existet, hoc enim implicat, vt diximus, & mox efficacius probabimus.

Probatur secundò nostra conclusio ratione desumpta ex nostris Complut. in lib. Phys. Implicat, materiam existere sine forma, ergò etiam implicabit, naturam existere sine subsistētia; ant: est commune in schola S. Tho: & patet ex nostris Compl. in Phys. disp. q. 6. consequentia verò probatur, quia ideò implicat, materiam existere sine forma, quia esset actu sine actu, seù, quod idē est, existeret sine existentia, quod exindè probant nost. Complut. quia cum ordo essentiæ sit prior essentialiter ordine existentiæ, & ad illum indispensabiliter supponatur, non poterit habere aliquid spectans ad ordinem existentiæ, nisi habeat illud, quod spectat ad ordinem essentiæ, qualis est forma substantialis, ergo cum ipsa substantia spectet ad ordinem essentiæ, tanquam intrinsecum complementum ipsius, non poterit haberi existētia, quæ est actus ordinis existentiæ sine ipsa, ac proindè si aliquid existeret sine subsistentia, esset actu sine actu, seù existeret sine existentia.

Probatur tertiò. Implicat aliquid esse per se, & non esse per se, sed si substantia aliqua creata existeret sine subsistentia, esset per se, & non esset per se, ergò implicat, aliquam substantiam creatam existere sine subsistentia. Probatur minor, nàm ex quà parte esset substātia, esset per se, cùm verò existeret sine subsistentia, non esset per se, esse enim per se in omnium sententia idem est, quòd subsistere; implicat autem aliquid sine subsistentia subsistere, sicut etiam existere sine existentia, ergò cùm illa substantia supponatur esse sine subsistētia, non potest concipi subsistens, & ex consequenti esse per se.

Respondet Aluarez, quòd in tali casu illa substantia non esset per se actu, vt rectè probat argumentum, hoc enim sine subsistentia implicat; esset tamen per se aptitudine; nec aliud petit esse substantię, de cuius ratione non est esse per se actu; sed aptitudine, sicut etiam de ratione Accidentis non est esse actu in alio, sed aptitudine tantùm. Ex quo infert, quòd sicuti per diuinam potentiam datur Accidēs à parte rei, quod non inhæreat actu substantiæ, ità etiam dari potest substantia, quæ actu non habeat subsistentiam, sed solùm existentiam substantialem cum aptitudine ad substantiam, quam ex natura sua petit habere.

Sed contra est; nàm licet de ratione substantiæ, absolutè, & secundum essentialia consideratæ, non sit esse actu per se, sed aptitudine tantùm, tamen de ratione substantiæ existentis, est esse actu per se, quod sic ostendo. Nàm esse per se, vel in alio, sunt immediatè opposita, vt omnes fatentur, & per se patet, nàm vnum includit immediatè negationem alterius, ergò iuxta

conditionem, & statum rei, de qua loquimur, vnum istorum necessariò debet competere ipsi; vndè, sicut cùm loquimur de rebus secundùm essentialia, quæ dicunt statum quendam potentialem respectu esse, omnis essentia necessariò, vel est aptitudinaliter per se, vel aptitudinaliter in alio (excepto quod actus non sit de essentia rei) ergò cũ loquimur de rebus, vt sunt sub statu existendi, omnis res debebit esse, vel necessariò in se, vel necessariò in alio: Vndè & ipsum accidens separatum à substantia, vt communiter docent Thomistæ cum D.Tho.3.p.q.77.c.1.ad 4. quia non est in alio, acquirit eo ipso, & ex vi eiusdem miraculosæ separationis modum essendi per se, vt ibidem contra Scotum ostendit Caiet: Neque sufficit ad hoc sola manutenentia Dei, vt existat absque addito aliquo modo, vt cum eodem Caiet: probant communiter Thomistæ, ergo, cum substantia existens non possit per vllam potentiam esse in alio, necessariò debet esse per se, & cum non sit in potentia ad esse, sed actu sit, non aptitudine, sed actu debet esse per se.

Scio aliquos, inter quos est noster Cornejo to.2. in 3.p.tract. 4. circa q.72. disp.1.dub.1.negare hanc vltimam consequentiam, seù potiùs suppositum in ipsa, quòd nimirum substãtia per nullam potentiam possit esse in alio; credunt enim illi, quod sicuti ad saluandum essentiam accidentis sufficit aptitudo ad inhærendum, & si actu nõ inhæreat, sed habeat modum essendi perfectiorem, & substantiæ proprium, ita etiam non est contra rationem substantiæ, quod actu inhæreat, dummodò retineat aptitudinem ad essendum per se.

Sed quã irrationabilis sit istorum opinio, facilè ostendo, supponendo, quòd cum loquimur de substantia existenti, loquimur de substantia totali, huic enim propriè competit existere. Tùnc sic arguo; nàm substantia totalis, vel est cõposita, vel simplex, sed vtriq; essentialiter repugnat esse in alio, tanquam in subiecto, ergo &c. Probatur min: nàm si sit composita, includit materiam, quæ, cum essentialiter sit primum subiectũ, essentialiter includit quoque repugnantiam ad essendum in alio, tanquàm in subiecto: Si verò sit simplex, erit forma per se subsistens, & per consequens repugnabit ipsi non solùm esse in alio, vt in subiecto, sed etiam vt formæ in materia, vt de Angelis communiter docent Theologi 1.p.q.61., & ne relinquatur circà hoc aliquis dubitandi locus ex parte formarum substantialium, non tamen subsistentium, dico, etiam in istis repugnare esse in alio, vt in subiecto inhæsionis; & ratio est, quia illæ formæ darent, & non darent esse substantiale sub subiecto; darent quidem, quia essent substantiales, non darent verò, quia supponerentur inhærentes, quod cum esse substantiali directè pugnat.

Sed quicquid sit, pro nùnc, pa-

rum,

Digitized by Google

tum, aut nihil ad nostrum casum conducit, possit nè, vel non possit substantia poni in alio, vt in subiecto inhæsionis, neque enim in hoc sensu disputatur hęc quæstio, quia etiam Aduersarij dicunt, extra omne subiectum illam substantiam fore tùnc considerandã, certè euidentior implicantia cernitur, quòd illa substantia existat, & non in alio, & tamen non existat per se, vt vult Aluarez. Hoc enim planè inintelligibile est, nã si non existit in alio, ergo existit in se, & per se. Quid enim quæsò ab illa inseitatem tollit, si non existit in alio? Dices fortè, defectus subsistẽtiæ; Et hæc est implicantia; sine subsistentia enim non potest esse in se, & ex alia parte, quia non esset in alio, deberet esse in se. Et vrgetur hoc magis exemplo quantitatis Eucharisticæ, ab ipso Aluarez allato, nàm eo ipso, quòd quantitati subtrahatur subiectum, in quo sit, datur ipsi statim modus essendi per se, vt ex D. Tho: diximus, & hoc non ob aliud, nisi quia implicat illam esse, & tamen non esse in alio, nec in se, ergo, cum supponas illam substantiam existẽtem, & non in alio, necessariò debes supponere esse in se, & per se, ac per consequens subsistentem, quia sine subsistentia non posset esse actu per se, vt etiam ipsi aduersarij fatentur.

Prob. 4. Implicat, aliquã naturã esse terminatam, seù cõpletam intrinsecè, & non esse terminatã, seu completam intrinsecè; sed si aliqua natura substantialis existeret sine omni subsistẽtia, esset terminata, & non terminata, completa, & non completa intrinsecè, ergo &c. Probatur min. nàm cum subsistentia sit vltimus terminus intrinsecus, complementumque intrinsecum naturæ, ex quo ipsã supponis carentem subsistentia, supponis ipsam intrinsecè non completam, & non terminatam; ex quo verò illam dicis existentem, supponis de necessitate terminatam, & completam intrinsecè, quod probo: tùm quia subsistentia, & existentia habentur à forma ordine quodam, ità, vt subsistentia natura sua prius sit, quàm existentia, ergo sicut ob istam subordinationem implicat, vt secunda passio dimanet ab essentia sine prima, v. g. Voluntas sine intellectu, ità implicabit dimanare existentiam sine subsistẽtia, ac proindè si dicis naturam existentem, supponis subsistentem; tùm etiam, quia, quando dicis nàturam existentem, dicis ipsam extra dependẽtiam omnium causarum, ergo habentem omnia à causis, quæ petit in ordine substantiali, sed petit subsistentiam in hoc ordine, ergò supponis, quod illam habeat, si existit, aliàs si existeret sine subsistentia, esset, & non esset extrà causas, penderetque, & non penderet ab ipsis; tùm denique, quia existentia est terminus extrinsecus; subsistentia verò terminus intrinsecus; terminus autem extrinsecus necessariò supponit intrinsecum.

QVAESTIO XII.

Vtrùm subsistentia possit produci principaliter à Causa secunda creata.

SVpponendum in primis, determinatum esse supra in hoc Tractatu secundo, quæst. 7. §.3. quid sentiendum sit de causalitate subsistentiæ respectu naturæ; nunc determinandum est de causa respectu ipsius subsistentiæ, potestnè habere aliquam causam creatam producentem se, idque principaliter; Et quia aliqui asserunt, subsistentiam causari ab essentia eo modo, quo causantur Passiones in genere causæ efficiētis, ideò simul vtrique puncto satisfiet in præsenti. Pro quo.

Supponendum secundò, non currere Quęstionem de Subsistentia immmaterialium, vt sunt v. g. Angeli, extra dubium enim est, sicut totam substantiam Angeli, ita & subsistentiam ipsius à causa prima principaliter produci. Procedit igitur quæstio de Subsistentia substantiarum materialium, & non vtcunque, sed illarum, quæ producuntur per generationem: (de illis enim materialibus, quæ fiunt per creationem, vt sunt v.g. Cœli, non est etiam difficultas, quod subsistentia talium, quæ creantur, causetur insimul per creationem à Deo) & sic sensus est: An subsistentia materialium, quæ generantur, possit produci principaliter ab Agente creato? Non debet autem sumi in titulo *Subsistentia*, prout intelligitur in abstracto, vel vt separata à naturis, quas afficit, sed vt est coniuncta, & applicata rei, quæ producitur, quia vt intelligitur abstracta, non potest causari *per se*, produci enim & fieri, est rei subsistentis, iam verò subsistentia in abstracto sumpta, non est res subsistens, aut existens, sed est actualitas, & id, quo res subsistere debet; hoc præsupposito.

Dico primò. Causa secunda creata potest producere principaliter subsistentiam. Prob. Quod potest principaliter producere suppositum, potest quoque producere subsistentiam. Sed causa secunda creata potest principaliter producere suppositum, ergo & subsistentiam: maior prob: quia cum subsistentia importetur in recto à supposito, & suppositum constituatur in ratione termini, *Qui*, Generationis, seù in ratione suppositi per subsistentiam, vt supra dictum est, & docent Complut: in lib. de Generat: taliter debet attingi subsistentia, qualiter suppositum; in tantum enim attingitur constitutum, in quantum suum constitutiuum, quandoquidem hoc, quod est constitutum, est per suum constitutiuum: minor patet inductione suppositorum materialium; Ignis enim v.g. est causa principalis alterius ignis, Leo leonis, Petrus generat Paulum, & sic de alijs, quæ per generationem producuntur; præcipuè, quia suppositum, quod per

generationem producitur nõ excedit in perfectione virtutẽ principij, sed est eiusdem perfectionis cum suo principio, & sic potest principaliter produci. Ergo &c.

Dices, si Petrus generaret Paulum, & ipsius subsistentiam creatam suppleat Personalitas increata, in tali casu Petrus erit causa principalis Pauli, vtpotè eiusdem naturę secum specificæ effectus, & tamen non erit causa ipsius subsistentiæ, siquidem hæc in dicto casu elset increata, consequenter Improducibilis. Ergo falsum est, quòd quãdo aliqua causa producit principaliter suum effectum, debeat etiam producere principaliter, & subsistentiam.

Resp: procedere argumentum de subsistentia effectus, quæ est attingibilis effectiuè ab Agente, effectum producente, non verò de illa, quæ non est effectiuè attingibilis, qualis est increata in posito casu; vnde sensus est, quòd causa attingens suum effectum; & subsistentiam eius; si semel attingit principaliter effectum, attingit etiam eodem modo subsistentiam: quòd si principaliter effectiuè attingat totum suppositum, non autem subsistentiam, ex eo quòd ab alio agente, cùm alia entitate producta sit, vt patet in subsistentia animæ rationalis, attingit tantùm illam, saltim quoad vnionem ad coniunctum, aut explicationem eius totalem; vnde quamuis aliquando non producatur subsistentia, potest tamen dici productum principaliter suppositum, si Agens solummodò vniat subsistentiam, & sic fit cùm generatur v.g. Homo, tunc enim subsistentia animæ per creationẽ producta vnitur, applicatur, & trahitur per generationem ad corpus.

Dico secundò. Subsistentia nõ fluit per dimanationem à natura. Colligitur ex S.Tho: 1.p.q.3.ar.4. & 3. contr.Gent: c. 22. &c.

Probatur primò. Ad dimanationem ab aliquo non sufficit, effectum sequi ad illud quomodocunque, vel ob aliquam connexionem, sed requiritur, vt sequatur tanquam ad ens in actu completo. Sed subsistentia non potest sequi ad naturam, tanquam ad aliquid in actu completo, (etiam in linea essentiæ,) Ergo non potest fluere per dimanationem: maior patet; dimanatio enim pertinet ad genus causæ efficientis, vt docent Complut: nostri in lib. 2. Physic: causa autem efficiens non producit effectum, nisi vt est ens in actu completo; vnũquodque enim agit in quantùm est in actu; minor prob: quia natura antecedenter ad subsistentiã non est ens in actu completo; subsistentia enim est vltimum complementum, vltimusque actus essentiæ substantialis intra lineam substantiæ. Ergo &c.

Probatur secundo; Quod dimanat ab alio habet se per modum termini secundarij, illud autem à quo dimanat, per modum primarij. Sed subsistentia non potest se habere, vt terminus secundarius respectu naturæ. Ergo non potest dimanare à natura. Maior

pa-

Digitized by Google

patet exemplo passionum, & proprietatum, quæ ideò dimanant ab essentia, quia essentia habet se respectu illarum, vt terminus primarius: ipsæ autem, vt secundarius ad illam comparantur; nec alio modo potest dimanatio vni' ab alio intelligi, nisi per istam comparationem termini primarij, & secundarij; minor prob: quia natura, seù essentia non potest esse sola terminus productionis, aut generationis, sed cum subsistentia simul constituitur in ratione termini primarij generationis; productio enim est rei subsistentis; vndè rectè à nost: Compluten: in lib. de Generat: concluditur, compositum ex natura, & subsistentia coalescens, seù, quòd idem est, suppositum esse terminum *Qui* generationis primarium.

Argumenta aliqua in contrarium soluuntur.

PRimum argumentum contra primam Conclus: causa secunda creata solùm potest producere aliquid per eductionem. Sed subsistentia non potest fieri per eductionem. Ergo non potest fieri à causa secunda: maior patet, quia actio causæ creatæ debet præsupponere subiectum: minor prob: quia ad eductionem requiritur, vt subiectum formæ eductæ presupponatur sub reali illius priuatione. Sed subiectum subsistentiæ non potest præsupponi sub reali priuatione subsistentiæ; natura enim, quæ est subiectum subsistentiæ ante subsistentiam est actu nihil. Ergo.

Resp: negãdo minorem, quamuis enim non educatur rigorosè, coeducitur tamen, fitq; cum transmutatione subiecti, quod sufficit. Ad probat: cùm dicitur, non pręcedere priuationem subsistentiæ in subiecto. Resp: respectu illorũ, quæ coeducuntur sufficit, priuationem præcedere in subiecto inadæquato v. g. in materia, eadem enim priuatio, quæ seruit ad eductionem potest seruire ad coeductionem illorum, quæ sequuntur formam, vt patet in accidentibus consequentibus rem genitam, sic ergo priuatio subsistentiæ præcedit in subiecto inadæquato.

Secundum argumentum. Forma concurrit actiuè ad ea, quæ consequuntur formam. Sed subsistẽtia consequitur essentiam, & naturã. Ergo producitur actiuè ab essentia. Maior patet ex illo principio. Qui dat formam, dat consequentia ad formam: minor patet ex supra dictis.

Resp. disting. maiorem, forma concurrit actiuè ad ea, quæ ipsam consequuntur, si sint ex illis, quæ consequuntur, tanquam termini secundarij, concedo, si sint ex illis, quæ consequuntur tanquam quid complens ipsam, & constituens in ratione termini primarij, nego, & talis est subsistentia, quæ consequitur essentiam, tanquam complementum essentiæ, constituitque illam in ratione termini primarij; hinc tamen non colligitur, quòd essentia actiuè concurrat, sed in genere causæ ma-

terialis receptiuæ.

Tertium argumentum contra secũdam Conclus:S.Thomas 3. p. q.17 ar.12.ad 1.dicit: *Hoc esse proprium Homini Christo, quod persona subsistens in humana natura eius, non sit causata ex principijs naturæ*. Ergo excipiendo personalitatem Christi, sentit de alijs personalitatibus, & subsistentijs humanis,quod causētur ex principijs naturę.Ergo cũ causari principijs naturæ, sit dimanare, sentit de alijs, quòd causentur per dimanationem excepta sola subsistentia Christi.

Resp.Ex ista authoritate non colligitur dimanatio, quæ aliàs deberet esse in genere causæ efficientis, sed tantùm colligitur differentia quædã subsistentiæ Christi ab aliis humanis, quoad hoc præcisè,quòd subsistentia Christi excludat omne genus causalitatis, aliæ autem createę admittunt saltem genus causæ materialis; vnde 2.contr.Gent:S.Doct:exemplificat in diaphano,dicens: *Formam esse principium essendi, sicut diaphanum est aeri principium lucendi*. Diaphanum autem non causat lucem in genere causæ efficientis, sed tantùm in genere causæ materialis. Sic ergo, & natura concurrit ad subsistentiam creatam, in genere scilicet causæ materialis.

Quartum argumētum. Si Verbum Diuinum dimitteret Humanitatem assumptam,statim in illa subsequeretur subsistentia creata propria humanitatis. Sed non per aliquam nouam actionem alicuius agentis. Ergo per dimanationem. Ergo natura erit causa dimanatiua subsistentiæ.|Maior cõmuniter admittitur à Theologis cum S.Tho:1.dist.5.q.3.a.3.ad 3. minor patet, quia non apparet, quæ esset illa actio,& quod agēs.

Resp.neg:minorem,ad probat: resp. In isto casu adesset antiqua actio, per quam humanitas Christi producta fuit, possetque dici virtualiter perseuerans in humanitate, tanquam in primario termino, sed cum actio ista sit Diuina, dicendum est, manere illam actionem formaliter in Deo, & quia illa actio, producendo humanitatem Christi, ab initio non communicauit subsistentiam humanitati præuenta à Verbo,quod per suam personalitatem terminauit humanitatem, sublata ista Verbi subsistentia, statim per actionem illam in humanitate poneretur, & ipsi communicaretur; non tamen resultaret per dimanationem.

QVAESTIO XIII.

Quomodò se habeat subsistentia respectu operationum,& an concurrat ad illas.

EXcitatur ista quæstio propter Vasquez, qui 1. Tomo 3. p. disp.21.c.3.dicit,subsistentiam,& suppositum concomitanter se tantum habere ad operationes;

de

de hoc ergo controuertitur, an scilicet subsistētia concomitāter, an per se concurrat, & si per se, quomodo, an, vt principium, & ratio operandi, an verò, vt complementum, vel terminus principij operandi? Igitur.

Dicendum primò. Subsistentia, & suppositum non se habent cōcomitanter ad operationes, sed per se (intellige in quarto modo dicēdi per se.) Probatur ex Arist: 7. Metaph: tex: 27. vbi docendo, generationem versari circa *hoc aliquid*, attribuit supposito per se actiones, & 1. de Anima tex. 64: dicit, quòd *Anima non irascitur, neq; ædificat, vel texit, sed homo, qui est suppositum*. Probatur deinde ex S. Thom. 1. p. quæst: 75. art. 2. & 3. par: quæst: 19. art. 2. 1. ad 3. & alibi sæpius, præcipuè quæst. 1. a. 1. dicente: *Actiones sunt suppositorum, & essentia non agit, sed est principium actus in supposito.*

Probatur ratione. Si suppositū, vel subsistentia haberet se solum concomitanter, & per accidens ad operationes, tunc sicut ista propositio, Album ædificat, est per accidens, sic & ista esset, *ignis calefacit*. Sed hoc est falsum. Ergo & illud. Maior patet; nam sicut in illa, albedo concomitanter se tantùm habet, sic & in ista haberet se ratio suppositi: minor probatur; suppositum est per se ens, non autem per accidens, vt patet. Ergo & per se operans, quia vnumquodq; est propter suam operationem, vt dicitur, & in tantum operatur, inquantum est in actu. Sicut igitur subsistens, vel suppositum est ens in actu per se, ita & operans per se. Ergo cum ignis calefaciens sit suppositum operans, cui debetur connaturaliter talis operatio, erit per se calefaciens, sicque falsum erit, quòd ista propositio, ignis calefacit, sit æquè per accidens, ac illa, Album ędificat.

Dicendum secundò. Subsistentia non influit ad operationes, vt principium *Quo*, aut ratio operandi, sed vt complens, & terminans rationem agendi radicalē, seù principium *Quo* operandi, reddensque illud operatiuum, vt *Quod*.

Prob. primò ex S. Tho: qui 1. distin: 5. quæst. 1. art. 1. dicit, *Humanitas non generat, sed Sortes virtute suæ naturæ*. Ex quo sic. Adueniente subsistentia humanitati, humanitas determinatur, & redditur in ratione principij generandi; addita enim ipsi subsistentia, fit concretum substantiale Homo, & suppositum, v.g. Sortes, qui generat, fitque Pater. Ergo subsistentia est determinans principium *Quo* operandi, & cōstituēs in ratione principii *Quod*, vt complens, & terminans.

Probatur secundò. Subsistentia primò per se ordinatur ad complendam, & terminandam naturam substantialem intra lineam substantiæ, sicut existentia intra lineam entis; & ita est tantùm complementum naturæ, & vltimus terminus, vt supra toties dictum fuit; ratio autem agendi importat potiùs complebilitatē

In

Digitized by Google

In ordine operatiuo à subsistentia, quid vltimum in tali linea ad illam ordinatum: Ergo subsistentia nō poterit esse ratio agendi, sed tantùm influet, vt complens, & terminans rationem agendi.

Probatur tertiò ex Mysterio Incarnationis. In Christo Domino tota ratio agendi operationum humanarum est creata, sicut enim omnes illæ, eo ipso, quia humanæ sunt, sunt creatæ, sic ratio ipsarum agendi debet esse creata, siquidem ab illa speciem sumunt, tanquàm à principio formali: Sed in Humanitate Christi non est subsistentia creata. Ergo ipsa neq; erit ratio agendi; ac per consequens cum eadem, sit ratio, quoad hoc, de alijs naturis substantialibus creatis; sicut in Christo subsistentia non est ratio agendi, sic nec in alijs erit. Ergo &c.

Argumenta in contrarium soluuntur.

PRimum Argumētum. Si subsistentia; vel suppositum haberent se per se, & non concomitanter ad operationes, tunc mutata subsistentia, vel supposito, mutarentur operationes, mutato enim principio operandi, mutatur operatio, siquidem operatio sumit sicut speciem, sic diuersitatem à principio; consequens est falsum: Ergo & Antecedens. Minor constat: eadem enim manet operatio in anima separata, ac erat in supposito, scilicet intellectio: Similiter in Accidente separato, eadem infrigidatio vel calefactio manet, quæ erat in coniuncto. Deinde si natura aliqua operans assumeretur à Deo, posset continuari eadem operatio, in tali tamen casu non esset eadem subsistentia, substitueretur enim loco creatæ increata: & hinc est, quòd Humanitas Christi subsistens subsistentia Verbi easdem operationes elicit, quas eliceret, si fuisset, terminata per propriam subsistentiam humanam. Ergo ex mutatione subsistentiæ non sequitur mutatio operationis.

Resp. negans sequelam. Ad probat: sc: mutato principio operandi, mutatur operatio: disting: Mutato principio proximo, seù quod est ratio agendi; Concedo; principio remoto, aut alio qualicunq; nego. Et cum dicitur: operatio speciem sumit à principio, qualicunque vel principio *Quod*; nego; à principio *Quo*, vel ratione agendi proxima; Concedo. Principium igitur *Quo*, seù ratio agendi proxima dat speciem operationi: Hinc est, quòd intellectio, seù visio sit eadem specie, si sit eadem ratio agendi v.g. lumen gloriæ; nec mutatur in specie, quamuis à diuersis principijs *Quod* procedat. Et sic non valent exempla; nam anima separata, quæ antea in supposito habebat intellectionem naturalem, addito lumine gloriæ intellectui, habet supernaturalem, cum lumen sit proximum principium

randi, & quamuis non sit suppositum, est tamen substantia per se subsistens, & id quod subsistit: Vnde subsistentia ex speciali ratione, via executionis, priùs competit animæ rationali, quàm toti per illam constituto, quamuis via intentionis priùs attribuatur toti, vt supra dictum est q. 8. §. 3. huius secundi Tractatus.

Instabis. Accidentia in Sacramento Eucharistiæ non habent subsistentiam, subsistere enim competit substantijs, & tamen possunt agere; v. g. si post consecrationem, ad calicem aliquid de vino recenti infundatur. Ergo subsistentia non requiritur ad operandum.

Resp: negando, agere, vel operari vt *Quod*, sed tantùm, vt *Quo*: agunt enim in virtute alterius, & tanquam virtus subordinata suo supposito, seù subiecto primo, quod in ipsis quodammodò virtualiter manere dicitur. Ex dictis genuinus sensus illius Axiomatis, *actiones sunt suppositorum*, colligitur.

Dicimus ergo, Actiones esse suppositorum, seù subsistentium; idest: Actiones non procedunt ab aliquo, quin priùs illud constituatur, & compleatur per subsistentiam in ratione principii *Quod*. Vbi non debet sumi principium *Quod* determinatè, scillicet pro importante naturam totalem, & completam, vt v. g. Homo, sed indeterminatè, siue sit substantia completa, siue incompleta, siue importet totalem, siue partialem naturam, dummodò sit per se subsistens, & compleatur per subsistētiam, & complebitur, & constituetur in ratione principii, *Quod*, vt patet in anima rationali, quæ licet sit substantia partialis, quia tamen subsistit per se, vt *Quod*, etiam in statu separationis, quamuis non sit suppositum, est tamen principium ex se operatiuum. Communiter tamen, & sine ista restrictione dicitur: *Actiones sunt suppositorum* (quasi de substātia totali, & completa intelligendo) quia communiter in omnibus aliis naturis, excepta intellectiua, nihil subsistit, nisi suppositum.

Quòd autem iste sensus sit legitimus Axiomatis supradicti, optimè probat Ioannes à S. Tho. in Physic: q. 7. de Subsist. a. 3. vbi dicit: Actiones esse suppositorum, nihil aliud esse, nisi subsistentiam per se requiri ad hoc, vt detur principium operatiuum, vt *Quod*. Probat & P. Blasius disp. 8. quæst. 6. Vasqueziū impugnando egregiè, multùmque ipsi Thomistica Schola deberet, si existentiam pro constitutiuo suppositi ibidem non poneret. Sed quidquid sit, optimè pro istius Axiomatis explicatione citat Ioannem illum Theologum disputantem contra Græcos in Concilio Florentino Sess: 18. *Actiones, iuxtà omnium Philosophorum Scholam, suppositorum esse videntur, vt in hominum genere videmus: Quamuis enim* hic homo, *hoc est*, Persona, *vel* Suppositum *generet, eius tamen substantia eiusmodi generationis principium est, quandoquidem*

Digitized by Google

Actiones suppositorum sunt, *quæ quidem substantia, vel essentia in homine, cùm sit humanitas humanæ generationis principium existit, quo generat hominem,&c.* Et paulò post idem Ioannes dicit: *Quomodò igitur intelligēda est hæc propositio: Iacob est ex natura Isaac: Non potest intelligi, vt sit ex natura Isaac, veluti* Supposito *agente quoniam* actiones sunt suppositorum, & hypostasium, *ex natura verò Isaac, à principio tribuitur Iacob,&c.* Vnde Vasquez disp.21. cap.21. negans istud axioma, ex eo quia Aristot: dixit: *Actiones sunt singularium*, frustrà conatur esse singularis, debet enim intelligi Aristoteles de subiecto Actionum, non de principio, idest, non versantur circa Vniuersalia, sed circa singularia, vt patet ex textu ipso. Neque etiam prædictum axioma: *Actiones sunt suppositorum*, colligitur ex illo solo loco: *Actiones sunt singularium*, vt putat Vasquez, sed etiam ex alio Arist: de An. tex:64. vbi dicitur: *Anima non irascitur, neque ædificat, nec texit sed homo*. Vsus est quoque isto axiomate, *Actiones sunt Suppositorum*, præter prædictū Theologum, S.Thom: in 1. dist.5. q.1. ar.1. & de Verit: quæst.20. art.2. ad 3. & in alijs locis.

Dices. Ratio ista Theologi nō est definita à Concilio Florent:& sic nihil valet, nec debet citari, tanquàm authoritas Concilij.

Resp: multùm valere, quamuis enim expresśè non sit definita, colligitur tamen, esse virtualiter definitam, quia Patres Concilij Florent: illa ratione Theologi ducti fuerunt ad definiendam Processionem Spiritus S. à Filio, & sic ipsam quasi approbarunt. Et hæc de Subsistentia dicta sufficiant.

DISPVTATIO SEXTA.

De Existentia.

QVia Natura, seu Essentia redditur per subsistentiam in ratione susceptiui existentiæ, priùsque ista ratio, & capacitas ad existentiam in natura intelligitur, quàm ipsa ratio existentię, ordo postulabat, vt priùs tractetur de subsistentia in disputat: præced: & posteà instituatur disputatio sequens de existentia.

QVAESTIO I.

An, & quid sit Existentia?

QVantum ad quæstionem de *An est* existentiæ, nulla est controuersia, tàm certum enim est dari existentiam, quàm certum est, me esse scribentem, dum scribo, de esse existentiæ: quantum verò ad *Quid est* existentiæ, explicanda potius est ipsius quidditas, quam difficultatibus argumentorum inuoluenda. Explicāt ipsam aliqui sic: existentia est quædam realitas recepta in ipsa re, non vt accidens, aùt forma, sed

Digitized by Google

sed vt actualitas vltima pertinens reductiuè ad genus, & speciem rei existentis, & realiter ab ea distincta. Pro quo.

Supponendum est primò cum Nazario, 1.p. qu.3.ar.4. contr.1. existentiam dupliciter posse considerari; vel secundùm rationem suam formalem absolutè sumptã, vel secũdùm speciales ipsius modos,& rationes quasi differentiales. Priori modo sumpta existentia astrahit ab existentia Dei, & creaturarum, Substantiæ,& Accidentis,propria, & aliena: cui sic sumptæ quatuor competunt conditiones, duæ positiuæ, & duæ negatiuæ: prima conditio positiua est, vt existentia secundùm se sit aliquid reale,& quodammodò intrinsecum rei existenti, idest afficiens realiter rem existentem, sicque illam denominans. Secunda conditio positiua est, vt existentia sit vltima actualitas,complementum, siuè id, quod est actualissimum, & formalissimum in re; & hanc conditionem D. Thomas innuit 1.p. q.4. ar.1. ad 3. dicens: *ipsum esse est actualitas omnium rerum.* Tertia conditio,& hæc negatiua est, vt *esse* absolutè sumptum non sit accidens, aliàs Deo vera ratio existentiæ non posset competere (quod falsum est) in quo nullum potest accidens inueniri. Quarta conditio similiter negatiua est, vt præfatũ *esse* ex sua ratione formali non exigat recipi in re existente, tanquàm actus in potentia: alioquin esse Diuinum, quod est verum *esse*, non esset irreceptũ, & per se subsistens, quod est contra illud. *Ego sum,qui sum.*

Secũdo modo existentia sumpta, prout scilicet dicit speciales modos, & rationes quasi differentiales, diuiditur iuxta diuersitatem ipsorum. Diuiditur enim primò in increatam existentiam, & creatam: *Creata* in existentiam Substantiæ, & Accidentis: existentia substantiæ in existentiam propriam, & alienam, existentia verò *Accidentis* in existentiam connaturalem, quæ sibi connaturaliter debetur, & supernaturalẽ, qualis est in quantitate augustissimi Eucharistiæ Sacramenti. In præsenti agetur de Creata.

Supponendum secundò,existẽtiam creatam communiter ab authoribus definiri sic; *quod sit id, quo res formaliter ponitur extra Causas.* In qua definitione,quamuis ferè omnes conueniant,differũt tamen in explicatione ipsius; aliqui enim dicunt addendas esse particulas *Completè*, & *vltimò* post ly *extra Causas*; aliqui negãt esse addendas,existimantes,etiam in ipso fieri, & egressu essentiæ actualis à suis causis dari existentiam formalissimè, per quam ex dictis causis extrahitur essentia, quod tamen de essentia in illo priori causalitatis non potest intelligi, siquidem tùnc non intelligitur existens reduplicatiuè,sed specificatiuè, sed vt alias existẽs, de quo infra; quidquid tamen sit, certum est, subintelligendas esse, quamuis non addendas,prædictas particulas; eò enim ipso, quòd existẽtia formaliter ponat

Digitized by Google

rem extrà causas, intelligitur cõplere rem in se ipsa, non vtcunq; sed, vt actus vltimus, & vt complementum vltimum consequenter debet intelligi res posita extra causas completè, & vltimò; vndè non dicitur extra causam, sed extra causas absolutè, vt sit sensus, rem debere poni extra omnes causas, omnesque dependentiæ modos per existentiam; quamdiù enim restat aliqua causalitas, vel dependentia, non intelligitur res completè, & perfectè existens, vel posita extrà causas. Admissa igitur ista descriptione existentiæ creatæ, ab authoribus recepta, affertur alia descriptio existentiæ, vt sic, ex S. Thoma, omissis alijs.

Dicendum igitur primò, existentiam, vt sic, à Diuo Thoma, quæst: vnica de Anima art. 2. ad 2. rectè sic definiri. *Esse* (intellige existentiæ) *est actus vltimus, qui participabilis est ab omnibus, ipsum autem non participat*, quæ definitio per accommodam distributionẽ existentiæ, tàm creatæ, quàm suo modo increatæ, potest competere; increatæ secundùm primas particulas; Creatæ verò secundùm posteriores. Ponitur in descriptione ly, *Actus*, loco rationis superioris, competẽtis tàm primis, quàm secundis, tàm vltimis, quam non vltimis actibus, ly autem *vltimus* loco rationis differentialis; & sic sensus est, existentiam ita esse vltimum actum, vt à nullo possit esse actuabilis, & in linea actualitatis rei ità esse quid vltimum, vt respectu nullius possit comparari; vt susceptiuum, quin potiùs respectu omnium habet se, vt formalissimum, & actuatiuum, vt enim S. Tho: docet, quæst. 7. de Potent. art. 2. ad 9. *Esse est actualitas omnium actuum, & perfectio perfectionum*: & idem 1. p. q. 3. a. 4: in c. dicit: *Esse est actualitas omnis formæ*: & rursus 1. p. q. 4. ar. 1. ad 3. *Esse est perfectissimum omnium; cõparatur enim ad omnia, vt actus, &c. Vnde non comparatur ad alia, sicut recipiens ad receptum, sed magis, sicut receptum ad recipiens.* quia verò aliqui Philosophi ex antiquioribus, circà *Quid est* existentiæ discurrentes, genus illius referunt ad Prædicamentum accidentis prædicamentalis, ideò contra illos.

Dicendum secundò, existentiam creatæ substantiæ esse accidens prædicabile, non autẽ prædicamentale. Ita S. Tho: 4. Metap: lect. 3. dicens: *Esse quamuis sit aliud ab eius Essentia, non tamen est intelligendum, quod sit aliquid superadditum ad modum Accidentis*, subinfer, prædicamentalis. Hoc idem docet, & in 1. dist: 3. q. 4. a. 2. ad 2. & alibi passim.

Probatur prima pars Conclus. Illud, quod non est de essentia rei, nec cum illa necessariam habet connexionem, est accidens prędicabile respectu talis rei. Sed existentia Substantiæ creatæ non est de essentia ipsius (de solius namque Dei essentia est existentia, cùm eius essentia sit suum esse) nec etiam necessariam habet connexionem cum essentia;

exi-

Digitized by Google

existere enim contingenter competit essentijs rerum, cùm possint non existere, & de facto aliquando non extiterunt. Maior prob: quia, quod non habet necessariam connexionem (etsi aliquam habeat) cum essentia rei, nec est de essentia ipsius, contingenter competit ipsi, consequenter tanquam accidens prędicabile, quod potest adesse, & abesse respectu ipsius.

Secunda verò pars concl: probatur sic. Accidens prædicamentale non potest communicare esse simpliciter substantiæ, sed tantùm esse secundùm quid; nam sicut ipsum est ens secundùm quid, ita esse illius entitatiuè accidentale communicatum erit esse secundum quid. Sed existentia propria substantiæ est ipsa communicatio *esse* simpliciter, quod habet substantia, siquidem *esse* substantiale est esse simpliciter, vt omnes fatentur, hoc autem *esse* est ipsa existentia substantialis. Ergo existentia substantialis non est accidens prędicamentale, consequenter existentia est quid substantiale, non autem entitatiuè accidens, nisi fortè prædicabile.

Secundò eadem pars conclus: prob: Actus adæquatus, & potentia illius debent ad idem genus pertinere, & ad eundem ordinem iuxtà Aristot. 5. Physic: & ideò quia actus operandi pertinet ad genus accidentis, estque ipsum operari entitatiuè accidens, potentia immediatè, & proximè operatiua non potest esse substantia. Sed existẽtia substantiæ creatæ habet rationem actus adæquati respectu essentiæ, vt dictum est supra. Ergo ad idem genus pertinebit, ad quod pertinet essentia Substantiæ, eiusdemque ordinis erit cum essentia. Subsumo, sed essentia pertinet ad prædicamentum substantiæ, non autem accidentis. Ergo & existentia pertinebit ad prędicamentum substantiæ, eritque aliquid substantiale, non autem entitatiuè accidens, ac proindè nec prædicamentale.

Ad argumenta in contrarium respondetur.

PRimum Argum: est contra primam Conclus. Ratio aliquo modo potentialis nequit esse actus vltimus, qui debet esse quid formalissimum, vt patet. Sed existentia est ratio aliquo modo potentialis. Ergo &c. Maior patet. Minor prob. ratio vniuersalis est aliquo modo potentialis, cùm vniuersale sit contrahibile per rationes inferiores: contrahibile autem respectu contrahentis est aliquo modo potentiale, vt patet in animali respectu rationalis. Sed existentia est ratio vniuersalis, quinimmò est quid vniuersalissimum, cùm sit actus in toto genere entis, quod est transcendens. Ergo &c.

Resp. negando minorem; ad probat: disting: maior. ratio vniuersalis est potentialis, si fuerit vniuersalis per modum perfectibilis ab alio. Concedo. Si fuerit per modum perfectiui, & quasi actuatiui respectu aliorum. Nego.

Et

Et taliter *esse*, est ratio vniuersalis, non vt perfectibilis, sed potiùs cæterorum ratio perfectiua, actusque omninò vltimus rerum, & sic non potest dici ratio potentialis, potestq; afferri istius exẽplum; tũ in creatis, tùm in Diuinis. In Diuinis quãuis enim natura Diuina, non quidem logicè, aut cum fundamento in re, sed ex solo imperfecto nostro modo concipiendi) respectu Personarum Diuinarum concipiatur esse communis, & quasi vniuersalis, non tamen est vllo modo potentialis, sed actus: deinde in creatis ratio specifica atoma respectu suorum indiuiduorum est vniuersalis, & tamen secundùm huiusmodi conceptum non est potentialis, quia non est perfectibilis à suis contrahentibus, quin potiùs imperfectibilis, (vt sic dicam) & materializabilis per illa. Sic ergo & *esse*, seu existentia, licet sit vniuersalis, cùm sit ratio communissima, quia tamen est vniuersalis vniuersalitate perfectiua, & actus, non autem perfectibili ab alijs, non est ratio aliquo modo potentialis.

Secundum Argum: contra secundam conclus. S. Tho. in diuersis locis, sicut Quodlib. 2. q. 2. a. 1. & alibi sæpè, *esse* vocat accidens. Ergo ex mẽte ipsius *esse* non erit aliquid substantiale, sed accidentale. Deinde probatur. Quod potest adesse, & abesse ab aliquo, est accidens, & contingens respectu ipsius. Sed *esse* potest abesse, & adesse essentiæ creatæ, cùm non semper existat, semper autem essentia rationem essẽtiæ retineat, quà essentia, vt supra ostensum: Ergo esse erit accidens.

Resp. ad Authorit. D. Thom: Doct. S. loqui de accidente prædicabili tantùm, non autem prædicamentali. Quod autem hæc sit mens ipsius, patet, cùm seipsum explicans loco citato dicit, existentiam ideò esse accidens, quia est extra essentiam rei: ex quo non licet inferre, quòd huiusmodi accidens debeat esse prædicamentale: in circulo enim aureo aurum est extra essentiam circuli, quandoquidem circulus, & aurum sunt diuersorum prædicamentorum, sicque accidentaliter conuenit circulo esse aureum, cum possit etiam esse plumbeus circulus, & tamen aurum non est accidens prædicamentale, siquidem pertinet ad prædicamentum substantiæ: Ex quo iam manifestè patet, quid sit dicendum ad rationem in contrarium allatam; illa namque solùm probat, Existentiam esse quidem accidens, sed prædicabile, non verò prædicamentale; allata quandoquidem definitio est accidentis prædicabilis.

Tertium argumentum. Ratio substantiæ est esse per se. Ergo nec esse aliquid substantiale. Maior patet ex definitione substantiæ. Minor prob. esse in alio non est esse per se. Sed existentia creata est in alio, cum recipiatur in essentia creata. Ergo, &c.

Respõdetur disting. maiorem: Ratio substantiæ est esse per se, vel vt *Quo*, vel vt *Quod*; conceditur, solum vt *Quod*; negatur. Similis

Digitized by Google

militer distinguitur minor; Existentiæ non competit esse per se, vt *Quod*; conceditur, vt *Quo*; negatur. Ergo &c. neg. conseq: Ad probat: in contrarium resp: esse in alio per modum actus communicantis esse simpliciter, non est essentia per se, vt *Quo*, negatur; vt *Quod*, conceditur; & eodem proportionali modo distinguenda est minor; aliàs sequeretur, quòd nec forma substantialis esset substantia, quia ipsa recipitur in alio, scilicet materia prima; quia tamen communicat *esse* simpliciter toti composito, & materiæ, hinc est, quòd sicut totum compositum habet esse per se, vt *Quod*, sic & illa saltim, vt *Quo*. Hoc ergo idem, & de existentia proportionabiliter sentiendũ est.

QVAESTIO II.

Vtrùm Existentia creata distinguatur ab Essentia: & qualis sit ista distinctio realisnè, an modalis?

SVpposita, & reuocata doctrina Complut: in Log: disp.3. q.4. de distinctione reali, & modali, variæ sunt sententiæ circa præsentem difficultatem. Aliqui tenent, distingui sola ratione ratiocinata, vt Duraudus, Suarez, Vasquez: Aliqui realiter modaliter, vt Soto, Molina. Alij ex natura rei, seu formaliter, vt Scotus, & eius sequaces. Alij deniq; realiter, & tamquàm rem à re distinguunt, vt D. Thomas, & eius discipuli Capreolus, Bannez, Nazarius, &c. quos refert, & sequitur noster P. Blasius lib. 1. suæ Metap: disp. 6. q. 1. §: 1. Pro cuius difficultatis resolutione.

Dicendum est primò. Existentia creata ab Essentia distinguitur realiter. Sic colligitur ex Aristot: lib. 2. de demonstrat. cap. 7. vbi dicit: *Esse verò nulli est substantia*, hoc est, *Essentia*. Ergo ex mente ipsius essentia non est eadem cum existentia.

Probatur ex S. Tho: opusc. 48. Tract. de substantia cap. 2. vbi sic loquitur: *Esse essentiæ*, & *esse actualis existentiæ differunt realiter, vt duæ diuersæ res*. Item quodlib. 2. ar. 3. sic inquit: *In qualibet creatura est aliud ipsa creatura, quæ habet* esse, *& ipsum* esse *eius*. Et 1. p. q. 50. ar. 2. ad 3. & alibi passim.

Probatur ratione impugnando absolutè identitatem, quam adstruunt Aduersarij. Nullum *esse* creatum est infinitum. Ergo nullum *esse* est idem cum essentia. Anteced. patet. Consequ: prob. Esse, quod est idem cum Essentia est infinitum, quia est esse irreceptum; esse autem irreceptum est infinitum, quia esse irreceptum caret limitatiuo sui, caret enim potentia receptiua, quæ est limitatiuum actus, cum vnumquodq; limitetur per suum oppositum, quod hìc non inueniretur: Ergo cum esse, quod est idem essentiæ, careret potentia receptiua sui, nec haberet limitatiuum, vtpotè nihil oppositionis, & distinctionis

habens cum potentia, esset infinitum. Ergo cùm nullum esse creatum sit infinitum, nullum erit idē cum essentia, sed distinguetur ab ipsa.

Respondet Suarez, quod ly *irreceptum* stat dupliciter; vel irreceptum in alio; vel irreceptum ab alio. Vtraque autem receptio huic vtrique irreceptioni opposita pugnat cum infinitate. Ergo adhuc, quòd *esse* creaturæ, si esset idem cum essentia, esset irreceptum in alio, (quamuis ille dicat, illud recipi in supposito: quod impugnabitur statim in secunda ratione pro eadem Concl:) tamen non erit irreceptum ab alio, & sic finitum. Quòd si vrgeas, & quæras ex eodem Authore: vnde prouenit illa finitas *esse* recepto ab alio? Respondet ille, prouenire ex libera determinatione Dei causantis illud *esse*, qui vniuersis Creaturarum essentijs, illarumq; perfectionibus, & actualitatibus certos, & determinatos terminos præfixit.

Sed hæc solutio duo inuoluit manifestè falsa. Primum est *esse* irreceptum in alio, si semel est receptum ab alio, non esse infinitum. Secundum est, quòd *esse*, illud, quod est irreceptū in alio, possit esse receptum ab alio. Primi falsitas probatur sic. Agens infinitè perfectum, qualis est Deus, à quo tu dicis Creaturas suum illud *esse* accepisse, communicat rebus perfectionem, cuius sunt ipsæ capaces; aliàs si non communicaret illis omnem perfectionem, cuius sunt capaces, illud imperfectionis, quod in illis esset, in solum Deum reduceretur. Sed *esse*, quod est irreceptum in alio, petit perfectionem infinitam, quia non habet limitatiuum sui; ergo deberet illi communicari perfectio infinita. Ergo non tollit ab illo *esse* infinitatem hoc; quod est, esse receptum ab alio, si in alio receptum non est.

Secundi etiam falsitas ostenditur sic. Habere esse receptum ab alio dupliciter potest intelligi; vel ab alio, vt à principio; vel ab alio, vt à causa; Distinguitur autem hic duplex receptionis modus, quia, vt inquit S. Thomas 1. p. q. 33. ar. 1. in corp. habere esse ab alio, vt à principio non tollit identitatem inter principium, & id, quod est à principio; quam identitatem nomen causæ tollit, quia in omnibus causarum generibus semper inuenitur distinctio inter causam, & id cuius est causa. Quærimus ergo ex P. Suarez, quomodò intelligit illud suum dictum, quod illud *esse* irreceptum in alio sit ab alio? Si dixerit, quòd est ab alio, vt à principio; per hoc non saluat, quòd non sit infinitum, quod tamen ille saluare intēdebat: Ecce enim Filius in Diuinis accipit esse à Patre, vt à principio, & tamen quis dicet, *esse* Filij hoc modo acceptum ab alio esse finitum, & limitatum? nàm aliàs non esset Diuinum. Si verò dicat, illud habere esse ab alio, vt à causa: Contra est. Habere *esse* ab alio, vt a causa, importat distinctionem inter causam, & causatum, vt di-

ctum

ctum est: Esse autem irreceptum non potest habere principium distinctiuum sui, vt ostendetur in ratione secunda. Ergo,&c. Deinde si *esse* per se subsistens, & irreceptum esset causatum ab alio, haberet hoc in quantùm *esse* est, quia, vt dicemus in sequenti ratione, in *esse* irrecepto nihil est, præter ipsum *esse*. Sed *esse*, in quãtum *esse* est, non potest competere, vt sit causatum aliàs hoc competeret omni *esse*, & sic ipsum etiã *esse* Diuinũ esset *esse* causatũ, quia quod competit formæ, vt talis est, competit omni formæ, & omni participanti ipsam, vt dicunt Philosophi. Ergo &c.

Probatur secundò Conclusio. Quælibet substantia, & essentia creata habet sibi annexum aliquid, præter suum *esse*. Sed si esset idem cum suo *esse*, nullo modo posset habere aliquid annexum, præter se, aut suum esse. Ergo non potest identificari cum suo esse, & existentia: Maior patet inductiuè in omnibus substantijs creatis materialibus, & immaterialibus. Materiales enim substantiæ, præter se, & suum esse substantiale, habent sibi annexum v. g. quantitatem, albedinem: Immateriales quoque substantiæ habẽt sibi annexum Intellectum, Voluntatem, & actus ipsos intelligendi, volendi, &c. Minor probatur. Esse irreceptum non potest habere aliquid aliud sibi annexum, pręter se. Sed illud esse substantiale esset Irreceptum; cum enim sit idem cum essentia, sicut essentia est irrecepta, ita & esse erit irreceptũ. Ergo &c. Maior ostenditur, quia si illi *esse* e.g. Sortis annecteretur v.g. *esse* albi, deberet hoc illi aliquando adunari: sed esse Sortis, & esse albi nullo modo possunt adunari: vel enim adunarẽtur per identitatem; & hoc non; esse enim Sortis nunquam est esse albi, nec potest esse, cum illud sit substantiale, hoc accidentale. Neque adunabuntur, vt actus, & potentia, quia cùm esse sit vltima actualitas, non potest comparari ad aliquid, vt potentia. Neque adunabũtur in vno subiecto, non enim habent commune subiectum, quia non recipiuntur; ideò autem adunarentur, quia reciperentur, & sic negato communi subiecto, vtrique negari debet adunatio, quia quotiès affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis. Ergo cum non sit excogitabilis alius modus vnitatis, absolutè non adunabitur illud annexum.

Respondet P. Suarez, esse substantiale non esse *esse irreceptum*, quamuis sit idem cum essentia; recipitur enim in supposito, & sic ratione istius receptionis potest esse idem cum alijs, quæ in eodẽ supposito recipiuntur: Sed

Contra est. Secundùm P. Suarez *esse* est idem cum essentia: Sed essentia non recipitur in supposito. Ergo neque *esse*: aliàs idem reciperetur, & non reciperetur. Consequ. patet. Minor prob: suppositum nihil est aliud, quam Natura, seu Essentia subsistens: sed natura non potest recipi in

se ipsa, vt patet. Ergo neque in suppositο.

Dices in fauorem Suarez, Naturam recipi in ipsa subsistentia, à qua habet, vt sit suppositũ. Sed

Contra est. Id, in quo recipitur Natura, habet rationem causæ materialis respectu ipsius. Sed subsistentia non potest habere rationem causæ materialis, quia subsistentia est purus terminus; terminus autem purus nullam causalitatem dicit, vt patet in punctis respectu Quantitatis, & ex illis, quæ supra dicta sunt. Ergo &c.

Probatur tertiò. Quando aliquod prædicatum reale conuenit alicui, itaut nec sit illi essentiale, nec cum ipso intret essentiam, & constitutionem alicuius tertij, nec ab eadem forma proueniat, sed potiùs ab aliquo principio totaliter extrinseco, tunc tale prædicatum distinguitur realiter ab illo, cui competit: Sed hoc modo se habet Existentia creata respectu Essentiæ sibi correspondentis. Ergo existentia creata ab essentia distinguetur realiter. Maior constat, quia huiusmodi prędicatum caret omni principio identificationis realis, vt discurrenti patebit. Ergo non potest non distingui realiter, aliàs haberet principium suæ identificationis: Vnde licet respectu animalis rationale v.g. sit accidentale prædicatum, cum sit extrà conceptum eius, & nihilominùs realiter identificentur, hoc prouenit ex eo, quia vtrumque intrat constitutionem, & essentiam alicuius tertij, scilicet Speciei, ab eademque forma, scilicet Anima rationali proueniunt. Minor autem prob: nàm in primis Existẽtia est prædicatum reale, quia effectus ipsius formalis, ponere scilicet rem extra nihil, & extra causas, est quid reale, & physicũ, vt patet. Ergo & ipsamet forma, seù Existentia, cuius est eiusmodi effectus formalis est quid reale, quandoquidem effectus formalis est ipsamet, vt communicata.

Deinde non est prędicatum essentiale respectu cuiuscunq; creaturæ; cùm contingenter ipsi competat, ita vt possit illam creatura habere, & illa carere, vt in præcedenti quæst: ostensum est; nec constituit aliquid tertium essentialiter, cui taliter competat; aliàs alicui creaturæ necessariò competeret existentia, tanquam prædicatum æternæ veritatis, cùm tamen hæc propositio v.g. Petrus existit, nequeat esse æternæ veritatis. Tandem ab extrinseco omninò principio communicatur, scilicet ab agente; nam existentia creata est ipsa productio agentis passiua in facto esse considerata, seu ipsum poni rem extra causas, & licet aliqualiter etiam à forma dicatur procedere, tanquam effectus formalis secundarius; hæc tamen est insufficiens ex se causa ipsius: totalis autem, & adæquata est productio agentis, quod ita producit formam, vt etiam superaddat ei existentiam, & quia illam superaddendo formæ attingit mediante ipsamet forma; hinc

est,

est, quod existentia aliqualiter etiam ipsius formæ dicatur effectus, licet secundarius. Ergo de primo ad vltimum omnia ad distinctionem realem vnius ab alio concurrentia in maiori enumerata, competunt existentiæ creatæ respectu essentiæ, ac proinde modo explicato habet se existentia creata respectu essentiæ creatæ. Sed

Replicabis. Etiamsi aliquod prædicatum alteri accidentaliter competat, non sequitur, quòd debeat esse realiter distinctum ab illo cui conuenit. Ergo etiamsi existentia creata competat essentiæ creatæ tantum accidentaliter, non rectè infertur, quòd debeat esse distincta ab illa realiter. Anteced. patet tùm in exemplo superiùs posito, scilicet rationali, quod conuenit animali accidentaliter, & tamen realiter identificatur, tùm in ista prædicatione, hoc vas est ligneum, vbi prædicatum est accidentale, & tamen realiter identificatum cùm subiecto, cùm tale vas realiter sit lignum. Ergo &c.

Resp. ex dictis patet, quid sit dicendum ad hanc replicam; quãtum enim ad illud de rationali, & animali constat ex supra dictis; Vtrumque enim istorum ordinatur ad constituendum essentialiter aliquod tertium, quod non facit existentia. Quantum verò ad prædicationem illam, scilicet hoc vas est ligneũ, dicimus quod vas non dicit solum lignum, sed lignum cum forma artificiosa, & quia forma artificiosa est realiter distincta à ligno, sicut accidens à substantia, hinc est, quòd in allata prædicatione prædicatum à subiecto realiter distinguitur: quod autem existentia creata superueniat essentiæ, non sequitur, quòd debeat esse accidens prędicamentale ipsius, non enim superuenit, vt completæ, & vltimò constitutæ in esse, sed potiùs vltimum cõplementum tribuit ipsi, tanquam vltima actualitas, & vltimus terminus omnium essentialium rationum ipsius, & ideò reductiuè pertinet ad genus essentiæ, & entitatis, quæ existit.

Hæc quantùm ad primam partem quæstionis: quantùm verò ad secũdam qualisnam sit distinctio inter Essentiam, & Existentiam creatam, modalisnè, an realis rigorosè, quia tangit difficultatem: an Existentia sit modus, ideò pro decisione supponẽda sunt aliqua.

§. 2. *Existentia non est modus.*

SVpponẽdum pro nunc, vt certum, modum esse aliquod ens, & sub generalissima ratione entis comprehendi, quia cùm modus formalissimè non sit nihil, necesse est, vt formalissimè sit aliquod ens. Certum etiam est apud omnes, modum nõ esse ens, quod absque alio possit in rerum natura esse, quia modi sunt debilissima quædam entia, ac per consequens aliorum consortio indigentia.

Supponẽdum secundò ex nost.

Com-

Complut: in Physic: dupliciter aliquid esse inseparabile ab alio, seu petere aliud adhoc, vt sit; Primò ita vt hoc proueniat ob tenuitatem, & exiguitatem sui esse, quod ita exile est, vt sine alio, etiam de potentia Dei absoluta conseruari non possit, & sic omnes modi dependent in esse ab alio: Secundò ob aliquam intrinsecam connexionem, & sic multę res veræ, vt contradistinctæ contra modos propriè dictos non possunt esse sine alio, sicut materia sine forma, relatio sine fundamento, & termino, cùm tamen vtraque sit vera res, illa substantialis, hæc verò accidentalis cõstituens vnum ex nouem generibus accidentium; Ex his ergo colligitur quid sit modus, & in quo à re distinguatur, & sic

Supponendum tertiò. Modum posse sic explicari, modus est quędam affectio entis propriè dicti, aliquam entis rationem sibi vendicans omninò à re modificata, re, & ratione ob suam natiuam tenuitatem inseparabilem, ita vt in suo conceptu reali explicito, & adæquato indispensabiliter rem modificatam includat. Addidi hanc vltimam particulam, non quod dicam modum nullo modo dicere suam entitatem distinctam ab entitate rei modificatæ, sed quia, vt aduertit P. Suarez disp: 7. Metaph: Sect. 1. modus non habet entitatem propriam rigorosè sumptam, vt entitas dicit aliquid esse sine omni alio, vel si erit ipsi vnibile, medio aliquo modo illi vnietur, sed tantùm habet entitatem largissimè sumptam, prout ens vocatur omne id, quod non est nihil, cuius entitatis imperfectio in hoc sita est, vt semper petat, vnita esse alteri, vniaturque illi secundum se sine medio alio modo; vnde neque ponit in numero reali cum re, si si rigorosè loquendum sit, quia numerum realem non faciunt, nisi res: modi autem non sunt res, aliàs essēt medijs alijs modis vnibiles, dareturq; processus in infinitum: huius autem discursus Suar: veritas constabit discurrenti per omnes res, quæ sunt verè res, quæ non nisi medio aliquo modo, alteri vniuntur; nam omnis res, aut est substantia, aut accidens; si substantia, vel partialis, vel totalis, si partialis eget modo vnionis ab illa, ex natura rei distincto, vt probant nostri Complut: in Physic: si totalis, non recipitur in alio, & sic neq; vnitur alteri: Si verò sit accidens eget modo inhæsionis ad hoc, vt vniatur subiecto; Soli autem modi sine aliquo medio vniuntur, quia ipsi sunt medium, quo aliquid alteri vnitur. His ita suppositis.

Dicendum est secundò. Existētiam distingui ab essentia, tanquam rem à re, non tanquam modum à re modificata. Prob. concl: authoritatibus S. Thomæ supra Concl: prima citatis, vbi tanquã rei à re distinctionem ponit, vel sine vllo superaddito distinguit illas.

Prob. ratione primò, potest Deus per absolutam suam potentiam conseruare existentiam se-

pa-

paratam ab omni essentia, vt infrà probabitur. Ergo existentia est res, & non modus, quia vt ex suppositionibus patet, & aduertunt nost. Salmat: 1. Tomo Tract: 1. disput. 2. dub: 2. in hoc distinguitur res à modo, quod modus ob suam debilem entitatem non est separabilis à re, quam modificat; vt patet in sessione, v.g. Petri, quæ non est separabilis à Petro, res autem saltim ex vi suæ entitatis non petit esse inseparabilis ab alio. Ergo.

Prob. secūdò. Existētia est producibilis à Deo per creationē. Ergo nō est modus sed res. Ergo inter esētiā, & existentiā est distinctio entitatiua realis nō modalis. Cōseq. vltima patet. Prima prob. modus non potest produci per creationem, sed semper producitur per eductionem, quia ita dependet à subiecto, vt implicet illum fieri extra illud; ac per consequens dependet in esse, & fieri ab illo. Ergo fit per eductionem. Anteced: autem primi argumenti est clarum, cum enim esse sit proprius effectus Dei, vt docet S. Tho: & nos infra dicemus, debet fieri per actionem, quę sit propria ipsius Dei, qualis est creatio, quamuis posteà existentiæ rerum materialium ob suam maiorem imperfectionem, id non conueniat.

Prob. tertiò. Esse, inquit S. Tho: quæst. 7. de potentia a. 2. ad 9. est actualitas omnium actuum, & perfectio omnium perfectionum. Sed modus ob suam debilissimam entitatem est quid imperfectissimum in ordine entis: ergo &c. Deinde existentia dat *esse* simpliciter, illud autem quod dat esse simpliciter, non potest esse modus, quia modus est solùm quasi actus secundùm quid, & sic dat esse secundùm quid.

Confirmatur, quia aliàs non posset suppleri existentia à Verbo, ex eo quod non est suppleta ipsa essentia; iam verò si existentia solum esset modus essentiæ, non posset suppleri illa, quin suppleatur ista; quod sic probatur, quia modus intrinsecè includit entitatem, cuius est modus, vt innuitur in suppositione. Ergo non potest ille suppleri, quin suppleatur ipsa entitas, sicut non potest Deus supplere meam sessionem, quia mea sessio includit me sedentem. Ergo.

§. 3. *Soluuntur Argumenta contraria.*

PRimum argumentum est contra primam Conclus: ex authoritate S. Tho. 1. p. q. 50. art. 5. vbi docet: eodem modo esse comparari ad formam, quo rotunditas ad circulum. Ergo sicut rotunditas non distinguitur realiter à circulo, sic nec existentia ab essentia, seù forma.

Resp. S. Doctorem non æquiparasse rotunditatem cum *esse*, quoad omnia, sed tantum, quoad inseparabilitatem mutuam saltim connaturalem, sicut enim rotunditas non potest separari à circulo, sic nec esse ab essentia, seù

seù forma; Non tamen hoc exẽplo voluit explicare distinctionẽ realem inter formam, & esse; & sic in solutione innuitur disparitas; circulus enim per nullam potentiam est separabilis à rotunditate, forma autem (quamuis naturaliter non sit separabilis à sua existentia) supernaturaliter tamen est separabilis, si v. g. Deus, impedita existentia creata, voluerit illã supplere per suam Diuinã existentiam, vt contingit in humanitate Christi.

Secundum Argum: quæ sunt inseparabilia ad inuicem, realiter sunt idem, seclusa enim separabilitate, non est signum distinctionis. Sed essentia, & existentia sũt inseparabiles, aliàs posset essentia sine existentia existere. Ergo.

Resp. negandò maiorem; dantur enim plura, quæ non sunt separabilia, & tamen distinguuntur realiter v. g. Compositum, & materia distinguuntur realiter, quamuis compositum non possit esse sine materia, Quantitas, & Figura, & alia, quæ mutuo à se dependent, non possunt tamen existere separata, & sic probatio corruit, Separatio enim supra distinctionem extremorum addit mutuam eorum independentiam, iam verò essentia, quoad hoc, vt sit existens dependet ab existentia, hæc enim debet illam ponere extra causas; potest tamen sine existentia propria aliquando esse, quando Deus supplere voluerit per Diuinam, vt in mysterio Incarnationis patet.

Tertium argum: essentia constituitur intrinsecè in sua realitate per existentiam. Ergo essentia non erit ab ipsa distincta, vt res à re, quia id, quod taliter ab alio distinguitur, non constituit ipsũ in sua realitate, sed potiùs si vniantur componunt aliam tertiam realitatem. Ergo.

Resp. disting: anteced: essentia constituitur intrinsecè in sua realitate per existentiam, si dicatur de realitate essentiali, nego. Si verò dicatur de realitate existentiali; iterùm subdistinguo; constituitur in realitate existentiali intrinsecè per existentiam, vt dicit vltimam actualitatem; nego; vt dicit effectum vltimæ actualitatis, concedo. Explicatur solutio, quia, vt supra ex nostris Complut: aduertimus, Realitas, qua aliquid ponitur extra nihil, est duplex: aut *Realitas essentiæ*, & hanc res non habent ab existentia, nisi fortè, tanquàm à connotato in sequenti signo habendo; aut *Realitas existentiæ*, & hæc rebus competit ab existentia. Cæterùm vt subtiliter aduertit Nazarius 3. p. q. 4. a. 1. controu. 1. q. 5. Realitas existentię, seu existentia est nomen æquiuocum; potest enim accipi, vel pro vltima actualitate, vel pro effectu vltimæ actualitatis, ideò multi æquiuocatione laborantes decepti sunt, attribuentes multa vltimæ actualitati, quod eius effectui debuerant adscriberę: ideò vt hoc clariùs pateat.

Scito, quòd quando ab agente communicatur alicui esseñtiæ existentia, quæ est realitas ab illa ex natura rei distincta, fit illa Essentia

Digitized by Google

tia ens reale participialiter, seù existens intrinsecè, quam realitatem existentialem intrinsecam in ipsam causat realitas existentię in genere causæ formalis, itaut illud *esse* realiter intrinsecè existēs non sit existentia formaliter, sed causaliter, seu effectus formalis existentiæ: Illa ergo realitas actualis intrinseca essentiæ vocatur effectus vltimæ actualitatis; realitas verò, quæ causat formaliter illam realitatem, est vltima actualitas. Et sic quando dicitur, realitatem etiam existentialem non distingui à re; verum est de realitate, vt est effectus vltimæ actualitatis, nō verò de realitate, quæ est vltima actualitas: Vide Nazarium loco citato, vbi hæc egregiè explicat.

Quartum Argumentum. Existentia non addit aliquid supra Essentiam actualem, nisi relationem dependentiæ ipsiusmet ab agente. Ergo non est aliqua entitas absoluta realiter distincta ab essentia. Conseq. patet. Antec. prob: Existentia tunc censetur inueniri, quando intelligitur actualis essentia producta in facto esse. Sed essentia producta in facto esse sufficienter intelligitur cum sola relatione dependentiæ ab agente. Ergo &c: Maior patet, quia existentia est ipsamet quasi productio passiua in facto esse, Minor prob: quia ad hoc, vt res dicatur produci in fieri, sufficit, adesse relationem dependentiæ eiusdem ab agente in fieri, seu in fluxu. Ergo vt sit producta in facto esse, sufficit, quòd sit dependens in facto esse.

Resp. negan: anteced: & probationis eius minorem. Ad cuius probat: disting: anteced: sufficit, adesse relationem dependentiæ cum suo fundamento, concedo; sine fundamento, nego; quia relatio nequit dari sine fundamento, cum autem fundamentum relationis non possit esse relatio, daretur enim sic processus in infinitum, debebit esse aliquid absolutum: istud autem absolutum, quod ponitur fundamentum relationis dependentiæ ab agente in *fieri*, non est Essentia præcisè secundum se, & secundùm sua tantùm prædicata quidditatiua; sic enim est æternæ veritatis, nec tamen ab æterno habet dependētiam ab agente, aliàs ab æterno fuisset producta, quod est falsum; erit igitur fundamentum dictæ dependentiæ in *fieri* ipsamet essentia actualis, vt immutata ab agente non solùm in fieri, sed etiā in facto esse, quia semper perseuerat illa depentia, & cōsequēter fūdamentū eius; talisq; immutatio intrinseca, conueniēs in facto esse ipsi essentiæ, vocatur existentia.

Quintum Argumentum. Si Essentia, & Existentia distinguerentur, (cùm distinctio ordinem, & relationem quandam importet) daretur inter illas relatio. Sed hęc non potest dari, quia aliàs Essētia, vt distincta, reciperet illam, & sustentaret; quod dici non potest, siquidem essentia nullius accidentis est capax, nec illud sustentat, nisi vt est ens in actu per existentiam. Ergo &c.

Resp. neg. minorem, quia quā-

Digitized by Google

uis detur illa relatio, non tamen sequetur, recipi in essentia seorsim sumpta, sed in re existente, seu in illo concreto substantiali coalescente ex vtraque, sicut quāuis iuxtà probabilem sententiam, detur relatio ista inter materiam, & formam, nihilominus quælibet seorsim nō est subiectum relationis, sed compositum, & sicut materia, & forma, vt sunt extrema respicientiæ, referuntur, ita quoque essentia, & existentia erunt fundamenta, & extrema, inter quæ exercetur illa relatio.

Instabis. Videtur ex dictis posse inferri, existentiam recipi in essentia existente; quod dici non debet. Si enim recipitur in re existente, cùm essentia ingrediatur rem existentē, & in illo priori præsupponatur ante receptionem existentiæ, præcedatque vt causans habebit *esse*; sed non ab existentia, quia subiectum non habet à forma id, secundùm quod præsupponitur ad illam. Ergo &c.

Resp. neg. illatum. Ad probat: resp. Essentiam in illo priori causalitatis, & receptionis esse existentem, sed non exprimere hoc munus existendi, nisi tantùm munus subijciendi se existentiæ, tantumque dicit pro illo signo præcisè realitatem, vt subiectam, & capacem existentiæ, & dicitur existens, non reduplicatiuè, sed aliàs specificatiuè existens realiter in illo priori per ipsam existentiam. Vnde quādo fit aliquid existens per id, quod recipit, nō debet præsupponi secundùm id, quod recipit: Patet hoc exemplo materiæ, & formæ: Materia enim in illo priori causalitatis formæ, dùm ipsam recipit, habet formā, immò & existentiam, non tamen pro illo priori reali concipitur formata, aut cū munere existēdi, sed tantùm explicat subiectionē, & capacitatem ad formā, & existentiam. Et sic præsupponi, vt existens formaliter, dum causat, proprium est generis causæ efficientis, non generis causæ materialis receptiuæ.

Alia Argumenta Aduersariorum fundantur in illo principio, quòd essentia ante existentiam, vel sine illa, est nihil in se ipsa. Sed facilis est solutio, dicendo, esse veram realitatem capacem existentiæ, vel saltim connotantem illam pro eodem instanti reali, & sic licet concipiatur cum nihilo quasi existentiæ, non tamen cum nihilo essentiæ. Alia Argumenta P. Suarez sunt soluta à nostris Complut: in Physica de existentia materiæ primæ.

Vltimum Argumētum. Si Existentia esset entitas, non modus, sequerentur plura absurda. Primò sequerentur, tot esse multiplicandas in re entitates, quot sunt partes, cùm cuilibet sua debeat correspondere existentia. Secundò: Non potest explicari, quid sit ista entitas substantia, an accidens? Tertiò: Hæc entitas esset quid perfectius, quàm essentia, vtpotè actualior. Quartò: Componeret cū essentia aliquid, resultaretque ex illis aliquod tertium compositum. Quintò: Posset conseruari à Deo sine essentia

Digitized by Google

tia: hæc autem omnia sunt absurda.

Resp. has instantias tangere plures difficultates, quæ sunt fusiùs explicādæ per sequētes Quæstiones, in quarum resolutione singulis his instantijs respondebitur, iam autem aliquibus supra responsū fuit in hac disput: sexta.

QVAESTIO III.

Vtrùm in rebus tot sint multiplicandæ existentiæ, vt cuilibet entitati, etiam partiali, sua propria existentia correspondeat.

SVpponendum primò, pro intelligentia tituli Quæstionis, in vno substātiali indiuiduo plura inueniri. Inueniuntur enim primò partes, deinde termini substantiales, postea accidentia propria, post hæc communia, tandem modi, vltimo operationes. Hic verò titulus de solis partibus substantialibus, & terminis naturæ procedit; nàm de accidentibus inferiùs in hac eadem Disputatione, de modis autem in sequēti agendum est. Est ergo prima sententia P. Suarez disput. 31. Metaph: qui asserit, consequenter ad sua principia, tot esse existentias in qualibet re, quot sunt entitates etiam partiales. Omisso autem potissimo suo fundamento, quod ille ex indistinctione essētiæ ab existentia sumit, cæteræ eius rationes ad duas classes reducuntur: aliquæ enim generaliter militant: aliæ verò particulariter de homine, in quo, præter *esse* Animæ rationalis, Suarez, & Scotistæ aliud *esse* totale humanitati assignandum contendunt. Fundamenta eorum referentur, cùm soluentur. In contrarium est sententia S. Thomæ 1. p. q. 76. a. 2. ad 4. & de ente, & essentia cap. 5. cum qua concludimus, &

Dicendum est primò. Esse Animæ rationalis est esse totius humanitatis, & ipsius hominis. Ita S. Tho: 1. p. q. 76. ar. 1. ad 4. & de ente cap. 5. Caietanus Tract: de Ente, & Essentia. Bannez 1. p. Ferrarien: 2. contr. gent: cap. 68. & communiter Thomistæ.

Antequàm hęc Conclusio probetur, supponendum est ex Caietano loco citato ex prima parte, formas esse in triplici differētia. Aliæ enim sunt materiales: Aliæ spirituales per se subsistentes, ordinatæ tamen ad dandum esse alijs: Aliæ tandem spirituales, per seq; subsistentes, itaut aliis non possint esse ratio essendi. Hæ omnes formæ conueniunt in hoc, quòd ipsis competit esse, cæteris verò ratione illarum: Discriminantur verò in hoc, quòd formæ primi generis quia non sunt per se subsistentes, competit ipsis esse tantùm, vt rationibus essendi, seu vt *Quo*. Secundis vero, & tertijs competit *esse*, & vt rationibus essendi, seu vt *Quo*, & vt subiectis *esse*, seu vt *Quod*; cùm hoc tamen discrimine, quòd formæ secundi generis possint suum esse communicare alteri, non verò formæ ter-

Digitized by Google

tertij generis. Hoc ergo supposito.

Probatur primò Conclusio. Anima rationalis est forma secundi generis. Ergo esse, quod habet, communicat composito, quòd constituit. Anteced: ex se patet: Conseq: ex notatione. Deinde subsumitur sic: sed aliud *esse* non est concedendum in composito, tùm quia superfluit, tùm etiam ob dicenda Concl: sequenti. Ergo idem est esse animę, & hominis. Antequàm secũda ratio pro Cõclusione ponatur.

Supponendum est rursùs, quòd Scotus, qui etiam Suarij sententiæ fauet, explicans suam sententiam de multiplici *esse* in homine, distinguit duplex esse existentiæ in Quodlibetalibus, Quodlibeto 9. Primum esse existentiæ, apud ipsum est illud, quo aliquid primò recedit à non esse, poniturq; extra causas. Secundum est vltimus actus, post quem non aduenit alius actus dans esse simpliciter: & illud, cui primò conuenit istud *esse*, dicitur simpliciter habere *esse*, nec est ratio alteri habendi *esse*. Et concludit Scotus, quòd *esse* primo modo sumptum omninò competit Animæ rationali, sicut & cæteris partibus; *Esse* verò secundo modo sumptum soli toti competit simpliciter, partibus verò competit participatiuè ratione totius. Hac ergo explicatione mentis Scoti supposita, arguitur ad hominem contra eius sententiam sic, & simul Conclusio.

Probatur secundò. Si Anima rationalis haberet *esse* distinctum ab esse totius, illud *esse* necessariò esset vltimus actus dans animæ esse simpliciter, itaut Anima non sit alteri ratio habendi *esse*: Sed tale *esse* negat Animæ ipse Scotus. Ergo debet illi negare omne esse distinctum ab esse compositi. Consequ: est clara. Minor est positio Scoti. Maior ostenditur, quæ quia tripartita est, probatur quantum ad omnes partes.

Quantùm ad primam, quòd illud *esse* animę esset vltim' actus, probatur, quia post illud esse nullum aliud aduenit esse animę; nulla enim aduenit forma post animam, cum anima sit, quæ vltimò constituit hominem in esse hominis. Ergo etiam nullum adueniet esse, quia omne esse est ab aliqua forma.

Dices, quod aduenit forma totalis. Sed

Contra, forma totalis, seu essentia non est causa formalis *esse* simpliciter, quia essentia est tantùm susceptiua esse causati à principio, formali in se incluso; & deinde dato, quod causaret *esse*. Illud esse cùm sit à forma totali nõ adueniret animæ, quæ est pars, sed toti. Ergo per illud *esse* non actuaretur esse animæ. Ergo formalissimè semper illud esse animæ esset vltimus actus. Quantum ad secundam, quod per illud *esse* anima habeat esse simpliciter, probatur, quia illud *esse* est esse substantiale, cùm sit esse animæ. Ergo erit esse simpliciter (& maximè,) quia per illud esse anima absolutè, & simpliciter

di-

dicetur esse. Ergo &c.

Quantùm ad tertiam etiam prob. quia secundùm ipsum Scotum illud *esse* animæ, non est esse compositi. Ergo non communicat illud anima composito. Ergo stando in explicatione Scoti, anima, vel nullũ habebit esse distinctu m ab esse compositi; vel habebit tale, quale ipsi negat Scotus.

Dicendum est secundò, nullo modo esse admittendas istas existentias partiales, sed omnia substantialia dicimus existere per vnicam existentiam totius.

Probatur primò, authoritate D.Tho: 1.2. q.4.a.5. ad 2. vbi sic ait: *Esse totius non est alicuius suarum partium; vnde vel pars omninò desinit esse destructo toto, etc. Vel si remanet, habet aliud esse in actu, sicut pars lineæ habet aliud esse, quam tota linea; sed animæ humanæ remanet esse compositi post corporis destructionem, & hoc ideò, quia idem est esse formæ, & materiæ, & hoc idem est esse compositi.*

Probatur secundò, Existentia creata ex sua ratione petit toti competere, & non partibus. Ergo solùm existentia totalis est dabilis, nullæ autem partiales. Consequ: patet, quia existentia toti competens debet esse totalis, & non partialis. Anteced. probatur. Existentia ex sua ratione importat ipsum poni in facto esse completè, & vltimatè rem extra suas causas. Ergo petit competere toti, & non partibus. Anteced: patet: Est enim ipsa vltima actualitas totius lineę substantię. Conseq. probatur: Illud quod vltimatè ponitur extra causas, est ipsum totum, & non partes. Ergo si existentia ex sua ratione importat ipsum poni, vltimatè, & completè rem extra causas, competet toti, & non partibus. Conseq. patet, anteced: prob. Illud vltimatè, & completè ponitur extra suas causas, quod tunc primum ponitur, quando omnes causalitates causarum exercitæ, omnesque dependentiæ modi vltimum sui exercitij attingunt, & finiuntur, sed quod ponitur finitis omnib⁹ causalitatibus, & dependentiæ modis totum est, & non partes: partes siquidem pręintelliguntur toti, & vsquedum totum adsit, causalitates causarum non cessant ab exercitio, ac proinde dum censentur adesse partes, nondùm censentur exhaustæ omnes causalitates causarum, sed tunc primum, dùm adest totum ergo etiam illud, quod &c.

Probatur tertiò. Illius est existere, seù *esse*, cuius est *fieri*, vt dicit Arist: 7. Metaph: tex. 26. cum fieri ordinetur ad esse communiceturque per *fieri* rei productæ. Sed fieri non est partium, sed totius. Ergo nec *esse* erit partium, consequenter non dabuntur existentiæ partiales. Maior patet. Minor probat: non enim fieri est partium v. g. materialium, sed suppositi, fieri enim est per se subsistentis, & existentis, quod est solum suppositum. Et deinde, quia fieri est eius, quod per se primò intenditur, iam verò totũ, seu compositum per se primo intenditur, non autem partes, siquidem

dem partes sunt propter totum, & ordinantur ad illud. Hunc discursum S.Thom: 2.contra Gent: cap. 43. confirmat dicens: *Sicut vnicuique creato conuenit fieri, sic sibi conuenit esse, esse autem non conuenit formæ tantum, nec materiæ tantum, sed composito.*

Argumenta contraria soluuntur.

PRimum argumentum. Omne ens habet aliquod *esse* proprium. Sed homo est aliquod ens, vltra animam. Ergo habet aliquod *esse* vltra esse animæ.

Resp. negan. anteced: quia iam decisum est quomodò entibus, quæ sunt partes propriè existentia nullo modo possit competere.

Secundum argumentum, ex S. Tho: 1.p. q.89. Anima perfectior est in corpore, quàm extra corpus. Ergo habet aliud esse in corpore vltra id, quod habuit extra corpus. Consequ. probatur; Nihil enim habens idem *esse*, est in hoc loco perfectiùs, quia illud esse communicat alteri, quia communicare supponit perfectionem in communicante, & non causat, nisi præhabeat. Ergo &c.

Resp. concesso anteced. neg. consequ. ad probat. resp. quod licet anima habeat idem esse in corpore, & extra illud habet tamen illud alio modo, quia in corpore habet integrando speciem hominis, & extra corpus non; quòd sufficit ad hoc, vt perfectiùs illud habeat in corpore, quàm extra, quia parti perfectiùs est esse in toto, quàm extra. Vide de hoc argumento Caiet: & Ferrar: locis citatis.

Tertium argumentum. Habentia idem esse, sunt æquè perfecta. Sed anima est imperfectior homine, quia omnis pars est imperfectior suo toto. Ergo non habet idem esse cum illo.

Resp. Habentia idem esse, & eodem modo sunt æquè perfecta; concedo; diuerso modo, nego; & sic homo, & anima habent idem esse diuerso modo, homo, vt totum, illa, vt pars, atque ita perfectiùs habet homo, quã anima.

Quartum argumentum. Esse hominis corrumpitur in morte, & esse animæ manet. Ergo esse hominis non est esse animæ, aliàs idem esset, & non esset.

Resp. Esse hominis non corrumpitur in morte, sed tantùm desinit esse hominis, quia anima suum *esse* immateriale, quod communicauerat corpori, trahit secũ, & sic illud esse non perit, sed tantùm desinit esse hominis.

Quintum argumentum contra secundam Conclus: Entitas v. g. lapidis non potest vnica existentia terminari. Ergo iam dabuntur ibi plures existentiæ partiales. Consequ. patet. Anteced. prob: existẽtia debet proportionari entitati, quæ existit. Ergo vbi fuerit entitas cõposita ex partibus, ibi erit & existentia composita; Sed entitas lapidis est composita ex materia, & forma tanquam suis partibus, Ergo & existentia &c.

Resp.

Resp. negan.consequ.ad cuius prob. dicitur, quod debet proportionari existẽtia entitati existenti modo sibi competenti, non autem non competenti; & quia modus competens existentiæ est actuare entitatem indiuisibiliter, hinc est, quod hoc modo vna, & eadem indiuisibilis manens existentia toti entitati lapidis proportionabitur, sicut punctum proportionatur lineæ modo indiuisibili, licet ipsa sit, quantum est ex parte sui, diuisibilis, quia ipsam afficit indiuisibiliter: hoc idem cernere est in anima rationali informante corpus, quod est diuisibile ratione quãtitatis, qua afficitur, quæ quia est in se spiritualis, & indiuisibilis, modo indiuisibili informat,& totum corpus, & omnes partes eius.

Aliæ solutiones, & rationes contra partialitatem existentiarũ possunt videri apud nost. Complut. in Physic. circa existentiam materiæ, & in lib. de Generat: non sunt enim noua arma euadẽda, aut deforis quærenda, quando habentur domi ad manum alia pro defensione aptiora.

QVAESTIO IV.

Vtrùm Existentia sit perfectior Essentia.

SVppositis illis, quæ supra dicta sunt circa nomen, & rationem existentiæ, cum nomine creatæ existentiæ intelligatur illa actualitas,per quam creaturæ cõstituuntur formaliter extra suas causas, & transeunt vltimatè à statu possibilitatis ad statum essendi à parte rei, nec sit aliqua denominatio extrinseca à principio rem producente, (vt aliqui adstruunt) cum esse sit intimum vnicuique, facilè est decidere attentis alijs: An existentia sit perfectior essentia.

Dicendum est. Si existentia consideretur absolutè, & attentis omnibus,necnon iuxta conceptũ suæ actualitatis,existentia est perfectior essentia:si verò consideretur existentia, vt est talis v.g.humana, equina, tunc essentia est perfectior, quàm existentia.

Pars prima Conclus. prob.primò authorit.S.Tho:quæst.7. de Potent: art.2. ad 9. dicentis:*Hoc quod dico esse, inter omnia perfectissimũ est, quod ex hoc patet, quia actus semper est perfectior potentia, qualibet autem forma signata, non intelligitur in actu, nisi per hoc, quod per esse ponitur*; & vltra S. Doct: dicit: *Vnde patet,quod hoc, quod dico esse est actualitas omniũ actuum, & propter hoc est perfectio omnium perfectionum.*

Probatur primò eadem pars ratione. Actus adæquatus per se primò inspectus à potentia est perfectior potentia. Sed existentia est actus adæquatus per se primò inspectus ab essentia, quæ est potentia ad esse. Ergo,&c. Maior patet inductiuè, quia forma est actus adæquatus, & per se primò à materia inspectus,forma perfectior est materia. Minor prob: quia cum existentia sit vltima

actua-

actualitas, qua adueniente, iã amplius non restat aliquid adęquandum, & complendum in essentiæ capacitate: (est enim existentia in toto ordine entis actualitas vniuersalis, essentia verò ipsi cõparata, est actualitas in determinato tantùm genere, vel specie) inde est quod existentia sit actus adæquatus respectu essentiæ.

Secunda pars concl. euidẽs est, quia esse quatenus est tale, & sub expressione huius limitationis, non affert, nisi specificationem, aut determinationem, quam habet à potentia, quam actuat. Sed existentia iuxta hanc rationem est imperfectior, quam essentia, quia sic sumpta existentia, est effectus essentiæ, nec existentia est determinata, & talis perfectionis, nisi quia est recepta in tali essentia. Ergo, &c.

Obijcies primò. Substantia respicit, vt potentia accidentia, & tamen est perfectior illis. Ergo etiam essentia erit perfectior, quã existentia, licet illam respiciat, vt potentia.

Resp. Respicit quidem substãtia per modum potentiæ accidentia tanquam actus, sed secundariò & non per se primò, & accidentia sunt actus ordinis extrinseci respectu substantiæ, iam verò existentiam respicit essentia per se primò, vt dictum est. Deinde: Substãtia habet se etiam per modum causę efficientis respectu accidentium, imò & finalis, & sic perfectior illis.

Obijces secundò. Perfectio rei attenditur penes essentiam rei, non autem penès existentiam. Vnde perfectior est homo existens, quàm bos existens, cùm tamen vterque habeat existentiã, & in hoc se non excedunt, sed in essentia. Ergo iam essentia perfectior erit existentia.

Resp. disting. anteced. Perfectio rei attenditur penès essentiam: perfectio gradualis, conceditur. Entitatiua, negatur. Perfectio gradualis attẽditur penès rationes genericas, & specificas; & secundùm has vniuscuiusque rei perfectio attenditur, qua talis, vt sc: gradualis est; proinde cum ratio generica, & specifica pertineant ad essentiam, penès essentiam perfectio gradualis attenditur. At verò entitatiua perfectio attenditur penès illud, quod in ordine entis fuerit perfectius: Est autem vnumquodque ita perfectum, sicut & actuale iuxta dicta superiùs; & quia actualissimum quid, & formalissimum in ordine entis est existentia, vtpotè vltima, & perfectissima actualitas secundùm S. Thom: hinc est, quòd existentia in ordine entis erit quid perfectissimum, sicque penès illam, & non essentiam, in tali ordine attenditur perfectio.

Obijcies tertiò. Illud est perfectius, ratione cuius assimilamur Deo. Sed ratione essentiæ assimilamur, non ratione existentiæ; essentia enim v. g. humana ex vi gradus intellectiui exprimit imaginem Essentiæ Diuinæ, quæ cõsistit in intellectione actuali: iam verò imago Dei non omnibus existentibus conuenit, secundum

dum quòd existentia sunt.

Resp. quòd ex vi gradus intellectiui, non vtcunque sumpti, consurgit imago Dei, sed ex vi gradus intellectiui concernentis existentiam saltim in actu signato: Essentia enim Dei non est vtcunque intelligere, sed intelligere actualissimum, & vt est suum esse. Alia argumenta, si quæ sunt probant secundam partem Conclusionis.

QVAESTIO V.

Vtrùm Existentia substantiæ sit distincta ab existentia accidentis.

SVpponendum est, quòd cum accidens sit entis (idest substantiæ) ens, necessariò dicit ordinem, & respectum ad illam, tanquàm ad subiectum, cui inesse debet. Vnde sequitur, ipsius essentiam, ratione essentialis istius respectus ad subiectum, consistere in *inesse*, & propter hoc communiter dicitur, quòd *Accidentis esse est ipsum inesse*. Istud autem *inesse*, seù inhærere in abstracto, seu quasi in actu signato, vocatur *inhærentia*: Quæ duplex est, actualis scilicet, & aptitudinalis: Actualis est ipsum actuale accidentis *inesse* subiecto. Aptitudinalis est aptitudo, seu propensio accidentis ad inesse subiecto, seu ad inhærendum actu.

Scotus in 4. distin. 2. quæst. 1. quia vtramque inhærentiam existimat relationem, neutram censet esse de essentia accidentis: cui videtur suffragari etiam Soncinnas 7. Met. q. 3. Nihilominus Angelicus Doctor in 4. dist. 12. q. 1. §. 1. Quæstiuncula 1. ad 2. solam aptitudinalem inhærentiam ponit de essentia accidentis: quem communiter sequũtur Thomistæ. Nàm ex vna parte accidens essẽtialiter est ordinatum ad inhærendum substantiæ, vtpotè entis ens; ex alia parte potest aliquando esse sine actuali inhærentia. Ergo ex qua parte essentialiter ad inhærendum est ordinatum, inhærentia aptitudinalis debebit esse de essentia ipsius; & ex qua parte potest aliquando actu non inhærere, vt patet in speciebus Sacramẽtalibus sine subiecto manentibus, actualis inhærentia nequit esse de essentia eiusdem; essentia quandoquidem nunquam est à re, cuius est essentia, separabilis: relinquitur proindè, quòd sola inhærentia aptitudinalis sit de essentia accidẽtis. Et cùm dicit Scotus, inhærentiam esse relationem, intelligendus est de relatione transcendentali, fundante prædicamentalem, non autem de ipsa prædicamentali: vnde nil impedit, quominus possit esse de essentia accidentis, etiam absoluti à termino, licet non absoluti à subiecto, vt docet Caietanus. Remaneret modo difficultas de inhærentia actuali; Quidnam illa sit? Vtrum quid distinctum ab existentia, aut entitate accidentis, vel indistinctum? Sed hæc in sequenti quęstione dilucidabitur;

Digitized by Google

nunc alia excitatur; vtrùm scilicet Existentia accidentis sit eadem, quæ est substantiæ, vel sit distincta realiter ab existentia substantiæ? Soto 1. Physic. q. 6. asserit, accidētia non habere existentiam distinctam realiter ab existentia substantiæ. Caietanus, Bannez, Nazarius, Flandria, & alij Thomistæ, quos refert, & sequitur noster P. Blasius, contrarium tenent. Pro resolutione difficultatis

Dicendum est, Existentiam accidentis realiter distingui ab existentia substantiæ. Ita D. Tho: de ente cap. 7. Item 4. contr: Gent: cap. 14. Item in 1. dist. 3. q. 2. ar. 3. & alibi.

Probatur primò ratione. Accidentia de facto existunt, etsi non adsit de facto vlla existentia substantialis. Ergo ipsorum existentia non est existentia substantiæ. Conseq. patet, aliàs non possent existere sine existentia substantiæ. Anteced. prob. Accidentia Eucharistica de facto existunt, cùm sensu percipiantur: Sed dùm illa existunt, nulla tùnc adest existentia substātialis. Ergo, &c. Maior patet. Minor prob: In primis non adest tùnc existentia panis transubstantiati, quia transubstātiatio est conuersio totius substātiæ, itaut nihil ipsius remaneat; si autem existentia substantialis remaneret, remaneret aliquid substantiæ. Ergo &c. Neque adest existentia alicuius alterius substantiæ creatæ, aut creabilis; quia existentia creata alicuius substantiæ; etsi concedatur, quòd faciat existere accidentia, nihilominus illa solùm posset facere existere, quæ sunt propria illius substantiæ, cui esset connaturalis huiusmodi existentia; aliàs si posset quæcunq, accidentia indifferenter facere existere, esset illimitata in genere existentiæ, & sic esset actus purus, cùm existentia illimitata sit ipsemet Deus, qui est actus purus. Ergo &c. Non est ergo excogitabilis existētia substantialis, quæ posset facere de facto existere accidentia Sacramentalia.

Probatur secundò. Duæ potentiæ adæquatæ realiter inter se distinctæ duos actus sibi correspondentes realiter distinctos requirunt, quia potentia, sicut essentialiter ordinatur ad actum, sic ipsi correspondet, & commensuratur; & ita duæ adæquatæ realiter potentiæ, vt suis commēsurentur actibus, duos realiter distinctos requirent actus. Sed essentia substantiæ, & essentia accidentis sunt duæ potentiæ in ordine existendi, existentiam, tanquam actum sibi correspondentē, respicientes, & sunt duæ realiter, & adæquatè inter se distinctæ, vtpotè generum diuersorum: Ergo etiam actus sibi correspondētes, scilicet existentias, requirent realiter distinctas, ac per consequens existentia substantiæ, & accidentis erunt duæ existētiæ realiter inter se distinctę.

Probatur tertiò. Si accidens eadem realiter existentia gauderet cum substantia, accidens non esset entis ens, sed ens simpliciter.

ter. Sed hoc est contra omnium sensum Philosophorum. Ergo & illud. Sequela prob. Ens simpliciter est illud, cui competit esse simpliciter. Sed si accidentis *esse* esset *esse* substantiæ, accidenti cõpeteret esse simpliciter, siquidem esse substantiç est esse simpliciter. Ergo & esset ens simpliciter.

Obijcies. Si accidens haberet propriam existentiam distinctam ab existentia substantiæ, ampliùs non ordinaretur ad existentiam substantiæ, sed in se sisteret. Sed hoc est falsum, aliàs accidens esset ens per se subsistẽs. Ergo &c. Maioris sequela prob: Existentia est vltimus terminus, vltimumq; complementum essentiæ, vt totiès dictum est. Ergo habendo talem terminum accidens, vlteriùs ordinari nõ posset, aliàs exiret extra suum terminum, quod implicat:

Resp. negata sequela, ad prob: Existentia est vltimus terminus essentiæ intrinsecus, & extrinsecus simul; nego: intrinsecus suo modo; concedo, & nego consequ. Quia cùm accidens sit entis ens, & ideò ens debilissimũ, suo intrinseco termino non potest ita compleri, vt perfectè sistat, proinde indiget alio extrinseco sui sustentatiuo vna cum suo complemento intrinseco. Hoc autem extrinsecum, seù terminus hic extrinsecus est ipsum *esse* substantiæ, & propterea etsi sit vltimò completum intrinsecè accidens per propriam existentiam, adhuc poterit ordinari ad existentiam substantiæ.

QVAESTIO VI.

Vtrùm Existentia accidentium sit inhærẽtia actualis ipsorum, an verò aliqua alia realitas à dicta inhærentia distincta.

SVpponendum primò, quod tota huius Quæstionis difficultas ex illo (quod supra innuimus) argumento ortum ducit, quo aliqui probant, actualem inhærentiam non posse esse existentiam accidentium; quod est tale. Accidentia Eucharistica existunt per existentiam propriam accidentium. Sed illorum existentia non est inhærentia, quia hæc sinè subiecto intelligi non potest, cum tamen de Fide sit, illa accidentia existere sine subiecto. Ergo neq; aliorum accidẽtium existẽtia erit inhęrentia actualis. Vbi adhùc aduertendum est, ex parte solius quantitatis hanc difficultatem procedere, quia in Sententia S. Thom: alia accidentia sine subiecto ibi non existunt, cùm in quantitate, tanquam in subiecto immediato, substantiæ pro tunc vices gerente, subiectentur, vt docet S. Thom: 3. p. q. 77. ar. 2. in corp: quodque potest sequentibus rationibus fulciri.

Primò. Illa albedo est albedo indiuidua sensibiliter, seu est albedo hæc sensibilis. Sed albedo non potest esse hæc albedo sensibilis sine subiecto, (vt ex PP. Salmat: in Tractatu de Indiuidua-

Digitized by Google

tione vidimus) & S. Thom: hoc discrimen assignat inter quantitatem, & alia accidentia v. g. albedinem, quod quantitas, etiamsi actu non inhæreat, erit hæc quantitas sensibilis; iam verò albedo, nisi sit a ctu in subiecto, non erit hæc albedo sensibilis. Ergo &c.

Secundò, ex Eminent: Cardinali de Lugo, qui licet in Philosophia contrarium senserit, in Theologia tamen de Sacramento Eucharistiæ disp. 9. sect. 1. Palinodiam cecinit, & est talis. Mota quantitate à Sacerdote, mouentur alia omnia accidentia : Ergo debent esse vnita cum illa. Sed nō possunt esse vnita, nisi illi inhæreant. Ergo &c. Anteced. experientia probat. Prima etiam consequ: patet, quia non est intelligibile, quomodò ad motum ipsius mouerentur, nisi essent vnita cum illa. Minor autem subsumpta prob. quia non vniuntur cum ipsa ratione vnius communis subiecti, in quo quantitas, & ipsa recipiantur, quia tale subiectum non est; nec vniuntur per identitatem, vt patet; nec vniuntur, quia quantitas est in ipsis. Ergo tantùm vnientur, quia ipsa erunt in quantitate.

Resp. Lessius lib. 12. de perfect. Dei n. 112. Hurt. Dis. 6. Physic. sect. 6. Arriaga disp. 5. Physic. sect. 2. subsec. 5. Deum mouere accidentia alia, mota quantitate à Sacerdote, occultandi mysterij gratia. Sed

Contra est. Quia sequeretur, quod Sacerdos non moueret verè illas species, nec eas deglutiret verè, quia deglutire, vel mouere verè, significant motum physicū; tùnc autem Sacerdos tantùm cēseretur mouere moraliter, in quantùm Deus ad motum, quo ipse mouet quantitatem, moueret simùl alias species. Ergo &c.

Deinde. Nàm multis erroribus pateret via: Posset enim quispiam dicere, ibi non esse quantitatem, sed Deum solùm impedire, ne manus vltrà progrediatur, cū tangitur Hostia, non verò quantitatem, resistere penetrationi, nec illa accidentia immittere species in sensus, cum sensibilia sine subiecto non sint, vt in prima ratione diximus, sed solùm Deum immittere illas species, quæ omnia, hisq; similia sine alicuius temeritatis nota dici non possunt.

Supponendum est secundò, inhærētiam actualem dupliciter accipi posse, primò pro illo modo vnionis, seù inhæsionis, quo accidens vnitur subiecto. Secundò pro ipsa entitate inexistentium accidentium, quæ est talis naturæ, vt intrinsecè saltim naturæ suæ relicta dependeat à subiecto, & hoc nota benè, quia nullum vidi hoc notasse, totaque meo iudicio diuersitas sententiarum ex indistinctione inter hanc duplicē inhærentiæ actualis acceptionem procedit. Hoc supposito.

Dicendum est primò. Si inhærentia actualis sumatur pro modo vnionis, probabilius est, quod existentia accidentis non sit inhærentia actualis, quamuis etiam oppositum sua probabilitate non careat. Ita videtur sentire de pri-

Digitized by Google

ma huius Conclusionis parte Nazar. 1. p. q. 3. art. 3. cap. 1. immediatè ante Conclusiones, vbi dicit. Vnionem non esse existentiam accidentis, quæ insuper

Probatur ratione, vnio accidẽtis ad subiectũ est modus quidã. Sed existentia accidentis non est modus, sed res, vt patet ex ijs, quę de distinctione existentię ab essentia supra diximus. Ergo &c.

Probabilitas autem secundæ partis patet ex eo, quia nulla potest euidenti ratione falsitatis conuinci. Vnde, & ad istam pro prima parte rationem respõderi potest, quod licet existentia substantiæ sit res, non tamen existentia accidentis, quia non est tantùm concedendum existentiæ accidentis, quantùm conceditur existentiæ substantiæ, nec sententiæ pro existentia substantiæ adductæ, in existentia accidentis currunt, vt consideranti patebit, quia probabile est existentiam accidentis, nec esse assumptibilem à Verbo, nec posse creari, sicut nec esse separabilem ab essentia accidentis ob exiguitatem suæ entitatis, & iterum certum est illam non dare esse simpliciter. Ergo &c.

Tamen verè probabilius est. Accidens fuisse assumptibile à Verbo Diuino, vt docent plures Theologi, & inter hos ex Thomistis Aluarez disp. 12. de Incarn: conclus. 5. Medina 3. par. quæst. 4. art. 1. Et insuper probabiliùs est accidens posse produci independenter ab omni subiecto, & sic posse creari. Ergo & suum esse poterit creari. Sed modus non potest creari. Ergo esse accidentis non est modus. Vtraque consequ. cum minore patent; Maior prob. Potest accidens conseruari à Deo sine subiecto, vt patet in accidentibus Eucharist: Ergo, & produci, quia conseruatio est continuata productio.

Dicẽdum est secundò. Si inhærentia sumatur secundo modo, tunc inhærentia actualis est existentia accidentium. Ita videtur sentire Bannez 1. p. q. art. 4. dub. vlt. in Resp. ad vltimum, vbi dicit: Existẽtia accidentis est actualitas quędam, quæ merito dicitur inhærentia, siue inexistentia, quia naturaliter pendet in esse fieri, & conseruari ab existentia subiecti. Ita & Caiet. 3. p. q. 77. ar. 1. si in eo res, & non verba spectentur: Deinde

Probatur ratione primò. Existentia accidentis, est existentia dependens ab alio, vt à sustentante. Ergo est inhærentia, secundo modo sumpta. Conseq: patet, quia per inhærentiam secundo modo sumptam nihil aliud intelligimus, vt ex suppositione constat. Anteced: prob: Existentia proportionatur essentiæ rei, cuius est existentia, sicut actus suæ potentiæ: Sed essentia accidentis est depẽdens ab alio, vt à sustentante, quia essentia accidentis est ipsa dependentia, seu inhærentia aptitudinalis. Ergo etiam, existentia accidentis, quæ facit actualiter dependere essentiam à subiecto mediante vnione, erit existentia actualiter dependens.

Pro-

Probatur secundò. Existentia dans formaliter esse in alio, est in alio. Ergo existentia accidentis est formaliter inhærentia. Consequ: patet. Maior prob. existentia dans formaliter esse in alio, facit formaliter inesse. Ergo cum inesse sit idem, quòd inhærere, existentia dans eis formaliter in alio faciet formaliter inhærere. Ergo erit formaliter inhærentia, quia quod facit formaliter inhærere, est formaliter inhærentia, sicut quod facit formaliter album, est formaliter albedo. Minor prob. existentia accidentis non dat formaliter esse per se. Ergo dat formaliter esse in alio, quia modus essendi adæquatè à Philosopho diuiditur in esse per se, & esse in alio. Ergo &c.

Probatur tertiò, ex illo communi Philosophor: proloquio ex Aristot: & D.Tho: desumpto: *Accidentis esse, est inesse*. Ergo cum inesse sit idem, quod inhærere, accidentis *esse*, erit inhærere. Ergo si non erit inhærere, vt dicit modum illum vnionis, erit inhærere secundo modo acceptum.

Ad argumentum verò, quod totam difficultatem causauerat ex parte Eucharisticę Quātitatis.

Resp. primò. Si sequamur sententiam authorum; existentiam accidentium ab inhęrentia actuali non distinguentium, sed tenētium, quòd existentia accidentis, est ipsa vnio, seu inhærentia, conceditur, si de existentia naturali loquamur, non verò erit illorum vnio supernaturaliter existētium, vnde accidentia Eucharistica secundùm illos, sicut non existunt naturaliter, ita neq; illorum existentia naturalis erit, & ideò non existent per inhærentiam. Cætera verò omnia accidentia naturaliter existentia existunt per inhærentiam, seu vnionem actualem ad subiectum.

Si verò ex ipsis quæras quomodò illa inhærentia perijt cum non sit aliqua actio ad ipsam terminata? Respondent illi; quod perijt per ablationem subiecti, à quo in esse, fieri & conseruari essentialiter dependebat, sicut separata anima à corpore perit, & destruitur vnio, qua materię vniebatur. Si verò vlteriùs quæras, per quid existant? & an existant sine existentia? Resp. Illa non existere sine existentia, sed conferri illis per nouam actionem existentiam quandam, quæ non est quidem propriè substantialis, quia solum supernaturaliter potest accidentibus conuenire, tamen potest dici substātialis, quia facit illa accidētia existere per se.

Vnde non tam consequenter locutus est P. Blasius in sua Metaph: quando admittit manere totam actualitatem istius inhærentiæ, & tantum esse extrinsecam connotationem subiecti, & ideò in Eucharistia accidentia non inhærere actu, quia hoc connotato carent, non verò ob defectum alicuius actualitatis.

Sed iste modus explicandi hāc sententiam facilè falsitatis conuincitur; nam implicat, vt maneat modus vnionis non manentibus

tibus rebus vnitis. Sed secundùm istam sententiam ipsa inhærentia est modus vnionis accidẽtis ad subiectum. Ergo implicat illum manere adhuc quãtum ad actualitatem, non manentibus actu vnitis accidente, & subiecto. Minor, & conseq. patent; Maior prob. Vnio est essentialiter nexus duorum. Ergo non manentibus duobus vnitis, implicat manere vnionem, sicut implicat manere modum vnionis Petri, non manentibus vnitis materia, & anima Petri. Ergo.

Sequendo verò alium loquendi modum, quem iam, vt probabiliorem elegemus, quod scil: existentia accidentium non sit inhærentia, prout inhærẽtia dicit modum vnionis accidẽtis ad subiectum, sed sit inhærentia, prout inhærentia dicit formalitatem, seù entitatem quandam à subiecto intrinsecè dependentem.

Resp. ad propositum argumẽtum negan: minorem, in qua dicebatur, quod accidentia Eucharistica non existunt per inhærentiam, ad probat: dicitur; quod inhærentia sine subiecto intelligi non potest, si illi modus aliquis substantialis non superaddatur, est verum, si illi modus substantialis superaddatur, est falsum. Et quamuis talem modum substantialem accidentibus superaddi neget Valentia 3.p.q.77. ar.1. defendens ibi contra Caietanum sententiam Scoti, tamen verè est concedendus, quod breuiter duabus Caiet: rationibus probatur.

Prima. Accidentia in Eucharistia verè intrinsecè mutantur. Ergo recipiunt aliquid intrinsecè, non aliquam rem. Ergo saltem aliquem modum: Subsumpta minor, & secunda conseq. patet; Prima probat: quia mutatio intrinseca sine intrinseca receptione intelligi non potest; Si enim nihil recipiunt. Ergo manent, sicut antea. Ergo non mutantur, Antec. prob: quia ante consecrationem, Quantitas priùs tantùm erat, vt *Quo*, & modo est, vt *Quod*. Deinde ante consecrationẽ erat tantùm subiectum accidentium receptiuum, & non sustentatiuũ, modo verò est subiectum receptiuum, & sustentatiuum. Ergo verè mutatur de *Quo*, in *Quod*, de subiecto non sustentatiuo, in sustentatiuum. Ergo &c.

Secunda. Species Sacramentales possunt rarefieri, & condensari. Ergo cùm ibi non sit materia vlla sub illis speciebus, debet dari aliquid, vices materiæ gerens, aliás non possent rarefieri, vel condensari, quia sicut ad raritatem, vel densitatem requiritur paucitas, vel multitudo materiæ; ita vbi materia, vel aliquid eius vices gerens non est; ibi raritas, vel densitas esse non potest. Ergo Quantitas ibi geret vices materiæ. Ergo illi superaddetur aliquis modus, quia cum ex se hoc non habeat, vt gerat vices materiæ, necessariò illi debet superaddi aliquid, vt hoc habeat.

Obijcies. Ista existentia non dat actu *esse* in subiecto. Ergo non est inhærentia, quia videtur inintelligibile, quomodò inhæren-

tia sit, & det quantitati modum essendi substantialem, seù per se, & sine subiecto.

Resp. Istam existentiam esse inhærentiam, quia quamuis, vt est sub isto modo formaliter, non det Quantitati esse in alio, tamen verè petit dare illi esse in alio, ita quod si suæ naturæ relinqueretur, daret Quantitati tale esse, & insuper ille modus tantùm illi competit supernaturaliter, & per specialem manutenentiam Dei, qua illam sub illo modo manutenet. Ergo ex natura sua non competit ipsi iste modus; cùm ergo hoc modo dicat indispensabiliter inesse, quia quod non insit habet ab illo modo, adhuc sub illo modo, si secundùm sua naturalia spectetur, erit idhærentia, quamuis non exerceat rationem inhærendi, quia est illo modo substantiali preuenta.

QVAESTIO VII.

Quasnam Causas habeat existentia creata?

SVpponēdum in primis indefinitè loquendo certum esse omnia quatuor genera Causarũ ad existentiam concurrere. Concurrit primò efficiens; existentia enim est ipsum factum esse terminans fieri causæ efficientis; Deinde, concurrit finalis, nam efficiens (præcipuè liberum, idq; primum, quale est respectu existentiæ) debet habere certum finem, ob quem communicat *esse* creaturis, imò ipsa existentia est vltimus finis intentionis agentis. Materialem quoque causam habet existentia, ipsam scil: essentiã, in qua recipitur, & limitatur. Denique, & Causam Formalem siquidem *esse*, est effectus secundarius formæ; quamuis igitur omnes causæ suo modo concurrant ad existentiam creatam, quia tamen non est tanta difficultas de aliquibus v.g. de finali, & materiali, (cùm facilis sit de his ex supra dictis decisio) ideò quærẽdo quasnam causas habeat existentia? coarctatur quæstio, vt nõ de omnibus, sed præcipuè de efficienti, & formali intelligatur.

Supponendum secundò, nos hic non agere de existentia rerũ immaterialium, quia cùm hæ fiãt per creationem, fient à solo Deo: creare enim est ita proprium ipsius Dei, vt nec instrumentaliter possit vlli creaturæ conuenire. Titulus igitur de existentia rerum materialium intelligitur.

Supponendum tertiò per modum cuiusdam Conclusionis, essentiam non posse habere rationem causæ efficiẽtis respectu existentiæ; siquidem essentia non est in actu ante existentiam: quod ad rationem causæ efficientis (cuius est agere in quantum est in actu) requirebatur: potest tamen habere rationem causæ materialis respectu existentiæ, cum illam limitet, & recipiat: cum quo stat, quod existẽtia rei materialis educatur ex essentia, sicut ex causa sua materiali immediata; cum enim hæc existentia non creetur,

debet

debet educi, & quia non immediatè ex materia, educitur immediatè ex essentia, in qua immediatè recipitur. His ergo præsuppositis, fit circa causam efficientem existentiæ.

§. 1. Vtrùm Causa secunda habeat aliquam efficientiam circa existentiam, et qualem?

OMissis alijs extraneorum sententijs, ipsi D. Thomæ discipuli in tres diuersas de causalitate existentiæ abierunt opiniones. Prima sententia est Bannez 1. p. quæst. 3. art. 4. tàm alta de existentia sentientis, vt causas secundas nullo modo, etiam instrumentaliter, ad eius productionem concurrere dicat.

Secunda sententia est solam causalitatem instrumentalē concedentium respectu existentiæ. Ita Flandria 4. Metaph: quæst. 3: a. 6. Ledesma de Diu: perf: q. a: 6. Concl: 1. P. Blasius disp. 7. Metaph: quæst. 2.

Tertia tandèm sentētia docet, causam secundam producere existentiam, etiam per modum causæ principalis, quamuis non attingat illam sub conceptu existentiæ, sed sub conceptu talis existentiæ. Ita omnes antiqui Thomistæ. Caietanus 1. p. q. 8. a. 1. & qu. 45. art. 5. Ferrariensis 2. contr. Gent. cap. 21. Capreol. Sōcin: Nazarius, immò & Suarez 2. Metaph: disput: 31: sect. 9. &c. cum quibus & nos concludimus, & puriori doctrinæ D. Thom: inhærentes.

Dicimus primò cōtra primam Sententiam. Causæ secundæ verè, & propriè producunt existentiam eorum effectuum, qui ab ipsis fiunt, (abstrahendo pro nùnc, an illam producant principaliter, an verò instrumentaliter.) Hanc Conclusionem solent aliqui probare ex eo, quia Causæ secundæ verè agunt, generant &c. Ergo debent producere *esse*, quia generatio est mutatio de non esse ad esse. Sed hæc ratio nihil conuincit; nullus enim n gat, quòd vnus homo verè generet alium, detque illi *esse*, & tamen esse illius non producit, sicut nec ipsam animam, cuius *esse* est etiam esse compositi, vt supra disp: præcedenti dictum est. Aliter ergo Conclusio

Probatur 1. author: S. Tho: q. 7. de Pot: art. 2. vbi dicit: *Creaturæ, quæ producunt varios effectus, conueniunt in uno communi, quod est esse.* Ergo &c. Deinde rationibus nostra Conclusio prob. primò: Causa secunda causat existens. Ergo debet habere aliquam causalitatem circa existentiam. Consequ. patet: non enim est intelligibile, quomodo causet existens, nihil operando circa existentiam. Debet igitur aliquid causare circa existentiam Causa secunda, si causat existens. Tunc quæro ex Bannez, quid erit illud? Resp: ille loco citato Conclus. 4. esse ipsam determinationem, qua existentia de-

Digitized by Google

determinatur, vt sit huius speciei, & nō alterius, v.g. humanæ, & non equinæ. Sed

Cōtra hoc vrgetur sic. Vel hæc determinatio cōsistit in hoc, quòd causa secunda producat aliquam differentiam in existentia restringentem, & limitantem illam: & hoc non; quia cùm omnis gradus metaphysicus debeat fundari supra aliquem physicum, ab illoque desumi, sequitur, quòd ad hoc, vt Causa secunda dicatur verè causare illam differentiam metaphysicam limitantem existētiam, vt sic, debeat causare aliquid physicum, à quo ille gradus metaphysicus desumatur: Sed gradus differentiales metaphysici sumuntur à rationibus formalioribus in re. Ergo si causa secunda causauerit illum gradum metaphysicum in existentia, causabit gradus formaliores, & actualiores in ipsa; quod tamen negabit Bannes, qui ob perfectionem, & maximam actualitatem existentiæ omnem causalitatem denegat causæ secundæ respectu existentiæ. Vel deinde hæc determinatio consistet per Bannez in hoc, quòd Causa secunda producendo hanc essentiam, & non aliam, exigentem talem existentiam, determinat actionem Dei ad producendam existentiam huius speciei, & non alterius: & hoc non potest dici.

Contra enim est, quia secundū hunc dicēdi modū saluari nō potest, quomodò causa secunda producat ipsū existens, v.g. quomodo ignis producat ignem: quod sic manifestè ostēdo. Ad hoc, vt causa secunda causet aliquod existēs, vnum ex duobus est necessarium, vel vt vniat existentiam cum essentia, si supponat illam productam, (sicut facit homo generans hominem, qui vniendo animam corpori, vnit *esse* animæ toti essentiæ hominis) vel certè, vt producat ipsam existentiam, & vniat illam (sicùt in nostra sententia faciunt generantia formas, & cōposita materialia:) Sed in Bannez opinione nihil horum faciet causa secunda. Ergo non causabit existens. Maior patet. Nam ad hoc, vt causet existens, debet necessariò communicare composito existentiam. Ergo vel communicabit tātùm, vel causabit, & communicabit; non enim alius modus est imaginabilis. Minor quātùm ad primam partem (quia secundam partem ipse Bannez concedit, dum omnem efficientiam causæ secundæ respectu existentię negat) probatur sic. Non omnis existentia creatur, quia neq; omnis essentia, cui existentia debet proportionari, fit per actionem creatiuam. Ergo aliqua existentia educetur de potētia subiecti: Et cum omnes formæ materiales educantur de potentia subiecti, (quia sola Anima rationalis creatur) omnis existentia, præter humanam, educetur de potentia subiecti: Atqui tunc secundùm Bannez educuntur per actionem solius Dei. Ergo etiam per actionem solius Dei vnientur. Consequen: prob: Nàm, vt docent nost: Compl: disp.4. in Physica q.2. ad

edu-

eductionem requiritur, vt per eãdem actionem, per quam educitur forma, vniatur subiecto, quia debet educi ex vi actionis transmutatiuæ subiecti. Ergo causa secunda nõ vniret illam subiecto. Ergo &c. Et hinc

Collige primò differentiam inter nos, & Bannez; quia quamuis, etiam in nostra sententia, existentia hominis non producatur à generante hominem, quia tamen vnitur ab ipso, saluatur, vt homo generans verè dicatur genuisse hominem existentem: Quod tamen Bannez non potest in sua sententia de alijs formis ostendere, vt ex præcedenti discursu constat. Collige secundò ex ista ratione, quàm irrationabiliter Bannez neget actionem causatiuam existentiæ ipsis Causis secundis; quia cùm sit actio eductiua, & non creatiua, illarum perfectionem non excedet.

Probatur secundò Conclusio, (impugnando primam rationem Bannez.) Ideò secundùm ipsum, Causa secunda non causat existentiam, quia existentiam ex se non habet, sed à Deo. Ergo cùm etiam essentiam ex se nõ habeat, sed à Deo, non causabit etiam ipsam essentiam. Quid ergo causabit? aut quomodo v.g. ignis genitus erit effectus ignis generantis? si in illo nec esse, nec essentiam causabit. Sicut ergo ad causandã Essentiã sufficit, vt causa secunda in se habeat essentiam, vndecunque illam habeat, ita etiam ad causandam existentiam sufficit, vt in se habeat (vndecunq;) existentiam. Ergo &c.

Probatur tertiò (impugnando secundam rationem. Illud *esse*, quod tu dicis, præsupponi actioni causæ secundæ, non est *esse* solius materiæ primæ, quia in sententia Thomistarum materia secundùm se, sicut omni actu, ita omni *esse* caret. Ergo erit esse solius compositi, sub quo priùs erat materia prima; Sed hoc non obstat; quia illud *esse* est distinctum ab *esse* compositi de nouo introducendi à causa secunda; immò per aduentum istius compositi destruitur. Ergo nõ impedit, quin producat hoc aliud *esse*, quia illud non præsupponitur, cùm sit ab illo, quod præsupponebatur, distinctum. Ergo &c.

Probatur quartò (impugnando tertiam rationem.) Per te si causæ secundæ producerent existentiam, ad destructionem, vel productionem *esse*, destrueretur, & produceretur materia prima. Ergo etiàm in tua sententia, destruente, vel producente Deo existentiam, destructur, & producetur materia prima: quod tamen falsum est, quia materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis.

Respondet Bannez, esse disparem rationem inter Deum, & creaturas, quia Deus producit *esse*, vel destruit sub ratione essendi, *ut sic*; esse autem *ut sic* nunquam deest materiæ. Cæterum causæ secundæ producunt *esse* sub ratione essendi *tali*, quod deest materiæ ad destructionem talis esse, & aduenit ipsi ad productionem: & sic si fieret à causis secun-

dis, posset generari,& corrumpi, non tamen si fiat à Deo. Sed

Contra: Nàm ad corruptionē per accidēs est,quòd fiat ab hoc, vel ab illo agente, hoc, vel illo modo: istud enim,quòd Deus attingat *esse* sub ratione generali essendi, non tollit,quin materia verè amittat esse, vel acquirat illud, quando à Deo producitur, vel destruitur prædictum *esse* non minus, ac illud acquireret, vel amitteret,si à causa secunda produceretur,quæ illud producit sub ratione talis esse. Ergo si ad destructionem, vel productionem materiæ sufficiet amittere,vel acquirere *esse*(quod tamen omnes Thomistæ,& præcipuè nostri Cōplut: negant) materia etiamsi à Deo habeat esse, acquirendo, vel perdendo illud, corrumpetur, & producetur. Maximè, quia Deus non causat *esse ut sic*, sed esse *tale*, quamuis ratio attingēdi illud *esse* non sit talitas ipsius *esse*, sicut in creaturis, sed est ratio ipsius *esse*, *ut sic*; vnde etiam Deus causat *esse* in omnibus, quia quod causat formam,secundùm rationem formæ,producit illam in omnibus,in quibus inuenitur illa forma.

Probatur quintò,& arguitur ad hominem. Nàm actio causæ secundæ habet suam propriam existentiam, vt egreditur ab agente, seu à causa secunda. Sed illam existentiam non habet à Deo.Ergo iam datur aliqua existentia, quæ non est à Deo. Ergo dantur & plures existentiæ aliæ,quæ non sunt à Deo. Conseq: ista vltima patet: Nam Bannez ex ratione generali existētiæ, quæ rationem vltimæ actualitatis exprimit, negat causis secundis causalitatem respectu existentiæ. Ergo si hæc ratio non obstat in aliqua, non obstabit etiam in alijs. Præmissę verò probantur, & primò maior: Nàm actio habet suam propriam existentiam, quando est, sicut & cœtera omnia accidentia. Sed tunc intelligitur ab agente,immò in hoc esse actionis consistit.Ergo vt egreditur ab agente habet propriam existentiam. Minor etiam prob. Ridiculum est, dari aliquā actionem ad aliam actionem. Sed si Deus communicaret illi actioni existentiam, tunc actio Dei terminaretur ad illam actionem. Ergo &c: Deinde; quia actio seclusо omni alio, & formalissimè, vt egreditur ab agente, est in vltimo suæ actualitatis (vnde etiā vocatur existentia agentis in illo ordine.) Ergo vt sic formalissimè habet propriam existentiam, quia res quælibet cōstituitur per existentiam in vltimo suæ actualitatis. Ergo,&c.

Obijcies ex Bannez,S.Thomas in multis locis, & præcipuè 1. p. q.45. ar.5. in corp. asserit, quòd esse est proprius effectus Dei. Sed hoc nostra sententia destruit,cum ad causandum *esse* etiam creaturas admittit, quomodò enim erit proprius effectus ipsius Dei, quē æque causant creaturæ, ac Deus. Ergo creaturæ nullo modo causabunt existentiam.

Resp. Stare optimè, vt creaturæ causent *esse*, & tamen esse sit proprius effectus ipsius Dei,quod

Digitized by Google

explicatur multipliciter. Immò existentia est effectus proprius Dei, quia est effectus communis omnium creaturarum; effectus enim communis causarum inferiorum est effectus proprius causarum superiorum, & æquiuocarum, sicut *uiuere* causant communiter omnia viuentia, proprius verò effectus *uiuere*, est alicuius causæ superioris, & æquiuocæ, à qua per se in esse dependet, vt docet S. Tho: 1.p.q.104. art.1.& ibi fusè explicat Caiet. cuius explicationem verè Caietano dignam ibi poteris videre. Sic ergo in præsenti philosophandum est. Et hæc solutio habet fundamentum in multis locis S.Tho. 3.contra Gent. cap.66. ratione 2. vbi hæc verba dicit: *Quando aliqua agentia diuersa sub vno agente ordinantur, necesse est, ut effectu, qui ab eis communiter fit, sit eorum, secundum quod uniuntur in participando motum, & uirtutem illius agentis.* Et paucis interpositis concludit rationem his verbis. *Cum igitur esse sit communis effectus omnium agentium, nam omne agens facit esse actu, oportet, quòd hunc effectum producant, in quantum ordinantur sub primo agente, & agunt in uirtute ipsius*, ita S.Tho. vbi, vt vides, ipse suam explicuit mentem, dum dixit, quòd causæ secundæ omnes producunt *esse actu*; ecce ipsis concedit actualitatem circa *esse*. Hoc tamen illas dicit facere in virtute Dei, & in quantum ipsi subordinantur, ecce explicat quomodo *esse* sit proprius effectus Dei, quem causæ secundæ, nisi in virtute ipsius non attingunt.

Resp. secundò cum Caiet. 1.p. q.45. ar. 5. in solut: ad primum dubium. *Esse*, seù existentiam esse proprium effectum solius Dei, tanquam agentis absolutè: omnes enim causæ faciunt *esse*, sed non per se primò: Causa enim, quæ per se primò attingit aliquem effectum, attingit illum vbicunque inuenitur ratio illius effectus, vt eruditè ostendit Caietanus 1. p. q.104. ar.1. nam à causa, quæ per se primo attingit effectum, dependet effectus per se primò. Ergo vbicunque erit, dependebit, quia impossibile est separare illud à re, quod ipsi competit per se primò.

Resp. tertiò cum Suarez. Existentia est proprius, & per se effectus Dei, vt existentia est, non verò, vt talis est, quia creatura non producit existentiam, nisi vt talem, vt scitè aduertit Caiet. 1.p. q.45. ar.5. dum ait: Quando bos generat bouem, non causat in illo *esse*, nisi per accidens, & accidentalitatis modo, quo coloratum fit per accidens, cum ex nigro fit album, cuius doctrinæ fundamentum est illud, quod affert Suarez ex Aristot: in lib: de Causis, & est tale; Effectus dicitur per se primò fieri ab aliqua causa secundũ eam rationem entis, quæ ex parte ipsius effectus non præsupponitur, vt cum generatur ignis, ex aere per se primò fit ignis, non verò corpus, vel elementum, quia hæ rationes iam præsupponebantur in aere. Sic ergo, cum solus Deus faciat ens ex non ente, seù

ex

ex nihillo, ille solus faciet ens, vt ens per se primò, cæteræ autem creaturæ facient tale ens per se, & per accidens ipsam formam entis, quia illæ non operãtur aliquid ex nihilo.

Resp. quartò cum Caiet. 1. p. q.7. ar.1. quòd à S.Thoma vocatur Deus causa propria existentiæ, quia ille solus est, qui potest omnia producere ad existendum necessaria, non tamen creaturæ. Deus enim etiam ipsam materiã causat, quam creatura attingere non potest.

Nota tamen, his rationibus non tantum probari, existentiam esse proprium effectũ ipsius Dei, sed etiam ipsam essentiam, quia etiam essentia est effectus communis omnium creaturarum, quia omnis causa secunda confert aliquam essentiam suo effectui. Deinde, quia non potest causa secunda causare omnia constituentia aliquam essentiam; materiam enim non potest causare, quia illa per creationem tantũmodò producibilis est; neque causat essentiam per se primò, quia illam nõ causat in omnibus æque. Ergo Deus est causa propria essentiæ, ac existentiæ, tamen S. Thomas peculiariter adscripsit istud existentiæ, dum dixit, quod existentia est proprius effectus Dei, non dicendo hoc de essentia; non quia ipse id de illa quoque non senserit, cum id ex eius rationibus manifestè colligatur, sed quia essentia non terminat actionem, nisi ratione existentiæ, cum secũdum se à nulla causa agẽte dependeat, vtpotè æterna, & improducibilis; & hæc dicta sint contra Bannez. Deinde

Dicimus secundò cõtra authores secundæ sententiæ. Causæ secundæ non instrumentaliter, sed verè, & principaliter producunt existentiam. Ita authores omnes pro tertia sententia citati, &

Probatur primò authorit. S. Tho: 2. contr: Gent. c.21. vbi talem causalitatem concedit causis secundis respectu existentiæ, qualem concedit Sorti respectu humanitatis. Sed neque S. Thomas dixit, nec aliquis dicet, quòd, Sortes instrumentaliter tantum producat humanitatem. Ergo etiã existentiam non instrumentaliter tantum causæ secundæ attingent. Ergo &c.

Probatur secundò. Instrumentum, vt tale est, necessariò petit eleuari ad effectum principalis agentis. Sed causa secunda non indiget eleuatione, seù non petit eleuari ad producendam existentiam. Ergo causa secunda non est instrumẽtum in ordine ad producendam existentiam. Maior patet ex ijs, quæ docent N. Complut: in Physica. Minor probat. Tunc aliqua causa indiget eleuatione, quando effectus excedit ipsam in perfectione. Sed existentia non est effectus excedens ipsam causam secundam in perfectione, cum etiam ipsa habeat suam existentiam, & agat, vt existens. Ergo ad producendam existentiam non indiget causa secũda eleuatione.

Respondent aduersarij: Existẽtiam

Digitized by Google

tiam non esse ex se operatiuam,& sic non constituere causam secũdam agentẽ in tanta perfectione, quanta est in existentia producenda. Hanc solutionem innuunt nost. Complut. in Physica disp: 11.q:3. in solut. ad 2.iuxta secũdum dicendi modum aliquorum Thomistarum. Sed.

Contra est. Quãdo dicis,quòd existentia non est ex se operatiua,negasne, existentiam esse operatiuam radicaliter, an tantum proxime? si proximè, nihil facit ad rem, cum etiam essentia rei non sit proximè operatiua, & tamen non ob id negabis,eam cõferre agenti,in quo est,perfectionem essentialem æqualem illi, quæ inuenitur in effectu, vt possit esse causa principalis illius, alias nulla daretur causa principalis in rerum natura;quia neque esset accidens, cum hoc non possit esse causa principalis substantiæ, neque substantia, quia nulla est immediatè operatiua, vt docent N. Comp:in Phys.disput:10. quæst: 4. Si verò negas,existentiam esse operatiuam radicaliter.

Contra est. Essentia non est operatiua radicaliter, nisi vt existens. Ergo existentia complet, & constituit illam in ratione potentiæ radicaliter operatiuæ. Ergo & ipsa est radicaliter operatiua. Vtraq; Cons. patet. Anteced: prob. Vnumquodq; agit in quantum est in actu. Sed vnumquodq; est in actu, secundum quòd est existens. Ergo vnumquodq; agit, secũdum quòd est existens. Ergo & essentia non est operatiua radicaliter, nisi vt existens.

Confirmatur. Sicut se habet aliquid ad esse, ita se habet ad operari, saltim radicaliter. Ergo sicut esse est vltimum complemẽtum agentis in ordine essendi, ita erit vltimum complementum ipsius in ordine operandi, saltim radicaliter. Ergo &c.

Probatur tertiò Concl. Ideò accidentia possunt producere substantiam, & essentia rei, quia sunt virtutes substantiæ: sunt autem virtutes, quia dimanant ab essentia deferente actionem generantis ad ipsam. Sed substantia non defert actionem generantis, nisi vt existens; (& in hoc saluatur eius efficientia respectu passionum, vt docent N. Complut: disput:10.in Physica q.7. §. 5.) Ergo &c. Ergo sicut imbibunt virtutem, & vigorositatem quandam ad producendam substantiam ex hoc, quòd dimanant à substantia deferente actionem illorum productiuam, imbibent ob eandem rationem ab existentia virtutem ad producendam existentiam. Ergo &c.

Prob. quartò. Repugnat, vt respectu eiusdem termini formalissimè aliquid habeat rationem causæ principalis, & instrumentalis. Sed in ordine ad existentiam producendam causa secunda habet rationẽ causæ principalis. Ergo repugnat, vt respectu eiusdem habeat rationem causæ instrumentalis. Maior patet. Minor prob. quia quælibet causa efficiens dat esse. Ergo etiã causa secunda v. g. equus, vt est cau-

causa principalis equi dabit illi principaliter esse. Sed in equo non est, nisi unicum esse. Ergo respectu illius vnius esse equus habebit rationem causæ principalis. Ergo repugnabit, vt respectu eiusdem habeat rationem causæ instrumentalis.

Obijciunt aduersarij. S. Thomas in multis locis asserit, quòd omnis causa secunda dat *esse* in virtute causæ primæ,& præcipuè hoc docet, & sex rationibus confirmat 3. cont: gent: c.*66*. Sed illud,quod agit in virtute alterius, & non in virtute propria, non est causa principalis. Ergo nulla causa secunda causat existentiã, tanquam causa principalis. Minorem prob. P. Blasius disp: 7. Metaph:quæst.2.§.1.circa finem, quia definitur causa principalis, quòd sit illa, quæ agit in virtute propria,vt dictum est.

Resp. iuxta S. Tho. 3.p.q.*62*: art.1. concedendo Maiorem, & disting. Minorem;causa,quæ non agit in virtute propria, non est causa principalis, si detur illa virtus ad effectum excedentem causam in perfectione. Conceditur. Si illa virtus non detur in ordine ad effectum excedentem causam in perfectione. Negatur. Neque aliud San: Thomas voluit loco in probatione adducto;quia virtus, quæ datur ipsi in ordine ad effectum æquè perfectum non extrahit ipsam extra limites virtutis propriæ, quia non eleuat ipsam,& sic semper censetur operari in virtute propria.Cum ergo in præsenti existentia non sit effectus excedens in perfectione causam secundam,vt iam probauimus, licet causa secunda producat illam in virtute Dei, non producet illam instrumentaliter.

Quæres.In quonam secundum nostra principia consistat hæc virtus Dei, ratione cuius causa secunda causet existentiam.

Resp. primò, probabile esse, quòd sit ipsa existentia causæ causata à Deo, eo proportionabili modo, quo ipsum accidens est virtus substantiæ in ordine ad proceducendam aliam substantiam. De quo N.Complut:in Physica disput. 10. quæst: *6*. tractant.

Resp. secundò, posse etiam probabiliùs explicari, quòd illa virtus sit ipsa prædeterminatio causæ primæ actualiter,& efficaciter applicantis, tàm causas liberas, quàm necessarias ad operandum; quia cum ratione huius prædeterminationis causæ secũdæ, & effectus producti ab ipsis, ac in vniuersum quælibet creatura à Deo in ratione vniuersalissima entis dependeat,inde est, vt rectè hæc prædeterminatio possit vocari virtus Dei impressa causæ secundæ, ratione cuius dicatur attingere *esse* in virtute Dei; nam prædeterminatio est aliquid physicum receptum in creatura, & sic aptum ad hoc, vt possit virtus Dei vocari,& esse,



§.2.

§. 2. *Vtrùm Existentia habeat aliquam causam formalem sui?*

POst determinationem de causa efficienti existentiæ creatæ (siquidem de causa materiali, & finali non est aliqua difficultas, cum essentia ipsa sit receptiua existentiæ, existentia autem ipsa sit vltimus finis intentionis agentis) determinandum est de causa formali existentiæ, an illam habeat. Circa quod est.

Prima sententia Bannez 1.p.q. 3. ar.4. ad 4. qui negat, Formam esse causam formalem existentiæ. Fauet huic sententiæ Capreolus 1. dist.8.q.1. ar. 3. & Soncinnas 7. Metaph: q.22. P. Blasius disp: 7. Metaph.q.4.

Secunda sententia dicit è contrà, Formam esse causam formalem existentiæ,& existentiam esse effectum secundarium formæ. Ita Ferrariensis 1. contr: Gent. cap. 22. Caiet.cap.5.de Ente,& essentia q. 8. ratione 1. ac tandem N. Complut: in Physica, disp.3.q.6. ad primum. Sed hæ sententiæ potius in modo loquendi,quàm in re differunt, saltem quantum ad aliqua; Vnde pro illarum conciliatione,& veritatis explicatione.

Dicendũ est primò,Formã non esse causam formalẽ existentiæ in hoc sensu,quòd existẽtia actuetur à forma. Hæc sententia est Bannez; & quia rationes eius nihil aliud probant, quàm hoc, ideò eas pro ista Conclusione adducimus, est ergo.

Prima ratio. Existentia est actualitas omnis formæ. Ergo est forma omnis formæ: Ergo forma non erit causa formalis existentiæ.

Secunda ratio. Omnes Philosophi dicunt, quòd existentia est forma entis. Ergo nõ potest actuari à forma. Conseq. prob. quia illud est apud omnes forma entis, quod vltimò actuat rem. Sed si existentia actuaretur à forma, tunc non illam vltimò actuaret, quia ipsa etiam actuaretur. Ergo.

Dicendum est secundò. Forma est verè causa formalis existentiæ. Primò in hoc sensu, quia dat speciem existentiæ. Secundò in hoc, quòd illa adfert secum esse composito, & *esse* dimanat ab illa, ac tandem essentialiter præsupponitur ad illud. Hanc conclusionem negat Magister Bannez, & in hoc dissentit à nobis, & similiter P. Blasius.

Prima pars Conclus. prob. primò. Existentia equi distinguitur specie ab existẽtia hominis. Ergo specificantur à Formis, in quibus recipiuntur. Consequ. prob. quia in rationibus communibus conueniunt: vtraque enim æqualiter est existentia.

Probatur secundò. Existentia ex se non habet speciem. Ergo specificatur à re, quam actuat. Ergo, vel à toto composito, vel ab aliqua parte eius; non à toto radicaliter, quia illud specificatur à forma, quæ est vna suarum partium; non à materia, quia hæc nullam speciem habet. Ergo à forma. Sed idquod dat speciem,

est causa formalis. Ergo forma est causa formalis existentię, quã-tum ad hoc, quòd existentia specificatur à forma.

Resp: P. Blasius ad primum, negan: anteced: & dicit *Esse* in omnibus essentijs eiusdem esse speciei, & solum materialiter esse perfectius alio, in quantum scil: vnum in perfectiori essentia recipitur, ad eum modum quo animę rationales sunt eiusdem speciei, & tantum distinguuntur penès rationes indiuiduales. Citatque pro se Nazar. 1. p. contr. 17. Concl. 3. & Ledesmam de perfect. Diuin. q. 12. ar. 8. Sed

Contra hoc est. In omnium sententia, existentia, & essentia debent proportionari inter se, sicut actus, & potentia. Ergo quando essentiæ distinguentur specificè, etiam existentię distinguentur specificè, nam alias inter se non essent proportionatæ, nec commensuratæ.

Secundò. Impossibile est, vt sit eiusdem speciei *esse* Angeli, & *esse*, v.g. bouis. Ergo cùm idem sit iudicium de omnibus alijs rebus, existentiæ omnium aliarum rerũ specie differentium distinguentur specie. Conseq: patet: Anteced: prob: Esse Angeli est omninò immateriale, omninòque eleuatum supra materiam, esse verò bouis est omninò immersum materiæ, omninoque materiale. Sed esse, quod est omninò materiale distinguitur specie ab illo esse, quod est omninò immateriale. Ergo &c.

Confirmatur. Esse Angeli essentialiter est immateriale, & esse bouis essentialiter est materiale. Ergo esse Angeli, & esse bouis distinguentur essentialiter. Sed quæ distinguuntur essentialiter, distinguuntur specificè. Ergo.

Tertio; nam etiam inde sequeretur, quòd esse Dei non distingueretur specificè ab esse creaturarum, sed tantùm distingueretur materialiter, quod tamen absurdum est apud omnes.

Obijcies. Quod specificatur à forma, accipit aliquam perfectionem ab ipsa. Ergo erit imperfectius ipsa. Sed existentia est perfectior, quàm essentia, & ex consequenti erit perfectior, quàm forma, per quam constituitur essentia. Ergo.

Resp. disting. maiorem; quod specificatur à forma, accipit perfectionem ab ipsa, si specificatur, tanquam aliquid potentiale, & ex se perfectibile. Concedo. Si specificatur, tanquam aliquid actualissimum. Nego: quia specificari ab aliquo, tanquam quid actualissimum, non arguit imperfectionem in specificato, quia non specificatur per additionem alicuius perfectionis, sed tantùm per contractionem quandam, & limitationem: hic autem modus specificationis est proprius solius existentiæ, quæ est perfectissima, & vltima actualitas. Sicut enim est proprius modus indiuiduationis materiæ, vt materia prima, quæ secundùm se erat tantùm indiuidua negatiuè, fiat indiuidua positiuè, & principium induationis, non per additionẽ alicuius entitatis,

sed

ſed tantùm per connotationem aliquorum extrinſecorum connotatorum, ita ſimiliter, quia exiſtentia eſt vltimus actus, ſicut materia eſt pura potentia, & ſpecificatio ſumitur ab actualibus, ſicut indiuiduatio à potentialibus, inde eſt, quòd cùm exiſtentia ſit vltimus, & perfectiſſimus actus, ſpecificabitur non per additionẽ alicuius actualitatis, vel perfectionis, ſed per connotationem huius, vel huius eſſentiæ, in qua recipi debet. Vide pro intelligentia horum ea, quæ docent in ſimili N. Salmaticen: de indiuiduatione ſubſtantiæ materialis, & applica his proportionaliter.

Secunda etiam pars Concluſ: quòd ſcilicet forma afferat *eſſe* compoſito, & quòd illa eſſentialiter præſupponatur ad *eſſe*, eſseq; dimanat ab illa in genere cauſæ formalis, breuiter probatur. Primò, quòd afferat eſse compoſito ex illo communi proloquio: Forma eſt, quæ dat eſse rei. Deinde, quòd eſsentialiter præſupponatur ad eſse; probatur; quia materia eſt incapax exiſtentiæ ſine forma, vt docent noſt. Complut: in Phyſica. Tùm etiam, quia exiſtentia eſt actus vltimus, ac per conſequẽs eſsentialiter ſupponit actum primum. Tum deniq; quia exiſtentia eſt quid primum in intentione agentis, & per conſequens vltimum in executione. Quòd verò dimanat ab ipſa in genere cauſæ formalis, probatur, quia dimanat ab ipſa. Sed non in genere cauſæ efficientis. Ergo in genere cauſæ formalis, quia omnis dimanatio reducitur, vel ad genus cauſæ efficientis, vel ad genus cauſæ formalis. Minor patet, quia nec exiſtentia eſt paſſio alicuius creaturæ, nec creatura præſupponitur ad exiſtentiam exiſtens. Iam autem ſi dimanaret ab illa in genere cauſæ efficientis, exiſtentia eſset paſſio illius creaturę, quia hic modus dimanandi eſt proprius paſſionum, & creatura illa deberet ſupponi exiſtẽs, quia nihil agit efficienter, niſi in quantum exiſtit. Maior etiam probatur. Actio agentis prius terminatur ad eſsentiam, & deinde ad exiſtentiam. Ergo exiſtentia ſubſequitur ad eſsentiam, tanquã ad aliquod deferens actionem agentis ad ſe. Sed hoc eſt emanare vnum ab alio, vt docent noſt. Complut. in Phyſ. de emanatione paſſionum ab eſsentia. Ergo quamuis non poſſit dici rigoroſè emanare ab eſsentia, quod probatur rationibus P. Blaſij allatis pro Cõcluſione ſecunda, vbi probat, exiſtentiam potiùs comproduci, quàm produci.

Dicendum eſt tertiò. Exiſtentia eſt effectus formalis ſecundarius formæ, non tamen propriè & in rigore ſecundarius, ſed potius complementum primarij. Quòd ſit ſecundarius, docent hoc N. Complut. loco cit. ex Phyſica, & Caiet: loco cit: ex Tract. de ente, & eſsentia, quod etiam breuiter probatur ex dictis in præcedenti Concluſione; quia proprium eſt effectus ſecundarij ſequi, & præſupponere eſsentialiter primarium, & ab illo dimanare. Sed

existentia, & præsupponit essentialiter formam communicatam, qui est effectus primarius formæ, & deinde ab illa dimanat, vt probatum est. Ergo &c.

Quod verò non sit rigorosè secundarius, sed potius complementum primarij patet, quia non dimanat propriè, & rigorosè, vt dictum est in Concl. præcedenti. Ergo, neq; erit effectus in rigore secundarius. Probatur tamen primò authoritate S.Tho. in 2. contr. Gent. cap. 54. vbi ait: *Forma se habet ad esse, sicut albedo ad album esse.* vbi notanda sunt verba Angelici Doctoris: non enim dicit, *sicut albedo ad album*, sed dicit, *sicut albedo ad album esse*: vbi effectum albedinis ponit *album esse*. Itaque effectus formalis albedinis est album completum, & actuatum per esse. Ergo existentia est aliquid imbibitum in effectu formali.

Dices. Album est effectus primarius albedinis. Ergo si D.Tho. ait, quòd forma se habet ad esse, sicut albedo ad album esse, existentia est etiam effectus primarius formæ, & non secundarius.

Resp. primò, quòd in hoc loco D. Thomas solum intendebat probare, quòd existētia esset formalis effectus formæ, non curando, an esset effectus primarius, vel secundarius: & ad exemplum dicitur, quòd non in omnibus debet tenere similitudo, sed sufficit ad intētum, quòd sicut album est effectus albedinis, ita existentia est effectus formalis formæ.

Resp. secundò, Similitudinem D.Tho: esse optimam, & in fauorem nostrum; Intendebat enim demonstrare, quòd sicut forma accidentalis, v.g. albedo, non solùm est causa formalis effectus primarij, sed existentiæ accidentalis, quæ est complementum talis effectus, ita forma substantialis non solùm est causa formalis *esse* specifici, sed etiam existentiæ substantialis, quæ est complementum talis effectus. Vnde non dixit præcisè: forma se habet ad esse, sicut albedo ad album, sed sicut albedo ad album esse.

Probatur secundò. Esse non dat essentię distinctum gradum essendi ab eo, quem præstat forma substantialis, sed ipsum gradum esentialem receptum à forma terminat, & complet existentia, tanquam terminus eius substantialis. Ergo non est distinctus effectus ab effectu formali formæ, sed solùm complementum eius, quasi imbibitum in illa. Ergo non est rigorosè secundarius.

Obijcies. Genus istud causalitatis, scilicèt per dimanationē, pertinet ad genus causę efficientis. Ergo non benè infertur ex hoc, quòd existentia dimanet à forma, existentiam esse effectum formalem formæ, sed potiùs erit effectus in genere causæ efficientis, sicùt sunt passiones dimanantes ab esentia.

Resp. primò neg: Anteced: intellectum de omni emanatione; illa enim tantùm emanatio ad genus causæ efficientis pertinet, quę præsupponit subiectum substan-

stantialiter completum per existentiam, si sit dimanatio à substantia; vel accidentaliter completum per existentiam accidentalem, si sit dimanatio à principio accidentali: Vnde dispar est ratio de passionibus; istæ enim possunt effectiuè dimanare ab essentia, quia supponunt naturam, à qua oriuntur, vltimatè cõpletam, perfectam substantialiter, & actu existentem: Existentia autem non præsupponit naturam completam, & existentem, vt patet. Vnde S. Thomas 3. cont: gent: c. 65. inquit. *Existentia non sequitur formam, vt effectus causam efficientem, sed sicut formam substantialem vltimò dispositam &c.* Quod eleganter exponit cap. 66. & clariùs 1. p. q. 104. art. 1. ad 2. vbi ait, quòd *sicut lumen sequitur ad diaphanum, ita Esse formam creatam.*

Resp. Secundò. Dato, quòd omnis emanatio effectus formalis secundarij reduceretur ad genus causę efficiẽtis (quod tamen est falsum, vt patet v.g. in extensione partium in ordine ad locum, quæ est effectus secundarius quantitatis, & tamen procedit ab ea formaliter tantùm, & nullo modo effectiuè, quia Quantitas nullius est actiuitatis) nihilominùs dicendum, quòd emenatio existentiæ non potest reduci ad genus causæ efficientis, quia non est propriè, & rigorosè effectus secundarius formæ, sed est potiùs complementum effectus primarij, & sic emanatio eius non est quasi distincta ab emanatione effectus primarij, quæ est à forma formaliter tantùm, non effectiuè. Hæc de existentia sufficiant: plura ingenium lectoris supplebit: sequitur huius Tractatus secundi vltima.

DISPVTATIO SEPTIMA,

De Modis.

HVcúsque actum est de conceptu quidditatiuo, diuisionibus, & quasi compositione Entis, quod stabilitum est pro obiecto Metaphysicę. Cæterùm cùm ens creatum limitationem, coarctationemq; quandam ratione suæ finitudinis importet, ideò (vt magis completa doctrina de ente creato habeatur) illa, à quibus limitationem, modificationemque accipit, *Modos* scil: speculabimur: Sit igitur.

QVAESTIO I.

Vtrùm Modi dentur in rerum natura.

SVpponendum primò, Modũ diuersimodè accipi posse. Primò accipitur pro quacunque determinatione rei præscindente ab hoc, quòd proueniat ab aliquo limitatiuo, vel etiam solùm purè terminatiuo. Et in hoc sensu Personalitates Diuinæ vocantur Modi, aut quasi modi. Secundò

dò sumitur pro determinatione limitatiua orta à ratione determinante, siue realiter, siue solùm per rationem distinctam à re determinata; qua ratione omne cōtrahens, vel determinans solet appellari modus contracti; & sic rationale dici potest modus animalis, perseitas modus Entis, qualitas modus substantiæ, &c. Tertiò accipitur modus pro limitatione præfixa vnicuiq; rei finitæ iuxta mensuram eius; qualem modum S. Augustinus lib. 4. supra Genes. ad lit: Cap. 3. sic definit. *Modus est, quem mensura præfigit.* Quem quidem modum idem S. August. èx tribus necessarijs ad vniuscuiusque rei creatæ bonitatem requirit, quorum duo sunt *species*, & *ordo*, tertium *modus*, idest debita commensuratio ad sua principia, prout explicat D. Thomas 1. p. q. 5. a. 5. & alibi. Quartò tandem, & magis conformiter ad nostrum intentum Modus accipitur pro aliquo superaddito entitati reali ab eadem, secluso intellectu, distincto, ita modificante, & afficciente dictam entitatem, vt sine illa nullo modo possit inueniri. In præsenti igitur de modis in hac vltima acceptione præsens procedit difficultas: Vnde

Dicendum est, necessariò admittendos esse aliquos modos ita modificantes res, vt sine illis nequeant inueniri. Conclusio hæc deducitur ex D. Thoma præsertim quæst: 21. de Veritate art. 6. ad 5. vbi sic habet: *cùm esse creatura essentiale, & accidentale sit receptum, sic* modus *non solùm inuenitur in accidentibus, sed & in substantialibus.* Deinde in 3. dist. 16. quęst: 3. artic: 1. quæstiunc: 2. ad 4. *Modus rei est in ipsa re consequens substantiam eius.* Tandem Opusc: 40. *Modus est adiacens rei determinatio.*

Prob. ratione ex his author deducta, & præsertim ex citata quæst. de Verit. Vbicunque est aliquid receptum, oportet ibi esse modum. Sed in creaturis *esse* illarum est receptum. Ergo in illis dantur aliqui modi. Maior ostēditur, quia modus limitationem quandam, aut determinationem in re, in qua inuenitur, importat (proùt patet ex ratione formali ipsius). Sed vbi aliquid est receptum, ibi adest determinatio, & limitatio, cùm receptum limitetur à recipiente. Ergo vbi aliquid est receptum, ibi aderit modus. Minor verò argumenti principalis facilè ostenditur ex ijs, quæ dicta sunt in disput: de existentia, quæst. 2. Conclus. 2.

Confirmatur. Datur in creatis aliquid, quod non est nihil, ita afficiens rem creatam, vt sine illa determinatè in rerum natura consistere nequeat, distinctum à re. Sed hoc est ipsa ratio modi, vt ex sequenti quæst: patebit. Ergo dantur aliqui modi. Minor patet. Maior prob: Datur v.g. in qualitate intensibili *maior radicatio* eiusdem in subiecto, quæ non est nihil: (cùm perficiat qualitatem, quàm potius destruit, non perficit *nihil*) & nequit consistere in rerum natura sine qualita-

Digitized by Google

te, quia huiusmodi radicationis essentia consistit in quadam introgressione qualitatis in subiecto; quod consistere nequit sine actuali coniunctione ad qualitatem, sicut & Vnio nequit inueniri in rerum natura sine extremis vnitis, quia vnire extrema, essentialiter ei competit. Tandem dicta radicatio est distincta aliqualiter à qualitate; nàm eadem permanēte qualitate alicui subiecto vnita, v. g. calore in aqua recepto, variatur, & perit radicatio determinata ipsius v. g. vt quinque, nullo intellectu cogitante. Ergo apparet, quòd sit ante opus intellectus distincta à tota entitate qualitatis; Illa siquidem ante opus intellectus distingui necesse est, quorum, vno manente, aliud perit. Sed

Dices, istam Confirmationem, si aliquid probat, probare etiàm, materiam primam esse modum tantùm, & non rem aliquam; nàm etiam materia prima non potest consistere in rerum natura sine forma, & est quid distinctum à tota entitate formæ, etiàm existentis, ante opus intellectus.

Cæterùm hæc nō eneruant vim confirmationis. Etenim licèt materia prima sit distincta ab entitate formæ, secluso intellectu, nec possit existere in rerum natura sine forma in sententia Thomistica, absolutè tamen potest sine quacunque determinata: modus autem formaliter talis nequit cōsistere sine re determinata, cuius est modus: (vt ex infrà dicendis patebit) propter quod etiam notanter posita est in argumento confirmationis particula illa *determinatè*, idest, quòd ita rem afficere debeat, vt sine ipsa determinatè accepta, hac, & non alia, in rerum natura nequeat consistere: consequens est igitur, quòd ex vi nostræ rationis nequeat deduci, materiam primam esse aliquē modum.

Argumentis in contrarium sit satis.

PRimum Argumentum. Modi nihil sunt. Ergo non dantur. Consequ: patet. Anteced. prob: Modi non sunt entia. Ergo sunt nihil. Consequ: constat, quia inter ens, & non ens, seù nihil non datur medium. Anteced: prob: Entia sunt res aliquæ, cùm Ens, & Res conuertantur. Sed modi non sunt res, siquidem contra res distinguuntur. Ergo &c.

Resp. distingu. Modi non sunt entia, ratione entis latè sumpta, negatur, strictè, & in rigore accepta, subdistingu: non sunt entia in recto, conceditur, in obliquo, negatur, & consequentia paritèr negatur. Ad hoc enim, vt aliquid non sit purum nihil, sufficit, quòd sit ens reale, saltim in lata acceptione; vel si in stricta, sit in obliquo ad minùs. Pro cuius intelligentia.

Sciendum est, ens dupliciter posse accipi, latè scil: & strictè. Ens latè sumptum est omne illud, quod independenter ab intellectu est in rereum natura, & con-

tradistinguitur à nihilo, siue deinde sit radix proprij esse, siue non, siue essentiam habeat incompletam, & ab alio, quod afficit, dependentem in sui consistentia essentialiter, siue completam, & Independentem. At vero ens strictè, & in rigore sumptum, est habens esse, vel cui debetur esse, vt Quod, proùt supra ostendimus ex D. Thoma, & ita importat essentiam, quæ sit radix actualis esse, vel secundùm aliquos, quę connotet indispensabiliter sibi debitum esse. Cùm ergo modi, de quibus in præsenti loquimur, inueniantur in rerum natura, circumscripto quocunque actu intellectus, & contradistinguātur à nihilo, cum suo modo perficiant modificatū, quod non facit nihil, non tamen habeant *esse* aliud ab esse rei modificatæ, nec possint consistere, quin illam, & non aliam actu afficiant, sequitur, quòd sint quidem entia in lata acceptione, nō tamen in stricta, nisi in obliquo, idest sint aliquid entis rigorosè sumpti: propter quod communiter ab Authoribus dicitur, modū non esse entitatem distinctam à re, cuius est modus, & quòd tota entitas modi sit entitas rei. Sed

Instabis. Inter Ens, & nihil non datur medium. Ergo si modus nō est ens in recto, erit purum nihil.

Resp. distinguendo ant. Inter Ens &c. latissimè sumptum, conceditur, rigorosè acceptum, subdistinguo, non datur medium rigorosum; conceditur, minùs rigorosum, quod scilicet non afferat ex æquo vtriusque extremi participationem, sed solùm, quod neque sit hoc, neque illud in rigore, quamuis potius vnum extremum, quàm aliud; negatur. Et hæc solutio ex præcedenti benè percepta facilè patet.

Secundum Argumentum. Modi neque sunt substantiæ, neq; accidentia. Ergo non dantur. Conseq. est aperta, quia quidquid est, vel debet esse substantia, vel accidens. Anteced. ostenditur: non enim sunt substantiæ; nàm substantia est ens simpliciter, proindè in recto; Modi autem tantùm sunt entia in obliquo. Non accidentia; quia, vt communiter Authores docent, modus est eadem entitas cum re modificata; si autem modi essentialiter essent accidentia afficientia substantiam, non possent esse eadem entitas cum illa, accidens siquidem, & substantia sunt entitates realiter distinctæ. Ergo modi neque sunt accidens, neque substantia, ac per consequens nihil.

Resp. Modos, sicut substantiā, sic accidentia esse. Substantiam, si illam immediatè afficiant, accidentia, si afficiant accidens: vnde & dicuntur alij modi substantiales, alij accidentales: Non quidem sunt substantiæ in recto, sicut nec accidentia: (quia horū solùm corollaria quædam, vt ita dicam, sunt), sed solùm in obliquo, quasi aliquid substantiæ, vel accidentis; proinde non debent dici entia simpliciter, prout substantia, nec quòd non sint eadem entitas cum re modificata in sensu infrà explicando (ex eo, quia

suus

sunt accidentia) si afficiant accidens aliquod immediatè.

Tertium argumentum. Non potest assignari causa efficiens modorum. Ergo non dantur. Cõsequ: est euidens, quia quod est participatum, non potest dari in rerum natura absque causa efficienti. Anteced. prob: Causa efficiens nõ est, nisi rei existentis; cũ actio ipsius non terminetur, nisi ad existens. Sed modus non est quid existens, aliàs esset res, & ens simpliciter, non modus. Ergo &c.

Resp: quòd si aliquid probaret, istud argumentum, probaret etiam, nec materiam primam dari in rerum natura, cùm in sententia S. Thom: ipsa ex se non sit existens. Resp. igitur negando antecedens: Ad cuius probationem disting. maior: Efficiens nõ est nisi existentis, per se primò ab illo produci, conceditur; secundariò tantùm, vel comproducti ad productionem alterius; negatur. Modus autem non producitur à causa efficiente per se primò, sed tantùm comproducitur ad productionem entitatis, cuius est modus, proinde non sequitur, quòd non detur in rerum natura. Sed hæc difficultas recurret inferiùs, agendo de causis modorum.



QVAESTIO II.

In quonam ratio formalissima Modi rigorosi consistat.

SVpponendum primò, Modum rigorosum in communissima sua ratione sumptum, etsi abstrahat à relatiuo, & absoluto, nihilominùs in suo intrinseco conceptu includere respectum saltim transcendentalem. Ratio est, quia modus, de quo in præsenti agimus, essentialem habet dependentiam à re modificata, vtpotè adiacẽs ipsius determinatio, prout docet D. Tho: loco supra cit: & ideò necessariò debet includere in suo conceptu aliquem ordinẽ, seu respectum ad rem, cuius est determinatio, sicut accidens, ob essentialem dependentiam à substantia, in suo conceptu importat transcendentalem ordinem ad illam.

Supponendum secundò, Modum nõ esse essentialiter accidẽs, ità quòd non possit pertinere aliqualiter etiàm ad genus substantiæ; sed sicut Ens creatum abstrahit à substantia, & accidente, itaut neutrum horum illi repugnet, sic & modus in sua communissima acceptione sumptus. Ratio huius est; nàm cùm modus consequatur limitationem rei, & limitatio non tantùm inueniatur intra genus, & lineam accidentium, sed etiàm intra lineam substantiæ creatæ, (cùm esse ipsius sit receptum, sit

Digitized by Google

que limitatum) manifestè sequitur, quòd modi non tantùm intra lineam accidentium, sed etiā ipsius substantiæ creatæ inueniātur: ac proinde non erit modus ita essentialiter accidens, quòd nō possit pertinere ad genus substantiæ, esseque modus substantialis. His ergo præsuppositis.

Circa rationem formalem modi rigorosi est prima sententia Scotistarum, qui vt explicent illā, ponunt modos in duplici differentia, alios vocant intrinsecos, alios extrinsecos. Sic refert Pontius in sua Metaph. disp. 49. in Additament: ad quæst. 3. &c. de modis intrinsecis. Modum intrinsecum vocat Mastrius (prout loco citato refert Pontius) illum, qui licet non intret quidditatem rei, prout facit differentia, est tamen realiter idem cum subiecto modificato, itaut sit quid intimius ipsi propria passione. Modum verò extrinsecum idem Pōtius putat esse relationem actualem vnius ad aliud, extrinsecùs aduenientem, quam disput. 11. suæ Logicæ sic definit: *Relatio extrinsecus adueniens* est respectus realis realiter distinctus ab extremis, non præsupponens aliquid ex parte ipsorum: Ex quo necessariò sequitur, quòd non sit actio productiua ipsius, cuius totum esse est ad aliud se habere. Cæterum, quidquid sit de modis intrinsecis, modi extrinseci sic explicati nullo modo admitti possunt: vel enim rationem formalem, & propriam relationis habent, vel non. Si primum, erunt relationes prædicamentales; ac proinde quid completum, & res, non autem quid incompletum, & modus. Si verò secundùm, quòd scil: non competat ipsis ratio formalis relationis. Ergo non erunt illud, cuius totum esse est ad aliud se habere, sicut dicit Pontius, cùm hæc sit ratio formalissima relationis prædicamentalis, prout patet ex Aristotile. Quòd si sola relatio transcendentalis modis hisce extrinsecis attribuatur, non distinguentur ab intrinsecis, cùm etiam hi, & quicunque fuerit modus, dicant relationem transcendentalem ad rem, cuius sunt modi, vti diximus in primo Supposito.

Secunda sententia est P. Suarez suæ Metaph: Tomo 1. disp. 7. sect. 1. n. 18. qui rationem formalem Modi explicat per hoc, quòd sit ens, sumendo entitatem pro illa re, quæ ex se, & in se ita est aliquid, vt postulet omninò intrinsecè, & essentialiter esse semper affixam alteri, cui per se immediatè vnitur sine medio alio modo. Hæc sententia, etsi nil contrarium afferat rationi formali modi, non tamen sufficienter illam explicat; & quod plus est, inconsequentiæ arguit Authorem. Primum patet ex eo, quòd ista ratio etiam accidēti perfecto, v.g. qualitati, potest competere, cùm omne accidens petat esse inhærens, & affixum alteri, scilicet substantiæ, & quidem per se immediatè in sententia illorum, qui dicunt accidentia seipsis immediatè vniri substantiæ, sicut & forma materiæ,

Digitized by Google

teriæ, & non mediatè aliquo modo. Nō igitur sufficiēter explicat rationem formalem modi, vt distingui ab alijs. Secundum, quòd scilicèt sententia hæc inconsequentiæ arguat Authorem, ostenditur ex eiusdem doctrina: Tomo namque 2. disp. 22. sect: 12. n. 18. & 19. docet, modum accidentalem, aliquando non pertinere ad complementum, & constitutionē alterius accidentis, sed per sese peculiari modo afficere substantias, vel immediatè, vel mediatè aliquo accidente, & tunc per se habet peculiarem rationem accidentis: Eodem autem Tomo disput. 34. sect. 5. docet, in accidente actualem inhærentiam esse quēdam modum, per quem accidens vnitur substantiæ; & ita illi modi, qui peculiarem rationem accidentis (secundum ipsum) habent, mediante modo inhærentiæ afficient rem, cuius sunt modi. Quomodò ergo subsistet doctrina ipsius docentis, modum esse entitatem quandam postulantem intrinsecè, & essentialiter esse affixam alteri (hoc est rei modificatæ,) cui per se immediatè vnitur sine medio alio modo, cū doceat modos aliquos accidentales mediante modo inhærentiæ vniri substantiæ? Vel ergo allata definitio modi est insufficiens, vtpotè non competens omni modo, vel si sufficiens, inconsequentiæ in doctrina sua arguitur Author.

Tertia Sententia est NN. PP. Complutensium in Log: disput. 15. quæst. 2. n. 18. & aliorum Thomistarum, qui docent, quòd Modus strictè sumptus sit ens quoddam imperfectissimum, incompletum, non constituens aliquod genus, aut speciem entis, neq; est vera pars, sed pura modificatio, & affectio Entis, ad eius prædicamentum reductiuè pertinens, & per ipsius esse existens, vti est pūctum, post prædicamenta, & c. Pro resolutione

Dicendū est, Rationē formalem Modi rigorosi definitione sequenti optimè explicari. *Modus est quædam entis affectio purè adiacens, ponensq; limitatiuam præcisè in eo determinationem*. Hæc definitio desumitur ex doctrina, locis supra allegatis D. Thomæ, explicatque id, in quo conuenit cum alijs Modus, & in quo differt, nil superfluum affert, nil diminutum, vt ex expensione, & explicatione patebit, proinde iuxta regulas Log: erit bona. Aduertendum tamen est, quòd definitio Modi, sicut & entis, cuius Modus est affectio, non potest esse rigorosa; Modus enim vt sic non potest habere rationem generis, aut vniuoci respectu suorum inferiorum, sed est quædam ratio tantùm suo modo analoga; proinde definitio (quæ in rigore debet constare ex genere, & differentia) non poterit esse rigorosa, quamuis naturam ipsius, quātùm fieri potest, explicet. In primis igitur ponitur loco rationis superioris, seù quasi generis, *ly affectio entis*. Illa enim particula non tantùm Modi, sed & omnibus afficientibus ens, vti sunt

proprietates entis, est communis. Reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ. Per ly *purè adiacens* distinguitur tùm ab ipsomet ente, quod non importat in suo cōceptu huiusmodi adiacentiam, tùm à substantia, quæ est ens per se subsistens, & non adiacens, tùm etiam ab ipso accidente, quod nō est ita purè adiacens, vt aliquando in rerum natura dari non possit sine adiacētia ista, vt patet in speciebus Eucharisticis, quæ sunt accidentia in rerum natura absque eo, quòd adiaceant, vel inhæreant substantiæ. Deinde hac eadē particula innuitur, tùm quòd Modus sit quid incompletum, tùm quòd in rigore non habeat *esse* proprium, tùm quòd separatum à re modificata nequeat consistere. Primum quidem sequitur ex secundo. Quia quod nec quidditatem, nec *esse* habet in rigore, non poterit vtiq; habere rationem completi, sed ad sūmum alicuius incompleti. Secundum vero facilè ostenditur; quia quidditas in rigore importat rē, quæ est in se quid ratum in se, fixumq; extra animā, purè autem adiacens alteri non est quid ratum, fixumque, sed potiùs infixū (vt ita dicam) alteri. Tertium tandem clarè patet. Etenim si adiacens purè nec quidditatem, nec esse habet in rigore, quomodo separatum à re, cui adiacet, poterit consistere? cùm sine *esse* nihil valeat in rerum natura cōsistens inueniri. Ceteræ particulæ, scil: *ponens limitatiuam præcisè determinationem*, in primis explicant effectum formalem Modi, cùm Modus ex doctrina S. Doct. supra polita oriatur ex limitatione in creatura, & illam ex se conferat, rem determinando ad certum statum: Deinde insinuant differentiam Modi à partibus realibus totum aliquod reale componentibus; nam quamuis partes, in quantùm tales, sint quid incompletum, non tamen ponunt ad inuicem determinationem præcisè limitatiuam, sed etiam perfectiuam, vt patet in forma substantiali, quæ ponit determinationem in materia, & cōsequenter in composito, vt sit huius, & non alterius speciei; attamen illa non est præcisè limitatiua, sed & perfectiua, vt expendenti patet: huiusmodi autèm determinatio nequit oriri à Modo, qui sicut nullum ex se affert *esse*, sic nullam perfectionem, illud cōsequentem afferre potest.

Argumenta in Contrarium soluuntur.

PRimum argumentum in fauorem primæ sentētiæ. Præter modos intrinsecos rerum dantur aliquæ relationes extrinsecus aduenientes. Ergo dantur aliqui modi extrinseci. Conseq: patet, quia per relationes extrinsecus aduenientes nil aliud intelligitur, quàm modi quidam extrinseci, & ita si illæ dantur, etiam hi debebunt admitti. Anteced: verò prob. præter modum intrinsecè afficientem, vti est v.g. pun-

punctum respectu lineæ, vnio respectu materiæ, & formæ datur v. g. Situs, vbi. Quando &c. Sed hæc nihil aliud sunt, quàm relationes extrinsecus ad venientes. Ergo dantur &c. Maior patet. Minor prob. Vbi, Situs, Quando quantùm ad intrinsecam sui rationem dicunt respectum, & relationem ad aliquid extrinsecum. Ergo sunt relationes non prędicamentales, quia constituunt diuersa prædicamenta à prædicamento relationis; neque transcẽdentales, dicunt siquidem respectum ad aliquid extrinsecum, vt existens, ita vt ablata eius existentia, tollãtur, prout expendenti patet; transcendentalis autem relatio non respicit necessariò terminum, vt existentem. Ergo relinquitur, quòd sint relationes quędam secundùm esse extrinsecus aduenientes.

Resp. negando Anteced. & Minorem probationis eius. Ad aliam probationem dicendum est, Situm, Quando &c. esse relationes transcen: Ad id verò quod in contrarium affertur. Relatio transcendentalis non respicit necessariò terminum, vt existentem: Distingu: Sub ratione pura termini; Conced: Sub alia ratione, aut munere subdist: non respicit omnis vninersaliter loquendo. Conced: aliqua intra latitudinẽ relationis transcendentalis contẽnta. Neg: Non enim per hoc præcisè distinguuntur inter se relatio prædicamentalis, & transcendentalis, quòd illa respiciat necessariò terminum existentem, hæc verò non, sed per hoc quòd prædicamẽtalis respiciat terminũ existentem sub ratione pura termini, transcendentalis verò sub alia ratione, aut munere respicit terminum, siue ille fuerit existẽs, vt in aliquibus, siue non, vt in alijs contingit.

Secundum Argum: contra primam particulam definitionis, vel ly *affectio entis*, in præsenti sumitur pro proprietate entis, vel pro eo, quod afficit. Non primum; quia sic modus esset proprietas entis, cùm tamen inter illas non connumeretur. Neq; secundum, nam hoc exprimitur per ly *adiacens*, & ità superflua erit hæc prima particula.

Resp. ly *affectio* ponitur pro eo, quod afficit, nec propterea idem exprimit, quod ly *adiacens*, nam ly *adiacens* purè specialem modum afficiendi affert, & ita loco differentiæ ponitur: at verò *affectio* modum afficiendi communem denotat, qui conueniat diuersis afficientibus, siue afficiãt per modum proprietatis, siue per modum accidentis, siue per modum alicuius determinationis, & ita meritò primo loco, vt quid commune, tanquam ratio quædã superior ponitur.

Tertium Argum. contra secũdam particulã scilicet *purè adiacens*: hac particula insinuatur, quòd modus sit quid omninò incompletum. Sed dantur modi, qui in sua linea sint quid completum. Ergo hæc particula non rectè ponitur. Maior ex præsuppositis, & definitione patet. Minor,

nor verò prob. Quando, Vbi, Situs,&c: sunt quid completum, vtpotè prædicamenta diuersa, quæ non possunt esse quid incõpletum. At hęc sunt modi quidã ex adiacentia extrinseci resultantes, vt communiter docent authores, quod etiam patet ex sessione, quæ situm quendam dicit, & communiter vocatur modus sedentis. Ergo dantur modi, qui sint quid completum.

Resp.neg.Minorem. Ad prob. Situs, Quando, &c. sunt modi in lata acceptione sumpti.Conceditur,in stricta,& rigorosa, sicut in præsenti loquimur.Negatur;cùm enim quædam accidentia, etsi in se completa sint, tamen exiguæ valde,ac debilis entitatis,in hocque imitentur modos rigorosos, ex alio capite quodammodò modificent, quasi determinationem tribuendo subiecto,illudque afficiendo, habent magnam affinitatem cum modis rigorosis; & propter hoc nomine modorum aliquando insigniuntur ab Authoribus, licet de facto non sint modi in rigore, & hoc est quod etiam nost. Complut:in Log.dis. 15. quæst: 2. specialiter notant, docentes modum aliquando solere restringi ad quædam accidentia,quę licèt reuera sint entia completa,sunt tamen minimæ,& imperfectissimæ entitatis, quo sensu figuras, relationes, & sex vltima prædicamẽta solemus appellare modos. Hæc illi.

Dices. Sequitur ex dictis modum habere propriam aliquam speciem, cum definiatur; nihil enim definitur nisi sit species, vt docet Aristot: 7. Metaph. Textu 39.& sic propriã quidditatem rigorosè habebit.

Resp.Modum non definiri definitione rigorosa, de cuius tantùm definito dictum Aristot. verificatur,sed tantùm quasi describi, aut explicari, sicut superiùs dictum est de conceptu entis, & ita non sequitur, quòd debeat habere aliquam speciem in rigore sibi propriam, & ratio est; nam species non datur,nisi detur genus, sub quo contineatur: genus autem modi non datur, vel enim esset supremum distinctum à decem generibus prædicamentorum,& hoc nullus Philosophorum admisit; qui tantùm decem genera vnanimi consensu constituunt, vel pertinens reductiuè ad aliquod ex decem prædicamentis;ac proindè distinctum ab illo,& hoc admisso,etiam species eodem modo se habebit, reductiuè scilicet pertinebit ad speciem rei modificatæ (quod libenter concedimus) sed hinc iam sequitur, quòd non habeat sibi propriam, & distinctam speciem à specie rei modificatæ, & ità nec quidditatẽ. Sed

Replicabis.Forma substantialis v.g. non habet proprium peculiare genus, sed reductiuè pertinet ad genus substantiæ completæ, immò species incompleta ipsius ad speciem completam compositi,quod ipsa in ratione talis constituit; & tamen,hoc non obstante, habet sibi propriam,sicut speciem incompletam, sic & quiddi-

ta-

Digitized by Google

tatem distinctam realiter distinctione includentis, & inclusi à quidditate substantiæ completæ, scilicet compositi substantialis. Ergo idem cùm proportione erit dicendum de modo.

Resp. concedendo Anteced.& neg. Conseq: Disparitas est, quia forma substantialis, ex quo est quid incompletum in se non potest habere proprium genus, sed reductiuè debet pertinere ad genus, & speciem illius, in quo accipit complementum: attamen quia intra lineam incompleti habet veram rationem *rei*, vtpotè constitutiua realis substantiæ nil ipsi deest, quominùs speciem, & quidditatem propriam saltim incompletam habeat; res enim, vt supra ostensum ex D. Thoma exprimit quidditatem. At verò modus ita ad genus, & speciem rei modificatæ pertinet reductiuè; quòd nō habeat rationem rei cōstitutiuæ ipsius; aliàs rationem modi amitteret) sed tantū affectionis cuiusdam limitatiuæ, aut modificatiuæ; proinde nec intra lineam incompleti poterit habere propriam aliquam quidditatē.

Quartum argum. contra vltimas definitionis particulas, scilicet ponens limitatiuam præcisè determinationem. Modus tribuit rei modificatæ determinationem tantummodò perfectiuam. Ergo non præcisè limitatiuā. Conseq. patet. Anteced.prob: subsistentia v.g. inprobabili sententia etiam est modus, similitèr modus maioris radicationis, est etiam aliquis modus. Sed ista tribuunt determinationem perfectiuam. Ergo &c.Maior supponitur ex alibi dictis. Minor prob. subsistentia, vti est personalitas, constituendo personam, reddit eam id, quod perfectissimum est in tota natura, vt docet D. Thom: 1.p. q.29.3.c. Ergo tribuit aliquam determinationem. Similiter modus maioris radicationis alicuius qualitatis, cùm importet quandam actualitatem, tribuit maiorem perfectionem qualitati in informando, & in agendo; ac proindè determinationem perfectiuam. Ergo modi recensiti tribuent determinationem perfectiuam, & non præcisè limitatiuam. Vt fundamentaliùs huic argumēto respōdeatur.

Notandum est, ex elongatione ab esse in essentia creata oriri limitationem; hoc enim ipso, quod non sit suum esse absque distinctione, recipit illud realiter, quā receptionem consequitur limitatio; quia verò ista limitatio habet magnam latitudinem secundùm quòd vnius essentiæ est maior, vel minor elongatio ab esse; hinc est, quòd dantur diuersi status limitationis in creaturis; determinatiuum autē ad diuersos huiusmodi status limitationis est modus, cuius effectus formalis est rem modificare, idest in determinato aliquo limitationis statu collocare: & hoc est, quod insinuat S. Tho: quæst. de veritate 21.a.6. dum dicit: vbicunque est aliquid receptum, oportet ibi esse modū: volens per hoc ostendere limitationem deteterminatam (quæ inuoluitur in esse recepto) prouenire

nire à modo, tanquàm effectum à sua causa, licèt limitatio absolutè ordinariè proueniat ex dicta elongatione essentiæ ab esse, & ita effectus formalis primarius modi erit, rem ponere in determinato statu limitationis; cùm autem determinatum statum limitationis creaturę consequatur sibi correspondens determinata perfectio, illa, vtpotè consequens ad effectum formalem primarium modi, poterit dici effectus formalis secundarius, sicut esse dicitur effectus formalis secundarius formæ informantis, ex eo, quòd consequatur ad effectum eius primarium. Hoc ergo præmisso.

Resp. ad argum: Modus tribuit determinationem perfectiuã tanquam effectum formalem primarium. Negatur, tanquàm effectum secundarium. Conceditur; quando autem de formis, aut quasi formis loquimur, rationem essentialem ipsarum indagando, maximè attendimus ad effectum ipsarum primarium, non verò secũdarium; cùm ergo effectus formalis, vel quasi formalis primarius modi non sit tribuere determinationem perfectiuam, sed hoc spectat ad secundarium; limitatiuam verò ponere determinationem, sit primarius, hinc attendendo præcipuè ad hunc, optimè dicitur, quòd tribuat determinationem præcisè limitatiuã. Quòd autem determinatio perfectiua non sit effectus, quasi formalis primarius modi, facilè ostenditur; nam determinationem perfectiuam, tanquam effectum formalẽ primarium, forma non potest tribuere, quæ in se non fuerit quid perfectum, cùm effectus primarius formalis formæ sit ipsamet forma, vt communicata. Sed modus rigorosus non est quid in se perfectum; in tantùm enim vnumquodque est perfectum, in quantùm est in actu, vt docet D. Tho: 1. quæst. 5. ar. 1. & quidem de actu existentiæ ibi loquitur, prout patet ex contextu benè perpẽso; modus verò non est in actu existentiæ sibi proprio, immò neque in actu essentiæ, secundùm supradicta, sed *esse*, & quidditas ipsius est, *esse*, & quidditas rei modificatæ. Igitur modus secundùm se præcisè, & ex se non poterit tribuere perfectiuam determinationem, tanquam effectum formalem primarium. Sed

Dices, Modum maioris radicationis in qualitate supra entitatem v. g. caloris addere quandam actualitatem, ratione cuius ipse calor meliori modo se habet, & efficitur perfectior, vt docent NN. Complut: in Lib: de generat. disp: 4. quæst. 9. vbi etiam videntur ipsi tribuere perfectionem. Ergo ratione illius actualitatis habebit illam, sicque poterit, tanquàm effectum primarium, communicare.

Resp. admittendo Anteced: Nàm cùm Modus sequatur conditionem rei modificatæ, si illa fuerit forma, & actus, sicut est v. g. calor, modus ipsius non poterit non esse aliqua actualitas: Negãda tamen est consequentia; quia non omnis actualitas est suffi-

cicus

ciens ad habendam perfectionē, vt patet in entibus mathematicalibus,quæ, secundùm quòd talia, quamuis habeant actualitatem essentię suæ,quia tamen pręscindunt ab actualitate existentiæ, sicut non dicunt bonitatem, iuxtà aliorum sententiam,ita nec perfectionem.Pari ratione igitur, Modus, etsi habeat actualitatem suæ formalitatis, quia tamen ex proprijs non affert esse existētiæ, non poterit habere secundùm se. præcisè, & in se perfectionem. Dixi secundùm se,& in se,quia si consideretur secundùm quòd est eadem entitas cum re modificata, non erit ipsi deneganda perfectio, quam etiàm rei modificatæ possit communicare, nàm secundùm hāc rationem inuenitur in eo sufficiens actualitas ad habendam perfectionem, sicut inuenitur in ipsa re identificante sibi talem modum.Sed

Replicabis.Illa perfectio,quam Modus communicat rei modificatæ, secundùm quòd identificatur cum illa,vel est propriè ipsius modi, vel est rei modificatæ. Si primum, habetur intentum,quòd Modus habeat ex se, & in se perfectionem, quam tribuat. Si secūdùm dicatur. Ergo modus illam non poterit communicare; quia communicatio alicuius non fit alteri, nisi recipiens careat illo, habeat verò communicans.Si igitur dicta perfectio est rei modificatæ, proinde res modificata non careat illa, careat autem modus,ex se non poterit eam certè communicare.

Resp. ad hanc replicam, (quæ non exiguam inuoluit difficultatem) perfectionem dictam esse propriam rei modificatæ, non quidem ab ipsa formaliter explicitè habitam, attamen radicaliter, vel entitatiuè implicitè,vt ita dicam, præhabitam, ideoque secundùm esse explicitum formaliter, aut etiàm actuale, posse communicari à Modo (vt importat identificationem cum re modificata) tanquàm effectum ipsius secundarium. Quod vt percipiatur meliùs, & difficultas radicitus explanetur.

Aduertendum est,& notādum, posse formam afficientem subiectum tribuere eidē aliquam perfectionem, quam ipsa ex se non habeat formaliter,nec in ipsomet subiecto, cui communicatur,actu inueniatur, vel quoad esse explicitum, vel quoad esse actuale absolutè (quamuis ab eo præhabeatur radicaliter) attamen ad positionem effectus primarij formæ talis, ob necessariam connexionem, tanquàm effectus secundarius, subsequitur perfectio illa in subiecto modo explicato præhabita. Exemplificatur hoc in forma accidentali raritatis tribuente subiecto quanto perfectionem virtutis occupatiuæ maioris loci. Hæc forma actu in se non habet perfectionem virtutis occupatiuæ loci,quia hęc est propria quantitatis, non qualitatis, qualis est raritas in sententia S.Thomæ, nec habetur actu quoad esse explicitum à subiecto quanto secundùm se,& vt præcisè

affecto quantitate, nàm virtus maior occupatiua loci, vel sunt partes magis dilatatæ quantitatis, vel plures: supponimus autem non esse plures, quia totidem in raro, ac denso; nec sine raritate dilatatas, nisi fortè radicaliter. At vbi forma raritatis affecerit quantitatem, suumque ei tribuerit effectum formalem primarium (qui est taliter, vel taliter modificare, vel determinare illam) statim subsequitur, tanquàm effectus secundarius ipsius, ipsa partium dilatatio maior, quæ est virtus maior ad occupandum ampliorem locum. Similiter forma substantialis composito substantiali, idest essentiæ completæ substantiæ materialis, tribuit perfectionem vltimæ, & perfectissimæ actualitatis, quæ est existentia, quam tamen formaliter in se non habet; cùm sit actus primus, non secundus, vti est existentia; nec etiam actu illam possidet essentia substantiæ completæ, quæ est compositum, cùm sit in potentia receptiua *esse*, quamuis possit dici radicaliter illam præcontinere, in quantum est radix, & principium essendi: attamen vbi effectum suum formalem primarium tribuerit forma composito substantiali, qui est informare materiam, & dare speciem composito, necessariò subsequitur, & actu ponitur in tali composito actualitatis vltimæ perfectio, tanquàm effectus secundarius formæ substantialis, qui ob necessariam connexionem cum primariò indispensabiliter eundem concomitatur, & consequitur. Hoc idem igitur proportionaliter intelligendum est de modo v. g. maioris radicationis respectu rei modificatæ. Nàm in primis modus hic non continet in se actu, & secundùm se præcisè cõsideratus, perfectionem maioris virtutis, quæ est v.g. in calore ad magis calefaciendũ, aut perfectiùs informandum subiectum, ob rationem supra positam; nec ipsemet calor secundum se actu, & formaliter quoad esse explicitum illam habet: etsi præhabeat quoad entitatem, tanquã radix ipsius. Cæterùm posita idẽtificatione modi cum entitate caloris, effectuque ipsius primario, qui est limitatiuã determinationem ponere ad talem, vel talem statum, cui correspondeat huius, vel illius gradus perfectio, indispensabiliter consequitur in ipsa entitate caloris explicatio, vel esse explicitum perfectionis illius, secundùm quam se ampliùs subiecto valeat communicare, agereque vigorosius, (tanquàm effectus formalis secundarius ipsius modi) non ad modum ipsum præcisè, neque ad entitatem solam rei modificatæ, sed ad vtrumque in identitatem cõfluens consecuta.

Ratio horum omnium est, quia quòd aliqua perfectio communicetur à forma alicui subiecto, tanquàm effectus secundarius, requiritur, vt necessariam connexionem consecutionis (connaturaliter loquendo) habeat ad effectũ primarium formæ; ille enim dicitur secũdarius effectus formalis

formæ,

Digitized by Google

formæ; qui consequitur ad primarium: Ad hanc autem connexionem consecutionis non requiritur, quòd perfectio consecuta contineatur secundùm suum esse formale actu in ipsamet forma, aut subiecto cum præcisione sumpto: Non quidem in forma; quia forma, secundùm quòd talis, formaliter cōtinet ea, quæ sunt propriæ entitatis, & eiusdem secum rationis; perfectio autem consecuta, vt effectus secundarius, potest esse diuersæ rationis à forma, ad quam consequitur, vt patet in existentia respectu formæ informantis. Neque etiam requiritur, quòd contineatur in subiecto, secundùm se præcisè: nàm subiectum in quantùm tale, cùm dicat potentialitatem, nullam perfectionem, (quæ semper in actualitate fundatur) potest formaliter, & actu continere, nisi ipsi ab efficiente, vel forma aliqua communicetur. Cæterùm quādo forma informat subiectū, tribuit ei effectum suum formalem primarium, qui est informatio, & quia effectus formalis secūdarius formæ, ob necessariam connexionem cum primario, eandem consequitur omninò ex vi actionis agentis vtrumque attingentis, hinc est, quòd perfectio aliqua, etsi nec in forma cùm præcisione, nec in subiecto, secundùm suum esse formale, vel saltim quoad explicationem sui, cōtineatur actu, dummodò habeat connexionem cum effectu primario formæ, ex ipsa communicatione eiusdē subiecto, tanquam effectus secundarius subsequitur.

§. *Vbi Quæres: Quænam sit Diuisio Modi?*

SVpposita doctrina de diuisionibus Entis, quam superiùs tradidimus, circa diuisionē Modorum nil aliud occurrit notandum, præterquamquod in præsēti præcipuè attendimus ad diuisionem potentialem, secundùm quam Modus, vt est totum quoddam potentiale, diuiditur in suas partes potētiales, seu inferiora, & quidē diuisione Analogi in analogata; Modus siquidem Entis, vtpotè non ponens in numero cum Ente, non potest habere maiorem vnitatem ipso, & ita cùm Ens nō diuidatur diuisione Vniuoci in vniuocata, sed tantùm Analogi in analogata, Modus etiàm simili diuisione diuidi debebit. Quia verò Modus rigorosus ex eo, quòd determinationem afferat limitatiuam, (vt ex supra dictis patet) non potest inueniri, nisi in Ente creato, proindè proportionaliter ad illud

Modus prima diuisione diuidetur in Modum substantialem, & accidentalem, sicut Ens creatum diuiditur in Substantiam, & Accidens. Quam diuisionem insinuat S. Doctor de Verit: quęst. 21. art. 6. ad 5. dum inquit. *Cùm esse Creaturæ essentiale, & accidentale sit receptum, sic modus inuenitur non solùm in accidentalibus,*

sed & substantialibus. Rursus Modus accidentalis subdiuiditur in modos, qui vagantur per diuersos rerum ordines, & illos, qui ad vnum determinatè ordinem pertinent. Modi prioris generis præcipuè sunt illi, quos post prædicamenta vocamus, scilicet Oppositio, Prius, Simul, Motus, Habere. Posterioris generis verò sunt in quadruplici differentia, iuxta quaternarium numerum ordinũ rei. Et ita alius est Modus, qui pertinet ad ordinem entitatiuũ præcisè, qui etiam ordo naturæ, aut rei vocari solet, & in isto ordine Modi tàm substantiales, quàm accidentales inueniri possunt. Alius deinde est, qui spectat ad ordinem repræsentatiuum, seu Intẽtionalem: Alius item est spectans ad ordinem moralem, qualis est ille, qui afficit actus humanos. Vltimus tandem, qui ad vltimum ordinem, scilicet artificialem, pertinet, & vocatur modus Artis.

De prima diuisione Modi in substantialem, & accidentalem, eorumque inter se differentia, & rationibus constitutiuis (suppositis ijs, quæ dicta sunt in præcedenti quæstione, & in Disput: de Diuisione, & conceptu Entis) nõ occurrit aliquid speciale dicendum; nàm cùm Modi sint quædã affectiones substantiæ, & accidentis, eorumque conditionem sapiant, hinc proportionabiliter, ipsorum differentia inter se, ad differentiam, quæ intercedit inter substantiam, & accidens, concipienda est. Et quia deinde Modi, intra ordinem entitatiuum præcisè contenti, sunt accidentales, aut substantiales, non afferunt maiorem difficultatem suprà primam diuisionem Modorum. Dicenda verò, si quæ occurrunt, de modis, qui vagantur per diuersos rerũ ordines, patebunt ex ijs, quę discutientur circa modos vniuscuiusque ordinis in speciali. Vnde non remanet agendum in præsenti, nisi de modis in triplici rerum ordine contentis, in ordine scilicet repræsentatiuo, morali, & artificiali, quia ex his singulæ diuisiones satis patebunt. Consulantur de Modis alij Authores. Nos doctrinam in PP. Salmaticenses sparsim datam venabimur. Sit igitur.

QVAESTIO III.

Quidnam sit Modus Ordinis repre∫entatiui, et qualiter ∫e habeat ad e∫∫e repre∫entatiuum.

SVpponendum primò, non cognoscentia à cognoscẽtibus, in hoc differre, quòd hæc habeãt formas aliarum rerum, sicquè fiãt quodammodò omnia, vt docet Aristot. 3. de Anima tex. 33. & S. Thom: ibidem lect. 13. secus verò non cognoscentia: quia tamen modus essendi naturalis formæ, ita ipsam limitat, & determinat, vt nequeat esse nisi huius, & non alterius, ideò natura prouidit ei alium modum essendi, magis

am-

amplum, & indeterminatum, qui esse intentionale, seù cognoscibile dicitur, secundùm quem non in vno, sed in pluribus eadem forma manens possit inueniri; mediante proinde isto modo essendi cognoscentia, alia à se fieri possint. Hinc consurgit in rebus specialis quidam Ordo, ab alijs dictus esse cognoscibile, ab alijs esse intentionale, ab alijs denique esse representatiuum; quæ quamuis secundùm rem, loquendo pro eodem indiscriminatim accipiãtur, non tamen formalissimè sunt idem. Interim esse *cognoscibile*, formaliter loquẽdo, nil aliud importat (vt aduertunt nost. Salmatic: Tomo 1. Tract. 3. disp. 2. n. 74.) quàm esse quodammodò immateriale vnibile in ratione obiecti cùm virtute cognoscitiua; & ita per se diuiditur penès maiorem, vel minorem immaterialitatem, & penès distinctum obiectum in esse intelligibili per se inspectum, & vnitum cũ ipsa virtute cognoscitiua, non verò penès rationem essendi per se, aut in alio in ordine entitatiuo, quia verò ad esse immateriale vnibile in ratione obiecti cùm potentia cognoscitiua concurrit, & ipsa potentia cõcurrit operatio illius, quæ est cognitio, species repræsentatiua obiecti, quæ est vicaria eiusdem; hinc est, quòd omnia hæc secundùm quod identificantur in esse cognoscitiuo, eundem ordinem constituuunt superadditum ordini entitatiuo, qui vocatur ordo cognoscibilis, in quantùm cognitio ad esse illius concurrit. Vocatur etiam intentionalis, in quantùm intentio, seù attentio potentiæ cognoscitiuæ ad obiectum in illo inuenitur. Denique dicitur representatiuus, quia sine repræsentatione obiecti potentiæ cognoscitiuæ esse immateriale vnibile in ratione obiecti non perficitur. Cùm autem in hoc ordine præcipuum, quod attenditur, sit vnio obiecti cognoscibilis cùm potentia cognoscente ad hoc, vt fiat alia à se, & ista nonnisi mediante representatione tenente se ex parte obiecti fiat: hinc est, quòd ordo hìc superadditus ordini entitatiuo magis propriè poterit vocari ordo repræsẽtatiuus.

Supponendum est secundò. In ipsamet specie intentionali, siue sit sẽsibilis, siue intelligibilis, quæ maximè attenditur in ordine repræsentatiuo duplicem ordinem distingui entitatiuum scil. & intentionalem, seù representatiuum; Vnusquisque autem horum ordinum in illa habet suum proprium constitutiuum, suumque proprium modum essendi: sic v.g. in specie hominis: Constitutiuum in ordine entitatiuo est quædam ratio athoma qualitatis, petentis veram inhærentiam eius conditionis, vt habeat sibi adiunctum per modũ accidentis inseparabilis esse intentionale, seù rapræsentatiuum eiusdem speciei intelligibilis, quæ quidem ratio athoma est coniuncta cùm ratione numerica propria istius speciei secundùm quam numericè distinguitur in esse entitatiuo à quacunque alia specie intentionali. Deinde in

eadem

eadem specie hominis repræsentatiua in ordine intentionali cõstitutiuum est ipsæ natura hominis, omnia scilicet prædicata quidditatiua ipsius per talem speciem repræsentata; Modus autem essendi, per se primò petitus est tanta, vel tanta immaterialitas ita modificata, & depurata, vt natura obiecti possit, vt est sub hac puritate sic modificata trahi ad potentiam intellectiuam, & vniri cum ipsa. Ratio horum est; nam cùm proprium speciei intelligibilis (sicut est specis hominis) sit trahere naturam obiecti ad potentiam intellectiuam, eamq; vnire cum ipsa, oportet vt prædicta species contineat in se, tàm naturam ipsius obiecti, quàm modum essendi ita immaterialem, & modificatum, vt sit aptus ad faciendam talem vnionem, & quòd natura ibidem contenta; sit constitutiuum talis speciei sic considerate, quia species est eiusdem numero naturæ cum obiecto suo, vt probant nost. Salmatic: Tract: 3. disp. 2. n. 66. ex Aristot. & D. Tho: obiecti autem constitutiuũ est sua natura, & ita idem erit, & speciei.

Supponendum est tertiò. In ordine repræsentatiuo duplicẽ modũ essendi deberi distingui. Vnus est, qui potest vocari modus indispensabilis. Alter modus essendi diminutus; non incongruè dici potest: Modus indispensabilis, seù per se primò petitus in ordine repræsentatiuo est conditio quædam tantæ, vel tantæ immaterialitatis naturæ in specie relucentis, eam sic afficiens, & modificans, vt cum tali modificatione species valeat sensibiliter, aut intelligibiliter vnire obiectum cum potentia, trahendo illud ad ipsam: dicitur autem modus indispensabilis, quia sine huiusmodi conditione modificante nõ potest vniri obiectum potentiæ; nec proinde esse repræsentatiuum in specie perfici; Modus verò diminutus est quidam modus speciei accidentalis, entitatiuè cùm statum immaterialitatis eidem conferens, sub quo obiectum possit cognoscibiliter vniri potentiæ, ita tamen quòd non pertineat ad conceptũ quidditatiuum speciei in esse cognoscibili, vel repræsentatiuo formaliter, neque sit modus necessariò, & indispensabiliter requisitus, & ratio est: nam species in esse cognoscibili formaliter sumpta secundùm suum conceptum quidditatiuum, tantum petit, quòd sit ipsa natura obiecti, & quòd afferat modùm essendi ita immaterialem, & modificatum, vt sub illo possit vnire naturam obiecti cùm potentia, vt docet D. Thomas 1. p. q. 12. a. 2. ad hoc autem non requiritur modus essendi repræsentatiuus diminutus in specie, vt patet in substantia Angeli respectu sui intellectus, quæ absque modo essendi diminuto habet rationem speici intelligibilis, & ita vnitur intellectui proprio, proùt S. Doctor docet 1. p. q. 56. a. 1. quòd autem hic modus vterq; pertinere debeat ad ordinem intentionalem, & repræsentatiuum patet, quia ad lineam ordinis inten-

tentionalis pertinet specialiter deseruire ad cognitionem, intentionem, seù attentionem potentiæ cognoscitiuæ, sicut etiam ad lineam repræsentatiui spectat præsentare per modū principij *Quo*, obiectum potentiæ, sicque illud ei ostendendo vnire, totum autem hoc inuenitur in vtroque modo, quia vterque & deseruit ad attentionem in cognoscendo potētiæ, & præsentat in specie obiectum potentiæ, præsentatumque vnit, vt consideranti patet: Vterque proinde pertinebit ad ordinem intentionalem, & repræsentatiuum: His ergo præsuppositis.

Dicendum est primò Modus essendi repræsentatiuus indispensabilis, est quædam affectio adiacens quidditati ordinis repræsentatiui ad eum statum immaterialitatis eam determinans, in quo possit cognoscibiliter vniri potentiæ cognoscitiuæ. Ad esse autem repræsentatiuum adæquatè sumptum, habet se, vt modus realiter modaliter ab illo distinctus: ad illud verò inadæquatè sumptum, & quoad statum habet se, vt quid virtualiter tantùm distinctum: antequàm autem Conclusio probetur.

Aduertendum est per Statum intelligi determinationem rei ad certum ordinem rerum, prouenientem ab aliquo determinatiuo; status enim dicit quandam consistentiam rei in aliquo ordine consistentia autem ex vi nominis est quasi cum alio sistentia, idest sistentia in certo ordine, proueniens ex alterius determinatione, & ita Status in recto importat determinationem rei ad certum ordinem rerum; prouenientem ab aliquo determinā-te, in obliquo rem determinatam. In præsenti igitur status esse repræsentatiui in recto, & principaliter importabit determinationē naturæ obiecti ad ordinem, & esse repræsentatiuum, prouenientem à modo essendi repræsentatiuo: in obliquo verò, & quasi ex consequenti ipsammet naturam obiecti, quæ determinatur.

Probatur prima pars Conclusionis seu potius explicatur. Sicut secundùm communissimam suam rationem modus exigit, quòd sit quædam adiacens rei affectio (vt supra dictum est) ad certum statum limitatiuam tribuens determinationem, sic talis modus secundùm suum conceptum peculiarem debebit esse adiacens affectio ad specialem statum conferens determinationem. Cùm ergo modus repræsentatiuus indispensabilis sit verò modus deseruiens ad hoc, vt natura obiecti vniatur cognoscibiliter cum potentia cognoscitiua, sequitur, quòd debeat esse adiacens rei, seù quidditati ordinis repræsentatiui affectio, tribuens determinationē ad eum statum immaterialitatis, in quo cognoscibiliter possit potentiæ cognoscitiuæ vniri.

Secunda etiam pars Conclusio ostenditur. Esse repræsentatiuum adæquatè sumptum complectitur naturam obiecti tanquam proprium constitutiuum, & deinde certum statum collatum à modo

es-

essendi repræsentatiuo(prout in primo præsuppoſito viſum eſt. Sed modus eſsẽdi repræsẽtatiuus realiter modaliter diſtinguitur à natura obiecti,vt eſt conſtitutiuũ eſſe repræſentatiui; tùm quia ſic modus à re modificata diſtingui debet: tùm quia natura illa poteſt ſeparari ab hoc modo, & eſſe ſub alio,ſcilicet modo eſſendi entitatiuo. Igitur modus eſſendi repræſentatiuus ab eſſe repræſentatiuo adæquatè ſumpto realiter modaliter diſtinguetur; Attamen non niſi virtualiter, ſi ſumatur inadæquatè & quoad ſtatum ipſius eſſe repræſentatiui, quia huiuſmodi ſtatus inuoluit ipſummet modum eſſendi repræſentatiuum, vt communicantem ſuum effectũ formalem. Sed modus ſecundùm ſe ſumptus non diſtinguitur à ſeipſo, vt tribuit ſuum effectum formalem; niſi virtualiter. Ergo modus eſſendi repræſentatiuus ab eſſe repræſentatiuo inadæquatè ſumpto, & quoad ſtatum tantùm virtualiter diſtinguetur.

Dicendum ſecundò. Modus eſſendi repræſentatiuus eſt affectio adiacens quidditati ordinis repræſentatiui, neceſſariò cum ſpecie, quæ ſit entitatiuè accidens, identificata, ad eum ſtatum immaterialitatis dictam quidditatem determinans, in quo poſſit cognoſcibiliter vniri potentiæ cognoſcitiuæ: ad eſse autem repræſentatiuum etiam inadæquatè,& quoad ſtatum acceptum habet ſe, vt accidens prædicabile virtualiter ab eo diſtinctum.

Prima pars huius Cõcluſionis patet ex præcedenti; Illæ tamen particulæ, ſcilicet neceſsario cùm ſpecie,quæ ſit entitatiuè accidens identificata denotant differentiam, & diſtinctionem ipſius à modo repræſentatiuo indiſpenſabili, qui non neceſsariò identificatur cum ſpecie, quæ ſit entitatiuè accidens, ſicut modus hic diminutus, qui propterea etiam dicitur diminutus; quia & eſse ſuum, & illud cùm quo identificatur (ſcilicet accidens quod eſt ens ſecundùm quid) tantum eſt quid diminutum.

Secunda verò pars probatur,& explicatur. Eſse repræſentatiuum, etiam quoad ſtatum, dicit in ſpecie tantæ, vel tantæ immaterialitatis ſtatum in natura obiecti in ſpecie relucente, ſecundùm quam poſſit cognoſcibiliter vniri potentiæ cognoſcitiuæ. Sed eſse diminutum per accidens ſe habet ad huiuſmodi ſtatum immaterialitatis, vt ex prænotatis, in ſubſtantia Angeli habente hunc ſtatum,ſine eſse diminuto,patet. Igitur etiam reſpectu eſse repræſentatiui,quoad ſtatum, erit aliquod accidens prædicabile virtualiter tamen tantùm diſtinctum, quia tribuendo ſtatum illam immaterialitatis, dùm inuenitur coniunctus cum eſse repræſentatiuo, inuoluitur in ipſo, vt tamen communicans ſuum effectum formalem:modus autem eſsendi à ſeipſo, vt communicante effectum primum formalem, tantùm virtualiter diſtinguitur, vt conſideranti patet. Ergo &c.

Ar-

Argumenta in Contrarium soluuntur.

PRimum Argumentum contra primam Conclusionem. Determinatio ad aliquem statum immaterialitatis non potest prouenire à modo essendi repræsentatiuo, etiam indispensabili. Ergo inconuenienter hoc illi tribuitur in prima Conclusione. Antecedens prob. Ille status immaterialitatis si tribueretur à prædicto modo, vel proueniret à natura, cui adiacet modus hic, & quæ est constitutiuum esse repræsentatiui; vel ab ipsomet cum præcisione; vel ab vtroq; simul. Non primũ; quia natura in specie v. g. hominis tantùm dicit sua prædicata quidditatiua, ipsi proindè in omni statu conuenientia : status autem huius immaterialitatis ipsi non conuenit in omni statu, vt patet in modo essendi entitatiuo, in quo illum non habet. Igitur status prædictus immaterialitatis non poterit prouenire ab ipsa natura. Nec à modo essendi repræsentatiuo cũ præcisione sumpto : quia status immaterialitatis debet prouenire ab actualitate aliqua; Sed modus prædictus non habet maiorem actualitatem, quàm habeat natura, cui adiacet; cùm modus non habeat rigorosè esse essentiæ, aut existentiæ aliud à re modificata (vt supra ostensum est) . Ergo si illa nequit communicare statum immaterialitatis, cũ tota sua actualitate, nec hic modus ipsius eundem poterit tribuere. Nec denique vtrumq; simul, idest natura, vt est cum hoc modo essendi, poterit conferre dictum immaterialitatis statum; quia hæc duo sic sumpta non afferunt nouam actualitatem, sed tantùm coniunctionem, quæ non est aliqua actualitas. Ergo neque afferent nouum immaterialitatis statum, qui sine noua actualitate stare nequit.

Resp. ad hoc Argumentum negando Antecedens. Ad cuius probat. eligitur tertia pars dilemmatis. Ad improbationem verò ipsius respondetur cum distinctione: Hæc duo non afferunt nouam actualitatem, quoad substantiam; Conceditur : quoad explicationem eius; Negatur. Pro cuius intelligentia notandum est, naturam secundùm se consideratam, v.g. hominis, habere ex se sufficientem actualitatem, & immaterialitatem ad hoc, vt in specie possit Intellectui intelligibiliter vniri : tùm qua natura secundùm se est communicabilis, & nõ alligata ad vnum, proindè alteri vnibilis cognoscibilitèr ; tùm etiam, quia est constitutiuum ipsius esse repræsentatiui (vti supra dictum est) in quo sufficiens inuenitur immaterialitas ad vnionem intelligibilem : constitutiuum autem non potest habere minorem immaterialitatem re constituta per illud : attamen natura hæc, quoad suam immaterialitatem, coarctatur per modum essendi entitatiuum, per quem ita limitatur, vt reddatur propria huius tan-

Digitized by Google

tùm, & non alterius; ac proindè illa immaterialitas ipsius sic coarctata quasi quodammodo complicatur, vt patet in natura humana contracta ad hoc indiuiduum v.g. Petri. Cæterùm vbi per aliũ modum essendi, scilicet repræsentatiuum, in alio constituitur statu, & ordine, scil. repræsentatiuo, cùm modus hic non ponat in illa coarctationem, sicut modus essendi entitatiuus, quin potiùs explicet ipsius amplitudinem, & cõmunicabilitatem; hinc est, quòd etiam explicet & actualitatem, seù immaterialitatem eiusdem, quam habebat quidem sub modo essendi entitatiuo, quoad substantiam, non tamen quoad hanc explicationem. Et ita hic modus essendi repræsentatiuus, etiam vt afficiens naturam, non affert nouam actualitatem, & immaterialitatem quoad substantiam, benè tamen quoad explicationem eius, vt dicit solutio. Quod autem modus essendi repræsentatiuus non ponat coarctationem in natura, ostendunt doctissimè nost. Salmat: Tract: 3. de scientia Dei disp: 1. num: 22. ex D.Tho: 3.p.q.50.ar: 2. ex eo quòd natura in esse intelligibili, & repræsentatiuo manet ita vniuersalis, sicut ipsa ratio illius in sua amplitudine exigit, cuius signum est, quòd v. g. natura lapidis in esse intelligibili repræsentatur vniuersaliter. Apparet igitur, quòd modus essendi repræsentatiuus non coarctet, sed potiùs explicet amplitudinem naturæ.

Nec valet, si replices, naturam v.g. bouis, aut Leonis non habere tantam, & tàm perfectam, etiam quoad substantiam, immaterialitatem, quantam habet ex vi modi essendi repræsentatiui in specie Angeli, v.g. Michaelis, cùm modus essendi repræsentatiuus in Angelo, sicut & entitatiuus, in quo fundatur repræsentatiuus, debeat excludere omnem materiam physicam, quam tamen includit natura bouis. Ergo malè dicitur in solutione, quòd modus essendi repræsentatiuus cum natura non afferat nouam actualitatem quoad substantiam.

Resp. enim, admisso Anteced: neg: Conseq: Quando namq; dicimus, naturam cum modo essendi repræsentatiuo in specie non afferre maiorem actualitatem, aut immaterialitatem, quoad substãtiam, quàm habeat secundum se cum præcisione modi essendi entitatiui, loquimur de natura, quę in specie repræsentatur per modum obiecti primarij, non vero per modum obiecti secundarij: natura autem Leonis v. g. in specie Angeli relucens non habet se, vt obiectum primarium in repræsentatione, sed alia quędam ratio superior, in qua diuersæ speciei naturæ adunantur, hoc pacto se habet, cùm Angeli cognoscant per species vniuersaliores hominibus, (de quo in materia de Angelis) & ita mirum non est, si in seipsa non habeat eam immaterialitatem, quam habet, vt est sub modo essendi repræsentatiuo in specie Angeli.

Secundum argumentum contra

tra secundam partem primæ Cõclusionis potentia cognoscitiua, v.g. intellectus, fit vnum per idẽtitatem cum natura obiecti, excludendo distinctionem realem in esse cognoscitiuo, & repræsentatiuo formaliter. Ergo multò magis ipsemet modus essendi repræsentatiuus fiet vnum per identitatem cum illa natura, cuius est talis modus, absque distinctione reali modali. Antecedens supponitur ex Aristot. 3. de an. Text. 37.& D.Th:ibidem lect:13. quam doctrinam latè prosequũtur nost. Salmat: Tom: 1. Tract: 3. disp. 2.dub. 2.§.3.& 4. Conseq: ostenditur ex illo axiomate communi: *propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*. Sed propter modum essendi repræsentatiuum in specie inuentum Intellectus fit vnum per identitatem cum natura obiecti, cùm ista identitas non perficiatur, nisi in esse cognoscibili,& repræsentatiuo formaliter.Ergo à fortiori ipsemet modus essendi repræsentatiuus cum natura,cuius est modus, erit quid vnum per identitatem sine distinctione reali.

Resp.distingu:Conseq. Modus essendi repræsentatiuus,formaliter consideratus,Concedo;materialiter,nego. Explicatur solutio. In Modo essendi repræsentatiuo duo possunt considerari, vnum, quod importat de materiali,aliud,quod importat de formali.De materiali importat rationem communem modi, in qua cum omni modo conuenit. De formali verò affert propriam,sibiq; peculiarem rationem, secundum quam in esse modi repræsentatiui constituitur: sicut homo de materiali quasi importat esse animal, cùm in hoc conueniat cum alijs animalibus, de formali verò esse rationale,per quod distinguitur à cæteris, & in se constituitur. Loquendo igitur de modo essendi repræsentatiuo quoad ea,quæ affert de materiali, sic distinguitur realiter à natura, & re modificata; hoc enim communis ratio modi realis exigit, vti in præcedenti quæst:visum est (Ipsa etiam natura sic concipitur, vt separabilis ab illo: attamen etiam secundùm hanc considerationem, modus non nisi virtualiter distinguitur à prædicta natura,si accipiatur, vt inuoluit simul cum natura statum esse repræsentatiui,licet status ille explicet ea tantùm, quæ in hoc modo habẽt se de materiali, & non de formali: quandoquidem in huiusmodi adhùc statu inuoluitur quodammodò ipsemet modus, qui sub statu,à seipso secundùm se considerato non potest plusquàm virtualiter distingui). Et hoc est, qnod dicit, & probat secunda pars primæ Conclusionis,ad tantò ampliùs manifestandam habitudinem modi essendi repræsentatiui ad naturam obiecti repræsentatam, per distinctionem corũ ad inuicem: in quo etiam tacitæ obuiatur obiectioni. Cæterùm si Modus hic essendi repræsentatiuus attendatur secundùm id, quod de formali importat, hoc est, secundùm illam rationem, secundùm quam in esse repræsen-

tatiui constituitur, omninò identificatur cum natura cuius est modus essendi, nec admittit distinctionem actu, nisi ad summum virtualem, sicut etiam Intellectus cum natura obiecti in specie relucente, in esse cognoscitiuo formaliter, identificatur realiter, cum sola virtuali distinctione, quamuis etiam admittat distinctionem realem entitatiuam potentialem: quam distinctionem realem potentialem (modalem tamen) prædictus modus similiter admittit. Declaratur hoc exemplo substantiæ materialis, & corporeæ, v. g. aquæ, quæ quando ex duplici vase in vnum infunditur, fit vna, & eadem aqua per identitatem realem substantialem, ita quòd inter illas duas aquas, quæ antea erant duæ in duobus vasibus, pro tùnc non intercedat, nisi sola distinctio virtualis ex eo, quòd substantia materialis intra lineam substantiæ non habeat partes actuales, & formales, sed ad summum virtuales, vti doctissimè ostendunt N. N. Complut: lib: 1. de Generat. disp: 5. num. 32. adest tamen etiam distinctio realis potentialis, quia habent capacitatem, & potentiã ad hoc, vt illæ aquę, quæ antea erant duę in diuersis vasibus, ac posteà in vno, & eodem sunt identificatæ, rursùs diuidantur, & actu realiter distinguantur. Proportionaliter ergò in præsenti de modo essendi repræsentatiuo discurrendam est. Modus enim, in esse repræsentatiuo, ita manet identificatus, vt idem realiter sit cum natura, quam modificat ex eo, quòd vnio illius cum natura non perficitur, nisi per identitatem, (prout etiam de intellectu, in esse cognoscibili formaliter, asserunt Nostri Salmatic: Tom: 1. Tract: 3. dub. 2. §. 4. & 5.) virtualiter nihilominùs ab ea distinguitur (cùm non sit de formali conceptu eiusdem) immò realiter modaliter potentialiter, quia adest in natura capacitas ad separationem ab illo, tanquàm proprio modo; modus autem ille, à quo separabilis est res modificata, etsi actu identificetur, cum illa, distinguitur certè ab ea saltẽ potentialiter realiter modaliter, cùm signum distinctionis realis sit extremorum separatio. Et ita de primo ad vltimum, modus essendi representatiuus, secundùm id, quod affert de materiali, distinguetur à natura obiecti realiter modaliter actu, vt dicit solutio, secundùm verò quod importat de formali, tantùm virtualiter, vel ad summum realiter modaliter potentialiter.

Tertium Argumentum contrà primam partem secundę Conclusionis. Modus essendi naturæ entitatiuus non est diminutus. Ergo multò magis modus essendi repræsentatiuus non erit diminutus; ac per consequens malè in Conclus: ponitur diminutus. Anteced: patet; quia modus essendi naturalis, & entitatiuus est status perfectus. Consequen: verò prob: Modus essendi intentionalis, & repræsentatiuus est minus materialis, quàm entitatiuus, atque sic eleuatior, & perfectior. Ergo si modus essendi entitatiuus, etsi mi-

minùs eleuatus intentionali, non est diminutus, à fortiori intentionalis, vel representatiuus non erit diminutus.

Resp. concesso Anteced: neg: Conseq: Ad probat: distingu. Conseq: Si cætera sint paria; Conceditur; Si non sint; Negatur: & quia in præsenti non sunt cætera paria, ideò non sequitur, quod infertur. Itaq; certum est, quòd esse intentionale, & representatiuum in modo essendi representatiuo, cum precisione sumptum, est perfectius, & eleuatius, quam esse naturale, & entatiuum; verùm illa perfectio, & excessus est tantùm secundùm quid, & non simpliciter; licet enim esse liberum à materia sit nobilius (cæteris paribus) eo, quod non est ita liberum, non tamen erit nobilius, aut perfectius simpliciter, sed solùm secundùm quid, si cætera non sint paria: sic accidens v. g. spirituale licet ex eo, quòd spirituale, possit dici secundùm quid nobilius substantia materiali, non tamen simpliciter, & absolutè nobilius, quàm illa, quia cætera, quæ in illa substantia reperiuntur, sunt nobiliora accidenti, vt examinanti patet, cùm ergo modus essendi naturalis, & entitatiuus ex alijs capitibus sit nobilior, & perfectior modo essendi representatiuo, (cuius signũ est, quòd natura, & forma sub illo determinat simpliciter subiectum, secùs verò sub modo essendi representatiuo, vt docet Aristot. lib: 2. de an. Textu 121.) consequens est, quòd iste modus, nempè representatiuus, non sit simpliciter perfectior, aut perfectus, sed potiùs diminutus, iuxta ea, quæ dicta sunt in Conclusione.

Quartum Argumentum contra secundam partem Conclus. secundæ. Esse representatiuum, quoad statum tantæ, vel tantæ immaterialitatis in natura obiecti in specie relucente, secundum quem possit cognoscibiliter intellectui v.g. vniri, est effectus formalis modi essendi diminuti. Ergo modus essendi represẽtatiuus diminutus non habebit se respectu illius, vt accidens prædicabile. Antecedẽs constat; quia huiusmodi status consequitur ex vi coniunctionis talis modi essendi cum natura obiecti, vt omnes admittunt, sicut ex vi informationis formæ respectu materię subsequitur specificatio; quæ est in composito substantiali; & ita sicut propter hoc specificatio est effectus formalis, & quidem primarius formæ substantialis, sic status prædictus cõsecutus ad coniunctionem modi essendi diminuti cum natura obiecti, erit effectus formalis ipsius. Consequ: verò prob: Nam forma respectu sui effectus formalis, præsertim primarij, non potest habere rationem accidentis, cum effectus huiusmodi sit ipsamet forma, vt communicata; idem autem respectu sui ipsius nequit habere rationem accidentis. Ergo si illud esse representatiuũ, quoad statum, est effectus formalis respectu modi essendi diminuti, iàm hic non habebit rationem accidentis respectu illius.

Resp. distingu: Anteced: Esse

repreſentatiuum quoad statum &c. est effectus formalis modi essendi diminuti; simpliciter,& absolute tale; Negatur, esse repreſentatiuum diminutum; Conceditur, & eodem modo distinguitur Consequens. Explicatur solutio. Sicut modus essendi repreſentatiuus absolutè,& simpliciter sumptus diuiditur in seipsum secundùm ea,quæ per se, & indispensabiliter affert, (vocaturque modus essendi repreſentatiuus indispensabilis,) & in seipsum secundùm ea,quæ per accidens,& materialiter involuit, secundùm quam rationem inuoluit etiam modum essendi repreſentatiuum diminutum: sic esse repreſentatiuum quoad statum, illum consequens, potest diuidi in esse repreſentatiuum indispensabiliter consecutum modum essendi repreſentatiuum indispensabilem, & in illud per accidens consecutum ad modum essendi diminutum. Status esse repreſentatiui, per se consecuti ad modum essendi repreſentatiuum, est status tantæ, vel tantæ immaterialitatis, sine quo natura obiecti relucens in specie nequit cognoscibiliter vniri potentiæ cognoscitiuæ: status autem esse repreſentatiui, per accidens subsecuti ad modum essendi repreſentatiuum, est idem status tantæ, vel tantæ immaterialitatis, communicatus ab eo modo essendi, qui esse repreſentatiuum in specie habet identificatum cum esse entitatiuo, quod sit esse accidentale, ad quem modum essendi status prædictus esse repreſentatiui non necessariò, sed per accidens consequitur; nàm etiamsi esse repreſentatiuum modi essendi repreſentatiui non esset identificatum in specie cum modo essendi entitatiuo accidentali, adhuc ad illud consequeretur status esse repreſentatiui, vt patet in modo essendi repreſentatiuo, qui inuenitur in substantia Angeli respectu proprij intellectus (vti supra dictum est) attamen quia in illo esse repreſentatiuo, quoad statum subsecuto ad modum essendi diminutum modo explicatum, duo distinguimus, & esse repreſentatiuum absolutè, & esse repreſentatiuum vt communicatum à tali modo, qui est diminutus, possumus meritò illud nominare esse repreſentatiuum diminutum: sicut & in ipso modo essendi diminuto subtilissimè nostri Salmatic. Tomo 1. Tract. 3. Disp. 2. dub. 1. num. 37. distinguunt & esse repreſentatiuum diminutum per accidens se habens, & esse indispensabile cum illo identificatum. Igitur in solutione dicitur, quòd quamuis esse repreſentatiuum, quoad statum, diminutum, sit effectus formalis modi essendi diminuti, & sic respectu illius non habeat rationem accidentis prædicabilis, non tamen esse repreſentatiuum per se absolutè, & simpliciter tale, erit effectus formalis primarius modi essendi diminuti, formaliter qua talis est, sed per accidens tantum subsequetur ad illum, quia scilicet identificatum est cum esse repreſentatiuo diminuto proueniente ab

ip-

Digitized by Google

ipso, & ita bene poterit respectu huiusmodi esse representatiui habere rationem accidentis prædicabilis. Possent hic plura circa Modum repræsentatiuum tradi, sed Metaphysica (etsi habeat ius in principia Animasticæ) tractās, intra suam abstractionem, de Modis, non vult excedere modum.

QVAESTIO IV.

Quidnàm sit modus in ordine morali, & qualiter se habeat ad rem modificatam.

SVpponendum primò: Ordinē moralem esse quendam ordinem rerum ab Authore naturæ institutum ad tribuendam extrinsecam quodammodò determinationem agentibus liberis, ex se in operando indifferentibus, in ordine ad certum esse, & debitum finem eorum, quam determinationem ex principijs intrinsecis suæ naturæ non possunt habere. Ordo nàmque hic prouisus est in supplementum ordinis naturæ, libertate gaudentis, quæ cùm non determinetur ex aliquo principio naturali ad operandum, (ac per consequens ad attingendum per operationem suam vltimum finē, in quem, sicut & omnis alia creatura tendere debet) sed positis omnibus requisitis ad agendum possit agere, & non agere, idcircò, ne talis naturæ, actus, sine directione Dei in finem eorum remanerent, omninò requirebatur, instituì peculiarem modum directionis aliundè, quàm ex naturalibus principijs, petitum, per quē, sine præiudicio libertatis, sufficiens determinatio adhiberetur, vt si prædicta natura libera velit eam sequi, semper debito modo posset procedere. Hæc autem determinatio prouenit à regulis morum, legibus scilicet, quibus bonum rationis præcipitur, & malum oppositum prohibetur, ac voluntas ex se ad vtrumlibet indifferens, manet ad vnum moraliter alligata, hoc est, extrinseca quadam determinatione prouenìente à principio extrinseco, quod est Lex, manet ad vnum moraliter determinata. Et quia hic modus determinandi supergreditur modum, & determinationem naturæ, vtpotè ab extrinseco proueniens, hinc est, quòd per respectum ad illum in actionibus, quibus applicatur, constituit peculiare genus essendi distinctum à naturali, & entitatiuo, quod vocatur genus moris, seù ordo moralis.

Supponendum est secundò, ad ordinem moralem sequentia cōcurrere. Primò Principium actiuū moralitatis, seù *Moralitas actiua*, quæ est Voluntas, potentia libera, elicitiua actus moralis. Ad hoc Principium reducitur etiam habitus moralis, de quo statim. Secundò concurrit *regula moralitatis*, quæ est lex. Tertiò Moralitas *formalis*, quæ in actu libero fundatur. Quartò Moralitas *obiectiua*, dans speciem moralitati formali.

Sin-

Singula breuiter declarantur. Inprimis Voluntas dicitur moralitas actiua, quia ipsa, secundùm quòd subdita regulis morum, est principium productiuum moralitatis formalis in actu inuentæ: Sicut & habitus moralis in hoc sensu potest dici moralitas actiua, nisi fortè mauis dicere, moralitatem habitus moralis esse formalem, (quod satis probabile est, vt docent nost. Salmat. Tract: 11. disp: 1. num. 31.) secundùm quam sententiam, moralitas formalis in suo ordine erit vera aliqua entitas, & non modus purè.

Deinde, secundo loco, quod concurrit ad genus moris, est Regula moralitatis, & hæc est duplex: Prima sc: & secunda, quæ rursùs diuiditur in proximam, & remotam, seù radicalem. Prima regula totius generis moralis est sola lex æterna in Mente Diuina existens. Secunda verò, & quidem proxima, est dictamen nostræ rationis dictans, hoc esse faciendũ, vel omittendum, secundùm quòd legem æternam participat, eique subordinatur, prout docet D. Thom. 1. 2. quæst. 71. a. 6. & alibi. At verò remota, & radicalis est Natura rationalis sumpta secundum se, quia hæc est radix luminis, & dictaminis rectæ rationis, quod est regula proxima moralitatis.

Tertiò, Moralitas formalis in actu libero non est ipsamet entitas, & libertas actus, quia inuariata entitate, & libertate illius, potest variari in esse moralis formaliter, transeundo de bono in malum: Neque ens rationis, cùm huius fieri sit cognosci; actus autem moralis per hoc, quòd cognoscatur, non fit, vt patet in peccato, quod à Deo cognoscitur, & tamen non fit: Neq; purè extrinseca denominatio; quia intrinseca habitudo in actu ad obiectum, in quantùm morale est, non potest non esse forma moralis intrinseca ipsi, non autem purè extrinseca denominatio, cùm habitudo in actu ad obiectum sit forma intrinseca ipsius, & talis, quale est obiectum specificans; sed in actu libero, quo aliquis vult obiectum propositum sibi cum subiectione ad regulas morum, est habitudo intrinseca ab obiectum, in quantùm morale est; obiectum siquidem, vt subiectum regulis morũ, est morale, ad quod, sicut ad quoduis proprium obiectum, actus liber non tendit sine intrinseca habitudine: Ergo moralitas in actu non poterit esse aliqua extrinseca denominatio, sed aliquid intrinsecum: Hoc autem intrinsecum cùm non sit ipsamet entitas actus, vt dictum est, eo tamen ipso, quia intrinsecum, afficiensq; illum, quodammodo erit aliquis modus, qui est affectio quædã, vel modificatio rei, cùmque sit modus formæ transcendentaliter respectiuæ (actus scil: humani respicientis essentialiter obiectum, tanquàm proprium specificatiuum), vt se accomodatè habeat ad naturam suæ rei modificatæ, non poterit non esse transcendentaliter respectiuus, non tamen prædicamentaliter: re-

la-

latio quandoquidem prædicamentalis non est genus ad contraria(vt ex Aristotele cap:de relatione communiter docent Dialectici) sicut est formalis moralitas respectu boni,& mali moralis

Vltimum inter concurrentia ad ordinem moralem est *moralitas obiectiua* dans speciem moralitati formali; quæ in rigore non dicitur, nec est moralitas formalis,sicut illa, quæ est in actu libero, sed tantùm radicalis, aut virtualis. In hoc enim differt moralitas actus à moralitate obiectiua,quòd illa instituta est, vt constituat actum in esse rei moralẽ, vtpotè subditum regulis morum in ordine ad absolutè essendum, vel non essendum, (vt patet ex Salmat:) proindè habet rationẽ formæ in hoc genere, effectusque suus in esse rei est huius generis, nullo modo ad genus physicum spectans. At verò moralitas obiectiua instituta est, non vt faciat, obiectum esse rem moralem, sed ad terminandum præcisè actum moralem,sicq;ad essendum terminando tantummodò: obiectum quandoquidem non est quid liberum, nec proinde capax subiacendi regulis morum in ordine ad essendum in seipso, sed in ordine tantùm ad terminandum:Et quia non dicitur aliquid, nec est formaliter tale, nisi habeat ipsãmet formam constituentem se in esse rei in ratione talis; obiectum autem, in quantùm est tale, per moralitatis formam non constituitur in esse rei quid morale(vt modò dictum est,) benè autem actus liber; consequens est, quòd moralitas in obiecto inuẽta, idest *obiectiua*, non sit formalis, secùs autem moralitas actus.Vt autem clariùs constet, quidnam sit moralitas formalis, quid obiectiua, & tantò meliùs decidatur titulus quæstionis.

Supponendum est tertiò, Moralitatẽ obiectiuam ab omnibus concipi, vt aliquid superadditum entitati Physicæ obiecti per ordinem ad regulam morum, quæ est lex: Est autem duplex,alia fundamentalis, & remota,alia actualis, seù proxima. *Fundamentalis moralitas* est ipsamet entitas obiecti physica,quæ sine aliquo superaddito intrinseco,vel extrinseco petit præcipi, quia ab intrinseco est conformis legi, vti v.g. colere Deum, vel petit prohiberi, quia ab intrinseco repugnat legi, estq; ei difformis,vti periurium, mendacium &c. *Moralitas autẽ actualis* requirit superadditum aliquid entitati Physicæ obiecti, ad minùs extrinsecum, regulam scilicet morum directiuam, quæ est lex: sed hæc inferiùs fundamentaliùs explicabitur. Modo vidẽdum est.

Vnde nam prædicta Moralitas fundamentalis cõueniat obiectis? Respondent doctissimè simul,ac profundissimè nost:Salmat: Tract. 11. disput. 1. nu. 89. asserentes, eam obiectis conuenire ex ipsa habitudine, quam dicunt ad Naturam rationalem per modum conuenientis,vel disconuenientis, antequam lege approbentur, vel prohibeantur. Natura siquidem

rationalis, secundùm quòd est principium naturalis inclinationis, cui bonum est conueniens, malum disconueniens, etsi non sit regula moralitatis formalis, & proxima, est tamen quodammodò radicalis. Et quamuis huiusmodi conuenientia in bono, disconenientia in malo, antequàm lege determinetur, non sit formaliter in genere moris, etiam obiectiuè, nec proinde tribuat actibus moralitatem formalem, nec distinguat sufficienter ordinem moralem à physico, meritò tamen dicitur moralitas obiectiua fundamentalis, quia quidquid habet illam, petit regulari per rationem, & præbet fundamentum, vt approbetur, vel reprobetur, ex qua regulatione intelligitur consurgere moralitas obiectiua proxima, distinctiua generis moralis à physico. Qui autem voluerit curiosiùs indagare, quænam obiecta importent ex se prædictam conuenientiam, vel disconuenientiam ad Naturam rationalem, poterit consulere nost: Salmat: loco modò citato id profundissimè explicantes. Quia verò notitia moralitats obiectiuæ actualis, vel proximæ iam insinuatæ non parùm quoàd præsens cõducit, ideò vt meliùs capiatur.

Supponendum est quartò, Moralitatem obiectiuam proximam formaliter, & in recto non esse denominationem extrinsecam præcepti, vel prohibiti per legem; non enim est omninò idem v. g. furtum esse prohibitum, & esse malum obiectiue; cùm esse prohibitum sit denominatio de genere boni, & à Deo prohibente: esse verò malum obiectiue de genere mali moralis, & ita non potest esse ex Deo. Neq; etiam prædicta Moralitas obiectiua proxima potest esse aliquis modus intrinsecus obiecto, ab entitate physica Ipsius realiter distinctus; quia cùm modus hic accidentaliter competat obiecto, vtpotè sine quo maneret seclusa lege, ideò non poterit ei aduenire, nisi ex vi actionis alicuius causæ efficientis, quæ respectu talis modi dari non potest: moralitas siquidem obiectiue etiam possibilibus cõpetit, pro quo statu nihil potest terminare actionem efficientis. Moralitas igitur obiectiua proxima nil aliud erit, præterquàm ratio quædam intrinseca obiecto, indistincta realiter ab entitate physica ipsius, exprimens quendam modum habendi se sub lege, tanquàm sub mensura, cui cõsonat, vel dissonat in ordinem ad terminandum actus liberos. Ratio huius est; Nam prædicta Moralitas debet esse aliquid a parte rei, sicut obiecta à parte rei sunt bona, vel mala obiectiue moraliter. Ergo vel denominatio extrinseca: & hæc esse non potest (vt modò ostensum est), vel aliquid intrinsecum: At non est intrinsecum realiter distinctum ab obiecti entitate (prout ex dictis patet): remanet igitur, vt sit aliquid intrinsecum identificatum cum obiecto, solo modo nostro concipiendi, ipsi superadditum, iuxta iam positam explicationẽ.

His

Digitized by Google

His igitur præsuppositis, Sententię omnes circa Modum Ordinis Moralis ad duas classes possunt reuocari. Prima est eorum, qui dicunt, Modum Moralitatis consistere in aliquo extrinseco. Illud autem extrinsecum, aliqui, vti est Vasquez Tract: in 1. 2. disp. 73. cap. 9. & disp. 95. Cap. 10. dicunt esse Ens rationis. Alij verò, vti Suarez disp. 1. sect. 2. Salas disput: 1. &c. vocant extrinsecam denominationem, siue sumatur à lege, siue à libertate, siue à natura rationali, &c. Secunda Classis est eorum, qui tenent Modum moralitatis consistere in aliquo intrinseco actui, cui competit moralitas. Hoc autem intrinsecum, quidam putant, esse modum libertatis in actu inuentæ. Ita Durandus in 2. dist. 39. quæst: 1. Scotus in 2. dist. 40. §. de secundo dico. Valentia q. 13. pun: 2. Granadus disp: 2. sect: 2. &c. Quidam verò, aliquem modum intrinsecum superadditum entitati, & libertati actus: & quidem Caietanus in 1. 2. q. 19. a. 3. dicit esse modum absolutum (licet possit explicari); Alij dicunt relatiuum prædicamentaliter; quòd solet tribui Scoto in 1. dist. 17. q. 7. & aliquibus iunioribus; Alij denique respectiuum transcendentaliter. Ita nost. Salmatic. Tract: 11. disp: 1. dub: 3. num. 42: & alij. Pro resolutione.

Dicendum est primò. Modus Moralitatis formaliter est quædam affectio adiacens actui libero, ab eodem ex natura rei distincta, determinationem ei tribuens ad essendum, & tendendũ in obiecta cum subiectione ad regulas morum. Dixi, *Moralitatis formaliter*, vt pateret, in hac Conclusione sermonem non esse de modo Moralitatis obiectiuæ, sed tantùm de modo intra latitudinem moralitatis formalis. Conclusio hęc desumitur ex doctrina D. Thomæ, tùm ex ea, quam adduximus de Modo in communi: tùm etiam ex his, quæ docet idẽ S. Doct. tractando de bonitate, & malitia morali actuum 1. 2. q. 18. a. 4. vbi Moralitatem, quam actio habet ex fine, docet inhærere actui: deinde, etiam dare determinationem ad essendum cũ subiectione ad regulas morum, insinuat qu: 5. de virtut: art: 2. dicẽs: *Bonum in actibus* (hoc est moralitas bona) *inuenitur per hoc, quod pertingitur ad regulam humanorum actuum; quæ quidem est vna quasi homogenea, & propria homini, alia autem est simpliciter prima mensura transcendens, quæ est* Deus.

Deinde probatur, aut potiùs explicatur definitio in Concl: posita. Bona definitio, aut quasi definitio alicuius formæ est, quando ponitur in ea loco generis id, quod est communi ipsi cum alijs formis, loco verò differentiæ, tùm distinctio ipsius à re, cuius est forma, tùm effectus formalis ipsi proprius, vt patet discurrenti per singulas formas. Ergo etiam Modi moralitatis habentis se per modum cuiusdam formæ; quasi informantis suo modo, erit quasi definitio, aut descriptio bona, si

ponatur aliquid ipsi commune cum alijs modis, loco generis, loco verò differētiæ, tùm distinctio ipsius à re modificata, tùm eiusdē quasi effectus formalis ipsi proprius. Sed totum hoc inuenitur in præsenti: Ergo definitio, aut quasi definitio in Conclus. posita erit bona. Minor subsumpta, quæ sola indiget probatione, declaratur. Nam in primis esse affectionem adiacentem est commune omni modo: deinde distinctio ex natura rei Modi moralitatis ab actu libero ostensa est in suppositione, & ex se patet, quandoquidem actus liber potest separari à moralitate tali, vel tali, idem in se manendo: & diuersas differentias, ac proprietates distinctas habent, prout præclarè ostendunt nost: Salmat. Tract: 11. disp: 1. num. 23. & 24. quæ sunt manifesta signa distinctionis ex natura rei. Tandem vltimæ particulæ explicant effectum formalem proprium Modi moralitatis; cùm hic à nulla alia forma, præterquàm à prædicto Modo, communicetur, vt discutienti facilè patet. Igitur descriptio posita in Conclusione, Modi moralitatis erit optima.

Dicendum est secundò Modus modò explicatus ad esse morale formaliter tale habet se ad instar quasi formæ constitutiuæ. Probatur. Esse morale formaliter tale, seù moralitas formalis, tantùm inuenitur in actibus humanis liberis. Sed ad esse morale actuum liberorum Modus moralitatis explicatus habet se, vt forma constitutiua. Ergo Modus moralitatis &c. Maior ostenditur. Esse formale moralitatis ibi primariò inueniri debet, quò omnia moralia respiciunt, & ad quod ordinantur, sicut ibi esse formale artificialis primariò ponendum est, quò omnia artificialia tendunt. Sed ad moralitatem actuum liberorum omnia moralia ordinantur; nàm leges ordinantur, vt mensura directiua actuum liberorum; obiecta, vt specificatiua; Voluntas, & habitus, vt causæ, quibus omnibus nec meremur, nec demeremur, nec sumus absolutè boni, vel mali moraliter, benè autem actibus liberis, vt directis per regulas morum. Ergo esse formale moralitatis primariò inuenitur in actibus liberis. Minor autem præcedentis argumenti probatur. Esse morale actus liberi consistit in quadam determinatione ipsius ad essendum, & tendendum cum subiectione ad regulas morum, vt præcedenti Concl: ex D. Thoma ostensum est, & cummuniter admittitur. Sed respectu huius determinationis habet se, vt constitutiuum, Modus moralitatis, iam explicatus; cùm hæc determinatio sit effectus quasi formalis primarius ipsius, vt supra dictum est. Ergo ad esse morale actuum liberorum, &c.

Confirmatur. Ideò forma substantialis est constitutiua speciei compositi substantialis, quia specificatio istius prouenit ab ea, tanquàm effectus ipsius formalis primarius inuoluens ipsammet formam. Ergo cùm determinatio actus liberi ad essendum, & ten-

Digitized by Google

dendum cum subiectiectione ad regulas morum sit effectus quasi formalis, & primarius prædicti Modi moralitatis (vt ex prima Conclus: patet), ipse erit constitutiuum esse moralis formaliter talis, in actu libero inuenti.

Argumenta in Contrarium soluuntur.

PRimum Argumentum in fauorem sententiæ Vazquez, & Suarez. Primò: Esse morale oritur, & dependet à ratione, sine qua non daretur. Ergo est ens rationis. Secundò, Moralitas in obiectis non est aliquid intrinsecum, sed vel extrinseca denominatio, vel ens rationis. Ergo etiam moralitas formalis in actibus inuenta non erit aliquis modus intrinsecùs; alias non proportionaretur obiectis, inter quæ, & actus debet esse proportio. Tertiò. Variatur actus in esse moris, trāseundo de bono in malum absq; eo quòd intrinsecè mutetur, vt si quis vescens carnibus tempore non prohibito, vescatur, & continuet etiam tempore prohibito. Ergo apparet, quòd moralitas nō sit quid intrinsecum.

Resp. ad primum negando Conseq; Nàm etiam actus intellectus oritur à ratione, & omninò dependet ab illa, & tamen est ens reale. Ad secundum negatur similiter Conseq; Ad prob: inter obiectum, & actum debet esse proportio in esse rei; Negatur; in esse attingibilis, & attingentis; Conceditur; & ita ex eo, quòd in esse rei obiectiuè actus moralis non sit quid morale intrinsecè, non sequitur; quòd nec actus esse similiter possit: Ad tertium disting. Anteced; variatur actus, absque eo, quòd intrinsecè mutetur in ordine physico; Conced: morali, Neg; quia ante prohibitionem in ordine morali habebat respectum intrinsecum ad obiectum rationi consonum, post illā habet similiter intrinsecum respectum, sed ad obiectum dissonū rationi, qui respectus intrinsecus in ordine morali mutat actum, ac proinde intrinsecè.

Secundum Argumentum in fauorem Authorum secundæ classis. Fundamentum præcipuum eorum, qui non distinguunt moralitatem à libertate, est, quòd posita sola libertate in actu, actus ille iam est regulabilis per legē. Sed moralitas, vt abstrahit à bonitate, & malitia, non videtur in alio consistere, quàm in dicta regulabilitate. Ergo de facto moralitas à libertate actus non distinguetur.

Resp. negando Minorem; Nam moralitas non consistit in capacitate actus ad regulari per legem, sicut esse artificiale in effectibus Artis non consistit in capacitate ad regulari per Artem: hoc enim ipsis per suam substantiam physicam competit: sed cō-sistit in actuali subiectione ad legem, consequenter in actuali regulatione; si enim nulla extaret lex, non daretur moralitas, & tamen pro tunc, sicut capacitas ad

regulari per illam remaneret in actibus,sic & regulabilitas:apparet igitur, quòd moralitas non possit consistere in dicta regulabilitate.

Fundamentum verò eorum,qui moralitatem dicunt consistere in relatione prædicamētali,est, quia moralitas actus consistit in habitudine eiusdem,vel ad obiectum, vel ad rationem,tanquàm ad mēsuram. Sed habitudo mensurabilis ad mensuram est relatio prædicamentalis,Ergo &c.

Resp: Moralitas consistit in habitudine actus transcendentali: Conceditur, prædicamentali; Negatur:quia antequàm hæc adueniat fundata in transcendentali, iam actus concipitur cum subiectione actuali ad regulas morum,proinde moralis.

Tertium Argumentum contra primam Concl: Si moralitas formalis esset affectio modificatiua tantùm actus liberi, hoc omni moralitati, tàm bonæ,quàm malę, competere deberet. Sed moralitati malæ nequit competere. Ergo moralitas non erit affectio &c. Maior constat: nam moralitas, vt sic, habet rationem superioris vniuoci,vt docent nost:Salmant: Tom.3.Tract:11.disp.3 .n. 9.& 12.ex S.Tho:quidquid autem competit rationi superiori vniuocæ, competit omni contento sub illa. Ergo &c. Minor prob. Omissio peccaminosa est etiam moralitas mala. Sed huię non competit esse affectionem modificatiuam actus. Ergo &c. Maior patet: Minor probatur: Affectio modificatiua actus,sicut & quiuis modus,est eadem realiter entitas cū re modificata, vt supra quæst. 2. huius disp: ostensum est. Sed omissio peccaminosa actus non potest esse realiter identificata cùm actu,cùm sit priuatio,& non ens, quod cum ente nequit identificari.Ergo &c.

Resp. negando Minorem. Ad prob: omissio peccaminosa est moralitas mala priuatiua; Conceditur;positiua,Negatur.Deinde concessa Minori, distinguitur Consequens; Moralitati malæ nequit competere esse affectionem &c. priuatiuæ,Conced: positiuæ, Neg. Pro cuius intelligentia notādum est, Moralitatē malam, aliā esse priuatiuā, aliā positiuā. Positiua consistit in intrinseca habitudine actus ad obiectum dissonum rationi, quam consequitur priuatio rectitudinis debitæ inesse actui.Priuatiua consistit in carentia actus debiti, & præcepti. Positiua igitur, sicut consistit in intrinseca habitudine actus prout & moralitas bona ita erit affectio adiacens ipsi, eiusdem modificatiua:Priuatiua verò,cùm non afficiat vllum actum, qui est capax moralitatis formalis, sed potiùs locum occupet illius, vtpotè carentia, non quidē rectitudinis actui debitæ, sed totius entitatis actus debiti, & præcepti, non poterit habere rationem affectionis, sed puræ priuationis moralis. Verùm

Instabis. Moralitas etiam priuatiua pertinet ad ordinem morali-

talitatis formalis;aliàs non esset imputabilis,& demeritoria,sicuti est,secundùm omnes.Ergo vel debet esse affectio,sicut & aliæ moralitates,v. g. moralitas mala positiua;vel si non est, non erit de ratione omnis moralitatis formalis esse affectionem adiacentem.

Resp.disting.Conseq;Non erit de ratione omnis moralitatis formalis ad hunc ordinem directè pertinentis; Neg. indirectè,& reductiue tantùm spectantis ; Conceditur; & quia mortalitas mala priuatiua tantùm reductiuè pertinet ad ordinem moralem , sicut etiam priuationes reducuntur ad formas,quarum sunt priuationes, ab eisque quasi specificantur , & mensurantur , hinc est, quòd non sit necesse, illam esse affectionē. Explicatur hoc exemplo ordinis entitatiui,ad quem id,quod habet rationem entis , directè pertinet; carentia autem, aut priuatio non pertinet directè(cū nō sint entia) attamen reducitur , tanquàm oppositum ipsius , à quo quasi mensuratur , & tantitatem sui *non esse* accipit,vt patet in priuationibus, quæ specificantur , aut quasi specificantur à formis , quibus priuant, & idem sibi cum illis determinant subiectum: Vnde etiam S. Tho.quæst.21.de verit.art.4:ad 4. ipsam priuationem , ob istam reductionem,vocat ens,dùm inquit, *Aliquid dicitur ens, quia est dispositio subsistentis , vt qualitas ; aliquid , quia est priuatio dispositionis subsistentis, ut cæcitas.* Sicut igitur intra ordinem entitatiuum includuntur entia realia , & opposita ipsorum , quæ sunt carentiæ reales,& & priuationes, cum hac tātùm differentia,quòd entia realia directè,carentiæ verò,& priuationes,non nisi reductiuè : sic intra ordinem moralem formaliter inuenietur & moralitas formalis realis positiua , & priuatiua , illa tamen directè,hæc reductiuè,tanquàm priuatio actus moraliter boni à voluntate ponendi,& non positi.

Quartum Argumentum contra eandem primam Concl: vbi dicitur Modum moralem tribuere determinationem , &c. Determinationem essendi cum subiectione ad regulas morū accipit actus ab ipsismet regulis. Ergo Modus moralis non erit affectio tribuens determinationem actui &c. Conseq:patet.Anteced:probat: Actus accipit determinationem ad essendum cum subiectione ab eo, quod sibi subijcit illum , vt patet ex terminis . Sed regulæ morum subijciunt sibi actum humanum, cùm illæ de ipso disponant. Ergo &c.

Resp. disting. anteced: Determinationem essendi &c. accipit ab ipsis regulis actiuam,& extrinsecam : conceditur; passiuam , & intrinsecam; negatur:in Conclus: autem sermo est de determinatione intrinseca. Explicatur solutio . Duplex est determinatio in actibus ad essendum cum subiectione ad regulas : *Extrinseca* : & hæc prouenit à lege,quæ non est in actu regulato per illam, sed in legislatore ; disponit tamen de illo , tanquàm mensura quædā

ex-

Digitized by Google

perfectum, & perfectum non est, nisi sit ens in actu, prout docet idem S. Doct. loco modo cit: At verò quod est conueniens secundo modo, cùm non dicat directè conuenientiam ad appetitum, non affert necessariò hoc, quod est, esse perfectiuum, ac proindè perfectum, & ens in actu, sed sufficit, quòd sit aliquid entis, vt modus, cùm etiam hic possit habere conuenientiam ad aliquid, quod non est appetitus, sed mensura, vel regula, licet etiam ad appetitum dicat ex consequenti conuenientiam quãdam, ex eo scilicet, quòd sit conueniens rei conuenienti appetitui. Et quia bonitas moralis per se primò non importat conuenientiam, nisi ad regulas morum, ex consequenti verò tantùm ad Voluntatem, in quantùm, posita hac conuenientia, conueniens est, & bonum Voluntati tendere in suum obiectum, ipsa etiam regula, & mensura morum tribuẽs ei determinationem ad suum finem est ei satis conueniens, & appetibilis, hinc est, quòd bonitas moralis non debeat consequi entitatem in actu, & afferre perfectionem, qualem affert bonitas physica, sed potest consequi, & afferre modum entitatis tantùm. Sed

Dices. Esse actum conformem regulis morum, est per se, & directè appetibile à Voluntate, cùm sit laudabilis, ac per consequens erit directè conueniens appetitui. Ergo etiam bonitas moralis consistens in conformitate actus ad regulas morum erit directè conueniens Voluntati.

Resp. negan. Consequ. quia esse actum conformem regulis morum, secundùm quòd est quid appetibile, importat rationem obiectiuam, quæ appetitur. At verò bonitas moralis, quæ in formali moralitate inuenitur, non importat rationem obiectiuam, sed potiùs rationem tendentiæ in rationem obiectiuam, cùm importet actum, secũdùm subiectionem eiusdem conuenientem regulis morum, de cuius ratione, *ut talis*, potiùs est ratio tendentiæ, quàm ratio obiectiua: hinc est, quòd bonitas moralis non possit habere rationem appetibilis directè. Quòd si appetatur, vt transiens in rationem obiecti, tunc appetitur quidem directè, sed in ratione obiecti physici, non autẽ moralis; qua morale est, quia moralitas obiectiua, *ut talis*, non spectat ad lineam appetibilis, sed ad lineam mensuræ passiuæ determinantis, & subijcientis legi, quod volendum est, prout doctissimè ostendunt nost. Salmat. Tomo 3, Tract. 11. disput. 1. num. 4. & sequenti.

Ad Confirmat. resp. negando Anteced. & probationis eiusdem similiter negandum est Anteced. Nam actus morales respiciunt per se primò Moralitatem obiectiuam ad essendum, vti superiùs dictum est; iam verò habitus, non ad essendum, sed ad causandum tantùm: quod potest colligi, tanquàm à posteriori, ex proprietatibus moralitatis formalis: nàm quia actus morales sunt à natura

ordinati ad esse morales, omnes etiam proprietates formalis moralitatis ipsius competunt, vti sunt esse laudabiles, vel vituperabiles, meritorios aut demeritorios: quæ quidem proprietates non competunt habitibus, quibus nec meremur, nec demeremur, vt docent communiter Theologi; consequens igitur est, quòd nec essentia moralitatis formalis eisdem competat, ac proinde non sint instituti à natura ad essendũ morales, sed tantùm ad causandum actus formaliliter morales.

QVAESTIO V.

In quonam consistat Modus Ordinis Artificialis, & qualiter se habeat ad rem modificatam.

SVpponendum primò, quòd sicut ordo naturæ in creatis attenditur penès habitudinem ad Authorem naturæ, & exemplar, ad cuius similitudinem totum suum esse accipiunt creaturæ, quod est Idæa in mente creatoris existens: sic ordo artificialis in sua linea necessariò respicit proprium Autharem, qui est Artifex, & formam, secundùm quam directus, in esse ponit artificiata. Quia verò forma directiua determinatiuè in operando, respectu Artificis est Ars, & directiua obiectiuè est exemplar, seù Idæa ad cuius similitudinem producit artefactum, indè fit, quòd (ad pleniorem notitiam ordinis artificialis) ista tria, quonam modo se habeant in hoc ordine, discuti debeant, Ars scilicet, quæ est in artifice, idæa, ad quam respiciens operatur, & ipsummet opus exterius artefactum. Pro quo

Supponendum secundò, quantùm ad Artem attinet, eam S. Thom. 1. 2. qu. 57. art. 3. sic definire. *Ars nihil aliud est, quàm ratio recta aliquorum operum faciendorum*: & ideò illam virtutibus intellectualibus annumerat, de quorum ratione est semper infallibiliter attingere verùm: Verum autem attingendum ab Arte (cùm sit habitus practicus, vt idẽ S. Doct. docet) debet esse verum, vt ita dicam, practicum, quod nõ consistit in conformitate ad res intellectas, vti est verum speculatiuum; sed potiùs in adæquatione rerum, seù actionum, ex se contingentium, ad formam, seù regulam infallibilẽ in intellectu practico existentem, per quam ipsa in eas influit ex intentione suis, prout nost: Salmat. Tomo 3. in quæst. 57. art. 3. num. 4. insinuant. Et sic Ars erit virtus quædam intellectualis ità determinans intellectum practicum, vt operationes exteriores dirigat conformiter ad ideam in ipso existentem, in ordine ad producendum artefactum exterius conforme, ac simile ideæ artificis, tanquàm propriæ regulæ, & mensuræ: Præfatum autem Verum practicum alij aliter videntur explicare, dicentes, illud consistere in confor-

mi-

Digitized by Google

mitate actionis, per intellectum directæ, ad appetitum rectum; appetitus verò rectus ille dicitur, qui est conformis regulæ intellectus practici, in ordine ad attingendũ vltimum sibi correspondẽtem finem: sicut etiam regula in intellectu practico dirigens actiones immanentes, vel etiam transeuntes, vt stant reduplicatiuè sub illis, est Lex æterna, secundùm quòd participatur à nobis per lumen synderescos: dirigens verò actiones transeuntes secundùm se, est Idea, seù exemplar existens in mente artificis, secũdum quòd cadit sub intentione ipsius. Cæterùm explicatio hæc Veri practici coincidit cum præcedenti; nàm Veritatem practicam consistere in conformitate actionis, directæ per intellectum, ad appetitum rectum, idem est, ac dicere, eandem consistere in adæquatione ad regulam infallibilem in intellectu practico existentẽ: quãdoquidem ista regula est, quæ rectificat appetitum, & in suum vltimum dirigit finem; vnde in tantùm appetitui, vt recto, erit conformis operatio, in quantùm adæquabitur cum regula in intellectu practico existente, appetitus in suum vltimum finem directiua: quia tamen praxis, & operatio est magis propria appetitui, quàm intellectui, qui non est, nisi extensione, practicus, hinc fit, quòd magis propriè dicatur veritas practica, secundùm quòd talis, consistere in conformitate operationis ad appetitum rectum, quàm in adæquatione ad formam in intellectu practico existentem.

Supponendum tertiò, quantùm ad Ideam attinet, hanc S. Augustinum lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 23. sic definire: *Est forma, quam aliqu id imitatur ex intentione agẽtis determinantis sibi finem*. Doctor autem Angelicus 1. p. q. 15. a. 1. in C. dicit, *per ideas intelligi formas aliarum rerum, præter ipsas res, existentes*: Forma autem, præter res, existens est conceptus quidam formalis, qui in creatis species expressa, vel verbum mentis dicitur; non enim dantur ideæ Platonicæ à rebus separatæ, & sic extra intellectum existentes: Iàm verò duplex in prædicto conceptu formali officium, seù formalitas distingui solet; vna respectu intellectus, secundùm quam reddit ipsum cognoscentem, tanquàm terminus cognitionis; altera respectu obiecti, & sic reddit illud immaterializatum, & intellectum in actu. Primo modo conceptus formalis non habet rationem ideæ, cùm non sit forma, vt imitabilis, sed vt constituens in actu secundo cognoscentem. Secundo verò modo est ipsum exemplar, seù idea, quæ est forma intra intellectum, tanquàm res intellecta, & imitabilis. Cæterũ causalitas huius; (ex quà eiusdem natura meliùs innotescit) quamuis possit reduci ad efficientem, cùm agentem per intellectum determinet ad productionem effectus intenti, & ita causalitas efficientis sit etiam ipsius quodammodò: immò etiam ad causalitatem finalem non immeritò reducatur; ideam siquidẽ

Digitized by Google

ideatum respicit, tanquàm sui perfectiuum, & per conuenientiā ad illam perficitur (quæ rationem Causæ, & causalitatis finalis important, quia perfectio alicuius est eius finis:) attamen hæc causalitas non ita propriè ipsi competit, nec in omni rigore; finis siquidem causalitate sua mouet ad sui assecutionem, vt existit indiuidualiter in re extra intellectum ab idea ad sui imitationem, vt quid immateriale in intellectu existens. Maximè igitur propria causalitas ideæ est causalitas formalis competens causæ formali extrinsecæ; quæ quidem causalitas, supposito, quòd forma extrinseca non communicet seipsam immediatè per coniunctionem sui, debet esse identificata cum actione, seù causalitate efficientis, eo quòd non operatur sine arte efficiente, & dirigente; sed tamen in illa operatione artis, & datur processus efficientiæ, per quam res extrahitur de non esse ad esse à principio artis, & datur imitatio passiua, & specificabilis à forma ideati, per quam talis forma regulatur; atque sub hac ratione dicit causalitatem extrinsecam, quatenùs per imitationem dat speciem: species autem à causa formali communicatur.

Supponendum quartò, quòd quantùm ad Artefactū opus attinet, in hoc, tria considerari possunt, materia scilicet, forma, & illud, quod resplendet in tali forma, vt quid correspondens arti. Materia pertinet ad ordinē entitatiuum, & physicum, cùm sit corpus aliquod physicum ad extra existens. Forma est talis, vel talis figura, ex directione artis, prædicto corpori superinducta: quæ si consideretur quoad entitatem suam, est quædam qualitas ex intrinsecis principijs naturæ procedens; si tamen consideretur secundùm habitudinem ad artem, ex cuius directione posita est in rerum natura, erit quid artificiale: & ita figura illa entitatiuè est quid naturale, ordinatiuè tamen est quid artificiale, quatenus à directione artis fit; tota proinde denominatio artificialis in dicta figura desumitur à modo, quo fit, & producitur, ex ipsa scilicet ordinatione artis. Pro illorum meliori notitia.

Supponendum quintò, totum processum ordinis artificialis sic perfici. In primis Intellectus practicus determinatur per artem, tanquàm virtutem sibi superadditam, vt conformiter ad ideam præconceptam alicuius operis ad extra producendi dirigat operationes exteriores, actusque ipsius voluntatis mouentes ad executionem: Idea deinde ex parte sua tribuit determinationem obiectiuam, vna cum arte influendo in actiones operis productiuas, proximè tamen per modum formæ extrinsecæ, iuxtà supradicta: Quibus sic se habentibus, potentia executiua ex imperio Intellectus, & motione Voluntatis ponit effectum ad extra conformem ideæ præconceptæ, v.g. statuam, in qua tota substantia, & accidentia secundùm se pertinent ad ordinē

en-

entitatiuum, compositio verò, vel ordo, aut etiam figura, quæ inueniuntur in tali artefacto, cùm dicant habitudinem ad artem dirigentem, & ad ideam, vt ad formam extrinsecè formantem, spectant ad ordinem artificialem, sicq; possunt dici formæ ordinis artificialis. Quæritur igitur in præsenti, in quonam ex recensitis consistat modus ordinis artificialis, & qualiter se habeat ad rem modificatam per illum. Pro resolutione

Dicendum est primò, Modum ordinis artificialis esse affectionē quandam artefacti, tribuentem ordinem dispositiuum figuræ, in artefacto resultantem: ex ordinatione artis, & concursu instrumentorum eius. Descriptio hæc fundatur in doctrina S. Thomæ ex Opusc. 34. desumpta; vbi de virtutibus artificiatorum, & forma constitutiua ipsorum, quam possunt consequi tales virtutes, disserens, sic inquit: *Cùm forma artificialium nihil aliud sit, quàm ordo, compositio, & figura, ex quibus prodire non possunt tales* (hoc est inditæ) *Virtutes*. Vbi, vt patet, S. Thom: rationem formalem artificialium reducit in ordinem, compositionem; & figuram, quod in illis verbis allatę descriptionis (*tribuentem ordinem dispositiuum figuræ*) sufficienter innuitur.

Deinde ostenditur bonitas allatæ descriptionis. Illa est optima descriptio determinati alicuius modi, quæ affert id, in quo talis modus cum alijs conuenit, & explicat effectum ipsius formalem, aut quasi formalem ipsi propriū, per quem ab alijs discernitur. Sed allata descriptio modi ordinis artificialis est huiusmodi. Ergo erit bona. Maior patet: Definitio siquidem, aut descriptio alicuius, afferens id, quod est commune definito cum alijs, & illud, in quo differt ab alijs, iuxta leges definitionis, est optima. Minor autem declaratur. In primis per ly *affectio*, modus hic conuenit cum alijs modis, tàm ordinis entitatiui, quam repræsentatiui, prout ex ipsorū descriptionibus patet.

Per ly *tribuentem ordinem dispositiuum figuræ, &c.* innuitur effectus formalis, aut quasi formalis huius modi, ipsi tātùm proprius; nullus quandoquidem ex modis hunc effectum præstat, vt per singulos discurrenti exactiùs facilè constabit. Ergo allata descriptio affert id, in quo modus ordinis artificialis conuenit cum alijs, & explicat effectum quasi formalem proprium ipsi, per quem differt à cæteris modis.

Explicantur tandem singulæ particulæ descriptionis. Primo loco ponitur ly *Affectio* per modum rationis superioris, cùm hæc ratio sit communis cuicunque modo in quocunque ordine inuento. Deinde ponitur *artefacti*, vt denotaretur res modificata vt *Quod*; nàm sicut *esse*, vt *Quod* non competit, nisi ipsimet artefacto adæquatè sumpto, sic & esse rem modificatam, vt *Quod* modi ordinis artificialis tantùm conueniet ipsimet artefacto. Per ly *tribuentem ordinem dispositiuum figuræ*, explicatur;

catur, vti dictum est, effectus quasi formalis ipsius modi. Pro cuius clariori intelligentia.

Notandum est, quòd Ordo est duplex: Alius est, qui consistit in habitudine, & respectu vnius ad aliud, siue ille respectus sit transcendentalis (qualis est in potentijs ad obiecta ipsarum,) siue prædicamentalis. Alius verò est, quem dispositio ponit in rebus disponendis. De quo S.Thom. 1.2.q.49.art.1.ad 3. *Dispositio semper importat ordinem alicuius habentis partes*, & 1.p.q.22.art.1.C. *Dispositio autem potest dici tàm ratio ordinis rerum in finem, quàm ratio ordinis partium in toto.* Illa igitur particula restrictiua, scil: *ordinem dispositiuum*, posita est notanter in hac descriptione, vt innueretur, non de quocunque ordine hic sermonem esse, sed de ordine, quem, vt dicit S.Doctor, dispositio importat; proinde de ordine dispositiuo partium habentis partes. Vnde cùm in artefacto inueniãtur partes ratione quantitatis, quæ est in illo, modus artificialis ordinis, ex directione artis resultãs in artefacto, modificando figuram, ponit dispositiuum ordinem in partibus eius, ac per hoc explicat effectum suum, aut quasi effectum formalem. Tandem per ly *ex ordinatione artis, & concursu instrumentorum eius*, innuitur principium, & causa modi artificialis, vt cognita causa, ipsamet natura talis modi clariùs innotescat.

Dicendum secundò Modus artificialis ad rem modificatam, scil. artefactum consideratum, vt *Quod*, habet se, vt modificatiuũ mediatum: ad illud autem consideratum, vt *Quo*, habet se, vt immediatè modificans. Antequàm probetur Conclusio. Explicatur. In Artefacto aliquo, v.g. statua, duo possunt considerari, ipsummet scil: corpus, seu substantia statuæ; & deindè figura ex directione artis tali substantiæ superinducta. Substantia igitur statuæ, & corpus, cùm habeat *esse*, vt *Quod*, etiã esse rem modificatã, vt *Quod*, eidem competet: At verò ipsa figura statuæ, vtpotè ratio, quare substantia statuæ sit artefactum, vt *Quod*, non potest non esse, vt *Quo* artefactum, sicut quia albedo est ratio, quare subiectum est album, vt *Quod*, non potest esse alba, nisi vt *Quo*. Hac ergo explicatione præmissa.

Probatur. Illud immediatè afficit, & modificat modus artificialis, quod est res per illum modificabilis, immediatè coniuncta cum ordine artificiali: illud verò mediatè, quod mediatè tantùm coniungitur cum ordine artificiali. Sed figura artefacti est res modificabilis per modum artificialem, immediatè coniuncta ordini artificiali: Corpus verò artefactum tantùm mediatè. Ergo artefactum, vt *Quod*, scil: corpus, tantùm mediatè modificabitur; artefactum verò, vt *Quo*, scilicet figura corporis artefacti, immediatè. Maior ostenditur; quia cùm modus artificialis non nisi intra ordinem artificialem inueniatur, sicut entitatiuus intra ordinem

Digitized by Google

nem entitatiuum, secundùm hoc modificabit rem modificandam, secundùm quòd illa coniungetur cùm ordine artificiali. Ergo illam immediatè, quæ coniungitur immediatè, mediatè verò, coniunctam mediatè. Minor quoad primam partem (scilic: quòd figura sit res modificabilis per modum artificialem, &c: et in primis, quòd sit *res*) patet ex eo, quòd est vera species qualitatis, sicque quid completum in sua linea directè ponibile in prædicamento Qualitatis, in qua directè nil ponitur, nisi sit res completa. Quod verò sit modificabilis per modum artificialem, facilè etiam deducitur; quia ad diuersitatem modi artis in artefactis diuersæ ponuntur figuræ. Ergo apparet, quòd per illum sit modificabilis figura. Tandem, quòd figura sit immediatè coniuncta ordini artificiali, docet S. Thō. tū 2.2. q.96. art.2. ad 2. tùm 7. Physic. lect.5. C. fin. vbi sic inquit: *Quia ars est imitatrix naturæ, & artificiatum est quædam rei naturalis imago; formæ artificialium sunt figuræ, uel aliquid propinquum.* Tribuit ergo figuræ, vel ipsam rationem formæ artificialis, vel saltim propinquitatem ad illam, sicque ad ordinem artificialem. Quomodò autem intelligēdus sit S. Doctor, qui tribuit figuræ rationem formæ artificialis, ex infra dicendis satis patebit.

Quoad secūdam verò partem eiusdem minoris, (quòd scil: corpus artefactum mediatè tantùm vniatur ordini artificiali) facilè ostenditur; cum corpus non accedat ad esse artificiatū, nisi mediante quantitate, & figura, quæ est terminatio eius, vt omnes admittunt. Ergo tantùm mediatè vnietur ordini artificiali.

Argumentis in contrarium satisfit.

PRimum Argumentum contra primam Conclus. Tribuere ordinem dispositiuum est effectus formalis proprius qualitatis, quæ est res, & entitas. Ergo non potest esse effectus formalis, vel quasi formalis modi. Antecedens patet: quia qualitas est quædam dispositio substantiæ, vt docet S. Thom. 1. p. q. 28. ar. 2. dispositio autem iuxta Aristotelem 5. Metaph. textu 24. *est ordo habentis partes*; & ita sicut communicatio qualitatis subiecto est effectus formalis ipsius, sic etiam communicatio ordinis dispositiui, in quo, ex Aristotele, consistit dispositio, quæ est qualitas, erit effectus formalis ipsius qualitatis. Conseq. verò probatur; quia effectus formalis proprius rei, & entitatis non potest esse effectus modi; effectus siquidem formalis formæ est ipsamet forma; vt communicata. Ergo cùm tribuere ordinem dispositiuum sit effectus formalis proprius qualitatis, quæ est entitas, non potest esse effectus formalis modi.

Resp. disting. Anteced. Tribuere ordinem dispositiuum absolutè sumptum est effectus qualitatis,

litatis, quæ est entitas; conceditur, ordinem dispositiuum, vt modificatum; negatur, & eodem modo distinguitur consequens. Explicatur solutio. Dispositiuum ordinem ponere absolutè in aliquo habente partes, est absolutè illas è confusione extrahere, & ad distinctionem, ordinatamque inter se coaptationem reducere. At verò ponere ordinem modificatum in ipsis partibus, est coaptare easdem inter se, iuxtà naturam, & exigentiam modi illas efficientis: sic igitur in *Quanto* artificiato figura, quæ est qualitas, extrahit quidem, absolutè loquendo, è confusione partes quātitatis, diuersimodè illas terminando; & hic est proprius effectus ipsius: coaptationem tamen illam, quam exigit artis operatio inter ipsas, & ordinem non ponit, nisi, vt est affecta *modo* ex cōcursu instrumentorum artis, & directione eiusdem, in ipsa resultante, qui est modus artis; ac proinde ille ordo, & dispositio sic modificata sūt effectus quasi formalis ipsius modi artificialis.

Secundum Argumentum. Figura est ipsemet modus artis in artefacto, seu forma artis. Ergo non potest dici (vt est in definitione) quòd modus artis tribuat ordinem dispositiuum figuræ, &c. Anteced. est D. Thomæ 2. 2. q. 96. ar. 2. ad 2. *Formæ artificiales nihil aliud sunt, quàm compositio, ordo, & figura, vt dicitur in 1. Physic.* Ergo &c. Conseq. verò prior ostēditur. Modus artis, sicut, & quæcunque forma, non tribuit sibi ipsi effectum suum formalem, sed alteri à se, vt patet inductiuè per omnia discurrendo. Ergo si figura est ipsemet modus artis, effectus formalis modi artificialis, qui est tribuere ordinem dispositiuum, non poterit tribui figuræ.

Resp. negando anteced. Ad probationem autem explicatur authoritas S. Thomæ, dicendo, Doctorem S. loqui de forma artis realiter, & entitatiuè considerata, non autem de illa formalissimè sumpta. Nam in artificiato, vel artefacto, si sermo sit de forma entitatiuè considerata, non inuenietur alia, præter figuram, cum sua certa compositione, & ordine, vt innuit idem S. Doctor; si tamen de illa loquamur rigorosè, nimirùm secundùm suam formalissimam rationem, non erit præcisè figura quoad entitatem, sed secundùm habitudinem dependentiæ ipsius à principio artis, quod modum quendam importat: vnde sit homo v.g. figuræ talis, qualis est statua ipsius ab artifice facta, vtriusque figura erit eiusdem speciei, cùm sint omninò similes, vt suppono, & tamen in homine non est forma artis, sed naturæ, benè autem in statua. Apparet igitur, quòd figura non ex sua entitate, & ab intrinseco habeat esse formam artis (aliàs vbique hoc haberet) sed ratione alicuius modi ipsi superadditi. Et quòd sit hæc mens S. Doctoris, patet ex alio loco, 7. lect. Physic. lect. 5. vbi sic inquit: *Et quia ars est imitatio naturæ, & artificiatum est quadam rei naturalis imago, forma*

Digitized by Google

ma artificialium sunt figuræ, vel aliquid propinquum. Ecce quomodò restrictiuam addit particulam, *vel aliquid propinquū*, vt insinuet, non figuram præcisè secundùm se, sed secundùm illud, quod est ei propinquum, (vti est modus artis) esse formam artificialium, seù artefactorum.

Tertium Argumentum contra vltimas definitionis particulas. Si ex concursu instrumentorum Artis modus artificialis resultaret in artefacto, Ars ad ponendum illum in esse, effectiuè deberet concurrere. Sed non potest taliter concurrere. Ergo neq; instrumenta artis, &c. Maior constat: nã Instrumẽta nõ concurrũt ad productionem effectus, nisi moueantur à causa sua principali, cùm subordinentur ei effectiuè, idest in genere causæ efficientis. Ergo si ex concursu instrumentorum artis, &c. Minor prob: Intellectus, etiã vt determinatus per artem, non potest effectiuè ita concurrere ad *esse* modi artificialis in artefacto, vt illud attingat. Ergo multò minùs Ars. Consequ. patet: Nàm Ars, sicut & omnis habitus operatiuus, ad potentiam, in qua est, habet se, sicùt ratio agendi ad agens: potentia verò, vt agens: agens autem cum sua ratione agendi plùs potest in ordine effectiuo, quàm sola ratio agendi. Ergo si intellectus, qui se habet, vt potentia agens, vel operans, etiàm vt determinatus per artem, tanquàm per rationem agendi, non potest effectiuè ità concurrere &c, à fortiori non poterit Ars. Antecedens verò primum probatur: quia intellectus, etiàm, vt determinatus per artem, efficit solùm per actus immanentes. Sed per hos non potest produci modus artificialis; cùm hic sit exteriùs in artefacto, actus autem immanens in intellectu: iàm verò actio, quæ non est coniuncta cum effectu, non est causatiua ipsius. Ergo intellectus etiam, vt determinatus per artem, &c.

Nec valet si dicas, actus illos, licet formaliter immanentes sint, nihilominùs virtualiter esse transeuntes; & ratione huius virtualis transitus ad extrà, posse coniungi cum effectu ad extra causando. Non inquam valet: nàm illa actio immanens formaliter vel ideò dicitur virtualiter transiens, quia per illam exit aliqua virtus ab intellectu; & transit ad extra in artefactum, vel ideo, quia habet virtutem, aut efficaciam mouendi potentiam executiuam, mediante qua effectus ponatur ad extra. Non primum, aliàs naturaliter accidens migraret de subiecto in subiectum, quod est cõtra bonam Philosophiam. Nec secundum; quia potentia executiua, aut est ipsa voluntas, & intellectus; & sic non potest moueri ab intellectu, & voluntate, aliàs idem esset mouens, & motum: aut est aliqua facultas in membris exterioribus existens; & hæc ab intellectu moueri non potest; cùm hæc motio sit accidens quoddam spirituale, vtpotè exiens à potentia spirituali; talis autem potentia non posset non esse corporea:

accidēs verò spirituale nequit recipi in subiecto corporeo, aut materiali: maximè cùm in præsenti non possit recurri ad accidens spirituale per modum fluentis, & viæ ad suum terminum; etenim terminus, propter quem, tanquàm finem, fieret ista motio, est quid materiale, modus scilicet artefacti, quod est quid corporeum, & materiale: vnde illa motio, ratione istius termini, aut commensurationis cum ipso, non posset habere spiritualitatem per modum fluentis, sed si ipsam haberet, deberet habere potiùs per modum permanentis.

Resp. admittendo solutionem inter arguendum datam: Ad cuius improbationem eligenda est altera pars dilemmatis. Quia tamen hæc responsio tangit difficultatem, quæ est inter Authores circa potentiam executiuam; dādo locum probabilitati vtriusque sententiæ, & primò quidem in sententia illorum, qui tenent, potētiam executiuam esse distinctam realiter ab intellectu, & voluntate, faciliùs respondetur negando assumptum argumenti, ad cuius probationem ex infrà dicendis patebit. In sententia verò illorum, qui docent, potentiam executiuam esse ipsummet intellectum, & voluntatem, respondetur, adhùc in tali hypothesi non fore idem mouens, & motum: Ad cuius euidentiam

Notandum est, Intellectum, & Voluntatem esse duas potentias se inuicem mouentes: Intellectus mouet voluntatem, quoad specificationem proponendo ei obiectum: Voluntas verò mouet intellectum quoad exercitium; per istam motionem mutuam, imprimit vna potentia istarum alteri, quod sibi proprium est: sic Intellectus imprimit voluntati, quod ipsi vt tali competit, ordinare scilicet, & vnum cum alio conferre: Voluntas similiter, cuius proprium est mouere ad executionē, & exercitium alias potentias imprimit intellectui efficaciam mouendi; quam intellectus exercet per actum imperij, per quem & ipsam voluntatem, & alias potentias ad vsum, & executionem mouet. Desumitur hæc doctrina ex S. Thoma q. 22. de verit. a. 13. vbi sic ait. *Ratio, & uoluntas sunt quædam potentię ad inuicem ordinatæ. Vnde uoluntas potest habere duplicem actum, unum, qui competit ei secundùm suam naturam, in quātùm tendit in proprium obiectum absolutè; & hic actus attribuitur uoluntati simpliciter, ut uelle, & amare, quamuis ad hunc actum præsupponatur actus rationis, à quo proponitur obiectum. Alium uerò actum habet, qui competit ei, secundùm id, quod ex impressione rationis relinquitur in uoluntate; cùm enim proprium rationis sit ordinare, & conferre, quandocunque in actu uoluntatis apparet aliqua collatio, uel ordinatio, talis actus erit uoluntatis, non absolutę, sed ut mota, & directa a ratione.* Hæc S. Doctor. De motione autem intellectus à voluntate ex eius speciali impressione operantis idem S. Doctor q. 17. art. 1. hæc habet:

Con-

Digitized by Google

Considerandum est, quod quia actus uoluntatis, & rationis supra se inuicem possunt ferri, prout scilicet ratio ratiocinatur de uolendo, & uoluntas uult ratiocinari, supra se inuicem possunt ferri &c. (& infrà.) *Ratio potest aliquid intimare, uel denunciare dupliciter: Vno modo absolutè, quæ quidem intimatio exprimitur per uerbũ indicatiui modi; sicut si aliquis dicat: Hoc est tibi faciendum. Aliquando autem ratio intimat aliquid alicui, mouendo ipsum ad hoc; & talis intimatio exprimitur per uerbum imperatiui modi, puta, cùm alicui dicitur: Fac hoc. Primum autem mouens in uiribus animæ ad exercitium actus est uoluntas: Cùm ergo secundum mouens non moueat, nisi in uirtute primi mouentis, sequitur, quòd hoc ipsum, quod ratio mouet imperando, sit ei ex uirtute uoluntatis.* Quòd autem superiores potentiæ, & vires moueant inferiores, docet S. Doct. in 3. dist. 27. q. 2. ar. 4. q. 3. ad 5. & de verit: quęst. 14. ar. 5. ad 4. Ex quibus habetur, intellectum, & voluntatem se inuicem mouere, ficut & alias inferiores vires ad executionem, & exercitium actus. Hac igitur doctrina præsupposita.

Resp. quòd etiamsi potentia executiua non sit distincta ab intelllectu, & voluntate, non tamen sequitur, idem debere esse mouẽs, & motum: sed in ordine executionis, tanquam primum mouens, Voluntas primò mouet Intellectum per actum electionis ad actũ imperij; ipse autem intellectus per dictum actum imperij efficaciter mouet voluntatem ad vsum actiuum, quo applicet, & moueat potentias inferiores ad actum, & vsum passiuum executiuum vsus actiui; aut etiam illo eodem actu efficaciter velit motum membrorum exteriorũ, per quæ, tanquàm instrumenta coniuncta, moueantur postmodùm instrumenta separata artis, ad producendum artefactum, ad quem actum efficacem voluntatis subsequatur infallibiliter motus exteriorum membrorum, nõ quidem, vt actio ad agens, sed vt effectus ad suam causam, prout præclarè explicant N. Complut: in lib: de an: disp: 7. quæst: 2. num. 29. vbi docent, nõ distingui potentiam executiuam à cognoscitiua, & appetitiua, ita tamen quòd in membris exterioribus detur aliqua potentia executiua, passiua tamen, habilitans illa, & disponens ad obediendum imperio appetitus, & intellectus, prout docet S. Doct. cont: gent: 2. cap. 82. & 1. par: quæst: 75. art: 3. ad 3. Sed

Instabis. Si intellectus mouet membra exteriora per impressionem alicuius in ipsis, tanquàm instrumentis coniunctis, in ordine ad producendum artefactum, illud impressum deberet esse aliquod accidens spirituale permanens. Sed hoc dici non potest; cùm accidens spirituale permanens in subiecto corporeo, vt sũt membra exteriora, nequeat subiectari. Ergo non poterunt moueri ab intellectu. Sequela probatur. In primis deberet esse accidens spirituale; nam intellectus est

potentia spiritualis. Ergo etiam impressio ab illo facta deberet esse aliquod accidens spirituale; alias non commensuraretur suo principio. Deinde, quòd illud impressum ab intellectu, si semel fuerit accidens spirituale, deberet esse potiùs permanens, quàm fluens, sic ostenditur. Tunc accidens spirituale, non vt permanens, sed vt quid fluens imprimitur, & recipitur in subiecto corporeo, quandò habet rationem viæ ad terminum spiritualem, cũ quo potiùs commensuratur, quàm cum subiecto, prout docent nost: Complut: in Phys: disp: 12. n. 24. & 25. Sed in præsenti hæc ratio non militat: nam terminus, ad quem tendit hæc spiritualis motio membrorum exteriorum, scilicet artefactum, est quid corporeum, & materiale, non verò spirituale. Ergo ex hac parte illud accidens non potest esse spirituale, & fluens, ac proinde si sit spirituale, debebit esse, non fluens, sed permanens. Cæterùm

Resp. ad istam instantiam duplici via. Primò negando Maiorem: Ad cuius probat: vbi dicitur, agens spirituale non producere, nisi aliquid, quod, sit etiam spirituale, quando operatur per actionem præcisè immanentem, Conceditur, quandò operatur per actionem virtualiter transeuntem negatur; & hoc patet in Angelis, qui, quia dùm localiter mouentur, operantur transeunter, possunt producere lucem, quæ est qualitas materialis. De quo videantur N. N. Salmat: Tomo 2. Tract: 7. disp: 2. num. 92. ita ergo similiter etsi intellectus artificis sit agens spirituale, quia tamen dùm mouet instrumenta ad suum effectum artificiosum deseruientia, operatur per actionem virtualiter transeuntem, poterit in illis imprimere aliquam motionem, quæ non sit omninò spiritualis, sicut & effectus, ad quẽ ordinatur, & tendit.

Secundo potest resp. admissa Maiori, quoad spiritualitatem accidentis, negando, quoad permanentiam: Deinde probationis neganda est Minor; & quando dicitur, terminus istius motionis, scilicèt artefactum, est quid materiale, & corporeum; disting. si adæquatè consideretur; Conceditur; inadæquatè, quoad ordinem scilicet ipsi à ratione impressũ; subdistinguo; est quid materiale, si secundùm se, & quoàd propria attendatur, Negatur; si aliundè, & qua materiazatum est, accipiatur; Conceditur. Itaq; ordo artificiosus impressus ab intellectu artefacto exteriori dupliciter potest cõsiderari: Vel secundùm se, prout scilicet est quædam impressio rationis: & secundùm hanc rationẽ non importat materialitatem, sicut & principium ipsius, à quo procedit, sed potiùs, quantùm est ex se, præscindit ab ea. Vel etiam potest considerari, vt ille ordo est receptus in subiecto corporeo, cui imprimitur, sicque materializatur; & secundùm hunc modum est quid materiale. Explicatur hoc exemplo sensibilium externorum v. g. coloris, aut soni &c. Color, cùm secundùm suam enti-

Digitized by Google

ratem sit quædam qualitas, nihil in se vitalitatis habens, est accidens eiusdem ordinis cum alijs non vitalibus; proinde valdè materiale,& inferioris rationis, maiorisq;materialitatis, quàm entia vitalia; attamen idem color, si consideretur vt participat intentionaliter virtutem substantiarũ separatarum,quarum est propriũ, vt immotæ moueant, eleuatur ad quendam gradum immaterialitatis correspondentem gradui immaterialitatis potentiarum vitalium sensitiuarum,ita vt illas,immotus, possit mouere sensibiliter, eisdem species intentionales,quæ quodammodò spirituales sunt, imprimendo. Proportionali modo, ordo ille rationis, impressus artefacto ab intellectu, erit quidem quid materiale, secundùm quòd est modus identificatus cũ entitate materiali;nihilominus si in illo attendatur ipsamet impressio rationis,ab intellectu principio immateriali descendens,habebit quandam eleuationem supra materialitatem,sicq; spiritualitatem. Nec mirum,quòd color, vel aliud materiale eleuetur ad altiorem ordinem,cum hoc in ipsa materia corporea appareat; dùm enim est sub forma ordinis spiritualis (vt contingit in homine) eleuatur ad ordinem spiritualem animæ, exitque extra limites quodammodò suæ materialitatis: de quo vide hic pagina 575.

DISPVTATIO OCTAVA.

De Causis, & Proprietatibus Modorum.

QVAESTIO I.

Vtrùm Modi habeant aliquas causas.

SVpponendum est primò, Causam *ut sic* à D. Tho. 2. Phys. lect. 10. definiri per hoc, quòd sit illa, ad *quam sequitur esse alterius*. In quo duæ conditiones indispẽsabiles exprimuntur: Vna ex parte causæ, & est influxus in effectum: altera ex parte effectus, & est dependentia physica ipsius à sua causa: ad quod requiritur *altereitas* in effectu, per definitionẽ expressa, hoc est, quòd effectus sit realiter quid distinctum à sua causa, saltim quoad modum essẽdi; quandoquidem idem à seipso realiter nequit esse dependens. Quantùm ad primam conditionem spectat, de hac non est difficultas, cùm causa, in ratione talis, per influxum constituatur. Alia similiter conditio tenens se ex parte effectus, scilicet dependentia, optimè exprimitur per ly *sequitur* &c. Nàm effectus non quomodocunq; sequitur ad *esse* causæ; (aliàs in Diuinis, cùm *esse* Filij sequàtur per originalem sequelam ad *esse* Patris, Filius Dei esset effectus Patris, quod est Arianum,) sed

sed sequitur effectus ad *esse* causæ sequela physica, hoc est, dependẽtiam realem à sua causa importante.

Supponendum secundò, quatuor esse genera Causarum, scilicet Genus causæ *Materialis*, cuius causalitas consistit in concursu passiuo, vel in recipiendo effectũ. *Formalis*, cuius causalitas est actuare, vel informare. *Efficientis* mediante actione causantis: & *Finalis*, cuius causalitas est eadem, quæ & efficientis, non tamen prout ab efficiente, sed vt à fine est. Inter enumerata autem genera causarum Efficiens hoc habet speciale, quòd præcipuè tendat ad ponendum effectum in esse secundùm existentiam. Tùm quia primò, & principaliter respicit ordinem executionis, (qui est ordo res ponendi in esse secundùm existentiam) & ideò definitur, quòd sit *id, à quo primò incipit motus* ordine executionis. Tùm etiam, quia fieri per causam efficientem, siue causalitas eius terminatur ad *esse*, vt ex Arist: docet S. Thom. 1. p. quæst: 45. a. 1. Et ita vt aliquid per se primò terminare possit influxum causæ efficientis, debet habere aliquod *esse* sibi proprium, quod sit terminus efficientis. His ergo præsuppositis, quæritur in præsenti; Vtrùm modi omnium enumeratarum causarum influxum recipiant, vel tantùm aliquarum, & quænam illæ sint? Pro resolutione

Dicendum est primò. Modus, qua modus est, etsi non habeat causam materialem, in rigore illam accipiendo, benè tamen si in latiori significatione sumatur: Cæterùm non recognoscit vllam causam formalem intrinsecam, etsi ab extrinseca, idest exemplari, aliquo modo pendeat. Probatur. Conclusio quoad omnes quatuor partes ipsius:

Prima pars, Causa materialis in rigore non identificatur realiter cum eo, cuius est causa materialis, sed habent se, sicut duæ res realiter distinctæ, vt patet in materia prima respectu formæ substantialis, in subiecto respectu accidentium. Sed modus identificatur realiter cum re modificata, in qua concipitur quasi recipi, vt in subiecto, sicque causari in genere causæ materialis. Ergo modus non habet in rigore causam materialem. Maior patet. Minor etiam: quia non est assignabilis pro modo alia causa materialis, præter ipsam rem modificatam.

Secunda pars Conclusionis probatur. Causa materialis in lata significatione dicitur illa, à qua aliquid pendet, vt à sui receptiuo, aut quasi receptiuo, siue realiter inter se distinguantur, siue tantùm formaliter; sic enim saluatur aliqualiter conceptus causæ materialis. Sed modus à re modificata pendet, vt à sui quasi receptiuo, distinguiturque ab ea formaliter. Ergo habebit causam materialem in lata significatione sumptam. Maior patet: Minor probatur; quia modus est quædam affectio rei modificatæ, (vt suprà dictum est) modaliter, & ita formaliter distinctum quid ab illa. At affe-

affectio pendet à re, quam afficit, quasi à receptiuo sui, vt patet ex terminis. Ergo &c.

Tertia pars Conclusionis, quòd scilicet modus non habeat causam formalem intrinsecam, probatur. Illud quod se habet, vt forma, aut quasi forma alterius, non habet causam formalem intrinsecam, sed seipsa est forma. Sed modus, qua modus est, habet se, vt forma quaedam. Ergo non habet, &c. Maior constat: quia si id, quod est forma, haberet aliam formam intrinsecam, daretur processus in infinitum, vt examinanti patet. Ergo &c. Minor ostenditur: nam modus, qua modus, propriè est affectio quaedam ad instar cuiusdam formalitatis rei. Sed formalitas est quasi forma, aut aliquid saltim formae. Ergo modus, qua talis: habet se, vti forma.

Quarta, & vltima pars Conclusionis, scilicet, modum à causa exemplari aliquo modo pendere, probatur. Ab idea causante ideatum, non tantùm pendet ideatum ipsum, sed & omnes affectiones ipsius, cùm omnia in illa repraesententur. Sed modus est quaedam affectio rei modificatae, vti saepiùs dictum est. Ergo pendebit aliquo modo ab idea, seu exemplari.

Dicendum est secundò. Causa finalis modi est collocare rem in statu debito determinatae perfectionis eius. Probatur. Illud habet rationem causae finalis respectu alicuius, ad quod aliquid ordinatur. Sed modus ex natura sua ordinatur ad hoc, vt res collocetur in statu debito determinatae suae perfectionis. Ergo istud erit ipsius causa finalis. Maior patet ex definitione causae finalis: Finis enim, cuius gratia aliquid fit, id est, ad quod alia ordinantur. Minor prob: Modus ex natura sua ad hoc ordinatur, vt res cū perfectione sua taliter se habeat, Sed hoc ipsum, quòd res taliter, vel taliter se habeat, est collocari in certo quodam, & determinato statu, vt patet ex terminis. Ergo modus ex natura sua ordinatur, &c. Maior ostenditur: nam ex eo, quòd forma substantialis, de facto, composito substantiali tribuat speciem, esse, & constitutionem, colligitur optimè, quod ad hoc ex natura sua ordinetur; non enim tribueret haec, per se loquẽdo, si non fuisset ad id à natura ordinata. Ergo cum modus de facto tribuat hoc rei modificatae, quòd cum sua perfectione taliter vel talitèr se habeat, ab ipso modificata, sequitur, quòd ad hoc ex natura sua ordinetur. Minor autem, vti dictum est, patet ex terminis.

Dicendum tertiò. Si de modo in rigore, & cum praecisione loquamur, non habet causam efficientem, cuius causalitas per se primò ad illum terminetur, quāuis detur omninò, quae conterminetur. Probatur, ad illa Causa efficiens cum sua causalitate per se primò terminatur, quae per se primò habent *esse*; ad illa verò tantùm conterminatur, quae existunt per existentiam alterius. Sed modus in rigore, & cum praeci-

sio-

sione sumptus, non habet *esse* per se primò, sed existit per existentiam rei modificatæ. Ergo nõ habebit causam efficientem, &c. Maior patet ex præsupposito secundo. Minor etiam constat ex ijs, quæ dicta sunt in q. 1. & 2. vbi ostensum est, modum rigorosè sumptum, nec essentiam in rigore, nec existentiam habere propriam distinctam ab essentia, & existentia rei modificatæ.

Soluuntur Argumenta.

PRimum argumentum. Dependentia luminis v.g. à sole est aliquis modus. Sed hæc non habet causam materialem. Ergo falsum est modũ habere illã. Maior prob. Dependentia rei importat ipsammet rem taliter se habentẽ, seu in tali statu. Sed hic est ratio modi, vt ex superioribus patet. Minor cõstat. Dependẽtia habens causã materialem ad lineã ipsius debet pertinere; cum dependentia reducatur ad lineã illius causæ in qua est dependentia. Sed dependentia luminis à sole non pertinet ad lineam causæ materialis. Ergo non habet causam materialem. Maior patet. Minor prob. Dependentia luminis a sole pertinet ad lineam causæ efficientis; quia lumen causatur à sole in genere causæ efficientis. Ergo non pertinet ad lineam causæ materialis. Anteced: patet. Conseq. prob. Nam sicut linea vnius causæ non spectat ad lineã alterius, sed extra illam; sic nec dependentia, quæ est in vno genere causę non potest esse in alio; cùm ratio causæ, & effectus maximè penès huiusmodi dependẽtiam attendatur. Ergo si dependentia luminis solis pertinet ad lineam causæ efficientis, non pertinebit ad lineam causæ materialis.

Confirmatur. Dependentia dicti luminis præsupponit prioritatem, in Sole, in eaque quodammodò fundatur. Ergo ista maximè deberet esse causa materialis ipsius. Sed hæc non est. Ergo non dabitur causa materialis illius. Maior prob. quia dependentia effectus præsupponit prioritatem in causa, tanquam fundamentum suum. Conseq. patet, quia fundamentum modi respectu eiusdẽ habet se, vt causa materialis, sicut inductiuè patet, etiam in alijs. Minor etiam subsumpta probatur, quia si esset causa materialis modus prioritatis in solo respectu dependentiæ luminis, iam ipsemet Sol subiectum prioritatis esset subiectum dependentiæ; cùm subiectum subiecti *Quo* alicuius modi, vel accidentis, sit etiam subiectum talis modi, aut accidentis. Sed Sol non potest esse subiectum dependentiæ luminis à Sole: alias esset dependens à se ratione illius, & non esset in eodem genere causæ efficientis; (quia prior lumine, & causa est) quæ sunt implicantia. Ergo prioritas, quæ est in Sole respectu dependentiæ luminis ab ipso non poterit esse causa materialis eiusdem.

Resp. ad Argumentum principalem, negando minorem, cuius pro-

probationis distinguitur minor. Dependentia luminis à Sole non pertinet ad lineam causæ materialis, si sumatur pro effluxu quodam, & emanatione ipsius luminis à Sole. Conceditur, si verò sumatur pro affectione quadam adiacente ipsimet lumini. Negatur. Itaque dependentia luminis à sole dupliciter potest considerari. Primò secundùm rationem cuiusdam effluxus luminis à sole, tanquam à sua causa efficienti, & secundùm hunc conceptum, pertinet ad lineam causæ efficientis; cùm emanatio, & effluxus luminis à sole fiat in genere causæ efficientis. Secundo verò prædicta dependentia considerari potest secundùm rationem affectionis cuiusdam adiacentis ipsimet lumini, illudque modificantis, & hoc modo accepta, pertinet ad lineam causæ materialis; alteri enim adiacere, est ab illo in genere causæ materialis pendere. Quod autem prædictæ dependentiæ luminis vtraq; ratio explicata competat, declaratur exemplo generationis substantialis, quam N. Complut: 1. de Gener. disp: 2. num: 61. docent esse modum quendam substantialem in materia immediatè receptum. Hic modus est dependens à causa efficiente, cùm sit exercitium ipsius, & ita secundùm hanc rationem ad lineam ipsius pertinet; deinde etiam habet dependentiam à materia, cùm recipiatur in illa; proinde secundùm conceptum hunc dependentia ipsius erit lineæ causæ materialis. Proportionali ergo modo de modo dependentiæ luminis à Sole discurrendum est.

Ad Confirmat: Resp. concesso Antecedenti, negatur Consequ. ad cuius probationem dico, fundamentum modi habet se, vt causa materialis respectu ipsius, si sic fundamentum ad instar sustentatiui se habens. Conced: ad instar præcisè originantis illum. Negat: Prioritas autem, quæ est in causa effectiua luminis respectu dependentię ipsius est tantùm fundamentum originans, cùm sit radix, quare in tali effectu detur dependentia à sua causa efficiente, non autem est sustentans, quia dependentia, quæ est in effectu, sustentatur ab ipsomet effectu, qui est dependens, non autem à causa, quæ secundùm quod talis sicuti prioritatem, sic & independentiam importat.

Secundum Argumen: contra secundam Concl: status rei debitus determinatę perfectioni eius, est effectus formalis modi. Ergo non poterit esse causa finalis ipsius. Antecedens, prob. quia certus status rei modificationē quādam ipsius importat, quod sit taliter, vel taliter se habens. Modificatio autem est effectus formalis modi, Conseq: etiam prob: Causa finalis est primò mouens, & ipsa immota, sicque independens; effectus formalis modi, est quid dependens à modo, nec quid immotum, cùm sit causatum. Ergo non poterit habere rationem causæ finalis respectu modi; idem siquidem respectu eiusdem nequit esse dependens, & independens, mo-

tum, & immotum, &c.

Confirmatur. Finalis causa importat rationem boni, & bonum fundatur in perfectione, eamque necessariò affert, vt docet D.Tho. 1.p.q.5. a. 1. Sed status ad quem ordinatur modus non affert suam perfectionem. Ergo non habebit rationem causæ finalis. Maior probatur. Status hic non distinguitur a modo, vt communicato rei modificatæ; cùm sit effectus formalis, aut quasi formalis ipsius. Sed modus nullam importat perfectionem, prout supra dictum est. Ergo neque status ad illam consecutus.

Resp. ad Argument: principale admisso Anteced: negatur Consequ. ad prob: concesso Anteced. disting: Consequens non poterit habere rationem causæ finalis respectu modi secundùm illam rationem, secundùm quam est effectus formalis. Conceditur: secundùm aliam, secundùm quam non est effectus. Negatur. In illo namque statu, qui dicitur esse effectus formalis modi duo distinguimus; Vnum est ratio terminādi per modum vltimationis habitudinem modi, quam habet ex natura sua, ad communicandum huiusmodi statum rei modificatæ: Aliud est effluxus formalis ipsius à modo, tanquam à principio suo in genere causæ formalis. Hoc secundum in statu est ratio effectus formalis modi; primum verò est ratio causæ finalis non secus, ac in communicatione formæ substantialis, & eius effectu formali, qui est specificatio, & constitutio compositi, dicta specificatiò, & constitutio, prout effluit à forma substantiali, vt à suo principio formali, est effectus formalis ipsius; prout verò terminat habitudinem ipsius intrinsecam per modum vltimi, ad quod ordinata est ipsamet forma a natura, habet rationem causæ finalis. Nec hinc sequitur, quòd idem respectu eiusdem sit dependens, & independens, motum, & immotum &c. Nam licet sit idem v. g. status prædictus, & respectu eiusdē, scil. modi, non tamen secundùm idem (vt mòdò ostendimus) est effectus, & causa, nec in eodem ordine; cùm effectus formalis rationem habeat in ordine executionis, causæ verò finalis in ordine intentionis.

Ad Confirmation: Resp. conced. Maiorem, & negan. Minorem ad cuius probat: admissa Maiori distinguitur Minor. Modus nullam importat perfectionem, vt modus est, & secūdùm suam præcisionem sumptus. Conceditur: Modus, vt modificans, seù afficiēs rem modificatam, ad quod afficere consequitur determinatus status. Negatur. Nam si modus sumatur cum sua præcisione, ea tantùm affert, quæ sunt lineæ propriæ, in qua linea perfectio, in rigore loquendo, non inuenitur, (prout supra ostensum est) si autem accipiatur, vt modificans, & afficiens rem modificatam sumitur, vt tractus ad lineam suæ rei modificatæ, cum qua est eadem realiter entitas, ac proinde sicut res modificata affert aliquam sibi

de-

debitam perfectionem, sic nec modus cum illa identificatus eandem excludet.

Tertium Argumentum. Modus vel per se primo debet terminare actionem causæ efficientis; vel nullo modo terminat. Ergo male dicitur in Conclusione, quod conterminat. Conseq: patet. Anteced: quoad primam partem probatur primò quia modus artis est verus modus vt supra ostensum est. Sed hic per se primò terminat actionem artificis. Tùm quia artifex pur suam actionem in artefacto non producit entitatem Physicam, sed iam productam supponit. Tùm quia id, quod per se primò produci intenditur ab artifice, est modus artefacti. Ergo ille etiam per se primò producitur. Secundò idem Antecedens principale probatur. Modus maioris radicationis eiusdem qualitatis in subiecto, est verus modus, vt cõmuniter Thomistæ sentiunt, & tamen per se primò producitur. Ergo &c. Prob: Anteced. quia sicut qualitas secundum se per se primò terminat actionem, seù motum alterationis specialiter dictæ, sic & modus maioris radicationis motum intensionis, & propterea tres species alterationis assignantur, habentes terminos distinctos specificè, scil. Alteratio respiciens qualitatem secundum se. Intensio respiciens modum maioris radicationis, & Remissio minoris &c. Ergo &c.

Quoad secundam partem. Antecedens principale, quòd sc. modus nullo modo terminet actionem causæ efficientis probatur, quia Prioritas, Motus sunt modi, & ideò inter post prædicamenta (quæ sunt modi complentes prædicamenta) numerantur. Sed hi non terminant vllo modo actionem agentis. Ergo &c. Maior patet. Minor probat: quoad Prioritatem; Nam illud, quod terminat actionem agentis est dependens, & posteriùs, vtpotè causatum. Sed prioritas nequit esse posteriùs, & dependens, cùm opponatur posterioritati, eamque excludat. Ergo &c. Quoad motum similiter facilè ostenditur, quia si ad motum terminaretur actio agentis, iam ad actionem daretur actio, & ad motum motus, quòd est contra Philosophum, & arguit processum in infinitum. Ergo &c. Anteced. patet, quia motus, & actio formaliter transiens identificantur & ita si ad motum daretur actio, ad actionem actio, & ad motum daretur motus.

Resp. negando Anteced. quoad vtramque partem. Et in primis, quoad primam partem eiusque primi Argum: respondeo negando Minorem ad cuius primã probationem dicendum est Artificem per suam actionem non producere entitatem physicam Artefacti, secundùm quod pertinet ad ordinem physicum. Conceditur. Secundùm quod intrat ordinem artificialem, illique deseruit. Negat: nam producit per diuisionem continui figuram, quæ est qualitas, & entitas physica, tracta tamen, iam ex vi productionis ad ordinem artificialem,

ad cuius productionem, & positionem in artefacto resultat modus artis. Ad secundam verò probat: Dicendum, id quod per se primò produci intenditur ab Artifice, est modus artis intentione operantis. Conced: operis Neg: sicut in naturalibus id, quod per se primò per actionem, generatiuam produci intenditur intentione naturæ operantis, est forma substantialis: at verò intentione operis, vltima dispositio ad formam substantialem requisita, vti docent N. Complut. in lib: de Gener. & Corrupt. & ideò illa dispositio per se primò attingitur per talem actionem, forma verò substantialis tantum resultat.

Ad secundùm argumentum, quod probat Antecedens principalis argumenti quoad primam partem Resp. negando Antecedens. Ad cuius prob. dicitur. Modum maioris radicationis (sicut & qualitatem absolutè sumptam) per se primò terminare motum. Distin. si modus cum præcisione sumatur. Negatur si modus vt modificans accipiatur, id est afficiens qualitatem communicantemq; se subiecto. Conced. & deindè neganda est Conseq: nam ad hoc, vt modus per se primò produceretur requirebatur, vt secundùm se præcisè sumptus, per se primò terminaret motum intensionis, sicut qualitas secundùm se per se primò terminat motum alterationis: cùm autem dictus modus non terminet secundùm se, sed vt modificans, idest afficiens ipsammet entitatem qualitatis cum suo *esse*, hinc est quod non per se primò producitur. Quòd autem dictum motum terminet tantùm, vt modificans, & afficiens entitatem qualitatis cũ suo esse, patet ex eo, quia actio agentis per se primò respicit suũ terminum secundùm esse, vt ex secũdo præsupposito huius quæst. patet: esse verò modi non est aliud ab esse entitatiuo qualitatis (sicut de omni modo dictum est) hinc etiam fit, quòd modus intensionis non terminet per se primò motum intensionis, & actionem, nisi secundùm quod afficiens entitatem qualitatis, eiusdem esse modificans, ad quod attendentes N. Complut: dicunt, quod per motum intensionis producatur esse intensum qualitatis, non autem modus intensionis præcisè; modus quandoquidem præcisè sumptus, sicut per se, & ex se proprium esse non habet, sic nec rationem terminandi motum identificatum cum causalitate efficientis, (quæ est ipsum esse.) habebit primò per se & ex se. An autem modus habet *esse*, dicetur in fine quæst. 2.

Ad Argumenta probantia secundam partem Antecedẽtis argumenti principalis, quod sc. modus nullo modo terminet actionem agentis. Resp. neg. Minorem ad probationem eius, quantùm ad Prioritatem attinet dicendũ. Prioritatem nõ posse esse quid posterius, & dependens. Distinguo Primam, & imparticipatam, Conceditur secundam, & participatam, subdistinguo non potest esse quid

quid posterius secundum præcisum conceptum prioritatis. Conceditur. Secundùm conceptum participatæ. Negatur. Itaq; alia est prioritas omninò prima, & imparticipata, & hæc non est modus, sed ipsamet infinita perfectio entis increati: Alia verò participata, quæ est quidam modus in creatis, & hic secundum conceptum præcisum prioritatis non exprimit dependentiam, aut posterioritatem, benè tamen secundùm conceptum participati non secùs ac vitalitas in actione creata, secundùm rationem vitalitatis cum præcisione, non dicit hoc, quod est causari ab extrinseco agente, quin potiùs excludit, & petit procedere à principio intrinseco: attamen secundùm rationem participatæ & secundæ vitalitatis exigit etiam ab extrinseco agente causari à quo omne ens participatum accipit suum esse.

Ad illud autem de motu, quãdo dicitur, quòd ad actionem nõ datur actio. Resp. non datur actio, quæ per se primò terminetur ad actionem, Conced: quæ terminetur ad illam tantùm secundariò, & tanquam ad terminum resultantem. Neg: de qua solutione possunt consuli N. Complut: in Phys: disput: 10.q.7.n.113. Motus autem, sicut & omnis modus non producitur per actionem per se primò ad illum terminatam, sed tantùm secundariò, prout superius ostensum est, ac proindè ex hoc quod actio non detur ad actionem non licebit inferre, quòd motus nullo modo terminet actionem agentis.

QVAESTIO II.

Quænàm sint Propri etates Modi vt sic.

SVpponendum est primò, quòd cùm ens in sua latitudine sumptum, includatur transcendẽtaliter in omni eo, quod non est nihil, ac per consequens in modo reali, etiam proprietates ipsius transcendentales, illud semper concomitantes in modo aliqualiter inueniri opportebit; maximè quia modus non minorem videtur habere amplitudinem, quàm Ens creatum, prout colligitur ex S. Thoma quæst: 21. de veritate art. 6. docente vbicunque est esse receptum (sicut est entis creati) ibi oportere esse modum: & ita sicut ens creatum propter suam amplitudinem exigit proprietates, transcendentales, sic & modus, vtpotè eadem realiter entitas cùm ipso iuxta superiùs dicta proportionaliter easdem requiret. Difficultas tamen esse potest, Vtrùm omnes, vel aliquas tantum.

Supponendum secundò: Modus, vt sic in omni sua amplitudine acceptus debet esse transcẽdens respectu cuiuscunque modi, & in quocunque ordine inuẽti, nam nihil inueniri potest in modo cuiuscunque ordinis, prout est intra lineam modi, in quo non includatur essentialiter modus vt sic: cùm quæcunque ratio modi debeat esse modus, & quia passio modi vt sic, ipsi soli, vt cõ-

Digitized by Google

distinguitur suo modo ab ente, propria, & conuertibilis cum eo inuenitur, vbicunque potest inueniri ipse; hinc fit quod etiam passio eiusdem propria debeat esse transcendens, & inbibita in omni modo, ex quo vlteriùs sequitur, quòd dicta passio modi non distinguatur ab illo, nisi penes implicitum, & explicitum conceptum: sicuti etiam passiones entis non maiori distinctione distinguuntur ab ente; & hoc ideò, quia sunt transcendentes, prout & ipsum ens; cùm ergo passio propria modi non sit minùs transcendens quàm ipse, consequens erit, quòd etiam simili distinctione distinguatur ab eo, sicut distinguuntur proprietates entis ab ente penes implicitum scilicet, & explicitum conceptum.

Supponendum tertiò. In formis transcendentalibus illud accipitur, vt proprietas ipsarum, quod concipitur præsupponere rationem formalem transcendentis, eamque saltim virtualiter consequi; hoc patet in *Ente*, & *vno*; nam quia vnum concipitur quodammodo præsupponere rationem formalem entis, ad eamque virtualiter subsequi concipitur, non vt ipsa essentia, sed potius, vt passio entis. Patet etiam in accidente secundùm quod abstrahens à completo, & incompleto est quædam forma transcendens respectu omnis accidentis. Accidens, igitur hoc modo sumptum secundùm suum conceptum formalem, & primarium importat in esse aptitudinale iuxta illud ex Aristot. desumptum. *Accidentis esse est inesse*, de quo videri possunt N. Complut. in Logica disput. 11. n. 65. & quia hoc *inesse* præsupponit, suoque modo consequitur esse communicatiuum esse secundum quid subiecto, hinc est, quod tale communicatiuum esse concipiatur ad instar proprietatis accidentis, vt ostensum est; sequitur manifestè illud in ipso, vt propriam eiusdem passionem concipi debere, quod saltim virtualiter præsupponit, & consequitur rationem formalem ipsius; aut penès implicitum; & explicitum conceptum, vti dictum est de ente, & passionibus eius. His præsuppositis.

Dicendum est primò. Si passiones transcendentales accipiantur pro Re, Vero, & Bono, non possunt competere modo, vt sic, secundùm rigorem metaphysicum intra lineam modi, præcisè sumpto. Probat: Conclus: quod singula, & primò quoad Rem. Res desumitur à forma, & quidditate, immo significat ipsam quidditatem; & essentiam; ac proindè res in rigore erit quidditas in rigore: Sed *modo* intra lineam modi præcisè non competit esse quidditatem in rigore. Ergo neq; rem. Maior prob. ex S. Tho. in primò dist. 25. quæst. 1. art. 4. *A quidditate sumitur hoc nomen, res*, & ad 1. *Nomen rei imponitur à quidditate, vel forma*. Deinde secundò dist. 37. qu. 1. art. 1. *simpliciter dicitur res, quòd habet esse ratum, & firmum in natura*: Minor etiam prob:

Quid;

Quidditas in rigore est principiũ essendi;& id cuius actus est *esse* vt docet Angel: Doctor primo dist. 23.quæst:1.art.1.& alibi. At modus intra lineam præcisè modi nõ est principium essendi; cùm non habeat proprium esse, vt superiùs ostensum est. Ergo &c. Hinc oritur quod communiter dici soleat; modum rei non esse rem:attamẽ, quia per quidditatem quem significat hoc nomen. *Res* intelligitur non solùm natura absoluta(vt docet S. Doctor *primò* dist. 25.q.1. ar.4.) sed etiam ratio, vel intentio cuiuscunq; vel substantiæ, vel accidentis,vel relationis &c. hinc est quòd modus habens sibi propriam aliquam rationem, vel formalitatem in latiori acceptione poterit dici res.

Quoad secundùm.Transcendẽs scil. *Verum*, quod non competat modo in rigore sumpto. Probatur. Ratio veritatis transcendentalis fundatur supra entitatem absolutè, & simpliciter dictam, quæ sit principium essendi, & illam consequitur. Sed modus intra suam lineam,præcisè consideratus non importat entitatem huiusmodi. Ergo neq; veritatem transcendẽtalem fundabit. Maior est S.Tho. quæst: 1. de Veritate art. 1. c. qui loquitur loco citato de ente, quod desumitur ab actu essendi,sicque est principium eius, & docet veritatem transcendentalem in eo fũdari his verbis. *Tripliciter veritas, & verum definiri inuenitur. Vno modo secundùm id, quod præcedit rationem veritatis, & in quo verum fundatur. Et sic Augustinus definit in lib: soliloq: verum est id,quod est,& Auicenna in 11. Metaph: veritas cuiuslibet rei est proprietas sui esse, quod stabilitum est rei. Et quidam sic. Verum est indiuisio esse, & eius quod est, scilicet Entis.* Hæc S. Doctor. Minor facile patet quia modus non est entitas absolutè,& simpliciter dicta, sed valdè diminuta,vt omnes fatentur.Ergo &c.

Quoad tertium Transcendens *Bonum* scil. Probatur Conclusio. Bonum in rigore illud consequitur per modum proprietatis trãscendentalis, cui competit esse perfectum.Sed *Modo* intra lineam præcisè modi non competit esse perfectum. Ergò nec habere bonitatem per modum proprietatis transcendẽtalis.Maior prob.Tùm quia,vt docet S.Doct:illud, quod est vltimò perfectùm dicitur bonum simpliciter, & quod non habet vltimam perfectionem, quam habere debet,quamuis habeat aliquam perfectionem, in quantùm est in actu,non tamen dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter,sed tantùm secundùm quid 2.p.qu. 5 art. 1. Tum etiam quia,vt idem S.Doctor loco citato innuit. In tãtùm vnumquodq; est bonum, in quantùm perfectũ; imò bonum, in perfectione, & actu principaliter consistere dicit 1.p.quæst:48.a. 6.c. Ergo bonum in rigore illud consequitur per modum proprietatis &c. Minor Argum:probatur.Nam in tantùm vnumquodq; est perfectũ in quãtum est in actu per actualitatem omnis rei,quæ est *esse*,vti loco ci-

Digitized by Google

citato ex 1.p. quæst.5. Præceptor Angel. ostendit. Sed modus intra propriam præcisè lineam non est in actu per *esse*; cùm ipsius *esse* nō sit aliud ab esse rei modificatæ (quod tamen est extra lineam modi) vt superiùs visum est. Ergo modò intra lineam præcisè, modi &c.

Dicendum est secundò. Passio transcendens, quæ est *Vnum* absolutè competit *modo* intra propriam lineam ipsius; non tamen *aliquid*, si in rigore metaphysico sumatur. Probatur prima pars. Vnitas trascendens absolutè, & simpliciter loquendo tantùm dicit realitatem ratam: fixamque extra animam, indiuisam in se, & ad summum diuisam ab alia. Sed *modo* intra propriam lineam competit esse quid ratum, & fixum extra animam intra propriā lineam. Ergo,& passio transcendens, quæ est vnum competit eidem. Maior prob. Nam realitas determinata rata, & fixa in se extra,animam non est simpliciter omnia, vt patet ex terminis. Ergo erit simpliciter indiuisum quid in se, minor est clara, quia modus intra propriam lineam non est nihil à parte rei, nec ens in anima, vt ex supradictis patet. Ergo est quid ratum, & fixum extra animam.

Secunda pars Conclus. circa *Aliquid* probatur. Passio transcendens, quæ est *Aliquid* exprimere in suo conceptu,idē, quod, *Aliud Quid*, vt docet Angel: Doctor de veritate quæst.1.art.1. Sed hoc quod esse *Aliud quid* non potest conuenire modo intra propriam præcisè lineam rigorosè loquendo. Ergo nec aliquid. Maior patet; Minor prob. & explicatur ex doctrina eiusdem S. Doctoris in 1. dist.9. q.1. art.1. *Aliud importat diuersitatem simpliciter, & absolutè, quæ est diuersitas essentiæ; cui competat alietas simpliciter: Hoc enim genus neutrum in Aliud clausum significat*. Sed modus intra propriam lineam non importat essentiam, cui competat alietas simpliciter, ac proindè diuersitas simpliciter, & absolutè. Ergo &c. Maior est doctrina S.Tho. loco citato, & præcipuè in resp. ad 1. Minor declaratur; quia alietas, & diuersitas simpliciter non competit nisi essentiæ, quæ sit absolutè, & simpliciter essentia, cùm esse idem, vel diuersum consequantur *rem*, tanquam proprietates eius, ac proindè sint talia, qualis fuerit res. Sed modus intra lineam modi præcisè non est essentia absolutè, & simpliciter, vt supra toties dictum est; & ex se patet; quandoquidem non est principium essendi, quod requiritur ad essentiam simpliciter, Ergo &c.

Dices: Modus ex vi propriæ lineæ habet esse aliquam formalitatem. Ergo etiam esse aliquid.

Resp. negando consequ: Nam *Aliquid*, vt ex passionibus transcendentalibus, si in rigore loquamur, tantum consequitur essentiam, vel entitatem habentem simpliciter,& absolutè alietatem, vt modò dictum est, quod interim nequit cōpetere formalitati modi;

hoc

hoc tamen non obstante, non est denegãdum aliquid *Modo*, etiam intra propriam lineam, in lata acceptione, prout importat signum quoddam determinatiuum alicuius in se, & ab alijs discretiuum, ratione cuius possimus dicere, quòd modus ita sit in se, quòd non sit aliud.

Dicẽdũ est tertiò. Passio propria Modi, vt sic, & conuertibilis cum illo, est esse communicatiuum *esse limitati* præcisè rei modificatæ. Deducitur hæc Conclusio ex D. Tho. qu. 21. de Verit. art. 6: vbi ex esse limitato, quod inuenitur in esse recepto, tanquam ex quadam proprietate modi, colligit, modum inueniri in omni esse recepto, siue substantiali, siue accidentali: sicut in 1. dist. 23. quæst. 1. art. 1. ad 3. ex proprietate substantiæ, quæ est substare, colligit illius naturam, dicens: *Quod substantia dicitur in quantùm subest accidenti, quod naturæ conuenit, subsistere verò dicitur aliquid in quantum substat esse, non quòd habeat esse in alio, sicut in subiecto*:,

Probatur Conclus. ratione. Modus, vt sic, est forma, aut quasi forma transcendens: & esse communicatiuum *esse limitati*, consequitur saltim virtualiter ad rationem formalem ipsius. Ergo esse communicatiuum esse limitati rei modificatæ erit propria passio illius, &c. Anteced. quoad primam partem patet ex secundo præsupposito huius quæst. Secunda autem probatur. Ratio formalis modi, vt sic, consistit in hoc, quòd sit affectio adiacens ad instar determinationis præcisè limitatiuæ, vt ex quæst. 2. huius disp: constat. Sed ad *esse* determinationem præcisè limitatiuam virtualiter consequitur esse communicatiuum *esse limitati*; determinatio quandoquidem præcisè limitatiua, quantùm est ex se, importat, & affert esse quoddam limitatum: ad esse autem limitatum virtualiter consequitur *esse* communicatiuũ eiusdẽ *esse*, sicut in forma substantiali, *ad esse essentiæ* virtualiter cõsequitur *esse* naturæ, vel radicaliter operatiuũ esse, & ad esse secundùm quid accidentis, scilicet *inesse*, consequitur esse communicatiuum *esse* secundum quid. Ergo esse communicatiuum esse limitati consequitur virtualiter &c. Consequentia verò primi argumenti probatur sic. In formis transcendentalibus illud accipitur, vt proprietas ipsarum, quod concipitur præsupponere rationem formalem transcẽdentis, eamque saltim virtualiter consequi, vt ostensum est in tertio præsupposito huius quæst. Ergo si modus, vt sic, est quasi forma transcendens, & esse commununicatiuum esse limitati consequitur virtualiter rationem formalẽ ipsius, iam esse cõmunicatiuum &c. erit propria passio eiusdem.

Soluuntur Argumenta.

PRimum Argumentum: Conceptus *Rei* in rigore competit etiam illis, quæ ex se non sunt principium essendi. Ergo etiamsi modus, secundùm suam rationem

formalem intra propriam lineã, non sit principium essendi, adhùc conceptus *rei* in rigore competit ipsi. Anteced. prob. Conceptus *rei* in rigore competit etiam Relatiuis. Sed relatiua, secundùm quòd formaliter talia, non sunt principium essendi. Ergo conceptus rei &c. Maior est D. Thom: 1. dist. 2. q. 1. ar. 5. ad 2. *Res est de Transcendentibus, & ideò se habet communiter ad absoluta, & relatiua*, &c. Minor etiã prob. Relatiua, secundùm suum conceptum formalem, præscindunt ab esse, cùm totum ipsorum esse sit ad aliud, & non ad se: & propter hanc rationem D. Thom: in diuersis locis, sed præcipuè 3. p. q. 17. ar. 2. ad 3. docet, in Diuinis, licet dentur plures relationes, non tamen dari, nisi vnũ *esse*, quia vna est natura, quæ est principiũ, vel quasi principium talis esse.

Resp. negando anteced: cuius probationis disting. est Maior, Conceptus *rei* in rigore competit relatiuis. Si *Res* sumatur in lata significatione, prout exprimit quamcunque quidditatem, siue illa quidditas sit rigorosa, siue tantùm ratio, vel intentio cuiuscunque, ita tamen, quòd sit ratum quid extra animam; conceditur: Si autem sumatur strictè pro quidditate præcisè rigorosa, quæ secundùm quod talis debet esse principium essendi (vt in Conclus: ex D. Thom: ostensum est,) Negatur. Sicut enim Ens dupliciter potest accipi; vel latè pro omni eo, quod non est nihil, seù non ens; secundum quam rationem competit tàm enti simpliciter, & in rigore tali, quàm enti secundùm quid tantùm: Vel etiã strictè pro ente simpliciter tali, cui in rigore competit *esse*, vt *quod*, de quo in 1. disp. huius Tract. sic etiam proportionaliter, & de *Re*, quæ est quidam conceptus transcendens, non minus, ac ens, discurrendum est: & hoc est, quod dicit S. Doctor 1. dist. 27. q. 1. a. 4. ad 1, dum asserit, *Nomen rei imponi à quidditate, vel forma*: & in eiusdem articuli Corpore docet, formam, & quidditatem, à qua sumitur nomen *rei* in Diuinis, esse & absolutam, quæ est Essentia Diuina, & relatiuam, quæ est Relatio. Vnde habetur, *Rem* posse sumi, & latè pro quacunque quidditate, siuè sit rigorosa, & principium, aut quasi principium essendi, vt est Essentia Diuina, siuè non sit, prout est forma relatiua in Diuinis (de quo videri possunt nost. Salmatic. Tomo 2. Tract. 6. disp. 10. num. 7.) & deinde strictè, secundùm quòd significat essentiam rigorosam: ad quod attendens idem S. Doctor loco citato ad 2. dicit, in Diuinis esse plures rationes relationum realium, & ita plures quodammodò quidditates, quamuis hoc non possit propriè concedi: Vbi rationem quidditatis propriè, & in rigore, denegat quidditatibus relatiuis, ac proinde etiã rationẽ *Rei* in hoc sensu rigorosam, quæ desumitur à quidditate, eamque secundùm ipsum, significat.

Se-

Digitized by Google

Secundum Argumen. contra primam Conclus: quoad *Verum*. Modus, vt sic, intra propriam lineam habet in rigore intelligibilitatem, Ergo & Veritatem, Consequentia patet: Intelligibilitas enim subsequitur ad veritatẽ. Anteced: autem probatur. Tùm quia modus habet propriã idæam in intellectu, vt patet in modo Artis, qui repræsentatur in idæa Artificis; nihil autem propriã idæam potest habere in intellectu, nisi habeat intelligibilitatem: Tùm etiã, quia intelligibilitas, & veritas obiectiua nihil aliud est, quã realitas vniuscuiusque, vt conformabilis cum suo proprio conceptu. Sed Modus, cùm sit quid ratum extra animam, est realitas conformabilis cum suo conceptu. Ergo habebit propriam intelligibilitatem.

Resp. negando Anteced. ad cuius primam probat. negandum est, Modum, vt sic, habere propriã idæam. Nec illud de modo Artis quidquam facit quoad præsens; nam dato, quòd modus Artis haberet propriam idæam, cum præcisione sumptus in mente artificis, non tamen inde sequeretur, illum habere propriam intelligibilitatem, & veritatem transcendentalem; hæc enim non attenditur penes ordinem ad intellectũ creatum, sed potius penes ordinẽ ad intellectum Diuinum, vt idæantem creata. Quòd autem in Intellectu Diuino Modus, vt sic, non habeat idæam, deducitur ex doctrina D. Tho. 1. p. qu. 15. a. 3. ad 3. qui loco citato docet, materiam primam ideò non habere idæam in Deo distinctam ab idæa compositi, quia materia, secundùm se, *esse* nõ habet: At Modus etiam, vt sic, secundum se, *esse* non habet aliud ab esse rei modificatæ. Igitur neque idæam propriam habebit. Ad secundam verò probat: resp. Intelligibilitas nil aliud est, quàm realitas, quæ sit principium essendi; Concedo; quę non sit; Nego: & quia modus non est realitas, quæ sit principium essendi, hinc fit, quòd non habeat sibi propriam intelligibilitatem, & veritatem obiectiuam.

Tertium Argumentum contra eandem Conclus. quoad *Bonum*. Modus intra propriam lineam habet suam bonitatem in rigore. Ergo ratio boni ipsi competet in rigore. Antecedens prob. Tùm quia omnis Creatura est bona per suam essentiam. Modus autẽ est aliqua creatura. Ergo habet propriam bonitatem &c. Minor patet. Maior autem est D. Tho. de Verit. q. 21. a. 1. ad 1. Tùm etiã, quia si aliquid obesset, quominus Modus intra propriam lineam nõ haberet bonitatem, maximè, quia ex se non habet *esse*, nec est principium eius, quæ tamen requirit S. Doctor ad rationem boni. Sed hoc non obstat. Ergo &c. Maior patet. Minor probat. Nam etiam materia prima non habet esse ex se, nec est principium eius, sed huiusmodi est forma, vt ex D. Tho. cõmuniter docent Thomistæ: hoc tamen nõ obstãte, est bona per seipsam, iuxta Angel. Doct. de Malo qu: 1. a. 2. c. immò simpliciter,

bona 1. p. q.48. ar. 3.c. Ergo &c.

Resp. negando Anteced: ad cuius primam probat. dicendum est, omnem creaturam esse bonam per suam essentiam fundamentaliter, in quantum scil. per suam essentiam fundat habitudinem ad bonitatem Dei, non autem formaliter; hoc enim negat S. Doctor 1. p. qu. 6. a. 3. ad 3. docens, bonitatē creaturæ non esse essentiam eius. Primum autem docet de Veritate qu. 2. a. 1. ad 1. dum inquit. *Creatura potest dici bona per essentiam, in quantùm scilicet essentia creaturæ non inuenitur sine habitudine ad Dei bonitatem*. Et ita etiam si modus sit quodammodò creatura, non tamen inde colligi potest, quòd ex se formaliter habeat bonitatem. Ad secundam probationem resp. negando Minorem: ad cuius probat. circa materiam primam dicendum est, eam vocari bonam à S. Doctore secundum seipsam ordinatiuè potentialiter, non autem possessiuè, & formaliter, quod colligitur, tùm ex loco citato de Malo, vbi sic ait. *Omne, quod est in potentia ad bonum, ex hoc ipso, quod est in potentia ad bonum, habet ad bonum ordinem, cùm esse in potentia nihil aliud sit, quàm ordinari ad actum. Patet ergo, quòd id, quod est in potentia ex hoc ipso, quod est in potentia, habet rationem boni.* Ecce de qua bonitate loquitur: Clariùs se explicat 1. p. q. 48. a. 3. c. dum dicit, quòd *Omne ens in potentia, in quantùm huiusmodi, bonum quoddam est, secundùm quòd habet ordinem ad bonum; sicut enim est ens in potentia, ita & bonum in potentia.*

Quartum Argumentum. Esse communicatiuum *esse limitati* cōuenit alijs, quæ non sunt modus. Ergo esse communicatiuum &c. non erit propria passio modi, vt sic, conuertibilis cum illo. Consequ: patet, quia passio rei conuertibilis cum re nequit competere alijs, quæ non sunt talis res, alias non esset conuertibilis cum illa. Anteced. autem prob. Conuenit materiæ primæ, vel formæ substantiali. Sed hæ non sunt modus. Ergo &c. Minor patet ex communi doctrina Philosophorum. Maior verò prob: quia materia communicando se formæ, communicat illi *esse limitatum*, similiter forma limitando materiam pari ratione communicat esse limitatum. Ergo esse communicatiuum esse limitati competit vtrique.

Resp. negando Antec. & Maiorem probationis eius: ad cuius vlteriorem probationē sic dicendum: materia &c. communicat esse limitatum formæ, per se primò ex vi talis communicationis; Negatur; secundariò, & ex consequēti tantùm, Conceditur, & negat. Consequ. Explicatur solutio. In illa communicatione, in qua materia formæ, & forma materiæ communicatur, duo attendi possunt: Vnum est, quod per se primò attenditur à natura in tali communicatione, & ad quod principaliter ab illo ordinatæ sunt. Aliud est, quod tantùm ex consequenti se habet ad primariò intentum in dicta communicatione.

Digitized by Google

ne. Primū est communicatio mutua entitatum in ordine ad constituendum vnum per se; quia natura non ob aliud communicationem mutuam materiæ, & formæ intendit, nisi vt per vnionem entitatum ipsarum consurgat compositum subſtātiale, quod est vnum per se. Secundùm, quod scil: ex consequenti se habet in prædicta communicatione, est esse limitati communicatio. Hoc enim ipso, quòd materia suam entitatem cōmunicet formæ, substernendo se illi, sequitur indispensabiliter, quòd limitet illam, sicque tribuat ipsi esse limitatum; actus enim, vti est forma, limitatur per potentiam, qualis est materia: sicut è contra forma communicando propriam entitatem materiæ per actuationem, esse limitatum eidem tribuit, cùm materia limitetur per formam, & ita in illa communicatione, qua materia se communicat formæ, vel è contra, esse limitatum tantum ex consequenti se habet. At verò in communicatione, qua modus communicatur rei modificatæ esse limitatum est per se primo intentum à natura; (ac proinde non se habet ex consequenti) quia modus non ad aliud est à Natura ordinatus, nisi ad tribuendam determinationem limitatiuam præcisè rei modificatæ, (vt ex ratione formali ipsius, in 2. quæst. huius disp. explicata, constat) in quantùm per Modum res modificata restringitur, & limitatur ad certum, & determinatum statum, & ideò *esse communicatiuum* esse limitati in Modo, erit quid per se primò attentum in communicatione eiusdē rei modificatæ, non verò ex consequenti, prout contingit in communicatione materiæ respectu formæ, vel è contra; ac proinde esse hoc modo communicatiuum soli Modo, & non alijs, etiam quæ non sunt modus, conueniet. Pro complemento huius Disput. de Modis.

QVÆRES.

Qualis sit existentia modorum.

RESp. non esse difficultatem de existentia Modorū substantialium; istorum enim est eadem cum ipsa existentia totius substantiæ, quia omnia substantialia, per eandem existentiam existunt, vt dictum est hic Disp. 6. de Existentia quæst. 3. Tantilla difficultas potest esse de existentia Modorum accidentalium: videtur enim probabile esse, (quamuis id nullum viderim asserere prẹter Suarez) existentiam ipsorum non distingui ab essentia eorundem modorum. Nam si distinguerentur, vel distinguerentur, tanquam res, vel tanquam modus. Non tanquam res, quia cum essentia, & existentia debeāt proportionari inter se, existentia modi non potest esse res. Neque tanquam modus, quia iam daretur modus modi, quod est incōueniens. Deinde illa existentia deberet esse ad minus ipsa

vnio

vnio modi ad subiectum. Sed vnio modi ad subiectum non est distincta ab eius essentia, quia (vt ex supra dictis constat) modus seipso, & non medio alio modo vnitur rei, cuius est modus. Ergo &c.

Dices. Ex hoc sequeretur, Modos accidentales fore perfectiores substantialibus, quia haberent existentiam indistinctam à sua essentia, illi autem non: quod tamen in creaturis arguit maximā, immò infinitam perfectionem.

Resp. negando Sequelā, ad probat: dicimus, hoc, quod modi habeant indistinctam existentiam ab essentia, prouenit ex imperfectione, & arguere potiùs maximā modorum imperfectionem, quia sunt tam debilis entitatis, vt sint seipsis ipsæ affectiones subiectorum, nullo alio mediante. Habere igitur existentiam indistinctam ab essentia arguit magnam perfectionem in illis, quæ sunt, *vt Quod*, habentque suam essentiam perfectam, non autem in illis, quæ sunt, vt *Quo* tantum, habentque essentiam incompletam, vt patet in ipsa existentia, in qua essentia non distinguitur ab ipsa existentia, quia tantùm est, vt *Quo*: & tales sūt modi, vt supra dictum est; quidquid tamen sit.

Dicendum est, & probabilius tenendum, Modos etiam accidētales existere per existentiam totius accidentis, sicut de substantia dictum est, ex eo quòd Modus idem est entitatiuè cum re, cuius est modus, & sic per existentiam rei existet. Ad rationem probabilis opinionis responderi potest ex supra dictis hic quæst: 2.

Et hęc de Modis, ne modum excedamus, dicta sufficiant.

DISPVTATIO NONA.

De Principijs.

HIc agemus de principijs, quia melius ipsorum natura percipitur pręmissa explicatione entis, & eorum, quæ in tractatu primo, & secūdo huius operis dicta sūt, & quia sæpè nomen entis venit, vt extremum talium principioru m, ideò sit.

QVAESTIO I.

An dentur negationes, & priuationes ex parte obiecti.

IN tractatu primo disputatione prima, quæstione tertia diximus, ferè omnia argumenta in Metaph: resolui in hoc principiū, scil. ens (& nihil opponuntur cōtradictoriè) quod enim non est ens, est nihil. Insuper oppositio contradictoria rerum, in qua fundantur principia vniuersalissima, versatur inter ens, & non ens: dicuntur enim contradictoria, negatio obiectiua, & illud, quod per illam negatur: Quare acturi de principijs, debemus prius determi-

minare, quid dicat ex parte obiecti non ens, seu negatio entis. Accipitur primò negatio pro negatiua propositione vocali opposita affirmatiuæ, & etiam pro iudicio negatiuo correspondente propositioni vocali. Secundò pro carentia entis, quàm propositio, vel iudicium sua negatione intendũt: prima dicitur negatio formalis; secunda negatio obiectiua. Negatio obiectiua diuiditur in negationem simpliciter dictam, quæ vocatur pura negatio, & in priuationem: quarum prima est carentia formæ in subiecto inepto. Negationes vero, quæ à subiectis, quibus conueniunt, excludũt actus eis impossibiles, dicũtur negationes puræ, vt Deus nõ peccat, homo non rugit &c. Negationes autem, quibus apprehẽditur, Deũ non existere, Angelum non esse immaterialem, hominem non esse possibilem, & similia, quæ concipi possunt, dicuntur negationes impossibiles. Secunda est carentia formæ in subiecto apto, vt carentia frigiditatis in aqua iam existẽte &c. Insuper si forma exclusa sit debita alicui subiecto secundũ prædicatum valdè remotum, tunc tale subiectum dicitur impropriè priuatũ, vt planta ab Arist: dicitur priuata oculis, quia ex prædicato viuentis ei non repugnat. Si verò à subiecto remoueatur forma debita secundum prædicatum genericum proximũ, dicitur etiam tale subiectum priuatum, vt talpa dicitur cæca, quia ex prædicato animalis illi non repugnat visio. Inter priuationẽ, & habitum communiter affirmant dari medium. Dicitur in præsenti habitus illud, quod per priuationem, vel negationem excluditur; nam priuatio connotat in subiecto, à quo remouet actum, capacitatem ad illum; vnde ex defectu capacitatis connotatæ, neque priuatio, neque habitus alteri subiecto conuenit. Cæterum inter priuationem, & actum, quo priuat, non datur medium relatè ad subiectum, cuius est priuatio, sed solum respectu alterius, cuius non est priuatio. His suppositis.

Circa hoc, prima sententia est, negationem entis esse aliquod reuera existens à parte rei, non quidem positiuum, sed negatiuum, ab omni ente positiuo distinctũ, per quod negatiuũ reuera existens ab ipsa natura rerũ remouetur ens positiuũ, cuius illud ex suo cõceptu est negatio: quare iuxta hanc sententiam negatio est quid reale negatiuum, & realiter existens, incipiens esse, dum ens positiuum, cui opponitur, definit esse, & desinens esse, dum ens, cui opponitur, incipit esse.

Secunda sententia est, nihil posse existere à parte rei, quod non sit ens positiuum, & sic omnem negationem cuiuscumque entis in aliquo positiuo necessariò cõsistere, itaut negatio formaliter sit ens positiuum essentialiter incompossibile cũ termino negato.

Tertia sententia est, negationem à parte rei esse penitus nihil, & sic nullum habere esse, siue negatiuum, siue positiuum, sed tantum in nostro intellectu, &

pro-

prout à nobis concipitur, est tantum ens rationis. Ita D.Th: lib.4. Metaph. lect. prima, & 2. quęst. 21. de veritate, artic. primo, & alibi hinc celebris illa diuisio entis rationis in relationes, negationem, & priuationem.

Dico primò contra primã sententiam, negationes non esse quid existens à parte rei, distinctum ab ente positiuo, habens essentiam ante operationem intellectus.

Probatur. Si negatio esset aliquid à parte rei, vt ponitur ab Aduersarijs, illa reuera esset ens positiuum ab omni ente positiuo distinctũ. Sed hoc in terminis dicit cõtradictionẽ, ergo &c. Maior probatur, quia esse ens positiuum non est aliud, quàm esse quid positum, vel ponibile per existentiã à parte rei. Ergo si negatio reuera esset quid actu existens, aut potens existere, nihil deficeret, quominus esset ens positiuum; Sed ex alio capite ponitur ab omni ente positiuo distincta, ergo ista Sententia in terminis inuoluit contradictionem.

Dices. Ideò Negatio non est ens positiuum, licet ponatur per sui existentiam à parte rei, quia ex suo conceptu formali non habet aliud, quàm esse meram remotionem entis positiui. Ergo argumentum factum nõ conuincit.

Sed contra: quia ex hoc præcisè, quod negatio per sui existentiam ponatur à parte rei, non potest non habere alia prædicata propria entis positiui; ex alio capite hoc prædicatum nõ impedit, quominus illa dicatur esse ens positiuum. Ergo si ponatur per sui existentiam à parte rei, non potest non esse ens positiuum. Antecedens probatur: nam præcisè per hoc, quòd negatio ponatur existens, non potest non habere prædicatum existentis, vel potentis existere, quæ sunt propria constitutiua entis positiui. Deinde non potest non existere, vel per se, quod est prędicatum constitutiuum substantiæ, vel existere in alio, quod est constitutiuum accidẽtis, & sic de alijs. Ergo &c. Quod prædicatum remotionis, in quo potissimè consistit negatio, per Aduersarios, non impediat, quominus illa sit ens positiuum, patet; nam sicut negatio est actualis remotio entis, ita etiam ens est actualis remotio negationis, & per hoc non tollitur, quominus ens sit aliquod positiuum. Ergo ex capite remotionis præcisè non repugnat, negationem esse ens positiuum, si per sui existentiam ponatur in rerum natura; sicut enim negatio vnionis e.g. est remotio per suam essentiam ipsius vnionis, ita etiam vnio per suam essentiam est remotio suæ negationis; & sicut vnio habet alia prædicata essentialia, præter esse remotionem suæ negationis, ita etiam negatio habet alia prædicata essentialia, præter esse remotionẽ ipsius vnionis. Ergo si vnio est ens positiuum, ipsa negatio etiam debet esse ens positiuum.

Confirmatur. Quando aliquod ens corrumpitur, vel negatio succedens illi est eadem numero, per quam ipsum toto tempore antec-

Digitized by Google

cedenti ad suam existentiam non extitit, vel est alia distincta numero à priori. Si primum. Ergo idem numero existens, semel corruptũ, naturaliter potest redire, quod est absurdum. Si secundum. Ergo negatio contingens, quãdo ens corrumpitur, tunc primo incipit existere, atque adeo ab æterno non extitit per aliam negationem sui. Ergo ab æterno fuit quædam negatio negationis.

Dico secùndò. Negatio entis obiectiua non potest consistere formaliter in ente positiuo essentialiter incompossibili cum termino negato. Probatur primò author. omnium philosophorum, qui diuidunt Oppositionem in contrariam, contradictoriam, priuatiuam, & relatiuam. Sed posita ista sententia, talis diuisio non subsistit. Ergo &c. Min: probatur, nam secundum istam sententiam oppositio inter ens, & eius negationem, quæ apud omnes est contradictoria, aliud non est, quam oppositio inter duo entia, quorũ vnum impedit aliud. Sed hæc est oppositio contraria. Ergo in sententia Aduersariorum non saluatur oppositio contradict:

Dices. Oppositio contraria est inter duos terminos positiuos, e.g. inter calorem, & frigus; oppositio tamen contradict: est inter rem, & purum non esse rei præcisiuè, non verò negatiuè, quare amor opponitur odio contrarie, si odium veniat, inquantum odium est, & secundùm omnia prædicata odij; opponitur verò contradictoriè eidem odio, si odium veniat non secundum omnia prædicata odij, sed præcisè secundum hoc prædicatum, quod habet non amoris, seù excludentis essentialiter amorem.

Fateor, me non percipere impugnationem; certum est enim apud omnes inter amorem, & odium esse oppositionem contrariam, quia sunt duo extrema positiua, & mutuò se expellunt ab eodem subiecto; certum insuper est, amorem non esse odium per esse suum, & consequenter in amore esse contradictorium odij, quod verificatur etiam de disparatis sicut Petrum esse hominem est effectus primarius humanitatis, & Petrum non esse Leonem dicitur effectus secundarius, quia priùs concipitur à nobis, Petrum in se esse hominem, & deinde non esse Leonẽ, licet reipsa sint idem. Oppositio contradict: rerum, de qua loquimur, debet necessariò versari inter extrema contradictoria, qualia sunt. Negatio obiectiua, & illud per eam negatur, itaut ex nostro modo cõcipiendi, & ex natura sua, formalis exclusio vnius sit formalis positio alteriùs, & è conrra; quando amor venit, vt extremũ propositionis simpliciter cõtradictoriæ nõ consideratur amor in ordine ad odium, quia taliter consideratus potiùs terminat propositiones disparatas; sed consideratur ex modo nostro concipiendi in ordine ad negationẽ obiectiuã, remouẽtem formaliter esse positiuum amoris, vt cum dicitur amor existit, amor non existit; quidquid enim sit in alijs, tamen in oppositione contradict: extrema non possunt esse

oppoſita, niſi relata ad vnum,& idem, ſiuè illud ſit ſtatus,ſiuè tẽpus, ſiuè locus, ſiuè ſubiectum, quia extremum poſitiuum,& eius negatio ideò contradictoriè opponuntur, quia extremum poſitiuum per ſui negationem inde ſimpliciter remouetur formaliter, vbi habet eſſe,ſicut negatio Pauli remouens Paulum à ſtatu abſoluto exiſtentiæ, ſolum opponitur contradictoriè Paulo, quatenus habet eſſe in ſtatu abſoluto exiſtentiæ, non verò quatenus ſumitur Paulus in ſtatu quidditatiuo,vel conditionatè: quare iſtæ propoſitiones opponuntur contradictoriè Paulus exiſtit, Paulus non exiſtit;iſtæ verò non: Paulus eſt homo,Paulus non eſt exiſtens, quia in prioribus negatio pertinet ad eundem ſtatum, in poſterioribus Paulus, & negatio,non pertinent ad eundem ſtatum.

Probatur ſecũdò.Hæc propoſitio eſt certa:ſi nullus Dei actus liber exiſteret, nulla exiſteret Creatura.Ergò Creaturam non exiſtere, non eſt formalitèr exiſtere aliquod incompoſſibile cum creatura. Conſequentia probatur, quia in euentu, quo nullus actus Dei liber exiſteret, nihil exiſteret incompoſſibile cum creatura; quia omnia Dei neceſſaria poſſunt cõponi cũ illa, & tamen tunc Creatura verè nõ exiſteret.Ergò Creaturam non exiſtere, non eſt formaliter exiſtere aliquod incompoſſibile cum illa.

Dices. Talis propoſitio eſt dé hypotheſi obiectiua impoſſibili, ex qua ſequitur ſimul exiſtere creaturam, & non exiſtere.

Sed contra; quia ex tali hypotheſi, licet ſit impoſſibilis, non ſequitur per locum intrinſecum, creaturam exiſtere,ſed ſolùm non exiſtere, quia Creatura ſine omni actu libero Dei ſimpliciter eſſe non poteſt; vndè ex tali hypotheſi, licet impoſſibili, optimè probatur, conceptum negationis Creaturæ eſſe diuerſum à cõceptu impedimenti poſitiui incompoſſibilis cum ipſa Creatura. Multa verò, quæ pertinent ad regulã vniuerſalẽ vtiliter arguẽdi ex hypotheſi impoſſibili,dicemus infrà.

Dices ſecundò. Hypotheſis propoſitionis poſitæ inuoluit cõtradictionem in terminis, quia vnus actus liber Dei non poteſt deficere, niſi per poſitionem alterius. Ergo ſi hypotheſis ſupponit nullum exiſtere, ſupponit pariter ſimul omnes exiſtere, quatenùs vnus nõ ſit exiſtẽtia alterius.

Sed contrà; quia hæc replica petit principium; nam argumentum ponit, nullum actum diuinũ eſſe formaliter non exiſtentiam alterius, aliundè hypotheſis actualis de non exiſtentia omnium nullo modo eſt hypotheſis de exiſtentia alicuius; quia omnes ſimpliciter illa excludit,& nullum includit.

Vlteriùs per Aduerſarios, ſicut per Iudicium negatiuum, quod eſt receſſus ab obiecto negato,ſeù actualis remotio ipſius nihil ſimpliciter obiecti negati ponit, ſed totum penitus excludit, ita per actualem hypotheſim negatiuam, quæ per modum negationis verſatur circa ſuum obiectum, nihil ſimpliciter illius ſupponitur. Sed

Digitized by Google

totum suppositiuè remouetur. Ergò per hypothesim in propositione positam, quæ est negatiua, ità supponitur nullum actum Dei liberum existere, vt minimè simul adstruatur existētia alicuius. Ergò talis hypothesis nequaquā inuoluit contradictionem in terminis, licet nullus actus Dei liber possit deficere, nisi existente opposito; quia ab hoc dicta hypothesis præscindit; nequè potest dici, non posse intellectum per hypothesim negatiuam remouere suppositiuè omnes actus Dei liberos, nisi supponendo simul omnes per hypothesim positiuam, quia nullus reuerà potest deficere, nisi ponatur eius oppositum.

Contra est; quia hypotheses ab intellectu procedētes ex natura sua sūt præcisiuę vnius obiecti ab alio, saltem quando illa inter se realiter distinguuntur. Ergo nihil prohibet, quin fiat hypothesis negatiua de quolibet obiecto, quin fiat positiua de opposito.

Dices. Independenter ab intellectu debet dari à parte rei verificatiuum propositionis negatiuę, v.g. huius: Aer nocte non est luminosus, patet; quia independenter ab intellectu datur ista denominatio nō luminosi. Ergo debet assignari id per quod talis denominatio verificetur. Sed hoc non potest esse solus aer, qui ex se est indifferens ad denominationem lucidi, vel tenebrosi. Ergo debet dari aliquid aliud, quod ex natura sua sit exclusiuum lucis ab aere.

Confirmatur; quia semper debet assignari aliquod positiuum incompossibile cum termino negato. Sed illud est sufficiens ad verificandam propositionem negatiuam; nàm quod est sufficiens ad hoc, vt non detur mundus, erit etiam sufficiens ad verificandam istam propositionem: mundus nō existit.

Respondeo distinguendo maiorem, debet dari verificatiuum, eo modo, quo exigitur à iudicio negatiuo. Concedo: aliter. Nego maiorem, & distinguo minorem, non potest esse aer cum contradictorio lucis. Nego: aliter. Cōcedo minorem, & distinguo consequens, debet dari aliquod positiuum exclusiuum lucis quod se habeat causaliter, & tamquam motiuum. Trāseat consequentia: ita vt se habeat tamquam verificatiuum formale. Nego consequentiam; nam etiam ad affirmādum de luce, daretur simile motiuum, præcisè ratione decreti producentis, & tamen vltra illud, ad affirmandum requiritur ipsa lux, vt verificet formaliter, ita etiam præter decretū impediens, vt verificetur ista negatiua, scil. lux non existit, requiritur pro verificatiuo formali, vt ipsa lux à parte rei non detur: Et videtur argumentum vrgere suos patronos; nam quando dicunt, quod nolitio de luce sit incompossibilis cum luce, hoc in re verum est, sed vnde colligunt esse incompossibilem, si comparatur cum luce; & aliunde in rerum natura nullam mutationem ponit potius nolitio, quam volitio de luce; neque

Digitized by Google

ique valet, quia nolitio excludit lucem, quia hæc exclusio est affe-ctiua, & sic est idem per idem; nam exclusio effectiua est nolitio; vnde habetur, quod sit potiùs nolitio, quam volitio; nam in hac sententia decreta diuina sunt adęquatè intrinseca ipsi Deo, & dicitur volitio, vel nolitio huius, vel illius, quia modo connotat hoc, modo illud. Lux enim secundum se est indifferens, vt sit connotatum potius volitionis, quàm nolitionis; per quid ergo determinatur lux, vt sit connotatum nolitionis? non per suam entitatem, quia quoties haberetur entitas lucis, haberetur connotatum uolitionis lucis. Sed quando existit lux, est entitas lucis. Ergo quãdo existit lux, haberetur connotatum decreti nolitiui, & consequenter decretum nolitiuum lucis, quod implicat. Ergo sicut debent dicere Aduersarij, quod cum nolitio tendat circa suum obie-ctum per recessum, & quandam remotionem, non verò quasi per accessum denominatur decretum nolitiuum; & sufficienter assignatur pro connotato ipsius, si nihil sit lucis in rerum natura; ita pariter quia iudicium negatiuum tendit circa suum obiectum per recessum, non verò per accessum, sufficienter assignatur pro verificatiuo, si nihil entis negati reuera sit in rerum natura, loquendo de iudicio tangente obiectum, sicut est in se.

Hic aduerte, iudicium negatiuum quo ab intuentibus potest iudicari ens non esse, habere pro obiecto ipsum ens negatum; sed quod per modum recessus, seù remotionis tendit; tale enim iudicium, vt sit verum, reipsa tale obiectum debet esse remotum, seù non habens esse physicè, prout iudicium ipsum intendit; vnde vt illud verè sit negabile, non est necesse existere aliquod impediens obiectum; quia sine illo impedimento sibi opposito potest ens verè non existere, & sic verè esse negabile. Cæterum, quia nos aliquando per aliquod ab ente negato distinctum fingimus illud obiectiuè excludi, etiam per iudicium affirmatiuum æquiualenter nòmine negationis, seù non entis, non ipsum ens negatum, prout non habens verè esse, sed id per quod nos apprehendimus illud obiectiue negari, significamus.

Vbi nota, quòd quotiès de negationibus discurrimus connaturaliùs ad nostrum modum concipiendi, ità de illis loquimur, ac si haberent verum, & reale esse negatiuum, licet in se nihil prorsùs sint, immò neque ab intuentibus in se sunt conceptibiles, quarè cum loquimur de contradictorijs, vt de duobus extremis sese formaliter excludentibus loquimur, quorum alterum est negatio, & alterum res negata, & consequenter idē est dicere, rē non esse, ac esse eius negationē, existere negationem rei, vbi res negata non existit, scil. in tali tempore, in tali loco, in tali subiecto &c. qui omnes loquendi modi per æquiualentiam sunt veri, vt patebit infrà; immò Intellectus cognoscens

ſcens intuitiuè, neque poteſt concipere oppoſitionem contradictoriam, quatenùs verſatur inter duo extrema, quia vnum ex extremis oppoſitionis eſt multoties quidditas aliqua ficta; cùm ergò intellectus intuitiuè cognoſcens nõ poſſit cognoſcere quidditatem fictam, hinc eſt, quod non poſſit cognoſcere oppoſitionem inter duo illa extrema; quandò verò intellectus noſter cognoſcit oppoſitionem contradictoriam, itaut vnum extremum ſit quidditas ficta concepta ab ipſo intellectu, tunc non eſt oppoſitio formalis, ſed per æquiualentiam, quandoquidem affirmatio, & negatio non eſt circa omninò idem, quod requiritur ad oppoſitionem contradictoriam.

Soluuntur argumenta.

OBijcitur primò. A parte rei verè datur cæcitas in homine, tenebræ in aere, & negatio identitatis inter entia realiter diſtincta. Confirmatur, quia priuatio per Philoſ. eſt principium generationis naturalis. Ergò priuatio eſt aliquod exiſtens diſtinctum ab ente poſitiuo.

Reſp. Propoſitiones omnes, quibus affirmantur à parte rei dari negationes, & priuationes, eſſe æquiualentèr veras, non quaſi negationes affirmatæ ſint aliquid à parte rei, ſed quia reſpectu noſtri intellectus, idem eſt affirmare dari à parte rei tales negationes, aliquo modo formãdo illas obiectiuè, ac negare dari à parte rei entia, quæ negant remouendo per iudicium negatiuum: quarè, licet verum ſit, in homine cæco à parte rei non eſſe viſum, tamen non eſse à parte rei talia entia, non eſt, eſse à parte rei aliquod, ſed potius eſse nihil; vndè ab æterno non fuit mundus, tamen ab æterno non fuit reuera aliquod, in quo eſset negatio eius; ſicuti, quando dicitur: Nihil corrumpit Deum, non eſt, quaſi Deus corrumpatur à nihilo, ſed præcisè quatenùs non eſt ens corrumpens Deum, quarè licet verũ ſit, quod nullum ens corrumpat Deum, nõ tamen requiritur, quod ipſum nihil corrumpat Deum. Ergo ſimiliter ad hoc, vt non exiſtat lux in aere, non requiritur, quòd ipſa carentia exiſtat, ſed ſufficit, vt non detur lux, quæ exiſtat; nã ad hoc, vt verificetur hæc propoſitio: lux non exiſtit, debet, & ſufficit admitti contradictoriũ exiſtentiæ lucis, quod, vt ſufficienter intelligatur, non requiritur, vt in ſe detur carentia lucis, ſed ſufficit, vt non detur lux.

Ad illud de priuatione dicimus, id verum eſse, quatenùs verum eſt, ex non igne fieri ignem; ſicuti ex frigido fieri calidum; quamuis nihil ſit priuatio formæ per generationem productæ; nam ſubiectum per ſolam acquiſitionem formæ, qua priùs, carebat, tranſit ex non habente formam in habens formam, quarè mutatio de priuatione ad habitum à parte rei non eſt tranſitus de vno extremo habente aliquid ad aliud, ſed ſolum de non eſse habitus, ſeù à ni-

Digitized by Google

nihilo ad aliquid.

Obijcitur secundò. Quando incipit non existere aliquid, quod antea existebat, variatur vniuersitas rerum, & incipit esse pars tãtum illius totius, quod antea erat. Ergo datur verus transitus ab hoc, quod est totum non existere ad hoc, quod est existere solùm partem. Ergo verè incipit existere negatio eius. Ergo negatio non est merum nihil.

Resp. quòd quando incipit nõ existere aliquod, quod antea existebat, tunc est variatio, nõ quod ponatur existens aliquod, quod priùs non existebat, sed ab existere remouetur aliquod, quod antea existebat; nam variatio potest fieri, vel per reductionẽ in nihilum ipsius, quod antea erat aliquid, vel per reductionem ad aliquid illius, quod erat nihil; Vndè in casu posito minuitur vniuersitas rerum, & incipit existere sola pars totius, quod antea existebat, sed hoc non est de nouo incipere aliquid, imò potius tolli, & incipere de nouo non esse, nihilo ipsius posito: quare transitus ab existentia totius ad existentiam solius partis reuera non est transitus ab aliquo ad aliquid, sed potiùs ab aliquo ad nihil, qui desitio dicenda est, non verò transitus; vnde per creationem Mundi nihil fuit destructũ, quod anteà esset negatio ipsius, quia fuit transitus de nihilo ad aliquid.

Neque dicas. Hæc propositio: Mundus non extitit ab æterno, est vera, & conformis suo obiecto. Ergo ab æterno verè fuit illius obiectum. Ergo negatio Mundi verè fuit ab æterno.

Nam contra est; quia ad hoc, vt propositio negatiua de non existentia Mundi ab æterno sit vera, solum requiritur, vt verè ab eterno mundus non fuerit; hoc verò non est aliquod ab æterno fuisse, sed potiùs fuisse nihil; nam propositio negatiua non tendit in suum obiectum, illud affirmando, sed potius illud remouendo, & negando. Ergo tunc est suo obiecto conformis, quando obiectum verè non est, vt per ipsam iudicatur non esse: Quare propositio affirmatiua de æterna existentia negationis mundi dicitur vera, quia reputatur æquiualens propositioni negatiuæ de non existentia mundi ab æterno, quia concipitur à nobis tanquam propositio negatiua ad eandem ipsius veritatem obiectiuam iudicandam, licet diuerso modo; tamen si aliquis per propositionẽ negatiuam negationem mũdi, cuius æternam existẽtiam affirmat; velit aliquid verè ab æterno non fuisse, vt ab omni positiuo distinctum, vel in aliquo positiuo identificatũ, talis propositio est falsa.

Obijcitur tertiò. Potest Deus eligere negationem alicuius entis ad aliquem finem obtinendum; sæpè enim procurat, vt amici sui careant bonis temporalibus, vt faciliùs consequantur æterna.

Confirmatur; quia multoties aliquod subiectum fit bonum à carentia formæ, quæ illud redderet malum, è contra fit malum à carentia formæ, quæ illud redde-

Digitized by Google

ret bonum; insuper peccatum puræ omissionis est Deo odibile. Ergo negationes, & priuationes nõ possunt esse nihil, alioquin nec essent amabiles, neque odibiles, neque cognoscibiles ab ipso Deo.

Pro responsione ad argumentum aduerte, quod quoties intellectus cognoscit per species alienas, concipit negationes, vt aliquid, cum verè sint nihil, quo posito, circa illas ita conceptas potest directè, & positiuè voluntas versari; tùm per actum prosecutionis; tùm etiam fugæ, & sicut intellectus per iudicium affirmatiuum, ita prosequitur negationem, vt sit idem, ac per iudicium negatiuum fugere ab ente negato, ita pariter accidit in voluntate respectu cuius, idem est æquiualenter per volitionem prosequi negationem, ac per nolitionem fugere ab ente negato ex modo nostro connaturali procedendi per intellectum, & voluntatem; sicut iudicamus de actibus nostris relatè ad negationes, & ad entia negata, ita loquimur de actibus Dei, licet in Deo verè non dentur formaliter illi actus, scil. prosecutionis, vel iudicij affirmatiui circa negationes; sed æquiualenter dantur in alijs actibus, quos verè Deus habet; vnde quoties dicitur Deus per aliquem actum voluntatis versari circà negationem per æquiualentiam, solum est verum, quia Deus circà negationem per se consideratum nullum simpliciter actum intellectus, vel voluntatis habere potest; quia ipsa per se spectata à parte rei nihil prorsùs est; præcisè enim per hoc, quòd Deus per actum oppositũ versetur circà ens negatum; ità se habet æquiualẽter, ac si versaretur circà negationem per actũ positiuum.

Aduerte secundò, quòd aliquando res fit bona, & consequẽter amabilis ex aliqua circumstãtia extrinseca; itaut bonitas conueniat soli rei, non item circumstantiæ, vel aggregato ex re, & circumstantia; atque adeò sola res per talem bonitatem redditur amabilis, non verò circumstantia, vel aggregatum; hoc patet in bonitate medicinæ, quæ morbum supponit, & connotat, vt circumstantiam ad suum esse requisitã, & tamen solum pharmacum reddit bonum, seù conueniens ægroto, qualia non sunt, neque morbus seorsim, neque aggregatum ex morbo, & pharmaco: quare solũ pharmacum est bonũ ægroto, & ab ipso amabile, morbo supposito, licet morbo sublato, tale non esset; vnde qui amat talem bonitatem, pharmacum solum amare debet amore, supponente ipsum morbum, quod est amare pharmacum, vt connotans morbum; hinc patet, quod circũstantia, neque bona est, nec amabilis, sed potiùs odibilis, & tamen reddit bonam, & amabilem rem. quã circumstat; patet etiam in punitione peccati, quæ bonitatem habet ortam ab ipso peccatore, tanquàm connotato; è contrà aliquando fit, vt connotatum sit bonum, & mala denomina-

tiuum; & omnis negatio fundatur in aliqua priori affirmatione, & consequenter ab illa dependet.

Tertia sententia asserit, primũ principium demonstrationis ostẽsiuæ, & à priori esse definitionem entis, vel primæ passionis entis, quia in demonstratione à priori, definitio subiecti, vel primæ passionis est primum principium ad demonstrandam passionem de subiecto, vel passiones subsequenter demonstrantur de eodem subiecto per definitionem prioris passionis: at in demonstratione per deductionem ad impossibile, primum principium est hoc (impossibile est, idem simul esse, & non esse).

Quarta demùm sentẽtia ponit primum principium, & absolutè loquendo, esse illud, (impossibile est, idem simul &c.) quia illud est primum principium simpliciter, quo non solùm omnes conclusiones, sed etiam omnia alia principia confirmari possunt, tanquàm per illud, quod est fundamentum omnium principiorum. Sed tale est præfatum principiũ. Ergo. &c.

Pro decisione huius quæstionis aduerte, duplex esse genus demonstrationum: vnum ostẽsiuum, alterum deducens ad impossibile. In priori genere illud principium, scil. impossibile est, idem simul esse; &c. non solùm non est primum omnium scientiarum, sed neque totius Metaphysicæ. In posteriori verò genere, est simpliciter primum, non solùm totius Metaphisicæ, sed etiam omnium scientiarum; quia omnis demonstratio cuiuscumque scientiæ, deducens ad impossibile, vsque ad illud necessariò deducere debet; quandoquidem illud est simpliciter impossibile, quod secum adducit duo extrema contradictoria; nam illud absolutè est impossibile, quod nullam habet potentiam ad existendum. Ergo si existeret, (quod est absolutè impossibile) existeret, vt supponitur, & non existeret, quia non potest existere id, quod nullam habet potentiam ad existendum. Ergo quod est simpliciter impossibile, debet necessariò secum ferre saltem illa duo contradictoria, (existere scil: ipsum, & nõ existere) ex hypothesi, quòd existeret. Ergo omne, & solum illud erit absolutè impossibile, quod secum affert duo contradictoria: quare, cùm illud principium ferat secum duo contradictoria, omnis demõstratio cuiscumque scientiæ deducens ad impossibile, necessariò vsque ad illud deducere debet: Semper enim Chimera impossibilis est connexa metaphyce cùm suo contradictorio; quia, cum ex suo conceptu sit impotens ad existendum, est metaphysicè necessitata ad non existendum, & consequenter non potest non esse connexa cum sua non existentia.

In genere autem ostensiuo illud principium non est primum primitate principij, non solùm omnium scientiarum, sed neque totius metaphysicæ, quia non omnes demonstrationes ostensiuæ metaphysicæ resoluuntur in illud; est tamen vnum ex primis


totius Metaphysicæ, primitate vniuersalitatis, quatenùs de subiecto vniuersalissimo, quale est quodlibet conceptibile, siue possibile, siue impossibile, vnam ex primis illius proprietatibus prædicet; nempe, esse impotens ad subeunda simul duo extrema contradictoria; quæ proprietas simpliciter fundatur in natura ipsorum contradictoriorum, & eorum etiam est proprietas: quare ab illis fundamentis, à quibus denominatur immediatè subiectum impotens ad subeunda simùl duo contradictoria, denominantur immediate ipsa contradictoria impotentia ad conueniendum simul subiecto, in quibus fundamẽtis innititur immediatè principium illud affirmatiuum, quo prædicatur de eodem subiecto, necessè esse habere vnum ex extremis contradictorij, & de quolibet istorum prædicatur, necesse esse conuenire subiecto ex hypothesi, quod vnum deficiat; vnde illa duo principia immediate nascuntur ex natura extremorum contradictoriorum relata ad subiectum, cuius actus sunt ipsa extrema: quare licet vnum sit negatiuum, alterum positiuum; tamen neutrum est priùs altero, sed sunt simultanea, & vtrumque ex primis totius metaphysicæ primitate vniuersitatis.

Suprà tetigimus necessitatem metaphysicam. Potest hic quæri: Vtrum necessitas metaphysica intrà suum genus suscipiat magis, & minus: An sc. vna necessitas metaphysica possit esse maior alia, & sic vnum ens, magis necessarium, quàm aliud. Inter necessaria seù necessitata moraliter, vel physicè aliqua esse magis necessaria, quàm alia, nemo dubitat. e. g. necessarium est moraliter, vt in tota ciuitate aliquis cõspuat, manum moueat. &c. Sed magis necessarium moraliter est, vt in toto Regno sit aliquis homo conspuens, vel mouens manum &c. Insuper necessarium moraliter est, vt decem viri probi testantes de aliqua re à se visa, non mentiantur, sed magis necessarium moraliter est, vt non mentiantur tot homines, qui testantur, vel testati sunt, Romam esse; Vnde magis est necessitatus Intellectus ad credendam Romam propter testimonium tot hominum, qui de illius existentia testati sunt, quam ac credendum rem visam à decem hominibus, qui de existentia illius testati sunt, sic pariter de necessitate physica; nàm necessarium naturaliter est, vt cæcus, non recuperet visum amissum, sed magis necessarium naturaliter est, vt mortuus homo non recuperet vitam amissam; itaut sit maius miraculum, mortuũ suscitare, quàm reddere cæco visum. Ergo si intra genus necessitatis moralis, vel physicæ vna potest esse maior altera, hoc idem debemus concedere intra genus necessitatis metaphysicæ.

Et ratio potest esse; quia licet aliquæ formæ, vel quasi formæ intra idem genus sint inter se

non potest Deus velle negationē, vel nolle, vt commodam, vel incommodam subiecto, quod amat, sed tantum potest nolle rem negatam, quòd est idem æquiualenter. Ens verò, quod à negatione alicuius circumstantiæ, seù à non existentia illius fit amabile, vel odibile; potest Deus amare, vel odisse per actum connotantem circumstantiam, vt non existentem, sicut per actum connotantem circumstātiam, vt existentem amat, vel odit aliquod ens, quod ab existentia illius fit amabile, vel odibile; si verò Peccatum puræ omissionis datur in potentia proxima ad ponendum, vel non ponendum actum præceptum, præcisè per hoc, quòd Deus oderit talem potentiam proximam, prout non ponentem talem actū, per odium scil. (sua natura) connotans actus præcepti non existentiam, odio habet peccatum omissionis.

Ex dictis remanet probata tertia sententia ponens negationem, à parte rei esse penitùs nihil, sed respectu nostri habet tantùm esse in intellectu, & sic, prout à nobis concipitur, est tantùm ens rationis, vt diximus in limine quæstionis.



QVAESTIO II.

De primo Principio Metaphysicæ, scil. (Impossibile est, idem simul esse, et non esse.)

ARistot: lib. 4. metaph. cap. 3. text. 8. posuit hoc principium: Idem enim simul esse, & non esse in eodem secundum idem est impossibile: quod ait esse omnium principiorum firmissimum, ac certissimum, atque ad illud demonstrantes debere tandèm suas propositiones deducere: Et in eodem lib. cap. 7. tex. 27. apposuit aliud, seù idem alio modo, secundùm varias Authorum sententias, scil. necesse est, quodlibet, aut esse, aut non esse.

Pro intelligentia supponendū est. Huiusmodi principia fundari in natura extremorum contradictionis: dicuntur autem extrema contradictionis negatio obiectiua, & illud, quod per eam negatur; quæ extrema ità opponuntur, vt quodlibet eorum ex modo nostro concipiendi, & sua natura, sit formalis exclusio, seù remotio alterius, & consequenter exclusio vnius sit formalis positio alterius; vndè nequit vnum contradictionis extremum esse, quin desit alterum; quo fit, vt non possint ambo simul esse, & consequenter esse impossibile, aliquod simul esse, & non esse; nàm aliquod simul esse, & non esse; essent simul esse ambo contradictionis extrema;

Digitized by Google

nam ratio naturalis non est falsa, possunt verè omnia argumenta, quæ fiunt contrà illorum possibilitatem solui, & tamen principia naturæ non possunt eorum possibilitatem euidenter ostendere: quarè aliud est, rem esse possibilem, & aliud non demonstrari euidenter esse impossibilem: potest aliqua prædicatorum compositio proponi, quæ in se reuera sit impossibilis; tamen nobis non suppetunt argumenta, quibus eius repugnantiam euidenter concludamus; potest enim aliquod reuera abesse, vt ita dicam, à statu possibilitatis, & tamen non potest probari euidenter abesse, sicut patet de substantia panis in eucharistia, quæ reuera abest, tamen non sunt argumenta ad ostendendum naturaliter illam abesse. Angelus ergo potest naturali lumine ostendere argumenta, quæ probant impossibilitatem alicuius, non esse euidentia, & consequenter soluibilia; cæterum non potest positiue ostendere rei ipsa possibilia non repugnare; quià vt dixi, aliud est, rem esse possibilem, & aliud, impossibilem non videri à natura, quæ intrà limitatam sphæram videndi concluditur, & non videt in se quidquid est possibile.

Dices contrà superiùs dicta. Si illud, & solum esset impossibile, quod secum affert duo contradictoria, iam non esset vtilis, valdè vsitatus modus arguendi ex hypothesi impossibili; nam si impossibile est illud, quod necessariò secum affert duo contradictoria. Ergo ex hypothesi impossibili sequitur quodlibet ex extremis cōtradictorijs, sic in illa celebri quæstione: An si Spiritus S. non procederet à Filio, ab eo distingueretur; cùm enim Spiritum S. non procedere a Filio sit omninò impossibile, cùm oppositum sit necessariũ. Ergo, data hypothesi, quod non procederet à filio, sequeretur vtraque pars contradictionis, quod scilicet distingueretur, & non distingueretur.

Ita tenent Goffredus, & Greg. Arimin. in 1. dist. 11. quæst. 1. ar. 2. vbi sic discurrit. *Supposito, quòd Spiritus S. esset, & similiter Filius esset: & tamen Spiritus S. non procederet ab eo, ex ista hypothesi includente contradictoria sequuntur contradictoria, quòd scilicet distingueretur, & non distingueretur à Filio, distingueretur quidèm, quia vterque esset, & vterque ab altero se ipso distingueretur: non distingueretur autem; quoniam Spiritus S. non esset: sicut si diceretur, supposito, quòd Filius esset, & esset improductus, distingueretur à Patre?* hæc Greg.

Cæterum talis modus arguendi ab omnibus nùnc admittitur, vt vtilis, & efficacissimus in omnibus materijs ad cognoscendas proprias, & formales rationes rerum; vnde D. August. ad inuestigandam rationem formalem constitutiuam Patris, quam non esse innascibilitatem, arguit & hypothesi impossibili: Si Pater non esset innascibilis, nihil prohiberet ipsum genùisse filium. Riccardus Victorinus lib. 3. de Trinit. c. 16.

ple-

plenitudinem sapientiæ in Deo non haberi ex Trinitate Personarum, probat ex hac hypothesi impossibili; nàm etiam si sola vna Persona in Diuinitate esset, nihilominus plenitudinem sapientiæ habere potuisset; cùm impossibile est, Deum esse, & non esse Immēsum, & immediate præsentem in Cælo, & in terra, tamen quia Deus non solum est Immensus, sed etiam Omnipotens, Infinitus, Intellignes &c. omnes Theologi ad indagandam coniunctionem, quam actio cùm suo agente postulat, vtilissimè quærunt: An si per impossibile Deus esset in cælo tantùm, & non in terra, posset immediatè agere in terram.

Quarè non ex eo præcisè, quòd ex aliqua hypothesi impossibili sequitur impossibile, statim censenda est inutilis, dummodò ex illa non sequantur duo contradictoria per locum intrinsecum, vt ex ista hypothesi si Equus non esset animal, esset Equus, vel si Sortes non esset rationalis, discurreret; non possumus vtiliter arguere, quia Equus intrinsecè includit animal, & ita ex illa hypothesi per locum intrinsecum sequitur vtraque pars contradictionis, scilicet Animal, & non Animal; vndè in casu non poneretur constantia suppositionis, sed formaliter, ac intrinsecè se ipsam destrueret: quare illa est vtilis, quæ in intellectu suo tantùm vnum contradictorium includit, & aliud non, nisi per consequentiam materialem, & locum extrinsecum, sic ex ista hypothesi impossibili; si Sortes non esset risibilis, esset homo, possumus arguere; quia præcisa risibilitate, ponendo Sortem in esse hominis, non ponuntur contradictoria ex primo intellectu positionis, sed solum alterum, scilicet quòd Sortes sit homo; alterum verò, quòd scilicet nō sit homo, non ponitur, nisi ex cōsequenti per locum extrinsecum ex remotione passionis, remouendo subiectum.

Vnde Theologi vtuntur hypothesi impossibili ad probandum, distinctionem personalem Filij, & Spiritus S. nasci ex oppositione, quam habent producentis, & producti: quare licet defectus chimęricus processionis Spiritus S. à Filio, loquendo absolutè, ferat secum vtrumque extremum contradictionis, scilicet defectum distinctionis Spiritus Sancti à Filio, & ipsam distinctionem; quia defectus processionis absolutè, nō potest stare sine alijs prędicatis Spiritus Sancti cū processione connexis, vtpotè necessariò existentibus, & hæc sine processione stare non possunt, & ità defectus processionis absolutè sine ipsa processione stare non potest, & consequenter, nec sine distinctione, quam secum affert processio; sed defectus processionis præcisè solum infert per locum intrinsecum defectum distinctionis, non verò distinctionem ipsam.

Et per hæc patet ad argumentum Arimin. Ad illud, quod addit ex hypothesi, quòd Filius non procederet à Patre, dico esse latam disparitatem; nàm esse Filius

&

inæquales; tamen ad excludendas formas contrarias æqualiter se habeant, sic quælibet gratia sanctificans excludit quodlibet peccatum mortale à subiecto, licet vna gratia sanctificans sit maior alia. Ergo licet quælibet necessitas metaphysica excludat à subiecto, cui conuenit, omnem potentiam ad oppositum; potest tamen intrà genus necessitatis metaphysicæ vna esse maior alia, & hæc videtur sententia Arist. & Diu: Thom: probantis, veritatem principiorum esse magis necessariam, quàm veritatem conclusionis deductæ ex illis; & Scoti negantis, posse verbum procedere ex cognitione possibilium, quia longè magis necessarium est, Verbum diuinum esse, quàm creaturas esse possibiles; est etiam illorum, qui tenent, non posse Deum habere connexionem cum creaturis possibilibus; quia magis necessarium non potest connecti essentialiter cùm minùs necessario, vt sunt creaturæ possibiles respectu ipsius Dei.

Commensurandum est ergo maior, vel minor necessitas per ordinem ad perfectionem illarum rerum, quibus cōpetit; quarè quo perfectiùs esse aliqua res habet, magis necessariò illud habet; nā si habere esse vt cùmque est bonū, non potest, non esse bonum, habere illud necessario; vnde putant aliqui, esse necessarium fundari in perfectione, ita vt ens simpliciter necessarium affirment, carere omni defectu, & consequenter habere infinitam perfectionem; Sicùt enim omnis bonitas, & perfectio vera est pro aliquo euentu, amabilis, & prosequibilis, ità omnis defectus, & imperfectio, eo ipso, est abominabilis, & contemptibilis prò aliquo euentu; quia sicut bonum est motiuum formale amoris, ità defectus, & imperfectio inducit motiuum, & fundamentum fugæ prò aliquo euentu possibili, sed quòd est simpliciter, absolutè, & prò omni euentu possibili, necessarium non est prudenter odibilè, & contemptibile; nam magna imprudentia est, nolle vel fugere ab illo, quod essentialiter existit, & est ineuitabile. Ergo cum fuga, & displicentia per se ordinentur ad euitationem obiecti, quod displicet, sequitur, omne intelligibile simpliciter necessarium debere carere omni defectu, & imperfectione, & consequenter habere omnem perfectionem; atque adeò solus Deus est simpliciter, & absolutè necessarius.

Sæpè in quæstionibus præcedentibus facta est mentio de possibili, nunc videndum, ex quo fūdamento Intellectus determinetur ad affirmandum aliquod esse possibile, vel è contra. Ad affirmandum aliquod esse possibile non requiritur, quòd in eo non appareat euidentèr contradictio, sed requiritur, & sufficit, quòd non sit vllum argumentum valdè probabile contradictionis, quale argumentum est quotiès aliquod repugnat naturaliter, & non apparet aliqua bonitas in hoc, quod Deus possit operari illud, etiam

& esse improductum sunt termini expressè contradictorij, quia esse Filium apertissimè exprimit esse genitum, & productum à Patre, & ideò si esset Filius, & distingueretur à Patre, & si esset omninò improductus non distingueretur à Patre; quia Persona Diuina improducta non potest esse, nisi Pater. At esse Spiritum Sanctum dicit solum explicitè esse productum, & spiratum per voluntatem; quod verò sit esse spiratum à Patre, & Filio, vel à solo Patre, vel à solo Filio non dicit explicitè. Ergò potest saltem per impossibilem suppositionem negari esse spiratum a Filio, & considerari tantum esse spiratum à Patre; vndè non sequuntur simul duo contradictoria per locum intrinsecum, sed tantùm in nostra sententia non distingui à Filio.

Quarè malè aliqui Authores tenent ex qualibet hypothesi impossibili non solùm sequi duo contradictoria, sed quodlibet etiam disparatum.

Nam sicùt ex entibus possibilibus non quodlibet est connexum cùm quolibet, ità non ex quolibet infertur quodlibet, alias non posset Deus producere vnam creaturam, quin produceret omnes possibiles, nec posset ipse existere sine creaturis; ità ex entibus impossibilibus non quodlibet connectitur cum quolibet, vel possibili, vel impossibili, vel existente; nam ex eo quia Petrus nùnc curreret, non sequitur, me scribere, Papam loqui. &c. Ergo ex eo, quod aliqua chimæra modò existeret, non sequitur necessariò aliquod ex prædictis, & à fortiori neque quodlibet fore.

Dice. Si existeret quælibet chimæra impossibilis, existerent simul duo contradictoria per vos. Ponamus ergò existere, & non existere lucem e. g. deinde sic: vel lux existit, vel Turca bibit. Sed lux non existit. Ergo Turca bibit. Cons. est bona, vt constat ex logicis. Mai. & Mi: in data hypothesi sunt veræ. Ergò ex data hypothesi sequitur cons. & sic probatur quodlibet sequi.

Respondeo. A negatione vnius ex extremis disiũcti veri ad positionem alterius, tunc solùm legitimè argui potest; quandò per eam negationem vndequaque excluditur tale extremum; negatio enim lucis in data hypothesi non excluditur vndequaque, vtpotè per ipsã hypothesim est posita, & composita lux cùm sui negatione: quarè argumentatio non est legitima; nam ex logicis tùnc solùm est legitima talis forma arguendi, quandò Minor Syllogismi disiunctiui vndequaque excludit alteram partem Maioris, quod accidit, quandò vel absolutè proceditur, vel ex hypothesi non impossibili.

Dices secundò. Ex hypothesi impossibili existentiæ secundi Dei impotentis existere, data existentia alicuius non potentis coexistere carẽtiæ dormitionis Papæ, dormit Papa. Sed existit alius Deus, qui cum sit impotens existere, non potest coexistere carentiæ dormitionis Papæ. Ergo Papa

dormit; ex alia parte probatur: Papa non dormit. Ergo ex hypothesi imposibili sequitur quodlibet.

Respondeo. Ex hypothesi existentiæ secundi Dei nihil omninò sequitur exclusiuum carentiæ dormitionis Papę, & consequenter cum ipsa dormitione connexum: quarè licet sequeretur aliquid simpliciter excludens coexistentiam secundi Dei cùm tali carentia; illam verò non excluderet remouendo carentiam ipsam, sed remouendo tantùm secundū Deum, quo solo remoto, talis coexistentia cessaret; vndè ex data hypothesi remotio carentię dormitionis Papę non sequitur per positionem dormitionis; imò nec ipse secundus Deus, vel quoad existentiam, vel quoad potentiam ad existendum in data hypothesi simpliciter excluditur; nàm secundus Deus non existeret, quia verus Deus illum excluderet, & nō posset existere, quia id habet ex suo conceptu; aliunde tamen, vt supponit hypothesis, existeret, & consequenter poset existere, & sic in data hypothesi tùm existētia secundi Dei, tū potentia illius ad existendū, tùm negatio existētię, & potētię ad existendū secūdi Dei coexisterent simul carentiæ dormitionis Papæ, si Papa non dormiret, & dormitioni, si dormiret; & consequenter impertinenter se habet coniunctio contradictoriorum, quæ in hypothesi daretur ad hoc, vt Papa dormiret, vel non dormiret.

Neque dicas. Ex hypothesi impossibili, qua tali nunquam posse argui vtiliter, sed solùm ex conceptu aliquo possibili incluso in chimæra impossibili; quarè si Spiritus Sanctus non procederet, &c. ex parte hypothesis sumendus est hic conceptus possibilis: Persona Diuina non procedens à Filio, & procedens à Patre, & ita ex illa hypothesi arguitur vtiliter.

Sed contrà est: quia dùm dicunt solùm argui vtiliter ex hypothesi conceptus posibilis inclusi in hypothesi imposibili, iam fatentur modum arguendi ex hypothesi imposibili esse inutilem; quia ex conceptu posibili, quem asignant ad arguendum in illa quæstione de distinctione Spiritus Sancti à Filio casu, quo non procederet ab illo, inutiliter, & nugatoriè argueretur, quia ex hypothesi, quòd Persona Diuina procedens a Patre, & non à Filio, non procedat à Filio, nihil infert pro Spiritu Sancto de quæstione; nam solùm infertur, quod Persona Diuina procedens à Patre, & non a Filio, quæ reuera est ipse Filius, nō distingueretur à Filio; est etiam nugatoria; nam assumptio hęc nugatoria est: si Persona Diuina procedens à Patre, & non à Filio, non procederet à Filio.

QVAESTIO III.

De Principijs Dici de Omni, & dici de Nullo.

Explicatis Principijs vniuersalissimis Metaphysicæ, quæ quia

quia aliquandò conficiuntur terminis dialecticis, vt 4. Metaph. cap.7.tex. 27.ait Phylos. *Verum inter contradictiones quidquam medium esse contingit, sed necessarium, aut dicere, aut negare vnū de vnoquoque*, & primò post.cap. 8. tex. 26. & 27. *Impossibile est*, inquit, *idem simul affirmari, & negari de eodem. Necesse est idem affirmari, uel negari de eodem*; quapropter illa principia metaphysica habent connexionem aliquam cum alijs principijs positis ab eodem Philos. primò post.cap.1.scil.Dici de omni, & dici de nullo, quæ se habent tanquàm duo syllogismi naturales, ex quibus originantur omnes syllogismi rectè, & naturaliter concludentes, pro quo aduerte, non esse idem Dici de omni, ac propositionem vniuersalem affirmatiuam, neque Dici de nullo, ac vniuersalem negatiuam, sed sunt duo integri syllogismi, constantes tribus terminis taliter secundùm prædicationem dispositis, vt vnus sit prædicatione supremus, & ordine primus, qui de secundo vniuersaliter prædicatur affirmatiuè in Dici de Omni, negatiuè verò in Dici de Nullo, vt Omnis, & Nullus. Secundus terminus prædicatur de tertio, qui est vltimus, & prædicatione infimus, & continetur sub secundo, tanquam pars sub toto; ideò secundus terminus dicitur totum respectu infimi, & est medius terminus in syllogismo: Supremus, qui de toto prædicatur, dicitur maior extremitas; infimus verò, de quo totum prædicatur est minor extremitas: Quarè quandò proferimus Dici de omni, integrum syllogismum dicimus; nàm duas propositiones ponimus, & ex illis conclusionem colligimus; dum enim maior extramitas de toto prædicatur vniuersaliter, facimus propositionem maiorem, quæ semper est vniuarsalis: Modò verò affirmatiua, modo negatiua; dùm verò sub toto assumimus partem adiungimus minorē propositionem, quę semper est affirmatiua, aliter non haberet totum, & partem; nam si totum de subiecta parte negatiuè prædicaretur, illam sub se non contineret, quando verò maior extremitas, ità de parte, scil.de minore extremitate prædicatur, sicut de medio, quod dicitur totum, prædicabatur, colligimus conclusionem, quæ in qualitate imitatur maiorem; & consequenter modò est affirmatiua, modo negatiua; in quātitate verò imitatur minorem, & consequenter modò est particularis, modò vniuersalis.

Vnde Auer.1.post: c.5.ait: Ad Dictum de Omni, & de Nullo duo requiri: vnum, vt maior semper sit vniuerslais. Alterum, vt minor semper sit affirmatiua, & cap. 10. ait, quod ratio totius, & partis in syllogismo concludente per Dici de omni, vel de nullo solùm habet locum in minore affirmatiua; ex hoc probat, semper minorem debere esse affirmatiuam, aliter non regularetur per Dici de omni, vel de nullo; in maiore enim non est totum, & pars, quia potest esse tùm affirmatiua, tum ne-

Digitized by Google

gatiua; semper verò vniuersalis. Ergo Dici de Omni, & de Nullo significant integros syllogismos, non verò simplices propositiones.

Insuper probant, solum in prima figura inueniri actu Dici de omni, & de nullo, quia in vtroq; medium debet esse positione medium, quod cùm sit totum debet de parte prædicari, & etiam supremo subijci; aliæ verò Figuræ sub illis non continentur actu, quia habent, medium positum extra alios duos terminos, continentur tamen sub illis potestate, quia possunt reduci ad primam, & tamen in alijs Figuris est propositio vniuersalis. Ergo Dici de Omni, &c. dicit integrum syllogismum dicto modo dispositum.

Ex dictis patet, syllogismos affirmatiuos de medio communi fundari in illo, scil: in Dici de Omni: negatiuos verò in Dici de Nullo. Syllogismi affirmatiui de medio singulari fundantur per se, & formaliter in illo, scil. quidquid affirmatur verè de aliquo, verè etiam affirmatur de quolibet identificato cùm illo, quando affirmatur aliquod per verbum substantiuum, quod identitatem significat; syllogismi verò negatiui etiam de medio singulari fũdantur in illo quidquid verè negatur de aliquo &c. Quæ vltima principia coincidũt cum illo alio posito ab Aristot. 3. phys. textu 21. scil. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadẽ inter se, & septimò top. cap. 1. loc. 4. posito ab eod: sub his terminis: *Cui alterum idem, & alterum; nam si non sunt ambo eidem eadem, manifestum est, nec sibi inuicem*. Quarè si illud; Quæ sunt eadem vni tertio, &c. æquiualet illis de medio singulari, & illa duo de medio communi includunt ista de medio singulari; (nam idẽ est dicere quidquid verè affirmatur, vel negatur de omni, verè etiam affirmatur, vel negatur de quolibet contento sub illo, ac dicere quidquid affirmatur, vel negatur de singulis contentis sub omni verè affirmatur, vel negatur de quolibet identificato cum illis) etiam illud principium, Quæ sunt eadem vni tertio &c. vtpotè inclusum in principio affirmatiuo de medio singulari, debet necessariò includi in affirmatiuo de medio communi, itaut sine illo subsistere non possit. Quarè malè aliqui recentiores, qui vt defendant formam syllogisticam in Deo, excludunt à fundamentis syllogismorum hoc principium: Quæ sunt eadem vni tertio, &c. quia non verificatur vniuersaliter in Diuinis; nam licet illud non pertineat ad vim syllogisticam, adhùc persistit tota difficultas, quia alia principia, quæ per ipsos fundant vim syllogisticam, æquè in Trinitate vidẽtur falsificari; nàm quidquid affirmatur, vel negatur de essentia non verò affirmatur, vel negatur de quolibet identificato cum illo.

Dices, posita identitate reali prò fundamento syllogismi, iam destruitur vis syllogistica in Diuinis, & consequenter tota ratioci-

na-

natio intellectus humani. Ergo talis identitas, & consequenter illud principium: Quæ sunt eadẽ &c. non potest esse fundamentum syllogismi. Antecedens probatur. Nàm hic syllogismus: Hæc Deitas est Pater; Filius est hæc Deitas. Ergo Filius est Pater, est legitimus in prima figura, & antecedens est verum, consequens verò est falsum. Similiter hic de termino communi. Nulla Paternitas est Filiatio. Essentia Diuina est Paternitas. Ergo essentia Diuina non est Filiatio; est in eadem figura, antecedens est verum, & tamen consequens est falsum. Propter hæc, & similia aliqui dixerunt formam syllogisticam in Diuinis nullam habere vim, sed hoc est contra omnes Theologos; nam Mysterium ineffabile Trinitatis, licet sit supra lumen naturale intellectus creati, non tamen est contra lumen naturale; semper enim intellectus noster ità debet concipere, & explicare Mysteriũ, & alia prædicata Diuina, vt vindicet illa ab oppositione cum principijs euidentibus luminæ naturæ notis, qualia sunt: quodlibet est, vel non est: impossibile idem simul esse, & non esse &c. Quibus euersis nihil penitùs subsistere potest. Vnde Nominales cum suo Occamo in dist. 1. q. 6. dicentes nunquam contradictoria admittenda esse de eodem, nisi habeantur in Scriptura sacra, vel ex Determinatione Ecclesiæ, vel euidenter ex talibus inferantur. Malè loquuntur de nostra Fide, quam docemur ab Apostolis, & ab Ecclesia esse rationabilem, & consequenter illam non pugnare cum principijs primis, & euidentibus. Quarè si illa duo principia scil. Dici de omni, & dici de nullo sunt veluti fontes, ex quibus omnes syllogismi originantur, & illa includunt illud: quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se; vbique habet suam efficàciam forma syllogistica, vbi, & quando seruantur conditiones requisitæ pro legitimitate ipsius. Quarè, vt forma syllogistica sit legitima (pluribus omissis) requiritur, vt quando in syllogismo termini sunt singulares, vel particulares, debeant esse perfectè tales, aliter syllogismus defectum patitur singularitatis, & particularitatis perfectæ; quando verò sunt termini vniuersales distributi, debeant etiam esse perfectè tales, aliter patitur defectum perfectæ distributionis, & ideò malè concludit, non quia forma syllogistica in casu non habet vim, sed quia deficiunt requisita ad illius legitimitatem; hinc fit, quia terminus Deitas, & reliqui toti Trinitati communes communitate identitatis ex hoc præcisè, quòd sint communes tribus Personis, licet habeant singularitatem, aut particularitatem oppositam vniuersalitati; tamen non habent singularitatem, aut particularitatem, excludentem omnem prorsus cõmunitatem. Quandocumque ergo ponuntur, vt termini singulares, aut particulares, etiamsi illis addantur pronomina demonstratiua, in talibus terminis syllogismus

mus patitur defectum perfectæ singularitatis,aut particularitatis, quia Pronomina demonstratiua solùm demonstrant singularitatē oppositam vniuersalitati, non verò singularitatem oppositam cuicunque communitati, qualis requiritur ad legitimam formam syllogisticam in terminis singularibus.

Quotiès verò ponuntur termini communes,etiamsi illis addantur particulæ distributiuæ, scil: omnis,nullus:syllogismus in talibus terminis patitur defectum perfectæ distributionis, quia particulæ omnis, nullus solùm possunt distribuere terminos communes communitate vniuersalitatis, non verò communes communitate identitatis; possunt tamen particulæ omnis, nullus distribuere, si addantur termino vniuersali, quasi extraneo, qui identificatur cum extremis, ita ut supra terminum vniuersalem additum particulæ distributiuæ cadant, dicendo: omnis res,quæ est Deitas; nullum ens, siue nihil, quod est essentia, &c.

Ex quibus patet: quare syllogismi in argumēto propositi malè concludant, quia in primo syllogismo medium,scil.Deitas non est omnimodè singulare, vt esse debet in syllogismis expositorijs: In secundo verò, si ille est factus in Ferio; subiectum minoris, scil. essentia Diuina non est terminus omninò particularis, vti esse debet: Si verò est factus in Celarent, etiamsi addatur eidem subiectum minoris, particula, omnis: adhùc non manet omninò distributum; vt debet: quale esset, si ità fieret syllogismus: Nulla Paternitas est Filiatio: Omne, quod est essentia Diuina est Paternitas.Ergo nihil, quod est essentia Diuina est Filiatio. In tali syllogismo, sic disposito, minor est falsa, & ideò consequens etiam est falsum, & sic de reliquis syllogismis in Trinitate factibilibus discurrendum est; & hæc sint dicta prò explicatione, & defensione horum principiorū, cùm ad Metaphysicam pertineat defendere nedùm principia vniuersalissima, verùm etiàm principia aliarum scientiarum, vt supradictum est, & patet ex Proœmio Metaphysicæ cap. 1. & 2. ex lib.4. text. 7. & 1. Physicorum cap. 2. vbi Aristot: Si quis negat prima principia Geometriæ; non pertinere ad Geometriam illa probare, sed ad primum Philosophum.

QVAESTIO IV.

De principijs: Propter quod Vnumquodque tale, &c. & sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ità &c.

TRadit aliud principium Arist. 4. Metaphysices tex. 4. his verbis: Vnumquodque maximè tale est præ cæteris, cuius causa nomine, & ratione eidem conuenit. Sic ignis est calidissimus, quòd cæteris caloris causa sit,

sit,& 1. Poster. his verbis; Propter quod vnumquodque tale, & illud magis,quo probat præmissas esse euidentiores,& certiores conclusione, dicens. *Semper enim propter quod vnumquodque tale,& illud magis est. Vt propter quod amamus illud amicum magis est: quarè siquidẽ scimus per prima, & credimus illa,scimus, & credimus magis;quoniam propter illa, & posteriora*, & paulò post. *Non solùm oportet principia magis cognoscere, & magis ipsis credere, quam ei, quod demonstratur, sed neque aliud ipso credibiliùs, neque notiùs oppositis principijs*, & Diu:Thom:ibid. probat, inquit, *propositum dupliciter primò ratione ostensiua sic: Propter quod, vnumquodq; tale,& illud magis sicuti si amamus aliquẽ propter alterũ,vt si magistrũ propter Discipulũ, Discipulũ amamus magis.Sed cõclusiones scimus,et eis credimus propter principia. Ergo multo magis principia, & magis eis credimus;quàm conclusioni. Attendendum est circa hanc rationem, quòd causa semper est potior suo effectu: quando causa, & effectus conueniunt in nomine, tunc illud nomen magis prædicatur de causa, quam de effectu sicut ignis,est magis calidus,quam ea,quæ per ignem calesiunt: quandoque verò causa, & effectus non conueniunt in nomine, & tùnc, licet nomen effetius non conueniat causæ, tamen conuenit ei aliquid digniùs sicut & si in Sole non sit calor est tamen virtus in eo quadam,quæ est principium caloris.* Ex verbis D:Tho: oritur difficultas: An hoc principiũ verificetur in omni genere causæ; pro quo

Suppono primò. Ad hoc,vt illud sit verum, ac necessarium requirũtur aliquæ contradictiones, quarum Prima est, prædicatum debere conuenire pluribus formaliter; & vni eorum per se primò, alijs verò per participationem eius, & non aliunde? Secunda est,quod prædicatum comparationis, præscindendo à comparatione competat simpliciter extremis; nam quia ablata comparatione, vinum non est ebrium, ideò non dicitur magis ebrium, licet propter vinum homo fiat ebrius. Tertia ponitur à D.Tho: 1.p. quæst: 87. art: 2. ad 3. quòd scil.in eod.ordine causarum contineantur, hoc est in eodẽ genere causæ efficientis, vel finalis. &c. itaùt si illud, cui per se primò prædicatum conuenit sit finis; cætera sint media ad ipsum ordinata: Si illud sit *efficiens, cætera sint quasi effectus ab ipso procedentes. Accipe verba S. Tho. cum dicitur propter quod vnumquodque tale, & illud magis, veritatem habet si intelligatur in his, quæ sunt vnius ordinis: puta in eodẽ genere causæ puta si dicatur, quod sanitas est desiderabilis propter vitam, sequitur, quod uita sit magis desiderabilis: Si autem accipiantur ea, quę sunt diuersorum ordinum, non habet ueritatem,ut si dicatur: quòd sanitas sit desiderabilis propter medicinam; non ideò sequitur, quòd medicina sit magis desiderabilis; quia sanitas est in ordine finium: Medicina autem in ordine causarũ efficientium.*

Sup-

Digitized by Google

Suppono secundò tanquam certum apud omnes. Tale principium verificari in omni genere causæ, antequàm producatur effectus; insuper verificari de qualibet causa secundùm relationem dependentiæ effectus à causa sua, quæ relatio fundatur in esse productiuo causæ.

Probatur. Quia in illo instanti, in quo producitur effectus ex se exigit existentiam causæ siue in se, siue in virtute, non autem existentia causæ exigit effectum, & hoc est fundamentum in ipsa causa,& effectu prioritatis, & posterioritatis naturę, & in quo fũdatur ratio dependentiæ, addens imperfectionem supra productionem;nam productio,vt secundùm se non dicit imperfectionem dependentiæ, vt patet in Diuinis. Quià ergo in creatis reperitur productio cum imperfectione dependentiæ; indè fit,vt pro illo instanti causa habeat magis, esse, quàm effectus; cum illud habeat sine imperfectione dependentiæ, & posterioritatis respectu sui effectus, vt effectus illius est. His suppositis.

Dico primò. Hoc principium verificari in aliquo genere causæ, etiam postquam effectus est productus non secundùm relationem dependentiæ, sed secundùm perfectionem, quam effectus recipit à causa sua.

Probatur ex Diu. Augustino lib.83.quæst.2.vbi sic habet. *Omne, quod fit ei à quo fit par esse non potest: Iustitia hoc exigit, idest natura cuiuslibet effectus.* Quòd certè non potest intelligi de excessu causæ secundùm esse relatiuum, quia hoc modo intellectum nihil probaret; nam ibi intendit ostendere, Deum secundum suam absolutam entitatem esse perfectiorem homine;neq; valet,Diu:Augustinum intellexisse de principio necessario, quod est ipse Deus, à quo essentialiter pendet creatura, quia Argumentum peteret principium;assumit enim illud principium ad probandum, quòd homo est ignobilior Deo producente, à quo essentialiter dependet, vt patet legenti.

Dico secundò: Illud principiũ verificari in genere causæ finalis, supponendo in medio esse duplicem bonitatem. Alteram absolutam,quam medium dicit,non qua medium est, sed quatenùs res quædam est.Alteram relatiuã, quam dicit mediũ,qua mediũ est.

Probatur: quia ratio bonitatis est primò, & formaliter in fine, & consequenter ratio appetibilitatis est in fine propter se; ratio verò bonitatis in medio, qua tali est bonitas per denominationem extrinsecam à bonitate finis, & consequenter ratio appetibilitatis non est propter se,sed propter aliud. Ergo est maior bonitas in causa finali,quàm in medio,quod est effectus causæ finalis. Consequentia patet, quia in causa finali bonitas est intrinseca, & appetibilitas per se; in medio verò est bonitas extrinsecè, & appetibilitas in ordine ad finem. Antecedens probatur, quia medium,qua tale, habet tantum rationem vtilis;

lis;

Digitized by Google

lis; quia qua tale ordinatur ad finem vltimum in sua serie. Ergo non habet rationem boni propter se, sed in ordine ad finem.

Confirmatur: quia ratio, quæ trahit voluntatem actu ad amandum media, & ordinationem mediorum inter se non est ipsa bonitas, quæ reperitur in medijs, sed ipsa bonitas finis vltimi in illa serie, e.g. Sanitas est illa, quæ trahit voluntatem ad amandum medicinam: quarè in omnibus analogatis Attributionis, præcipuè in genere causæ finalis, ratio analoga est solùm intrinseca in principali analogato, vt dixi tractatu 1. disput. 5. quæst: 4. In aliis verò analogatiss secundarijs est per denominationem extrinsecā, vt patet in sano: quando autem ratio significata est intrinseca in omnibus analogatis, tunc habetur analogia proportionalitatis, vt patet in Substantia, & Accidente; si verò Accidens, quod est secundarium analogatum consideretur, vt effectus substantiæ in genere causæ finalis, tunc erit entis ens per denominationem extrinsecam ab ente, quod est in substantia, & sic est analogia attributionis accidentis ad substātiam; eodem modo de omnibus medijs discurrendum est.

Vndè quandò appetitur cibus calidus ad calefaciendum stomachum ille non habet bonitatem formaliter, quà medium est, per calorem, quem habet in se; nec est appetibilis propter illum, sed propter calorem, qui efficiendus est in stomacho, à quo cibus denominatur extrinsecè calidus, bonus, vtilis, & appetibilis; ille verò calor intrinsecus est radix bonitatis extrinsecæ, & appetibilitatis, & est causa efficiens calorem in stomacho, & vt sic cùm illo conuenit calor stomachi proportionaliter, vel vniuocè, & consideratur in alio genere causæ.

Dices. Potest quis amare virtutem, & ob honorem proprium, & ob amorem Dei; & tamen non sequitur magis amare honorem proprium, quam virtutem; quia in tali casu potest amare magis virtutem, quàm honorem proprium, quatenùs magis amat honorem Dei. Ergo hoc principium non verificatur vniuersaliter in genere causæ finalis.

Resp. Si isti fines sunt tot ales; (quòd est impossibile,) itaut excluso honore Dei, adhùc amaretur virtus ob honorem proprium, tunc virtus, quatenus est effectus, seù medium ad honorem propriū, tanquàm ad finem minùs amaretur, quàm honor proprius; tamen quatenùs honor Dei magis amaretur, quam honor proprius, & virtus amaretur, tanquàm medium ad honorem Dei, posset magis amari virtus appretiatiuè; imò etiam intensiuè, quàm honor proprius; quia tunc non amaretur, vt medium ad honorem proprium, sed vt medium ad honorem Dei,

Dico tertiò. Hoc principium verificatur in genere causæ exemplaris, quæ est ratio prototypa, quæ in sententia communi facit distinctum genus causæ formalis

extrinsecæ; & est illa, ad cuius exemplar exemplatur Imago, vt Plato est ratio prototypa; imago verò rappresentans Platonem est exemplata ab ipso Platone. Hic præscindimus: Vtrum causa Idæalis constituat distinctum genus causæ formalis extrinsecæ, & in quo consistat ratio causæ idealis, sed loquimur de exemplari, qua tali formaliter.

Probatur. Quia exemplatum, qua tale, est solùm perfectio per denominationem extrinsecam à perfectione, quæ est intrinseca in exemplari. Ergo perfectio in exemplari est maior, quàm perfectio in exemplato. Consequentia patet; quia in exemplari est perfectio absoluta, & intrinseca; in exemplato verò est perfectio extrinseca, & relatiua ad exemplar; nam triplex perfectio considerari potest in exemplato. Prima est absoluta, & intrinseca, & hæc est potiùs ab efficienre, quàm ab exemplari, & est fundamentum secundæ perfectionis. Secunda verò est extrinseca, & relatiua, & hæc est ab exemplari, quatenus in exemplato relucet perfectio exemplaris, quia exemplatum, qua tale, non est aliud, quàm esse rappresentatiuum exemplaris. Tertia perfectio (si reuera est perfectio) fundatur in secunda, & est relatio dependentiæ exemplati ab exemplari. Antecedens patet, quia exemplatum, qua tale, non est aliud, vt dixi, quàm esse rappresentatiuum exēplaris, quod est esse relatiuum ad exemplar, quatenùs in ipso exemplato relucet perfectio sui exemplaris. Hæc ratio procedit in creatis, nō verò in Diuinis, quia ibi essentia Patris, cuius est rappresentatiuum Verbum, est eadem numero realiter communicata Verbo, & distinctio requisita sufficit, si sit in Persona; in creatis verò non potest eadem numero natura communicari; hinc fit, vt in exemplato perfectio naturæ, quæ est in exemplari communicetur solùm per denominationem extrinsecā.

Dico vltimò. Hoc principium verificari in causa efficienti principali æquiuoca, & totali in suo ordine.

Probatur primò Author. Diu: Tho: sup. cit. de sole; deindè ratione: quia causa equiuoca est diuersæ speciei ab effectu. Ergo est perfectior effectu. Anteced. patet: Consequentia probatur; quia causa diuersæ speciei ab effectu, vel est perfectior, vel imperfectior; non imperfectior, quia effectus nobilior non potest contineri in causa ignobiliori; non potest enim causa ignobilior communicare esse, quod non habet in se; nec formaliter, nec eminenter. Ergo erit perfectior. Vlteriùs iuxta commune proloquium philosophorum, quòd scil. causa æquiuoca contineat eminenter effectum, quæ eminentialis continentia potest esse triplex. Prima, quandò causa potest facere quidquid facit alia causa, quomodò dicitur Anima rationalis continere vegetatiuam, & sensitiuam, non effectiuè, sed communicando se composito, facit totum id, quod fa-

facerent illæ si informarent eadẽ materiam. Secunda, quandò effectus continetur in esse digniori, quod est productiuum illius effectus, sicut ex Diu: Tho. calor continetur in luce, quæ habet vim producendi calorem. Tertia continentia est, quandò res continet perfectionem alterius, seclusa imperfectione, quando scil. continet formaliter rem ignobiliorem secundùm conceptum abstractum, sed non secundùm adæquatam rationem, quomodò dicitur Deus continere perfectiones creatas simpliciter simplices, vt est perfectio substantiæ, perfectio sapientiæ, &c. Hæc vltima continentia eminentialis non dicit causalitatem; nam esse intellectiuum in Angelo est eminentiùs, quàm sit in homine, & tamen Angelus non est causa hominis; licèt in Deo propter infinitam eminentiam dicat causalitatem: Nostra probatio procedit de secunda continẽtia, quæ verificatur in causa æquiuoca; dummodò ratio causata in effectu, præcisè sit à causa; nam si est aliunde non valet principium, vt si quis dicat: Cera liquefit ab igne. Ergo ignis magis liquefit, non valet consequentia; quia liquefactio non procedit præcisè ab igne, sed sequitur ceram ratione materiæ dispositæ; insuper intelligi debet de maioritate in causa, & minoritate in effectu secundùm capacitatem maioritatis, & minoritatis causæ, & effectus, vt consideranti patebit.

Similiter videtur discurrendũ in causa formali intrinseca, si cõsideretur effectus præcisè secundùm illam perfectionem, quam habet à forma; nàm perfectior est modus continendi in causa formali, quàm in effectu, quia causa formalis est talis primò, & per se ipsam essentialiter: effectus autem secundariò, & per aliud, sicut quãtitas est per se extensa, & ratio extensionis in alijs compositis materialibus: Vtrum hoc dici possit etiam de materia prima quilibet potest discurrere, & decidere secundùm propria principia circà materiam primam.

Aliud principium ponitur ab Aristot. 2. Metaphysices scil: Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ità magis ad magis, vt quandò aliquod non pertinet ad idem genus, neque maior perfectio ipsius pertinet ad maiorem perfectionem illius generis, vt si albedo non facit calidum, nequè maior albedo faciet magis calidum; sed quia albedo secundùm se facit album, maior albedo faciet magis album in ea ratione, in qua est maior; dummodò sit intrà idem genus, subiectum sit capax maioritatis, & insuper, quòd illud simpliciter, vt fundet effectum, nõ requirat esse in determinata mẽsura, sicut fundamentum vitæ, ac sanitatis est calor vitalis, non valet arguere. Ergò quo magis crescit calor, eo magis crescit salus: quia calor non vtcunque acceptus est veluti causa sanitatis, sed calor acceptus in quadam determinata mensura, & eodem modo de reliquis ad rem discurrendum est.

QVAESTIO V.

Quomodo Metaphysica versetur circa prima principia.

DIximus disp. 1. procemiali quæst. 2. Metaphysicam esse sapientiā ordinis naturalis; cùm ergò vna ex conditionibus requisitis ab Aristot. 2. Metaph. & à D.Tho. lect. 2. sit, vt versetur circà vniuersalissima principia hoc modo inquit Diuus Th. versatur circa omnia, quia omnia particularia sub vniuersalibus continentur, & 1. 2. quæst. 57. art. 2. ad 1. ait. *Ergò dicendum, quòd sapientia est quędam scientia in quantùm habet id, quòd est commune omnibus scientijs, vt scilicet ex principijs conclusiones demōstret: sed quia habet aliquid proprium supra alias scientias, in quantum scil. de omnibus iudicat, & non solum quantum ad conclusiones, sed etiam quantum ad prima principia.* Et 4. Metaph. cap. 3. asserit Arist. Metaphysicam confirmare, & defendere prima principia, & hoc non solùm est verum de primis, & vniuersalissimis; sed etiam de alijs, imò non solùm ad metaph. pertinet confirmare intellectum in assensu principiorum aliarum scientiarum; sed etiam in assensu conclusionum; mediatè tamen, & virtualiter, quia, confirmando principia, virtualiter firmat conclusiones: Hoc supposito: Videndum est, quomodò metaph. versetur circa prima principia; non enim eodem modo versatur circa illa, sicut habitus principiorum. Hic enim attingit prima principia formaliter, & vt sunt veritates immediatè; vnde attingit illa sine discursi. Metaph. verò attingit prima principia, non vt formaliter principia sunt, sed vt sunt aliquo modo conclusiones; vndè D.Th. loc. cit. ad 2. inquit. *Principia verò demōstrationis possunt seorsim considerari absque hoc, quod considerentur conclusiones; possunt etiam considerari simul cum conclusionibus, prout principia in conclusiones deducuntur. Considerare ergo hoc secundo modo principia pertinet ad scientiam, quæ considerat etiam conclusiones: sed considerare principia secundum seipsa pertinet ad intellectum.* Quare aliqui explicant, metaph. versari circa prima principia, quatenùs tradit, & declarat rationem terminorum, ex quibus principia constant; explicatur enim in hac scientia, quid sit Ens, quid Substantia, quid Accidens, quid Totum, quid Pars, quid Actus, quid Potentia, ex quibus prima principia constant; traduntur insuper aliquæ descriptiones terminorum simplicium, quæ vtpotè notiores quoàd nos, possunt esse medium ad formandam demostrationem, quæ ad scientiam naturalem interdùm sufficit, & hoc, inquiunt, metaph. præcipuè, & immediatè præstat circà principia constantia ex terminis significantibus res, quæ possunt existere sine materia; nam hoc modo per se pertinent

ad

ad obiectum metaph. Cæterum circa alia principia particularia aliarum ſcientiarum ſolùm verſatur, explicando proprios terminos, & præcipuè rationes traſcendentes in eis incluſas, quibus latentibus, quidditas cuiuslibet rei lateat neceſſe eſt.

Aſſerunt alij, metaph. poſſe à priori demõſtrare prima principia, non quidem per cauſam formalem, vel materialem intrinſecam, quia in his principijs huiuſmodi demonſtratio locum non habet; ſed per cauſam extrinſecã formalem, vel efficientem; prò quo aduerte ex D. Th: in Commento tex.3: 2. poſt. quod illa quę per ſuam eſſentiam ordinantur ad aliquem finem, habent duplicem definitionem. Alteram per cauſam extrinſecam præſertim finalem. Alteram per cauſas intrinſecas, ſed cùm hoc ordine, vt definitio rei per cauſas intrinſecas; imò etiam per cauſam efficientem, debeat demonſtrari per definitionem eiuſdem rei relatæ ad cauſam finalem, quæ eſt ſuprema, & cauſa cauſarum, e. g. ex definitione ſerræ per ordinem ad ſuum finem, qua dicitur inſtrumentum aptum ad ſecandum, demonſtratur definitio, explicans materiam, & formam eiuſdem Serræ, qua definitur Serra ferrum dentatum, nam finis, & aptitudo Serræ ad ſecandum poſtulat tum materiam duram, vti ferrum, tum formam dentationis aptam, ſcil: ad penetrandum, & ſeparandum: ex vtraque poſteà definitione completur perfecta definitio Serræ, ſcil: ferrum dentatum aptum ad ſecandum, quæ definitio continet omnes cauſas per ſe rei. Hinc dicunt prædicti Authores, poſſe Metaph. demõſtrare à priori aliqua prima principia, ſaltèm per cauſam finalem, vel exemplarem, vt ſi quis oſtenderet, hominem eſſe animal rationale ex cauſa finali, quia poteſt ad Deum cognoſcendum, & amandum inſtitui, vel ex cauſa exemplari, quia in Diuina Idea talis rappreſentatur, non enim haberet homo talem eſsentiam realem, niſi in Deo haberet tale exemplar. *Di*cunt, poſse demonſtrare à priori aliqua principia; nam in illis, quæ habent veritatem ex connexione extremorum non ordinata ad aliquem finem; talis demonſtratio locum non habet, quia in illis prædicatum non manifeſtat proprietatem, vel eſſentiam ſubiecti, ſed ſolùm repugnantiam oppoſitorum: in alijs autem poteſt habere locum; quia eſſentia rerum, & proprietates habẽt cauſam finalem, & per talem cauſam poſſent demonſtrari; dummodò ſit nota per ſe, vel notificetur per aliquod notiùs, quod non videtur, poſse fieri per cognitionem naturalem.

Communiter alij aſſerunt, Metaph: demonſtrare prima principia per deductionem ad impoſſibile, ſcil. deducendo omnia ad illud: Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe.

Poteſt inſuper Metaph: demõſtrare prima principia aliquo modo à priori per lumen naturale

Digitized by Google


reflectēdo circa illud, & reducēdo ad ipsũ lumẽ Diuinũ, quatenùs cognoſcimus prima principia eſſe vera, quia per lumen naturale immediatè, & per ſe eſſe vera demonſtrantur, quod lumen non poteſt decipi; quia eſt participatio Diuini luminis in ſuo genere, & ordine perfecta; quæ demonſtratio, conſiderata veritate principiorum in eſſe rei, eſt à poſteriori; tamen poteſt dici aliquo modo à priori, ſi veritas principiorũ conſideretur in ratione euidentis, & certi; nam à priori demonſtratur, aliquam veritatem eſſe certam; quia à Deo reuelatur, vel eſſe euidentem, quia demonſtratione probatur; ita demonſtrantur hæc principia eſſe euidẽtiſſima; quia per lumen naturale immediatè manifeſtantur. Prò intelligentia aduerte, duplex eſſe lumen in intellectu noſtro. Alterum naturale. Alterum acquiſitũ. Lumen naturale, quòd idem eſt, ac lumen naturæ, eſt idem intellectus cognoſcens, vt natura. Lumen acquiſitum eſt idemmet intellectus cognoſcens, vt ratio: primo modo operatur intellectus noſter circa obiectum proprium, intelligendo prima principia ſine diſcurſu, & inueſtigatione, ſtatim, ac offertur obiectum; ſicùt viſus ſentit viſibile: ſecundo modo operatur, inquirendo, & inueſtigando illa, quæ proximè, vel remotè deducuntur ex principijs; illa prima operatio, vtpotè per ſe procedens ab intellectu, vt natura eſt perfecta, & in illa intellectus, nũquam errat, neque poteſt errare; quia, vt notat Diu: Thom: tale lumen naturale, non minùs, quàm lumen Fidei eſt à Deo; ſicut enim lumen Fidei non poteſt nos decipere, quin refunderetur in Deũ talis error, ita lumen naturale non poteſt per ſe nos decipere, quin talis error in ipſummet Deum refundatur, & ratio eſt; quia lumen naturale eſt à Deo, quatenùs eſt naturalis participatio Diuini intellectus, ſimplici intuitu omnia cognoſcentis: quarè cùm Diuinus intellectus ſit eſſentialiter verus, lumen naturale, quatenùs eſt participatio talis intellectus, impoſſibile eſt falli; ſicut quia gratia ſanctificans eſt participatio Diuinæ Sanctitatis eſt impoſſibile, quòd peccet, vel quod in peccatum inclinet: quarè Deus reſpectu talis luminis naturalis non ſolum conſideratur, vt cauſa efficiens, ſed etiam, & potiori iure, vt cauſa idealis; vnde ſi lumen naturale erraret, ſeqneretur, non ſolùm Deum errorem infundere; verum etiam in ſe falſitatem cognoſcere; nam impoſſibile eſt, falſitatem à veritate participare: quare intellectus operans, vt natura ſeù per lumen naturę non ſolum non poteſt aſſentiri neceſſariò falſo, ſed nullo modo poteſt aſſentiri propoſitioni neutræ quà tali, ſcil. ità indifferenti ad veritatem, & falſitatem, vt nullum appareat motiuum euidens, illam eſſe potiùs veram, quàm falſam; ſed quando intellectus operatur, vt ratio, quia talis operatio eſt motus artis potiùs, quàm naturæ, eſt imperfecta, & conſequenter

ſæpè errat; quandoquidem per talem operationem ipſe intellectus ſemouet, diſcurrendo ex vno in aliud propriæ induſtriæ artificio. Cùm igitur tale lumen ſit ex ſe defectibile, ſequitur, intellectum ſic operantem ſæpè errare, licèt non ex intentione erroris, ſed veritatis, quam non ſemper aſſequitur: Idemque proportionaliter intellige de Voluntate. Hæc enim operans, vt natura circa obiectum proprium, hoc eſt, circa finem vltimum (quod enim ſunt in ſpeculabilibus prima principia, hoc eſt in operabilibus finis vltimus, vt docet D. Tho:) ſic operatur, vt ſola ſimplici propoſitione ipſius, tēdat in ipſum, ſine periculo prauitatis: At vbi eadem operatur, vt ratio circa obiecta indifferentis, & incertæ bonitatis, eligens, arbitrio ſuo defectibili, hanc, vel illam partem, ſæpè contrahit prauitatem in ſuis actibus. Primus modus operādi eſt naturalis participatio modi operandi Diuinæ Voluntatis eſſentialiter excludentis omnem malitiam. Secundus modus operandi eſt principaliter ab ipſa Voluntate creata in proprijs ſuis actibus defectibili; adeòque non ſemper in eo ſeruat rectitudinem. Cùm ergo prima principia lumine naturali immediatè manifeſtentur, poſſunt per tale lumen aliquo modo à priori demonſtrari eſſe euidentiſſima: quare optimè Diu: Tho: cùm Ariſt: affirmat, Metaphyſicam eſſe veram ſapientiam ordinis naturalis, quia habet omnia attributa veræ ſapientiæ requiſita à Philoſopho 7. Metaph: ad rationem veræ ſapientiæ, inter quæ vnum eſt, quod verſetur circa prima principia, & conſequenter circa omnia.

Et hæc de principijs, deque toto hoc ſecundo Tractatu de Ente creato, dicta ſint ſatis: Poſt hæc diſputaturis de Ente Increato, nempè Deo glorioſo, ad cuius laudem, & gloriam omnia cedant.

SE-


Digitized by Google



SECVNDI TRACTATVS FINIS.




TRA




TRACTATVS TERTIVS.

De Ente Increato.



IAM tandem ad ipsum Philosophicarum speculationum apicem peruenimus, cum, post *Entis, vt sic*, in primo Tractatu, deinde *Creati*, in secundo Tractatu, notitiam ad *Ens Increatum* cognoscendum in hoc tertio accedimus; de quo ea tantum hic pertractabuntur, quæ lumen naturale rationis non excedunt, altioribus sublimiori scientiæ, Sacræ scilicet Theologiæ relictis. Tractatus iste quatuor complectetur disputationes: Quarum erit

I. De An est Entis Increati.
II. De Quid est ipsius, seu quale sit, vel quale non sit.
III. De attributis eiusdem in communi.
IV. De attributis in particulari.



DISPVTATIO PRIMA.

De An est Entis Increati.

NOn defuerunt *Athæi*, monstra hominum potiùs, quàm homines, qui blasphemo ore Deum esse negarunt, (sicut negauit ille, de quo Psaltes: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus*) quos cùm Theologia Sacra ex proprijs conuincere nolit (vtpotè primæ veritatis existentiam supponens) ideò rationibus naturalibus hic eorum blasphemam temeritatem conuincere studebimus, quamuis digniùs igne conuincendi essent, quàm ratione,



QVAESTIO I.

Vtrum detur aliquod Ens Increatum, & improductum.

ANntequàm indubitatā apud omnes rationis compotes aperiamus veritatem, sit

§. I. *Prænotantur aliqua.*

SVpponendum primò, quòd licet existentia Dei non possit demonstrari à priori, vtpote, quæ nullam habet causam, nec formalem, nec virtualem, quia est de conceptu intrinseco Naturæ, seu Essentiæ Dei, potest tamen demonstrari à posteriori, seu per effectus, vti pluribus locis docet Angel. Doct: Sed præcipuè 1. par. quæst. 2. art. 2. cuius nos in præsenti rationes afferemus, & discutiemus.

Supponendum secundò, S. Doctorem quinque rationibus quinque conditiones, seu Attributa, loco ex prima parte citato, probare, quæ nulli, nisi Enti Increato, & improducto competere possunt, ex quibus conditionibus cætera alia attributa, quæ de Ente Increato solent demonstrari, deducuntur.

Prima ergo ratio probat, dari aliquod Ens immobile, & ab omni mutatione liberum: sicque procedit ex motu, qui est effectus magis sensibilis apud nos. Ex hac autem immobilitate, (quæ nulli enti creato potest competere) sicue ex Attributo Immutabilitatis deducitur Attributum Æternitatis, Immensitatis, &c.

Secunda ratio probat, causam primam efficiētem dari nulli subordinatam in hoc genere, (quæ ratio in Ente creato non inuenitur:) Ex qua conditione primæ efficientiæ sumitur Attributum Omnipotentiæ circa Creaturas.

Tertia ratio conuincit, dari aliquod Ens omninò necessarium, & à se. Et hinc sequitur omnis perfectio, immaterialitas, bonitas, ratio actus puri, &c.

Quarta ratio ostendit, dari primum, & maximum omnium Ens: Ex hoc verò, quòd Ens Increatum sit primum, & maximum Ens, deducitur ipsius Simplicitas, & eminentia, quòd sit suum esse, infinitum, vnum, &c.

Quinta denique ratio concludit, dari omnium primum Gubernatorem; Ex quo deducitur ratio ipsius Sapientiæ, & scientiæ, Voluntatis, Prouidētiæ, Idearum, &c.

Supponendum tertiò, duo esse præcipua principia, quibus demonstrationes D. Thomæ à nobis ponderandæ innituntur. Primum principium est: (*Omne, quod mouetur, ab alio mouetur.*) Propositio hæc fundatur in ipsamet natura motus: Nàm omne, quod passiuè mouetur, est in potentia ad illud, ad quod mouetur; nam si non esset in potentia, sed actu haberet, non moueretur; posito siquidem termino motus, cessat motus: quod autem actiuè mouet, est in actu, quia mouere est redu-

cere

cere aliquid de potentia ad actũ; nihil enim reducitur de potentia ad actum, nisi per actum, quandoquidem potentialitas non habet vim agendi, sed tantùm recipiendi; ac proindè mouens debet esse in actu, mobile verò in potentia: Implicat autem, quòd idẽ respectu eiusdem sit in actu, & in potentia simul, (cùm ista habeãt contradictorias cõditiones: quod enim est in actu respectu alicuius, habet illud; quod verò in potentia, non habet; quæ sunt, vt patet, contradictoria.) Igitur erit impossibile, quod aliquid moueatur, & non ab alio, sed à se. Omne ergo, quod mouetur, &c.

Secundum principium est: *In Causis per se subondinatis non potest dari processus in infinitum.* Pro intelligentia huius principij

Supponendum est quartò, duplicem esse subordinationem Causarum, vt docet D.Tho.in Lib.de Causis. Alia est subordinatio per se, alia per accidens: Prima inuenitur inter Causas diuersæ rationis, & ordinis: Secunda inter Causas eiusdem rationis, & ordinis: Distinguuntur autem, non per hoc, quòd subordinatio *per se*, sit in operando, *per accidens* verò in essendo, sicut aliqui volunt, quia cùm operari sequatur ad esse, vbi est subordinatio per se in essendo, erit mediatè in causando. Itaque distinguũtur penès hoc, quòd subordinatio *per se*, sit formalis; subordinatio *per accidens*, materialis; quod vt percipiatur

Supponendum est quintò cum nost. Salmat. 1. 2. Tract. 12. disp. 3. Operationem, sicut & esse, sequi ad formam; agit enim vnũquodque secundùm, quòd est in actu; hoc autem habet per formam: hinc oritur, quòd potentię operatiuæ sint proprietates rei, quia sequũtur ad totum ratione formæ; alia autem accidentia consequentia ratione materiæ, sunt accidentia communia. Deinde etiam aduertendum est, quòd subordinatio per accidens Causarum non sit formalis, ratione speciei, (cùm omnes sint eiusdem speciei, sicq; nulla ex ipsis subordinetur alteri, aut sit inferior, prout etiam aduertit D.Thomas) sed est materialis, ratione indiuiduationis: Ex quo iam patet, subordinationem per accidens esse materialẽ, quia sicut accidentia communia oriuntur à materia, ita accidentareitas ad lineam operatiuam sequitur ex conditione materiali. Igitur Ioannes à S.Thoma in 1.p. ideò, dicit, non posse dari processum in infinitum in Causis per se subordinatis, quia infinitæ conditiones requirerentur, vt Causa vltima operaretur, quæ cùm non possint pertransiri, nunquam operaretur. P.N.Laurentius docet, D. Thomam negare processum in infinitum, quoad causalitatem, quæ quidem in Causis per se subordinatis est talis, vt si auferatur prima, tollantur omnes causæ mediæ; secùs in per accidens subordinatis; & rationem assignat &c. Si in per se subordinatis tollatur prima, nulla remanet, neq; eiusdem, neque diuersæ rationis, à qua fiat effectus medius, cùm in om-

omnibus his subordinatio inueniatur, & sublata prima, rumpitur catena subordinationis, sicque & causæ auferuntur fundantes talem subordinationem, sine qua stare non possunt. At verò in per accidens subordinatis, licet tollatur prima, remanet tamen alia diuersæ rationis, à qua totus cumulus, etsi infinitus, Causarum per accidēs subordinatarum producatur: sed de his fusiùs inferiùs redibit sermo.

Supponendum sextò, non esse confundendas omninò has duas Quæstiones: *An detur aliquod Ens Increatum, & improductum?* & *An detur Deus?* quia etsi in idem coincidere videantur, sunt tamen aliquo modo diuersæ. Admisso namque Ente Increato, & omninò improducto, adhùc posset negari Deus: quia posset quis dicere, Entia improducta esse plura, vnūque esse superius alio, licet non vt efficiens suo effectu, tamen vt finis, ad quem illud aliud Ens ordinetur. Vnde non statim ex positione Entis Increati infertur existentia Dei, quia Deus debet esse Ens omninò independens: Iam autem de ratione Entis Increati, qua talis, non ita apparet esse omnimoda independentia, cùm vt modò dictum est, posset ab alio, vt à causa finali, dependere, quò respexisse videtur Petrus de Aliaco in 1.q.3.a.2.& 3. asserens, licet demonstretur esse aliquod Ens à se, non tamen demonstrari, illud esse vnum tantùm, & ideò nec demonstrari posse, Deum esse. Et ideò notanter in titulo quærimus de Ente Increato; vt huius existentia probata, in sequenti quæstione, hoc Ens Increatum esse Deum demonstremus. His ergo præmissis, sit

§. 2. *Deciditur quæstio, & probatur ratione.*

Dicendum, necessariò admittendum esse aliquod Ens Increatum, & omninò improductum. Ita non solùm omnes Theologi, & Philosophi cum Aristotele, verùm etiam omnes homines ratione prædití, quos malitia non excæcauit, sentiunt, sentireque debent. Hanc Conclusionem 5. rationibus efficacissimis Angel: Doctor probat, quas hic expendemus.

Ratio prima. *D*atur primus Motor omninò immobilis. Ergo etiam datur primum Ens increatum, & omninò improductum. Conseq; patet. Nam primus Motor, si semel datur, non est nihil; quod enim nihil est, mouere aliud non potest. Ergo erit Ens; inter Ens siquidem, & non ens, siue nihil, non datur medium: *D*einde si dictus Motor est immobilis, est improductus; quod enim productum est, mobile est, saltim motu largius sumptu, vt consideranti patet. Anteced: autem prob. *D*antur secunda mouentia, seù, quòd idem est, mouentia mota. Ergo etiam datur primus Motor. Anteced. patet, quia, etiam sensu teste, datur motus. Ergo dantur & mouentia saltim secunda, seù mota ab alio. Conseq. prior prob;

Mo-

Mouentia mota non mouentur à seipsis, sed ab alio mouentur, vt ex præsuppositis constat. Deinde in mouentibus per se, & motis non potest procedi in infinitum; quia si procederetur, nullum daretur mouens; nam mouentia secunda non mouent, nisi per hoc, quòd moueantur à primo; sicut baculus non mouet, nisi motus à manu: si autem daretur processus in infinitum, nunquàm deueniretur ad primum mouens, cùm infinitum sit impertransibile; proindè nullum daretur mouens. Ergo necessariò, hoc ipso, quòd dentur mouentia mota, debet dari primus Motor ipsorum.

Hæc est prima demonstratio satis efficax, qua vtitur Angel. Doctor 1.p.qu.2. a.3: & 1. cont. Gent. Cap. 13. alijque passim Theologi, & Philosophi S. Thom. secuti. Et quamuis hæc demonstratio sit satis conuincens, tamen Francisco Suarez suæ Metaph. disput.39. sect. 2. displicet, insufficientiæq; ab ipso arguitur, ex eo, quòd fundetur supra principium, aut omninò falsum, aut certè non ex omni parte verum, nimirùm supra illam Propositionem: (*Omne, quod mouetur, ab alio mouetur.*) Hoc enim principium, inquit, nõ est adhùc satis demonstratum in omni genere motus, vel actionis: nàm multa sunt, quæ per actum virtualem videntur se mouere, & reducere ad actum formalem, vt in Appetitu, seù Voluntate videre licet, & in aqua reducente se ad pristinam frigiditatem; vnde concludit, non esse vniuersaliter verum, *Omne, quod mouetur ab alio distincto à se debere moueri.* Cæterùm, si benè ponderetur explicatio principij huius, *Omne, quod mouetur, &c.* supra adducta facilè corruit impugnatio Patris Suarez: quod sic ostenditur. Nam mobile, quocunque motu, eo ipso quòd passiuè mouetur, sicque est mobile, est in potentia ad illud, ad quod mouetur, & nullo modo in actu etiam virtuali respectu ipsius, per quem se posset reducere ad actum formalem; ideò namq; mobile ad aliquem actum formalem non est in actu formali respectu ipsius ad illum, quia si esset in actu formali, haberet illum, ac proinde non esset mobile, & in potentia ad ipsum; nihil siquidem est in potentia ad illud, quod habet. Sed si mobile esset in actu virtuali respectu illius, respectu cuius esset mobile, & in potentia, perfectiori modo haberet talem actum; quandoquidem in actu virtuali continere aliud, & habere, est habere perfectiori modo, vt patet in Sole virtualiter continente calorem. Ergo quod mouetur, seù mobile, nullo modo est in actu, etiam virtuali, respectu illius, respectu cuius est mobile, per quẽ se posset mouere. Relinquitur proindè, quòd omne, quod mouetur, non à se, sed ab alio debeat moueri. Nec instantiæ Suarez quidquam faciunt. Nam Voluntas mouetur ab alio, seù a cognitione, & cognitio ab obiecto, & Intellectus in suis primis actibus à Deo;

Aqua

Aqua similiter ad recuperandam frigiditatem amissam mouetur à generante: de quo Nost. Complut. in Phys. disp. 28. quæst. 1. & 2.

§. 3. *Affertur alia ratio pro Conclusione.*

RAtio secunda *D.* Thomæ fundatur in duobus præcipuè principijs, sicut & præcedēs. Primum est. (*Omne, quod fit, ab alio fit.*) Secundum: (*In causis per se subordinatis non potest procedi in infinitum.*) Quæ principia in præsuppositis iam aliqualiter sūt explicata, & ampliùs inferiùs declarabuntur. Vis igitur rationis hæc est. Datur Causa efficiēs prima omninò inceata, & improducta. Ergo datur Ens primum omninò increatum, & improductum. Conseq. patet, quia Efficiens non est, nisi sit in actu, & in actu non est, si non fuerit ens; quod enim non est ens, nihil est, (vt præcedenti ratione ostensum est), ac proinde nec in actu. Ergo eo ipso, quòd detur Causa efficiens Improducta, dabitur ens improductum. Anteced. autem prob. In sensibilibus videmus, dari subordinationem inter Causas efficientes: ita tamen, vt nulla ipsarum possit producere seipsam: ex alia parte non potest dari inter illas processus in infinitum ascendendo. Ergo necessariò deueniēdum est ad aliquam Causam, quæ sit omnium prima, & omninò improducta. Anteced. quoad primā partem patet, quia in sensibilibus dantur Causæ sublunares, quæ subordinantur Cælis, Cœli inferiores superioribus; omnes mobiles primo mobili, & primo alteranti. Ergo &c. Quoad secundam partem, quòd scilicet nulla Causa efficiens possit seipsam producere, etiam patet. Nam quidquid fit, ab alio fit, aliàs esset, priusquam esset, quod implicat. Quòad vltimam partem patet similiter ex suppositis, & infra dicendis ampliùs patebit. Consequen: verò prob. Nàm ex quo capite in Causis efficientibus subordinatis non potest procedi in infinitum, necessariò deueniendum est, ascendendo, ad aliquam ex illis, qua iam prior non detur, aliàs nūquàm finiretur processus; talis autem erit Causa Efficiens prima: Deinde: eo ipso, quòd nulla Causa Efficiens seipsam producere possit, Causa hæc prima non erit producta à se, nec ab alia priori se, cùm supponamus, eam non dari, aliàs non esset omnium prima. Ergo relinquitur, quòd huiusmodi Causa Efficiens sit omnium prima, & omninò improducta.

Vt autem demonstratio hæc efficacissima meliùs percipiatur, tres circa illam difficultates incidentes excitantur. Prima, & secunda circa principia, quibus innititur. Tertia circa processum ipsum demonstrationis.



DIF.

Digitized by Google

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm in Causis per se subordinatis dari possit processus in infinitum?

RESpond. negatiuè cum Diu. Thoma 1.par. quæst.2. a.3. Et quamuis veritas huius principij in præsuppositis sit aliquomodò iam ostensa, ampliùs tamen (quia est principium præcipuum nostrarum demonstrationum) sic declaratur. Si in Causis essentialiter subordinatis daretur processus in infinitum, non posset vnquam effectus aliquis de nouo fieri. Sed hoc est contra experientiam quotidianam. Ergo &c. Sequela Maioris prob. Effectus de nouo non fit, nisi de nouo causetur à causa ipsius. Sed si in Causis per se subordinatis daretur processus in infinitum, causa immediata effectus non posset ipsum causare. Ergo &c. Maior patet; quia effectus nō fit à seipso, sed à sua causa, iuxtà illud. *Quidquid fit ab alio fit*: de quo infrà. Minor autem prob. Causa vltima, & immediata effectus, eo ipso, quod sit subordinata per se, non potest causare, nisi præmota à superiori, cui subordinatur: nec hæc illam præmouere potest, nisi præmota ab alia se superiori, cui est subordinata, & sic de cæteris; & ita causa vltima non potest causare, nisi omnes præmotiones ponantur, & incipiant. Sed si daretur infinitus processus in Causis subordinatis per se, nunquàm illæ præmotiones inciperent, quia posterior non incipit, nisi prior incipiat, & in infinitis subordinationibus nūquàm prior potest incipere, cùm infinitum sit impertransibile. Ergo &c.

Nec refert, si resp. cum Suarez suæ Metaph. disp.29. sect.1.n.25. rationem nihil probare, quia fundatur in suppositione falsa. Videtur enim hæc ratio supponere, præmotiones illas Causarum subordinatarum fieri per successionem; & certè, si hoc esset, nunquàm incœpturā aliquam actionem, compertum est, quia illæ infinitæ præmotiones nūquàm possent pertransiri. Cæterùm hoc necessarium non est, siquidem illæ præmotiones possent in vno instanti compleri, quia possent illæ Causæ infinitæ, ad præmouendam vltimam, à qua producendus est effectus, concurrere, ac per consequens, & illius sic præmotæ actio aliquando incipere.

Non, inquam, hoc refert. Etenim, quamuis possemus imaginari, quòd illæ infinitæ Causæ simul operarentur, concurrerentque ad eundem effectum, hoc tamen inintelligibile est, quòd aliqua causa determinata determinatum de nouo producat effectum, si semel ab infinitis causis in sua operatione dependeat: hoc autē sic ostenditur. Nulla causa potest determinatum effectum producere, ipsamque actionem determinatā inchoare, quamdiù non intelligitur esse ad agendum completa, habereque omnia requisita, quæcunq;

cunque ex parte actus primi desiderantur, vt omnes fatentur; Sed si subordinaretur infinitis Causis per se, nunquàm posset sufficienter compleri, haberique omnia, quæ ex parte actus primi desiderantur; quia dependentia ab illis infinitis causis, sine qua nequit operari causa ipsis subordinata, (aliàs non esset dependentia per se) nunquàm est complebilis; quæcunque enim, & quantumuis innumera, Causarum multitudine accepta, semper remanebunt aliæ, & aliæ vsque in infinitum, à quibus dicta causa operatiua dependet. Ergo hoc ipso, quòd aliqua determinata causa à causis infinitis in sua operatione dependeat, impossibile est, in determinatum de nouo prodire effectum.

Explicatur hoc ipsum: nàm, vt optimè aduertit N. P. Andreas à Cruce in 1. p. q. 2. ar. 3. disp. 13. dub. vnico. Illud vulgare Axioma: (*Infinitum est impertransibile*) non solùm verificatur in Causis subordinatis, quantùm ad successionem, & (vt sic dicam) numerationem causalitatum illarum, sed etiam quantùm ad dependentiam inferiorum à superioribus; quæ dependentiæ sunt conditiones necessariò requisitæ ad agẽdum; cùm ergo dictæ dependentiæ, ad hoc, vt causa determinatum effectum incipiat producere, debeant compleri (quia sine illarum complemento causa manet indeterminata, & indifferens ad agendum, vel non agendum), & ex alia parte, dictũ complementum ipsis, etiam simul concurrentibus, repugnet, planè sequitur, nullam determinatam actionem de nouo incipere posse, si semel in Causis subordinatis datur processus in infinitum.

Res exẽplo declaratur. Ponamus v. g. in hoc instanti A, debere Causam B elicere actionem, mediante qua producat effectum, & supponamus, dictam Causam B dependere ab infinitis Causis inuicem subordinatis, seseque ad concurrendum cum Causa B in ordine ad producendum effectum præmouentibus: supponamus insup. r, quòd omnium præmotiones sint instantaneæ, sine motu, & successione, itaut omnes maneant in eodem instanti: Tunc quæro: An sit assignabile determinatum complementum illarum dependentiarum? itaut postquàm alicuius præmotionem videris finitam, dicas: nùnc sunt omnes dependentiæ completæ, quę anteà completæ non erant. Vel certè tale complementum determinatum non est assignabile (Si dicas, quòd sic. Ergo illæ causæ, illæque dependentiæ, non erunt infinitæ; quia, vt habetur in Aristot: Lib: Physic: *Infinitum est, cuius aliquid semper est extra accipere*: & ipsa ratio infiniti exigit exclusionem, sicut finis, sic complementi ipsius terminatiui; ac per consequens, si causalitas Causarum subordinatarum, dependentiæq; illarum, ita aliquando complentur, vt nihil sit illarum extrà, seù quòd non sit accipere aliquam incompletam, & illa completa, aliam adhùc incompletam, vsque in infinitum illa-

Digitized by Google

dependentiæ causalitatis; atque adeò ipsæ Causę non erunt infinitæ. Si vero dicas, tale complementum nunquam dari posse, tunc illa Causa B. nunquam censebitur sufficienter determinata ad producendum effectum; (quia per dictas dependentias, & præmotiones completur) ac per consequens, cùm non agat determinatè, neque determinatum effectum posset producere, nisi inquantùm ipsa supponitur esse determinata; (nam sicut cætera omnia, quæ sunt in effectu, ita & ipsa determinatio effectus debet splendere in Causa) non poterit aliquando suam actionem, seù productionem incipere. Manet igitur in suo robore principium rationis D. Tho. quòd in causis subordinatis per se non possit dari processus in infinitum.

Probatur secundò, aut potiùs ostenditur hoc idem principium. Repugnat totam collectionem Causarum efficientium esse dependentem. Sed si in causis efficientibus (de his enim in præsenti loquimur; cùm primum Ens Increatum, cuius nùnc existentiam inquirimus, ad genus causæ efficientis pertinere debeat) daretur processus in infinitum, tota collectio Causarum efficientium esset dependens. Ergo repugnat in causis efficientibus dari processum in infinitum. Maior prob. Si tota collectio Causarum efficientium esset dependens, vel dependeret ab aliquo intra illam contento, vel ab aliquo alio extra illam. Neutrum dici potest. Ergo &c. Non primum; quia omne, quod dependet in genere Causæ efficientis, ab alio dependet; sicùt etiam omne, quod producitur, ab alio producitur; nec potest aliquid fieri, vel efficienter dependere à seipso: (vt magis infra patebit) si autem tota collectio creatarum Causarum efficientium dependet ab aliquo intra illam collectionem causarum à se dependentiũ contento, etiam illud dependebit à seipso, vtpotè intrà illam collectionem causarum à se dependentium contento. Neque secundum dici potest; quia extra collectionem causarum omnium efficientium non datur aliquod efficiens, à quo dependeant; si enim assignas aliquod efficiens extra totam illam collectionem, non persistis in hypothesi, quia non omnium efficientium collectionem accepisti. Accedit, quod si extrà omnium efficientium collectionē admiseris aliquod efficiens, à quo omnia dependent, planè concedis, quod nos intendimus, aliquod scil: ens omninò improductum, à quo enim omnia efficientia dependent, est omninò in genere causæ efficientis independens: aliàs si ab aliquo efficiente dependeret, non omnia dependerent ab ipso. Ergo &c. Minor huius Argumen: similiter probatur; quòd scilicet si in Causis efficiētibus dareretur processus in infinitum, tota collectio causarum efficientium esset dependens; quia in tali casu quælibet signata causa esset dependens ab alia superiori; si enim non dependeret esset

set prima, quia ab illa cæteræ, ipsa verò à nulla penderet. Ergo etiã tota collectio esset dependens, non quidem vnica dependentia, sed pluribus; quia sicut collectio omnium creaturarũ dicitur creata, eo quòd in illa collectione nullum est ens increatum, ità collectio illarum omnium causarum esset dependens: quia in illa nullum est ens independens. Ergo &c.

Obijcitur primò. Posita hypothesi, quòd Deus ab æterno in quouis instanti temporis vsque ad hoc instans produceret Angelum; vel cœlum: Cœli ad præsens instans ab æterno producti essent infiniti: ex alia perte essent causæ sibi per se subordinatæ respectu influxus in inferiora. Ergo iam, posita dicta hypothesi, non repugnaret dari processum in infinitum. Sed talis hypothesis est possibilis. Ergo non repugnabit dari processum in infinitum &c. Maior quò ad primam partem patet; quia instantia temporis labentis ab æterno vsque ad præsens sunt infinita, sicut ipsa æternitas; proinde si in quolibet ipsorum cœlum produceretur, Cœli essent infiniti. Quò ad secundam etiam partem satis liquet; quia cœli medij causant, & influunt in inferiora moti à superioribus; in quo ipsis subordinantur. Ergo &c. Consequ. facilè ostenditur; Nam eo ipso, quòd cœli infiniti ab æterno producti darentur, & essent sibi in causando subordinati; processus in subordinatione ipsorum esset processus infinitus in causis sibi subordinatis. Ergo &c. Minor subsumpta probatur; quia creatura permanens ab æterno à Deo produci posset, vt D. Tho. prob. Opusc. 27. deinde actio Diuina, cùm sit independens à motu in quouis instanti, potest producere effectum. Ergo ab æterno in quouis instanti temporis posset producere Angelum, vel Cœlum.

Nec valet, si primò dicas. In tali hypothesi non omnes cœlos influxum præbituros, sed tantùm determinatos, proindè non daretur processus in infinitum in subordinatione ipsorum. Non inquam valet; nam eo ipso, quod inferiores cœli superioribus in suo influxu per se essent subordinati, & non mouerent, nisi moti, non possent influere determinati, quin cæteri omnes influerent. Ergo &c. Antecedens. prob. Ideò cœli inferiores non influunt in inferiora sine superioribus determinatis, quia ob subordinationẽ per se dependentiam habent in suo influxu à superioribus determinatis. Sed hanc subordinationẽ per se non minus habent respectu cæterorum omnium: alias non omnes illi cœli essent causæ per se subordinatæ, (quod est contra hypothesim.) Ergo eo ipso &c.

Nec etiam refert, si secundo dicas. In allata hypothesi non fore processum in infinitũ, etsi darentur cœli infiniti influentes; quia deueniretur ad primum motorem, à quo ab æterno recepissent esse, & operari.

Non inquam hoc etiam refert: quia ascendendo in subordinatio-

Digitized by Google

tione dictorum cælorum, vel daretur terminus talis ascensus in illis sibi sic subordinatis, antequam perueniretur ad primum motorem, vel non? Si primum. Ergo illi cæli sibi subordinati non essent infiniti, (quòd est contra hypothesim; nam multitudo cuius inuenitur terminus non est infinita; tùm etiam quia infinitum est impertransibile: Si autem dicatur secundum, quòd scil. non daretur terminus talis ascensus. Ergo per illum numquam perueniretur ad primum motorem; & consequenter processus esset infinitus: quod autem nunquam perueniatur ad primum motorem patet; quia per prædictum ascensum non peruenitur ad primum motorem, nisi ipse ascensus exhauriatur, & finiatur; quamdiù enim durat, nondùm habetur in illo primus motor, sed mouentia mota sibi subordinata, sed si nullum terminum haberet prædictus ascensus, nunquam exhauriretur, aut fineretur. Ergo nec vnquam per illum ad primum motorem perueniretur.

Resp. ad argumentum, reiecta vtraque solutione, inter arguendum data, & efficaciter impugnata; negando allatam hypothesim esse possibilem; nam licet in quouis instanti determinato posset Deus producere creaturam aliquam, non tamen in omnibus instantibus, quæ confusa quadam ratione inueniuntur in toto tempore, quod ab æterno imaginamur fluere: determinatus enim effectus, vti est quæuis creatura, non nisi in determinato instanti potest produci: cùm autem determinata instantia temporis non sint infinita, sed solum confusa, sicùt & partes proportionales; hinc fit, quòd ab æterno non possunt produci vsque ad hoc tempus infiniti Angeli, aut cæli: maximè quia daretur infinitum in actu secundùm multitudinem, quod implicare ex S.Thom. communiter docent Thomistæ. Deinde admissa etiam hac hypothesi impossibili, quòd scil: darentur Angeli, aut Cæli infiniti, non possent tamen esse sibi subordinati in causando; quia omnis causalitas ipsis repugnaret, vt ex ratione adducta ad ostendendum principium liquet.

Obijcitur secundò. Si darentur Generationes ab æterno, daretur processus in infinitum in causis per se subordinatis. Sed non repugnat illas dari. Ergo &c. Maior prob. quia si darentur generationes ab æterno, non possent non esse infinitæ, cùm successio illarum ab æterno nullum terminũ habeat. Ergo etiam causæ generantes essent infinitæ. Sed illæ essent sibi subordinatæ; quia vna non generat, nisi priùs fuerit ab alia generata. Ergo &c. Minor autem præcedentis argumenti est doctrina NN.PP.Complut.

Resp. Data possibilitate generationum ab æterno, ita vt Leones v. g. generantes, & geniti essent infiniti; non tamen ideò adhuc daretur processus in infinitum in causis per se subordinatis; dicti namque Leones essent causæ

per accidens subordinatæ, in quibus non ita repugnat processus in infinitum.

Primò ex eo, quia cùm à talibus causis nō dependeat effectus, tanquàm ab actualiter, & de nouo in sui productionem influentibus, sed tanquam non necessariò præsuppositis, à quibus habuit causa vltima suum esse, benè poterit qualibet actio de nouo incipere; non enim est necesse ad illam, omnes illas dependentias in actu de nouo esse, sicut necesse est in causis per se, & essentialiter subordinatis, vnde si vult v.g. vltimus Leo, generare potest; quia non est necesse, quod actu de nouo moueatur ab alijs Leonibus, se generantibus, à quibus accipit esse; si verò darentur causæ, quibus per se prædictus Leo subordinaretur; cum actu de nouo ab omnibus illis aliquid influētibus, penderet; illa generatio nunquam posset incipere, quia nunquam possent tales dependentiæ compleri, vti suprà dictum est.

Secundò non repugnat ex alio capite processus in infinitum in causis per accidens subordinatis, sicùt in causis per se subordinatis repugnat; nam etsi ex positione infinitatis harum sequitur, tòtam collectionem Causarum efficientium esse dependentem, quod implicat, (vt ex supra dictis patet;) non tamen hoc sequitur ex positione infinitatis illarū. Quod sic euidenter ostenditur. In Causis per accidens subordinatis, v.g. in illis Leonibus necesse non est ponere aliquod primum Efficiēs, quod non sit factum; illi enim Leones sunt indiuidua eiusdem speciei. Ergo solo numero differunt, & in principijs essentialibus conueniunt. Ergo si vnus est productus, debet & alius esse productus. Si vnum ens est ab alio, debet & aliud esse Ens ab alio; nam sicut (teste Aristot. 10. Metaph.) Corruptibile, & Incorruptibile; ita Productum, & Improductum, Ens à se, & Ens ab alio, debent differre, plusquàm genere; quia omnia important modos essendi essentialiter diuersos; ac proindè sicut vltimum, & penultimum illud indiuiduum speciei Leonum est factum, ità, & omnia alia. Ergo cùm non possint fieri à se, debent fieri ab alio; quod sit extra illorum collectionem: & ita etiam admisso processu in infinitum in causis per accidens subordinatis, non sequeretur inconueniens, in secunda ratione ostensiua nostri principij adducti, quòd scil. tota collectio causarum efficientium esset dependens; daretur enim aliquod efficiens extrà illam collectionem, à quo omnes illæ Causæ per accidens subordinatæ dependerent; illa verò à nulla illarum; quod tamen inconueniens sequeretur in Causis per se subordinatis; nam (& est valde notandum discrimen inter causas per se, & per accidens subordinatas) Causæ per se subordinatæ necessariò sunt diuersorum generum, cùm vna sit vniuersalior, & superior alia; vnde si in illis proceditur in infinitum, nullum poterit assignari efficiens, quod sit inde-

Digitized by Google

dependens; illa enim dependentia esset penes rationes genericas, ita vt quodlibet genus signatum dependeret ab alio: Ergo & indiuidua contenta sub genere dependerent; quia quod competit alicui ex sua ratione generica, vel specifica, competit omnibus talem rationē participantibus; sicut quia homini ex ratione sua generica viuentis competit nutriri, ideò eædem operationes competunt omnibus gradum vitæ participantibus.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Omne, quod fit, ab alio, & non à seipso, fiat?

Dicendum resolutoriè, hoc Principium, à D.Thoma in hac secunda ratione assumptū, esse verissimum. Prob. breuiter. Implicat, quod aliquid tunc fit, quando non est. Sed si aliquid produceret seipsum, tunc esset, quando non esset. Ergo implicat, quòd aliquid fiat à seipso. Maior, & conseq. patent. Minor verò prob. nam quod fit, de nouo acquirit esse. Ergo supponitur non habuisse esse; quod autem efficit aliud, supponitur habere esse, nam causa efficiens agit, secundum quod est in actu. Ergo si idem fieret à se, supponeretur habere esse, quia efficeretur à se.

Dices. Idem seipsum potest conseruare, vt patet in viuentibus, quæ seipsa, sicut mouent, sic conseruant: similiter aqua conseruat se in sua frigiditate sibi connaturali. Ergo etiam idem seipsum poterit producere, quia conseruatio nihil aliud est, quàm continuata productio.

Resp. primò. Gratis admisso, nō tamen concesso, quòd aliquid possit conseruari à seipso, negandum est posse etiam à seipso produci: Magna enim est, quantùm ad hoc, inter productionem, & conseruationem diuersitas; nam quod conseruatur, supponitur esse, quod producitur, non supponitur; vnde etsi possit aliquid conseruare se in tantum, in quantùm iam supponitur præexistere, sicq; secundùm esse antecedēs, influere in esse consequens, attamen quia ante productionē supponitur non esse, non poterit producere se; operari siquidem sequitur ad esse, ac præsupponit illud.

Resp. secundò, & melius negando, quod aliquid possit conseruare seipsum; loquendo in sensu formali, vt scil. idem sit formaliter conseruans, & conseruatum. Docuit hoc expressis verbis Doctor Angel. 1. p. q. 104. a. 2. ad 2. statimq; rationem huius assignauit dicens: *Cum propria causa sit conseruatiua effectus ab ea dependentis, nulli affectui præstari potest, quod sit causa sui ipsius; potest tamen ei præstari, quòd sit causa alterius; ita etiam nulli effectui præstari potest, quòd sit sui ipsius conseruatiuus; potest tamen præstari, quòd sit conseruatiuus alterius.* Vnde neque viuentia in vita; neq; aqua

Digitized by Google

in frigiditate, vel aliæ res similes seipsas conseruāt, sed conseruātur; tùm a forma, à qua illæ dispositiones connaturales fluunt; tùm ab alijs causis secundis ad suum esse concurrentibus; tùm denique à causa prima à qua, & esse habent, & persistentiam in esse.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Processus rationis D.Thomæ sit bonus?

ET videtur, quòd non: Etenim ratio S.Doctoris, ex duplici principio scil. primo, ex hoc, quòd Omne quod fit, ab alio fit. Secundo, ex eo, quòd processus non possit dari infinitus; in causis per se subordinatis, concludit, debere dari aliquam causam omninò improductam, & independentem ab alio. Hic autem processus rationis non est bonus, nam potest dici, quòd etiamsi in causis subordinatis non procedatur in infinitum, sed deueniatur ad aliquam primam, quæ non sit à seipsa producta, vel causata, posset tamen dici, quòd esset causata à causa à se causata, & ratio huius est. Nam vt Philosoph. secundo Metaph. Tex. 39. docet. Causæ sunt sibi inuicem causæ in eodem genere causæ; sicut v. g. in ratione causæ finalis, cuius gratia Incarnatio Christi est causa finalis generis humani, in schola aliquorū Thomistarū in ratione verò finis, *cui* ipsum genus humanum est finalis causa Incarnationis Verbi; cùm ad vtilitatem illius facta sit.

Cæterum hæc nullo modo infringunt efficacissimum processum rationis S. Tho: etsi enim verum sit illud vulgare Axioma Philosophi: quòd *causæ possint sibi esse inuicem causæ*; id tamen in eodem genere causæ proximo nunquam verificari potest, vt patet in exemplo allato in genere causæ finalis. Nam Causa finalis in sententia probabili Thomistarum diuiditur in duplex genus proximum, seu in finem *Cui*, & finem *Cuius* gratia. De quo videantur nost. Complut. de Generat. disp. 2. quæst. 8. num. 111. ac proinde cùm genus causæ efficientis sit vnum genus proximū, non poterunt causæ in illo sibi subordinatæ, esse sibi inuicem causæ, & ita si omne, quod fit, ab alio fit; in causisque subordinatis per se non datur processus in infinitum, (prout satis probatum est) manet efficax conclusio S. Doct. debere scil. dari aliquod ens non factum, seù omninò improductum.

§. 4. *Adducitur ratio tertia pro Conclusione.*

RAtio tertia (qua probat Angel. Doct: existentiam Dei, nos verò illa ad probandam existentiam Entis increati vtemur) est talis. Datur aliquod Ens omninò necessariū tale, seu quod ab intrinseco impossibile sit, illud non esse. Sed Ens omninò necessariū, quod ab intrinseco impossibile est non esse, est ens increatum, om-

Digitized by Google

omninòq; improductum. Ergo datur &c. Minor patet. Siquidem Ens omninò necessarium, quod ab intrinseco impossibile est, non esse, essentialiter est, ipsumq; *esse* spectat ad conceptum quidditatiuum ipsius, vt ex terminis patet. Sed quod essentialiter est, seù cuius essentia est *esse*, non est factum: quia sicut essentiæ rerum non dependent à causa efficiente (vt supra dictum est), ita neque ipsum *esse*, quando est de essentia alicuius, poterit dependere ab aliqua causa efficiente. Ergo &c. Maior autem præced. argumenti à S. Doct. tali discursu probatur 1. p. quæst. 2. a. 3. *Inuenimus in rebus quędam, quę sunt possibilia esse, & non esse; Impossibile est autem omnia, quæ sunt talia, semper esse, quia quod possibile est non esse, quandoq; non est: si igitur omnia sunt possibilia non esse, aliquando nihil fuit in rebus: sed si hoc est verum, etiam nunc nihil esset, quia quod non est, non incipit esse, nisi per aliquid, quod est: si igitur nihil fuit Ens, impossibile fuit, quod aliquid inciperet esse, & sic modo nihil esset, quod patet esse falsum, non ergo omnia Entia sunt possibilia. Sed oportet, aliquòd esse necessarium in rebus.* Hæc S. Doctor.

Confirmatur ista ratio. Non omne ens est contingens ad esse, & non esse. Ergo datur aliquod ens non contingens, quod sit impossibile non esse, seù quod sit necesse esse. Conseq. patet ex regulis Æquipollentiæ: Nam vt docent N. Complut: in Log. lib. 2. summul. Cap. 9. Ly *Non omne est contingens* æquipollet huic, *Aliquid est non contingens.* Sicut & hæc. *Impossibile est non esse*, æquipollet huic *necesse est esse.* Anteced: autem prob: Tùm quia, quòd contingens est, aliquãdo fuit sub non esse, est enim indifferens ad esse, & non esse. Ergo si omne ens esset contingens, res omnes essent sub non esse; quia nihil esset, à quo haberent, vel possent habere esse. Tùm etiam quia contingens ex suo conceptu dicit tãtùm potentiam ad esse, & nõ esse; dicitur enim illud contingens, quod potest esse, & non esse, cùm contingens, qua contingens, non dicat ex suo conceptu esse, & ex consequenti est tantùm in potentia ad esse. Ergo si omne, quod est, esset contingens, omne, quod est, esset in potentia ad esse. Sed hoc est impossibile, quia ibi repugnat potẽtia, vbi nullus est actus, & maximè quando actus est impossibilis, sicut hic omninò esset impossibilis actus, seù *Esse*; nam si omnia essent contingentia, omnia essent sub non esse, ac per consequens nihil esset, quod posset educere aliquid de non esse ad esse, cùm illud quod non est, nequeat dare esse alteri. Ergo &c. Tùm denique, quia contingens, (vt iam sæpè dixi) est indifferens ad esse, vel non esse. Ergo si omne ens esset cõtingens, omne esset indifferens ad esse. Ergo nulla res esset, quia res de se indifferens ad aliquid, debet determinari ab aliquo præcontinẽte in se determinatè actũ, (cùm omnis determinatio proueniat ab actu) sicut

ficut v.g. Aer de se indifferens ad lucem, vel tenebras, non erit lucidus, nisi ad esse lucidi determinetur à sole præhabente in se lucem. Sed si omnia entia sunt contingentia, nullum ex illis præhabet esse, quia sunt indifferentia ad esse, vel non ad esse. Ergo &c. Circa hanc rationem D. Tho. cum sua confirmatione excitantur aliquæ difficultates.

DIFFICVLTAS I.

An Contingens potuerit esse ab æterno?

SEnsus difficultatis est, an contingens potuerit esse ab æterno? ita scilicet vt competeret ei semper esse, non tamen necessariò, sed contingenter, quia scil. potuit esse *sub non esse*, quamuis de facto, ex suppositione, quod sit, non fuerit sub illo?

Et videtur hoc non esse impossibile; Nam vt discurrit optimè Angelic: Doctor, Opus: 27: de Æternitate mundi, licet creatio sit productio entis ex nihilo, tamen non est necesse, vt in re creata supponatur ante esse nō esse, quia ad hoc, vt aliquid dicatur fieri ex nihilo, sufficit, quòd ex sua natura, & præciso quocunq; extrinseco ex suis intrinsecis sit nihil, sicut v. g. stellæ dicuntur lucidæ à sole, quamuis nunquam fuerint non lucidæ, quia ex sua natura non habent lucem; sic etiam à simili possemus dicere, contingens posse esse ab æterno, & esse contingens: quia ex intrinsecis ipsius nō competit ipsi determinatè esse, sed poterit esse, vel non esse, tamen ex suppositione, quia est necessariò est.

Cæterum ad hanc difficultatē cum distinctione est respondendum; Notando prius; æternum dupliciter accipi posse, Aliud enim est ęternum ab intrinseco, quod scil. ex natura sua, sine vlla dependentia ab alio, semper est: Aliud verò æternum est per participationem dependēter ab alio, quia scil. accepit esse, & durationem sine principio ab illo. Quamuis ergo contingentibus non repugnet esse ab æterno secundo modo, benè tamen primò hoc autem, vt pleniùs capiatur.

Notandum secundò, Contingens dupliciter accipi posse, primò largè secundùm quamcunq; siue ordinariam, siue absolutam potentiam, & sic quælibet creatura contingens est; nam quantumuis incorruptibilis, sicut à Deo habet esse, ita per illum ipso priuari potest, & deduci ad non esse, siue ad nihilum; Secundo contingēs sumitur strictiùs, pro eo, quòd ex innata sua potentia, sicut potest esse, ita potest non esse; vel quia habet sui causas liberas, & indifferentes, vel certè quia etsi habeat causas determinatas ad vnum, & ex necessitate operantes, sunt tamen illæ impedibiles ab alijs, sicut arbores possunt impediri à grandine, vel niue, nè producant fructus vel tandem, quia habet materiam capacem pluriū

for-

formatum successiuè habēdarum, sicut in omnibus corruptibilibus contingit. Vnde in se debet habere potentiam, sicut ad esse, ita ad non esse, quia scilicèt habet materiam, nùnc suum esse, nùnc suum non esse, appetentem, quando videl: appetit aliam formam, à qua postea actuabitur. His ergo prænotatis.

Dico, vtroque modo sumptis contingentibus repugnare æternitatem primo modo acceptam. Probatur. Quod æternum est, debet esse omninò immutabile ex se, seu ab intrinseco. Sed nullum contingens potest esse ex se, seu ab intrinseco omninò immutabile. Ergo neq; ab intrinseco æternum. Maior patet: Nàm, vt docet D.Tho: 1. p. quæst. 9. *Immutabilitas omnimoda est ratio à priori æternitatis*: Vnde ita se res habet ad æternitatem, sicut ad immutabilitatem. Minor prob. Quod est omninò ab intrinseco immutabile, necesse est, quòd sit actus purus; quod enim habet admixtum aliquid potentialitatis, mutabile est, quia potest transire de potentia ad actum: In actu autem puro non distinguitur *Essentia*, & *Esse*, cum Essentia distincta ab esse sit potentia respectu illius: quod actui puro repugnat. Iàm verò illud, in quo existentia non distinguitur ab essentia, necessariò est; quia sicut prædicta essentia, ita & ipsa existentia, si ab illa non distinguitur, competit necessariò. Ergo, de primo ad vltimum, quod non est omninò immutabile, nequit esse ab intrinseco æternum, sicut nec necessarium. Vnde homines, (omniaque corruptibilia) quia sunt, tàm quoad esse, quàm quoad operationes, mutabiles, tàm esse, quàm operari ipsis competit contingenter. Angeli autem, (cæteraque incorruptibilia) quia sunt mutabiles quantùm ad operationes, & non quantùm ad esse, ideò etiam licet ipsis competat operatio contingenter, non tamen esse, nisi fortè per respectum ad causam extrinsecam; sed hic contingentiæ modus est improprius, & secundùm nimis amplam acceptionem.

Quod si æternitas, secundùm posteriorem acceptionem sumatur, vtroque modo sumpto contingenti competere potest, aliter tamen, & aliter: nàm contingentibus primi generis potest competere permanenter; quia si Angelus v. g. fuisset ab æterno productus, perseueraret idem in indiuiduo in æternum, eo quòd habeat esse inamissibile ab intrinseco. At verò contingentibus secundi generis competeret æternitas (vt ita dicam) successiuè, cùm enim habeant esse amissibile, non possent illud cōseruare in vno indiuiduo, sed tantùm in specie per successionē vnius indiuidui post aliud. Atque hinc potest colligi satis efficacia rationis D. Thomæ: Etenim, quia contingentia non sunt æterna ab intrinseco, (vt dictum est) necessariò debuerunt habere causam sui esse; quæ cùm non possit esse contingens, alias deberet esse ab alia, & illa rursus ab alia vsque in infinitum, erit pro-

Ggggg inde

inde necessaria. Vnde optimè S. Doct. ex positione contingētium arguit ad positionem Entis omninò necessarij, nulloque modo contingentis, quale Ens Increatum esse debet, vt suprà probatum est.

DIFFICVLTAS II.

An Contingens semper necessariò fiat à non contingente, seù necessario?

HOc supponi colligitur ex ratione D.Thomæ, in qua ex suppositione contingentium assurgit ad affirmationem Entis nō contingentis, seu necessarij. Videtur autem, non esse necesse, vt contingens fiat à non contingente: Benè enim potest contingens, supposito, quòd existat, alteri contingenti esse causa essendi v. g. Petrus potest produci à Paulo, Paulus à Ioanne, & sic in infinitum; in his enim causis per accidens subordinatis non repugnat processus in infinitum, (vt suprà dictum est) & videtur esse aperta ratio huius, quòd scilicet Contingens possit fieri à contingente. Ad hoc enim, vt aliquid producat aliud, non requiritur, quòd habeat esse necessariò, sed tantùm, quòd habeat quomodocunque illud; aliàs nihil creatum posset esse causa alterius, cùm nulli Creaturæ competat esse necessariò: Vnde hæc propositio (Creatura existit,) siue illa sit corruptibilis, siuè incorruptibilis, semper est contingens, vt communiter docent Philosophi.

Resp. ad hanc difficultatem dicendo, quòd licet contingens non semper necessariò fiat à non contingente immediatè, sed benè possit fieri à contingente, mediatè tamen & originaliter debet fieri à non contingente, seù necessariò. Explicatur hoc, & simul probatur. Si enim saltim mediatè, non fierent contingentia à non contingente, seu necessariò, de illo contingente, à quo originaliter essent, quæro? an sit Ens à se, an verò ab alio? Non potest dici, quòd sit Ens à se; quia Ens à se est omninò necessarium, habet siquidem esse irreceptum ab alio. Ergo non indifferens ad esse, seu non esse, qnod est de ratione contingentis; si enim talem indifferentiam haberet ex se, semper cum eadem maneret, quamdiù nō determinaretur ab alio, à quo acciperet esse. Relinquitur igitur, quòd prædictum contingens debeat esse ab alio: Illud quoque aliud, si contingens sit, erit ab alio. Ergo cum in causis subordinatis non detur processus in infinitum, de necessitate sistendū erit in aliquo non contingente, à quo contingentia erunt.

Ad illud autem, quod dicitur, in causis per accidens subordinatis posse dari processum in infinitum, dicendum, hoc in tantùm verum esse, in quantùm tota illa collectio causarum per accidens subordinatarum debet esse origina-

naliter ab aliquo non facto: Vnde etsi ad hoc, vt aliquid producat aliud immediatè, non requiratur, quòd habeat esse necessariò, vt rectè arguitur in ratione dubitandi, tamen originaliter, necesse est, peruenire ad id, cui *esse* necessariò competit. Circa illam verò vltimam dubitationis propositionem, quòd scilicèt: (Nulli Creaturæ necessariò competit esse) videri possunt nost. Complut. in lib. de Anima disput. 16. num. 36. & 37.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Contingens sit contingens, quando est, vel quando non est?

CONfirmatio rationis S. Thomæ videtur supponere, quòd Contingens tùnc tantùm sit contingens, quandò non est: cuius oppositum probabilius esse videtur, ostenditurque arguẽdo à Definitione ad definitum, sic. Quod potest esse, vel non esse, est contingens. Sed Petrus v.g. existens potest esse, vel non esse respectu futuri temporis. Ergo Petrus v.g. existens est contingens. Ergo cõtingens, etiam tùnc, dum existit, est contingens. Et vrgetur magis hoc ipsum. Id, quod pro tempore futuro non erit, habet tùnc etiam, cùm est, potentiam ad non esse; aliàs impossibile esset, illud non fore. Sed multa ita nùnc sunt, quæ posteà non erunt, vt patet in omnibus corruptibilibus. Ergo habent potentiam ad non esse. Ergo cùm ex alia parte habeant *esse*, in quo persistere per aliquod saltim tempus possint, habebunt simul potentiam ad esse, & non esse, ac proindè contingentia erunt.

Difficultatem hanc agitat Paul. Soncinnas suæ Metaphys. lib. 6. quæst. 4. vbi longo discursu præmisso, tandem concludit, contingens tunc etiam esse contingens, quandò est, & non solùm, quandò non est. Re tamen altiùs perpensa, videtur opinio Soncinnatis non posse subsistere, ac proinde

Dicendum, Contingens tùnc propriè non esse Contingens, quando est: pro cuius vlteriori declaratione

Supponendum est, Contingens medium esse inter Impossibile, & Necessarium. Dicitur enim illud contingens, *quod potest esse, vel non esse*: vbi per Ly *potest esse*, distinguitur ab Impossibili, cui repugnat *esse*: at verò per Ly *potest non esse*, distinguitur à Necessariò, cui repugnat, qua tali, *non esse*. Quia ergo ratio Contingentis cõsistit in quadam indifferentia ad esse, & non esse, tùnc propriè erit Contingens quandò sumitur cùm dicta indifferentia ad essendum, vel non essendum. Quo supposito, contra Soncinnatem sic

Probatur. Tunc cõpetit Contingenti ratio contingens, quando concipitur sub quadam indifferentia ad esse, vel non esse. Sed quando

est, non concipitur cum quadam indifferentia ad essendum, vel nõ essendum. Ergo quando contingens est, non est contingẽs. Maior ex suppositione patet. Min. suadetur: Quando .n. tu dicis, quòd cõtingens, quando est, potest non esse: vel dicis pro hoc instanti, quod mensurat esse, itaut idem instans formaliter sit mensuratiuum esse, vel non esse; vel pro sequenti. Primum est impossibile, quia implicat, quòd idem pro eodem instanti sit, & non sit. Ergo, dicis secundùm, quòd scil: Contingens pro futuro tantùm instanti, quod videl: subsequitur ad instans mensurans esse contingentis, poterit non esse. Ergo sequitur, quòd Contingens non est contingens formaliter respectu instantis, in quo est, sed respectu futuri instantis, in quo potest esse, & non esse. Vnde crederem, contingens formaliter, vt contingens præscindere ab omni statu, essendi videlicet, & non essendi, neq; tùnc esse formaliter cõtingens, quando est, neque quandò non est. Eadem enim ratio militat de statu non essendi, quam de statù essendi adduximus; nàm etiam tunc, quandò non est contingens, non potest esse, sicut tùnc, quando est, non potest non esse, quia vnum, idemq; instans, non potest mẽsurare ipsius esse, & non esse.

Contingentia igitur competit rebus, vt sunt sub statu quodam precisionis, secundùm quem neq; dicunt esse, neque non esse; & quia hic status non competit rebus in indiuiduo, & à parte rei existentibus: (hæc enim, aut determinatè sunt, aut determinatè non sunt) ideò res existentes, aut non existentes, contingentes dicuntur per ordinem ad dictum statum abstractionis: v.g. (Petrum existere, est contingens) etiam quandò existit, vel non existit, est verum, quia Petro absolutè, & præcisa existentia, aut non existentia, neutrum repugnat, sed vtrumque indifferenter competere potest. E contra verò Deum esse, est necessarium, quia illi ita existentia competit, vt nunquàm possit sub statu talis præcisionis concipi, vt sit indifferens ad existendum, & non existendum, ex eo quòd de eius Essentia est esse; ac proinde sicut eius Essentia non est ab illo præscindibilis, ita neque existentia. Per quod patet solutio ad allata in contrarium: Illa namq; potiùs pro nobis sunt; quandoquidem semper contingentiam ex tempore futuro, in quo res possũt existere, vel non existere, venamur: Hinc

Collige vlteriùs, quidnam sit directè ad ipsum dubium respondendum: An scil: Cõtingens tunc sit Contingens, quandò est, vel quãdo nõ est. Respondetur enim, Contingens dici contingens, quãdo non est: Sumpto ly *non est*, merè præcisiuè, secundum quòd res præscindit ab esse; non autem negatiuè, secundùm quod de illo negatur esse. Et hæc quoad tertiam rationem Diui Thomæ.

§. 5.

§. 5. Ratio IV. Diui Thomæ.

HÆc est petita ex via eminẽtiæ, seu ratione Analogiæ, quam debent habere omnia entia, bona, perfecta, vera, comparata cum maximo aliquo Ente bono, perfecto, vero. Estque demonstratio talis. Inuenitur in Entibus magis, & minùs verum; magis, & minùs bonum; magis, & minùs Ens. Ergo etiam inuenitur aliquod maximè verum, maximè bonum, maximè Ens. Sed quod est maximè verum, bonum, ens, est Ens increatum, omninoq; improductum. Ergo datur in rebus Ens increatum, omninoque improductum. Prima Consequentia patet; quia, vti arguit S. Doctor, magis, & minùs dicuntur de diuersis, secundùm quòd appropinquant diuersimodè ad aliquid, quòd maximè est; sicut magis calidum est, quod appropinquat maximè calido. Minor verò subsumpta probatur. Verum, bonum, & Ens creatum habent veritatem, bonitatem, & entitatem participatã ab alio: quòd autem veritatem, bonitatẽ, & entitatem participatam habet, non est maximè verum, bonum, & Ens; quia quod est per essentiam tale, & à se, magis tale est, quàm illud, quod est tale ab alio, & per participationem. Ergo &c.

Confirmatur. Vbi in ratione vna, communi pluribus, inuenitur magis, & minùs, seù inæqualitas quantùm ad participationem, ibi inuenitur Analogia attributionis, vt constat. Ergo quia inter entia, vera, bona, inuenitur magis, & minùs, vt dictum est, inter illa inuenietur Analogia attributionis: Ergo etiã inuenitur maximè Ens, maximè verum, maximè bonum, à quo cætera omnia entia, vera, bona dependeant, illud verò à nullo; quia, vt ex supradictis constat, Analogia attributionis per dependentiam causatur. Sed Ens, à quo omnia alia dependent, illud verò à nullo, est ens omninò improductum, & increatum; si enim creatum, vel productum esset, à creante, vel producente dependeret. Ergo &c. Circa hanc rationẽ S. Thomæ occurrunt duæ difficultates paruæ.

DIFFICVLTAS I.

An magis, & minùs de diuersis dicantur, secũdùm, quòd appropinquãt diuersimode ad aliquid, quod maximè est?

VIdetur hæc Propositio non esse absolutè vera. Dantur enim plura, in quibus inuenitur magis, & minus sine respectu ad maximum; nam in primis in numeris non est aliquis maximus, quo maior dari non possit, sed, quocunque signato, potest esse maior, & maior vsque in infinitum, & tamen in numeris datur maior, & minor, cùm ternarius sit maior binario, & minor quaternario. Similiter non datur gratia ha-

habitualis maxima, itaut Deus maiorem illa non possit producere, & tamen in gratia datur magis, & minùs. Ergo &c. nihilominùs ad dubiolum.

Dico, & resp. negando, dari aliqua, in quibus inueniatur magis, & minùs sine respectu ad maximum. Ad probat. verò in contrarium adductam dico, illam propositionem, (Vbi est magis, & minus, ibi est maximum) etiam in numeris, & gratia, verá esse; nàm, quidquid sit de possibili, certum est, de facto, dari aliquem maximum numerum, maximamque gratiam, qua maior à parte rei non inuenitur; vnde etiam debet dari maximum Ens, quo maius à parte rei non est.

Est tamen notanda disparitas inter Ens ex vna, & gratiam, vel numerum ex alia parte, quòd in numero, vel gratia non sit determinatus aliquis numerus, sed, quocunq; producto, potest perfectior, perfectiorque produci, & hoc ideò, quia vtrumque est ens dependens, ac proindè, supposita existentia Agentis infiniti, à quo dependent, cuiusque virtus, quacunque positione determinata, exhauriri non potest, poterunt perfectiores, perfectioresq; in infinitum produci, v. g. ponamus maximum numerum de facto esse centum millia: tunc, quia Agens infinitum potest producere mille, vel mille millia rerum numeratarum, vltra illa centum millia, potest dari maior numerus: atq; etiam de gratia, proportione seruata, est discurrendum. Est autem hoc adeò verum, quòd in entibus dependentibus potest fieri perfectius, & perfectius vsque in infinitum, supposita scil: existentia entis infiniti, vt etiam ipsum ens creatum, secundùm quòd sub cōceptu entis creati est dependens, non habeat terminos suæ perfectionis, sed, quacunque creatura posita, potest Deus perfectiorem, perfectioremque producere vsque in infinitum. Cæterùm in ratione entis, vt sic, cùm ex suo conceptu non dicat dependentiam, aliás in Deo non posset inueniri, qui est Ens independens) si datur de facto existens maximum, ita est maximum, vt etiā, de possibili, maius illo nequeat inueniri. Ratio huius est, quia Maximum inter omnia entia debet esse Causa essēdi omnibus entibus, (quod enim est maximè tale in aliquo genere, est causa essendi omnibus talis generis, sicut maximè calidum est causa caloris in omnibus calidis: & ex hoc fundamento arguit S. Thomas 3. p. q. 7. a. 1. in C. In Christo fuisse maximam gratiam, quia illius gratia fuit causa gratiæ existentis in alijs). Quòd autem est causa essēdi alijs, debet esse ipsum incausatum. Tùm quia non habet, à quo causetur; non enim à se causari potest, cùm nihil possit esse causa sui ipsius; non ab entibus causatis à se; quia nihil potest esse causa efficiens suæ causæ efficientis: nō ab alio supra se, quòd actu sit; nam si haberet aliud ens supra se, à quo causaretur, non esset primum, maximumq; in entibus. Neque tandèm ab aliquo ente superio-

rio

riori, quod licet tùnc non sit, tamen fuit; quia illud Ens, si postquàm habuit esse, amisit illud per corruptionem, contingens necessariò debuit esse, vtpotè indifferens ad esse, & non esse. Ergo nō erat ens à se, cùm hoc sit necessarium; siquidem sua Essentia est suum esse; erat igitur ab alio, quod similiter amisit esse, (nullū enim ens habens esse, potest esse supra ens, quod est maximum in entibus) Ergo à contingente; ac per consequens dabitur processus in infinitum in istis causis subordinatis, absque dependentia ab alia causa incausata; quod implicat, vt supra ostensum fuit. Tùm etiam, quia quod est causa essendi omni enti, attingit omne ens sub vniuersalissima ratione entis. Ergo erit vniuersalissima Causa, quia vniuersalissimus effectus, qualis est ratio entis in omnibus inuenta, vniuersalissimæ Causæ correspondet. Sed Causa vniuersalissima non potest fieri ab alio, aliàs vniuersalissima non esset. Ergo &c.

DIFFICVLTAS II.

An inueniatur in rebus magis, & minùs Ens?

LIcet in Vero, Bono, & intensibilibus qualitatibus *magis*, & *minus* admittatur, tamèn non videtur, quomodò in Ente subsistere possit: Cùm enim Ens sit superius ad substantiam, & accidēs, si illi competeret suscipere magis, & minùs, etiàm ipsi substantiæ hoc competeret; quia quidquid competit Naturæ superiori, qua tali, competit etiam inferioribus sub illa contentis: hoc autem est expressè contra Philosophum in Capite de substantia, vbi proprietatem substantiæ hanc esse, dixit, quòd non suscipiat magis, & minùs.

Ad hoc dubiolum resp. & dico cum distinctione; notando, Ly *magis*, & *minus* dupliciter accipi posse: vel, vt sonat intensionem, & remissionem: vel, vt significat excessum, aut defectum in perfectione. Tùnc sumitur magis, & minus primo modo, quando eadem res, ratione latitudinis gradualis, nūc potest esse magis, nùnc minùs intensa, v. g. calor, & aliæ qualitates intensibiles, & remissibiles, quæ nunc sunt intensiores, nùnc remissiores; nunc est magis, vel minùs calidum aliquid, vel album &c. Secundo autem modo sumitur *magis, vel minus*, non respectu eiusdem, sed respectu diuersorum, v.g. Animal licèt in quolibet homine sit æquè perfectū, nec possit esse v.g. Petrus nūc magis animal, & postea minus, sicut aqua v. g. potest esse nùnc magis, nunc minus calida, tamen in diuersis, v.g. in homine, & equo, potest esse animal magis, magisque perfectū, ratione differentiarum, scilicet, se in perfectione excedentium, per quas ad tale, vel tale compositum contrahitur: Hoc prænotato

Dico iterùm, tàm Ens, quàm substantiam, hoc secundo modo importare magis, & minùs; vnde communiter dicitur, quòd Substantia

stantia, vel Deus sit magis ens, quàm Accidens, vel Creatura, Aristoteles similiter in lib. Cathegor: Cap. de Substantia. (in quo docuit, sobstantiam non suscipere magis, & minùs) dixit, *primas substantias esse magis substantias, quàm secundas*: quæ doctrina desumpta est ex eodem Philosopho Capite de Substantia.

§.6. *Ratio V. D. Thomæ.*

RAtio quinta, & vltima probans, dari Ens increatum, desumitur ex gubernatione Vniuersi, seu directione omnium in suum finem, sic. Datur Ens intelligens, à quo omnes res naturales gubernantur, & diriguntur in suum finem. Sed tale Ens est increatum, & improductum. Ergo istud datur. Maior ostenditur. Aliqua cognitione carentia, vti sunt corpora naturalia operãtur propter suum finem, cùm semper, aut saltim frequentiùs eodem modo operentur, vt consequãtur finem, seu quod est optimum ipsis. Sed quæ cognitione carent, non tendunt in finem, nisi directa in illum ab aliquo cognoscente, & Intelligente finem, sicut saggitta à sagittante. Ergo est aliquod intelligens, à quo res omnes ordinantur in finem. Minor præcedentis argumenti, sic potest probari. Gubernatio, sicut & conseruatio, rerum pertinet ad Ens productiuum illarum, cùm conseruatio sit quædam continuata productio: Sed Ens productiuum omnium est increatum, & improductum, prout patet ex secunda ratione supra examinata. Ergo etiam Ens gubernans &c. Circa hanc rationem non excitantur vllæ difficultates: tùm vt breuitati consulatur, tùm quia illæ patebunt ex infrà dicendis.

QVAESTIO II.

Vtrùm Ens Increatum, & omninò improductum, (quod dari ostensum est) *sit DEVS, nec ne?*

SVpponendum primò, quòd quamuis Quæstio hæc plurimùm habeat de re, quia tamen inuoluit aliquid de nomine, antequam concludamus, Ens increatum Deum esse, priùs nobis quid sit DEVS, non quidem, quantùm ad *Quid rei*, sed quãtùm ad *Quid nominis*, sciendum est. Hoc itaque nomen, DEVS, (prout tradit D. Damascen. lib. 1. Fidei cap. 12.) ex græco deducitur, vel à disponere, vel ab intueri vniuersa, quæ denotant operationem, & efficientiam. Cùm enim nos nihil naturaliter possimus cognoscere de Deo, nisi ex effectibus, nec aliquod nomen aptum, iuxta nostrum modum concipiendi, poterimus inuenire, nisi desumptum ex summa causalitate, & operatione ipsius. Ad quod attendens Angelicus Doct. 1. p. q. 13. a. 8. in C. sic inquit: *Hoc nomen DEVS, est nomen operationis quantùm ad id, à quo imponitur*

ad

Digitized by Google

ad significandum: Imponitur enim hoc nomen ab vniuersalis rerum prouidentia: Omnes enim, loquentes de Deo, hoc intendunt nominare, DEVM, quod habet prouidentiam vniuersalem de rebus: vnde dicit D. Dionysius 12. cap. de Diuinis nominibus. *Deitas est, quæ omnia videt, prouidentia, & bonitate perfecta. Ex hac autem operatione hoc nomen, DEVS, assumptum, impositum est ad significandam Naturam Diuinam.* Hæc S. Doctor.

Supponendum secundò, nomine DEI, communi consensu, intelligi ens nobilissimum, perfectissimumque, quo perfectius excogitari nequit; ex ipso enim cōceptu eius oritur, quòd omnes, quantùmuis barbaræ, nationes Deum adoratione, censeant, esse dignum, itaut nulla gens ità efferata moribus inueniatur, quæ Deo, quamuis aliàs falso, non exibeat venerationem, quia scil: eum agnoscunt dignum veneratione, ob nobilitatem, eminentiā, & perfectionem; nobiliora namque in maiori semper solent esse veneratione. Intelligitur etiam nomine DEI Ens, quod sit Causa omnium entium cæterorum: Ens enim hoc nobilissimum, quod ab vniuersis cōcipitur nomine DEI, & perfectissimum, concipitur, vt Causa aliorum entium, (quandoquidē ex effectibus cognoscitur) & ità concipitur, vt perfectissima, & quam perfectior non possit excogitari Causa, sicut Ens, perfectius illo excogitari nequit. Igitur debet concipi, vt Causa vniuersorum entium cæterorum, alias posset ipsa perfectior excogitari Causa, illa nimirùm, quæ esset omnium Entium Causa.

Supponendum tertiò, quòd licet communi acceptione non sit ita certum, hoc Ens perfectissimum, quod est Causa cæterorū, esse tantùm vnum, (plures quippè Deos, vt nobilissimos, causasque rerum venerabatur, & admittebat gentilitas) tamen, quasi euidens est, etiam apud gentiles, perfectissimum Ens vnum esse; vnde & ipsimet gentiles, etsi plures Deos colerent, inter ipsos nihilominùs Ioui principatum detulere, tanquàm supremo Numini. Hinc apud Virgilium lib. 1. Æneid: Iuno exindè se Reginam Diuam vocat, quia coniux Iouis erat, cùm inquit

Ast ego, quæ Diuum in Cælo
Regina, Iouisque,
Et Soror, & Coniux, vna cum gente, tot annos,
Bella gero.

Hinc Iupiter vocabatur Pater omnipotens, & Diuum, hominumque Rex; & alijs nominibus, eius excellentiam, præ cæteris, significantibus. Quæ omnia satis indicant, etiam ipsam rudem gentilitatem, instinctu naturali, agnouisse, illud perfectissimum Ens, quod Deum vocabant, & vt perfectiorem turbæ Deorum vnum præficiebant, esse omninò vnum. Ex quo sequitur, efficacissimam esse demonstrationem ad probandum, Ens increatum, omninoque improductum, Deum esse, si ostendatur, illud vnum esse.

Supponendum quartò. Hanc

vnitatem hic probari non posse ex infinitate, imměsitate, cæterisq: attributis, ex quibus Theologi communiter deducunt, Deum esse vnum; licet enim hæc sint efficacissima, hic tamen nobis deseruire non possunt, ex eo, quòd nondum probauerimus, Ens Increatū esse Deum, ac proinde neque Infinitum, immensum, &c. ex quibus posset deduci vnitas ipsius; quamuis, in quantùm Entitas à se, & Increata, trahat secum aliquam infinitatem, vel aliud attributum simile, & ita possit nobis ad dictam vnitatem Entis Increati, quæ illud, Deum esse probet, demonstrandam, deseruire. His ergo suppositis.

Dicendum, Ens increatum, omninòque improductum, esse verè, & propriè Deum. Hæc Concl. non aliter pro nùnc probari potest, quam ostendendo, hoc Ens Increatum esse vnicam omnium entium Causam efficientem. Ad hoc autem ostendendum

Ratio prima occurrit ex ipsa pulchritudine, & ordine Vniuersi; quam rationem insinuant plures ex SS. Patribus: Lactantius lib. 1. de falsa Religione cap. 2. sic inquiens: *Nemo est tàm rudis, tàm feris moribus, qui oculos suos in cælum tollens, tametsi nesciat, cuius Dei prouidentia regatur hoc omne, quod cernitur, aliquam tamen esse, non intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, & dispositione, constantia, vtilitate, pulchritudine, nec posset fieri id, quod mirabili ratione constat, consilio aliquo maiori instructus.*

D. Dyonisius Areopagita de Diu. nomin. cap. 7. postquam ostēdit, quonam modo ex creaturis cognoscatur Deus, sic concludit: *Et quidem ex omnibus, quæ dixi, ipsa est cognoscenda* (Diuina scilicet sapientia) *ipsa enim est omnium effectiua, semper omnia concordans, & indissolubilis omnium concordationis, & ordinis causa, & semper fines primorum coniungens principijs secundorum, & vnam omnium conspirationem, & harmoniam pulchrè operans*. S. Chrysostomus homil. 4. in Genes. circa medium. Damascenus lib. 1. de Fide cap. 1. Gregorius Magnus lib. 26. Moral. cap. 1. Tandem Ang. Doct. tum 1. p. q. 3. a. 3. C. ratione 5. Tum 1. cont. gent. cap. 13. vbi dictū caput his verbis claudit: *Impossibile est, aliqua contraria, & dissonantia in vnum ordinem concordare semper, vel plures, nisi alicuius gubernatione, qua omnibus, & singulis tribuitur, vt ad certum finem tendant*. Sed in Mundo videmus res diuersarum rationum in vnum ordinem concordare, nō vt raró, & à casu, sed vt semper, vel vt in maiori parte. Oportet ergo esse aliquid, cuius prouidentia Mundus gubernetur, & hoc dicimus Deum. Hæc ratio, quæ hoc ipso efficacissima est, quòd ea grauissimi, antiquissimique Ecclesiæ DD. & PP. vsi sint, potest ad probandam nostram Conclusionem in tali forma disponi.

Ens, quod est vnica, & adæquata Causa efficiens omnium entiū, est Deus. Sed ens increatum, omninòque improductum, (quod in

quæst,

quæst. præcedenti dari ostẽdimus) est vnica, & adæquata causa omnium entium. Ergo est Deus. Maior patet ex suppositionibus; quia eo ipso, quòd sit Causa efficiens omnium entium, debet esse ens perfectissimum, quo perfectius excogitari non possit: quia talis Causa debet esse æquiuoca, vtpotè productiua effectuum diuersorum generum, & specierum, quæ in tota latitudine omnium entiũ inueniuntur; & ita, ex quo æquiuoca, debet esse perfectior suo effectu, vt nost. Complut. in Phys. disput. 8. Quæst. 3. §. 2. docent; ex quo verò, omnium entium quocumque ente perfectior, proindè omnium perfectissimum ens, & quo perfectius excogitari nequeat, sed ens, quo perfectius excogitari nequit, est Deus, vt in suppositionibus dictum est. Ergo ens, quod est vnicum, & adæquatum omnium efficiens est Deus. Minor verò, antequàm probetur, explicatur. In ea enim nolumus dicere, illud Ens Increatum ita esse vnicam Causam omnium entium, quòd nullum ens causetur ab alio ente: (Hoc enim falsum est; nàm & homo generat hominem, & leo leonem, &c.) sed ita, quòd omnia entia pendeant ab ipso, tanquàm à mouente cætera ad causandum, & tãquàm à producente ipsam rationem entis in singulis; & originaliter res causante, à quibus aliæ sunt causatæ; Hæc autem minor, quia bimembris est, duo habet, quæ probatione indigent: primò enim probandum est, omnia entia esse producta, in sensu explicato, ab ente illo increato; deinde ab ipso solo, vt ita sit principium productiuum omnium; proindè Deus.

Quantum ad primam partem, hæc minor prob. ex dictis Arist. Aliqua sunt producta, & de facto producuntur. Sed non potuerunt produci à productis, ità quòd sẽper causa producta produceret, (quia non datur in causis per se subordinatis processus in infinitum, & si detur in subordinatis per accidens, hoc in tantùm verum est, in quantùm tota illa collectio causarum subordinatarum est à Causa improducta;) Ergo ab illo ente improducto sunt originaliter entia, tàm, quæ producta sunt, quàm, quæ producta producunt. Totus processus argumenti patet. Subsumo: Sed quidquid est in Mundo, est productũ, & quamuis vnum aliud producat, producit, vt productum. Ergo omnia entia sunt producta ab ente Increato, & improducto.

Subsumpta hæc minor fusiori discursu prob. In primis omnia mixta, generabilia, & corruptibilia producta sunt, vt ad sensum patet, cùm hoc quotidiana in illis experientia doceat. Sed

Dices, ea non esse producta secundùm totum, cùm Materia non producatur; eadem enim, saltim negatiuè, est sub forma seminis, embrionis, hominis, &c.

Contra est. Repugnat, Materiã esse improductam. Ergo &c. Anteced: ostenditur. Tùm quia, cùm forma sit nobilior materia, sicut & actus potentia, non poterit esse ita improducta, si illa est produ-

cta; improductum enim superat in perfectione id, quod productum est. Tùm etiam quia si materia improducta est, vel antecessit productionem omnium formarum? vel non, sed semper fuit sub aliqua forma? Primum est impossibile, aliàs esset actu sine actu: de quo videri possunt NN. Complut: in Phys: disp. 3. q. 6. Ergo dicēdum est, secundum. Quòd si fuerit semper sub aliqua forma, tunc sic arguo. Vel materia prima semper fuit sub aliqua forma, vt ab æterno aliam, & aliam per nouas generationes acquireret? Vel certe, ita quòd maneret ab æterno, vsque ad principium Mundi, sub vna forma, & inceptis generationibus, in tempore abiecerit eam, sub qua fuit per æternitatem, & nouas induerit? Vel tandem sic, vt eandem etiam retineat nùnc, cùm est sub diuersis formis, quam habuit ex æternitate? Hoc vltimum est impossibile, cùm plures formæ eandem numero materiam nequeant informare, vti docent NN. Complut: ex D. Tho: in Phys. disp. 4. q. 6. Similiter secundum in intelligibile est; nàm illa forma inamissibilis esset, quia per infinitum tempus imaginarium correspondens æternitati informaret, proinde semper inamissibiliter deberet informare; siquidem informans per tempus infinitum nescit finem suæ informationis. Accedit, quòd talis forma esset improducta, sicut & materia, ac proinde inamissibiliter informaret, cùm improductum corrumpi nequeat. Esset autem improducta, quia esse ipsius non esset communicatum ei ab aliquo Agente (quod requirit, ad productum esse) hoc verò ideò, quia esse ipsius esset esse materiæ, (cùm materia à forma accipiat esse) esse autèm materiæ nō esset communicatum ipsi ab aliquo Agente, aliàs iam esset producta; quod est contra suppositionem. Ergo neque esse prædictæ formæ esset communicatum ab Agente. Et propter hanc rationē, etiam primus modus, quo Materia poterat fingi esse ex se semper sub aliqua forma, est impossibilis, vt ex præcedenti patet. Relinquitur proindè, omnia corruptibilia, & mixta, etiam quantùm ad materiam, esse producta, non quidem, itaut quotiescunq; de nouo producitur compositum, etiam ipsa materia prima producatur, sed itaut semel, saltim in principio, supponatur producta.

Corpora autem simplicia, vti sunt Cæli, Elementa, esse producta, non ita facile ostenditur. Probatur tamen primò quantùm ad Elementa: quia hæc sunt generabilia, & corruptibilia in ordine ad cōstitutionem mixti. Ergo producta; omne siquidem corruptibile producibile est. Deinde Cælos productos esse, patet ex ipsa imperfectione ipsorum; sunt enim materiales; & inanimati. Si ergo homo viuēs, & rationalis, est productus, quātò magis Cæli homine imperfectiores; sed quia hæ rationes suas patiuntur difficultates, aliter assumptum probatur sic. Ens increatū, & improductum est

ens

Ens perfectissimum inter entia, estq; vnum, vt infrà patebit. Sed neque Cæli, neque Elementa sunt entia perfectissima, neque etiam sunt aliquid vnum, vt ex se patet. Ergò non sunt entia improducta. Tandem intelligentias productas esse ostenditur; Nam eo ipso, quòd plures sunt, non sunt improductæ. Ens quandoquidem improductum tantùm vnum esse infrà ostendetur; quamuis, præcisa fide, nõ sit ità certum, intelligentias, substantiasq; immateriales purè dari; nullus enim est effectus, ex quo euidenter illarum existentia probari possit; quòd enim ex motu Cælorum illas dari probauerit Aristot. ad hoc facile responderi possit. Cælos moueri ab intelligentia vnica, quæ est ens improductum; tamen Animã rationalem spiritualem esse, certiùs est: Hanc autem etiam productam, sic probatur. Anima rationalis si improducta esset, vel esset extrà corpus, vel in corpore ex æternitate. Primum dici nõ potest; quia cum hic status illi non sit connaturalis; est enim essentialiter forma corporis, non potuit illum ex se, & connaturaliter ab æterno habere. Ergo dicendum est, illam fuisse in corpore. Ergo illa anima existens in corpore ex se, & ab intrinseco erat homo, ac per consequens ille homo erat improductus; & ita erat, & non erat homo. Erat quidem, vt supponitur, Non erat autem, quia supponitur improductus; ac proinde à cæteris hominibus, qui sunt producti, non solùm specie, sed etiam genere distinctus, quod est inconueniens. Totum igitur vniuersum productum est ab alio Ente, quod est improductum; quia non poterat, nec quantùm ad suas partes, ab entibus productis, saltim originaliter fieri, ne daretur processus in infinitum in causis per se subordinatis, quòd est impossibile, vti supra probatũ est. Tandem.

Quantùm ad secundam partẽ principalis Minor. Scil. quod ens increatum est vnica causa omniũ entium, sic prob. primò Ens increatum non potest esse nisi vnũ, vt infra dicetur. Ergo cùm omnia entia, quæ facta sunt originaliter saltim debuerint esse ab ente increato, vt ex supra dictis patet, ipsũ ens increatũ erit vnica, & adæquata causa omnium entium. Secundo eadem pars Minoris prob. Nam ab eodem omnia reguntur, à quo sunt condita. Sed reguntur ab vno. Ergo & condita sunt ab vno. Sed illud vnum regens nequit esse aliud, nisi ens increatũ, cùm hoc solum tantùm sit vnum necessario. Ergo ens increatum erit vnica causa efficiens omnium entium. Subsumpta, cum sua Conseq: patet. Minor autem ostenditur ex ipsa consonantia, seù harmonia rerum, quæ in suis operationibus non deficiunt, qui ordo sine aliquo rectore, vno esse non posset; sicut sine vno Duce exercitum, sine vno Principe Rempublicam, impossibile est ordinatam esse; ita sine vno rectore, impossibile est, ordinem vniuersi consistere, quod, vt plurimum ex rebus

in-

Digitized by Google

insensibilibus inanimatisque cõstat. Quam rationem tetigit Aristot. hic lib. 11. Metah: concludẽs: *Entia volunt malè gubernari, non est bonum pluralitas Principum, vnus ergo Princeps.* Maior verò prob. Tum quia, qui res condidit est illarum naturaliter Rector, & Dominus. Tùm etiam, quia res despoticè; & cum imperio reguntur, cùm aliquando etiam contra propriam naturalem inclinationẽ ferantur, Autoris naturæ, & ipsius naturæ ordinem sequentes, vt patet in motu leuium deorsum, & grauium sursum ad supplendum vacuum. Ergo ab eo reguntur, qui habet authoritatem dispoticam supra illas. Sed nullus potest habere hanc authoritatem supra creaturas, nisi vel is, qui condidit eas, vtpotè, quem Dominum agnoscunt lege naturæ, vel is, cui dominium supra creaturas contulit illi, qui eas creauit. Ergo cũ ens illud increatum non possit habere dominium supra creaturas ab aliò sibi collatum, ex eo quod est primum supremumque ens aliud superius, à quo sibi dictum dominium conferatur non habens, reget illas ipse quia condidit. Tùm denique quia regere condita ab alio, est regere dependenter. Sed dependentia enti Increato, omninoque improducto, ac proinde omni ex parte independenti repugnat. Ergo ita omnia reget, quod omnia condiderit. Tetigit energiam huius rationis Eusebius Cæsariensis pulchroq; illam illustrauit Exemplo cùm dixit. *Sicut domus sine artifice, aut pannus sine texente fieri non potest, ita vniuersum hoc sine authore*, quasi diceret: quòd sicut in panno nisi vnus texeret, tanta connexio filorum sibi mutuo cohærentium non esset; & sicut nisi vnus esset architectus, qui domus partes aptè disponeret; proportio domus nõ emergeret, ita, nisi vnus ille conditor hunc orbem regeret, tanta rerum consonantia, tantusque in diuersis, sibique contrarijs successionibus, motibus, alterationibus, generationibus, corruptionibusque ordo nunquam esset. *Quo pacto* enim (inquit Philosophus lib. 1. Metaph. cap. 2.) *Ordo erit, non existente aliquo perpetuo, atq; permanente.* Addo ego, qui vnus omninò regat, pluralitas siquidem rectorum confusionem parit, non ordinem.

Hæc tamen ratio labefactari posset ostendendo subsistere posse optimè ordinem vniuersi, cùm pluralitate Rectorum; Fingamus enim, plures esse, & qui condiderunt, seù produxerunt, & qui regunt, sed ita plures, vt non sint voluntate dissentientes, sed ipsis idem velle, & nolle, tunc proculdubio ordo poterit optimè conseruari: quia vnus alterius regimen, per oppositam, aut dissonantem non impediet voluntatẽ Sed.

Contra est: Nam quæro quomodo in illis rectoribus erit idẽ velle? vel ita quod sit idem omninò, seù numericè in omnibus eandem, immultiplicatamq; naturam existentem in omnibus consequens? vel certè erit tantùm idẽ

mo-

moraliter, & per mutuam consensionem. Primus modus non tollit vnitatem entis increati quia de facto ita est vnum velle in omnibus SS. Trinitatis Personis, non naturis vel aliquibus rationibus absolutis, sed solis proprietatibus relatiuis, & personalibus ad inuicem distinctis. Secundus autem modus, sicut plures absolutè rectores, conditoresque orbis inducit, ita pugnat, cum omnipotenti effectione mundi, sapientissimoque eius regimine; si enim illi rectores, conditoresq; essent omnipotentes habentes virtutem insitam ad producendum orbem vniuersum, frustra fingerētur plures, Quandoquidem vnus habens infinitam virtutem est sufficiens ad condendum orbem. Ergo si plures sunt, nullius ipsorum per se, nec regere orbem posset; quod sic ostenditur. Non possent in primis condere, quia ad condendum mūdum requiritur virtus creatrix, quæ est infinita: cùm saltim, quoad aliquas partes hoc vniuersum fieri debeat per creationem. Atqui illi plures rectores hoc ipso, quòd plures, non haberent virtutem ifinitam, quia sicut entitas ipsorum, vtpotè plurificata, & per hoc limitata, non esset infinita, sic nec virtus in illa fundata, eamque consequens. Deinde non possent dicti plures rectores rectè gubernare. In tali enim casu gubernatio vniuersi non redoleret, sicut de facto redolet, sapientiam infinitam, multi enim defectus in gubernatione hac deberent contingere, propter duo: Primò quia illa agentia plura, quæ gubernarent orbem, haberent limitatam scientiam, sicut & potentiam. Ergo multa ignorarent, & præsertim futura, ac per consequens non possent habere talem prouidentiam, qualem sapientissima orbis gubernatio exigit: Secundo etiam si scirent, non tamen possent debitè rebus sibi subiectis succurrere; res enim vniuersi, ita inter se sunt connexæ, vt aliæ alijs indigeant ad sui conseruationem, & operationes sibi debitas. v. g. mixta egent elementis, pisces aqua, animalia terra, & aere &c. Iam autem si plures essent rectores, cōditoresque vniuersi, vnus necessario condidisset cælos, alius elementa, alius mixta &c. Ergo Rector, & Conditor v. g. mixtorum necessariò deberet implorare opē authoris, conditorisque elementorum, ne v. g. aquæ ad naturalem redeundo locum, terram obruerent; similiter Rector, & Conditor terræ emendicaret opem conditoris, & rectoris Metheororum, vt scil. imbres, niues &c. pro temporum opportunitatē impertiretur terræ, quæ eius fructibus non obessent, quod si contingeret, rectores hos nolle annuere, quod peteretur quis ordo, quod regimen vniuersi esset?

Sed haberent, inquis, concordes voluntates, ideoq; vnus alteri semper præsto esset. Contra est quia illi rectores orbis, quos fingis, non haberent, ex necessitate naturæ conformes voluntates, quia hoc cum voluntatis libertate pugnat. Ergò tantùm libere in mutuo cōsen-

ſenſu conuenirent, Ergo ita quod poſſint diſſentire, ſi noluerint; liberi enim ſunt, & mutabiles, per cōſequens poterunt diſſentire aliquando ab ijs cum quibus conſentiebant.

Confirmatur, & explicatur tota ratio, hucuſq; adducta, ſimulq; oſtenditur vnitas Rectoris, & Creatoris huius vniuerſi. Nam ſi duo eſſent rerum principia, quæro, quomodo diſtinguerentur? ſi dicas per differentias conſtitutiuas, & diuiſiuas.

Contra eſt quia ens improductum non poteſt eſſe in aliquo genere, neque cōponi ex genere, & differentia, vt infra eſt, nec componitur, ex eſſentia, & eſſe; quia eius eſſentia eſt *Eſſe*, vt ſupra dictum eſt. Ergo eſt omninò ſimplex, ita quod omni compoſitione careat; compoſitio enim, ex eſſentia, & eſſe, eſt prima in rebus, ac per conſequens, quod illa caret, eſt omninò ſimplex nullam compoſitionem admittens. Dicendum eſt ergo quod vt ſi dantur duo principia diſtincta, ita inter ſe differunt, nullo modo conueniant. Ergo nullum prędicatum conueniens vni, conueniet alteri, alias in illis prædicatis conuenirent. Cùm ergo ens noſtrum improductum ſit eſſentialiter ens, proinde eſsētialiter bonum, quod rationem entis ſemper conſequitur, illud ens diſtinctum abeo, neq; erit ens, neq; bonum, nec ex conſequenti Cauſa rerum; quia quod nihil eſt cauſare alia non poteſt.

Reſpondetur ad Argumenta in Contrarium.

PRimum Arg. Per hoc, quod ens increatum ſit omninò improductum, non tollitur ab eo omnimoda dependentia. Ergo ens increatum non eſt Deus. Cōſeq. patet, quia debet eſſe ens omninò independens. Ergo ſi ab ente increato non tollitur omnimoda dependentia, nō erit Deus. Anteced: autem primum ſic oſtēditur independentia in genere cauſæ, quod ſit dependens à ſuperiori omninò primo genere cauſarum, non tollit omnimodam dependentiam. Sed quod ens increatum ſit omninò improductū, ex hoc arguitur tantùm independentia ipſius in genere cauſæ dependentis à ſuperiori genere cauſarum. Ergo per hoc &c. Maior patet, cùm genus cauſæ dependētis, non tollat omnem dependentiam. Minor autem prob. ex hoc, quod ens Increatum ſit improductum, arguitur ipſius independētia in genere cauſæ efficientis. Sed genus cauſæ efficiētis eſt dependens à genere cauſæ finalis, quod eſt mouens, efficientem immotum, vt docent Philoſophi. Ergò quod ens increatum &c.

Reſp. negando anteced. & ad probat. eius neganda eſt minor. Deinde ad probationem diſtinguenda eſt minor. Genus cauſæ efficientis eſt dependens à genere cauſæ finalis, in eo, in quo limitato modo inuenitur: Conced: in eo, in quo illimitato modo reperitur. Neg.

Ex

Explicatur solutio. Dependentia importat distinctionem dependentis ab eo, à quo est dependentia, nihil enim à seipso dependet, sicut non potest idem seipso, secundum idem, esse prius, & non esse prius: Ens autem, quod in genere causæ efficientis habet illimitationem, & ita infinitatem, non admittit distinctionem, præsertim realem, à causa finali; quia efficiens per actualitatem constituitur in ratione talis, & ita illimitatum, & infinitum ens in ratione actualitatis, ac per consequens perfectionis consequentis ipsam actualitatem, pertingit sine distinctione reali ad rationem bonitatis; cùm hæc necessariò cõsequatur perfectionem, & in tantùm vnumquodq; est bonum, inquantùm est perfectum, vt docet D.Tho.1.p.q.5.a.1. ratio autem bonitatis, & finis coincidunt, vt idem S. Doctor docet. Ens igitur non admittens limitationem vllam in genere causæ efficientis, non admittet distinctionem sui, præsertim realem, à fine, seù causa finali; ac proinde nec depẽdentiam ab eadem, quæ sine tali distinctione stare non potest; & ita quando genus causæ efficientis in ente aliquo infinito, & illimitato modo inuenitur, non habet realem dependentiam, etiam à causa finali, quia verò in ente Increato genus Causæ efficientis inuenitur illimitato modo; cùm actualitas ipsius, supra quam fundatur ratio efficientiæ, sit summa, & illimitata, scil. ipsum esse irreceptum, vt supra insinuatum est; consequens est, quòd in ipso genus causæ efficientis nullam realem habeat dependentiam.

Secundum argum: Deus debet esse vnus, vt ex suppositis liquet, & magis patebit in sequẽti quæst. Sed ens increatum, & improductum non est vnum, ergo &c. Maior, patet. Minor prob. essentiæ rerum, secundùm se sumptæ, sunt entia increata, & improducta. Ergo ens improductum non est vnũ, sed plura. Conseq. liquet. Antec. prob. ad essentias rerum, secundùm se sumptas, productio non potest terminari, cùm hæc terminetur ad existens, & singulare: essentiæ verò secundùm se, sicut à singularitate, sic & ab existentia præscindunt. Ergo essentiæ rerum, secundùm se erunt improducta entia; improducta quidem ex eo, quòd productio ad illas nequeat terminari; cùm essentiæ reales, secundùm se, non sint nihil, & ita erunt entia; inter nihil siquidem, seù non ens, & ens, non datur medium.

Resp. negando minorem: ad prob. disting. anteced. essentiæ rerum, secundum se, sunt entia increata &c. entia in potentia: Concedo: Entia in actu: Nego. Deinde neganda est conseq: quia in præsenti non loquimur de ente increato, & improducto, nisi de illo, quod actu simpliciter, & absolutè sit tale: non autẽ de eo, quod est ens tantum in potentia, & secundum quid, qualis est essentia præscindens ab esse; cùm ens actu, & simpliciter improductum sit tantùm vnum; consequens est,

quod, absolutè loquendo, ens increarum sit tantùm vnum.

Tertium argum. Datur aliquod ens, quod est increatum, & improductum, & tamen nō est Deus. Ergo ens increatum non erit Deus. Anteced. prob. Potentia peccandi est ens increatum, & improductum. Sed potentia peccandi non est Deus. Ergo datur &c. Minor patet; quia Deus est ens necessarium, & indefectibile: potentia autem peccandi est defectibilis, vt ex se patet: Maior: verò prob. In primis, quòd sit ens, patet ex eo, quòd sit productiua entis, scil. peccati commissionis, quod cùm sit quid positiuum, in sententia probabili Thomistarum, erit ens: Deinde, quòd sit increata, & improducta, sic ostenditur; quia si est creata, vel esset creata à Deo, vel à creatura. Non à Deo; nam *D*eus causans ipsam per creationem, esset causa effectus ipsius in genere causæ efficientis, seù peccati (quod est blasphemum, vel cogitare,) quod enim est causa causæ in aliquo genere, est causa causati in eodem genere. Non etiam à creatura. Tùm quia hæc creare non potest, vt infrà ostendetur. Tùm quia in omni creatura rationali potentia peccandi inuenitur, vel ergo deberet procedi in infinitum, quod non debet admitti iuxta superiùs dicta, vel esset deueniendum ad primam aliquam creaturam, in qua potentia peccandi non posset produci ab alia priori creatura; & cùm ab illa creatura, in qua est, non possit produci, quia non est distincta ab eius entitate realiter; nil autem seipsum potest producere; consequens est, quòd à nulla creatura produci, aut creari possit; cumque ex alia parte, nec à Deo sit creabilis, sequitur, quòd sit omninò improducta, & increata.

Resp. hanc obiectionem grauem tangere difficultatem de potentia peccandi, quidnam sit, vel in quo consistat, de quo videri possunt N. Salmatic: Tom: 4. Disput: 12. dub. 2. ad quorum doctrinam conformiter dicendum est, Potentiam peccandi de materiali tantùm esse ens: de formali autem importare quidem aliquid positiuum, sed non secundùm conceptum, aut expressionē entis, sed vt importat munus quoddam continendi malitiam, & deformitatem, & secundùm huiusmodi expressionem non dicit esse creatum, vel productum; bene tamen secundùm aliam rationem secum realiter identificatam, quæ est ratio entis participati.

Explicatur solutio. In potentia peccandi duo distinguere possumus realiter identificata, rationem scil. liberi arbitrij flexibilis defectibiliter, sicut ad malum, sic & ad bonum: istud autem liberum arbitrium, cùm sit potentia realis, imò & proprietas animæ, est quoddam ens, non quidē increatum, (aliàs non esset proprietas animæ) proinde est ens creatum, & participatum. *D*einde possumus attendere in hoc eodē libero arbitrio defectibili, rationem

nem continentiæ, respectu malitiæ peccati, & fundamenti eiusdē formaliter sumpti, quæ ratio non est nihil, quia fundamentum malitiæ est aliquid positiuum in actu peccaminoso, secundùm omnium sententiam, & ita causa ipsius cōtinens illud debet esse quid positiuum; cùm effectus positiuus nequeat contineri in nihilo, tanquā in causa: Est ergo illa ratio præcontinentiæ, respectu malitiæ, in libero arbitrio defectibili aliquid positiuum, sed non secundùm cōceptum, & expressionem entis; quia hic conceptus est per ordinem ad esse actualitatem, & consequenter perfectionem; iam verò conceptus continendi malitiam est per ordinem ad aliquid deficiens, & cadens à plenitudine essendi, quæ in actu morali reperiri posset, vti docet Angelic: Doctor in 1. secundæ, quia est per ordinē ad malitiam, eiusque fundamentum, quæ secundùm quod talia, deficientiam important ab *esse*. Igitur si potentia peccandi sumatur de materiali, est *ens*, sed creatum, & participatum: si de formali, etsi sit aliquis modus positiuus, non tamen formalissime est ens; ac proinde, quamuis secundùm formalissimum conceptum potentiæ peccandi non esset quid productum, aut creatum; non tamen inde sequeretur dari aliquod ens increatum, aut productum, quod non sit Deus.

His adde, dari aliquid prius potentia peccandij, etiam formaliter sumpta, à quo ipsa necessariò dependeat, idque imperfectissimum, imò negatio omnis perfectionis; quæ quidem dependentia est impossibilis cum ratione entis omninò increati, & improducti, quod debet esse quid perfectissimum, & omninò independens, prout ostensum est: Istud autem, à quo dependent originaliter potentia peccandi, formaliter sumpta, est nihilum, seù capacitas manendi sub nihilo, quæ est fons omnis imperfectionis; nam ideò communiter, & D. Thomas, & alij DD. docent, Deum non habere potentiam peccandi; quia est suum *esse*, & non potest non esse. Ergo &c. è contra ratio à priori in creatura potentiæ peccandi erit; quia cùm non sit suum esse, potest non esse, & ita manere sub nihilo.

Obijcies vltimò contrà primam Conclusionem, estq; illa ipsa Obiectio, quam adduxit Hieremias Propheta Cap. 12. cùm inquit. *Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum: verum tamen iusta loquar ad te. Quare via peccatorum prosperatur, bene est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt.* Formatur enim tale contra existentiam Dei argumētum. Si Deus esset, vtiquè iustus esset. Ergo redderet vnicuiq; secundùm opera sua; ac proinde impios plecteret: bonos autem foueret, his præmia, & cōsolationes dando, in illos pœnas & tribulationes permittendo. Cum tamen omnia contraria in mundo videamus esse; Nam videmus Herodem in Palatio, Ioannem in vinculis, & communiter lætari impios, tribu-

lari iustos. Ergo non est Deus, qui sit rector vniuersalis omnium rerum; si enim esset, iustus esse deberet.

Ad hanc Obiectionem multæ possunt adduci solutiones; sufficiet tamen illa, quam assignat S. Chrisostomus Homil.3. de Lazaro, cuius verba, quia pulcherrima, consolationisque plena sunt, per expressum adduco, vbi ponderās illa verba: *Fili recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala*, „ sic habet. Hæc vox, *recipisti*, de- „ biti cuiusdam significationem „ habet, & quod recipit aliquis, „ quod debebatur; proinde si di- „ ues iste scelestus, & scelerosus, „ & inhumanus fuit, quamobrem „ non dicit illi cepisti, sed *recipisti* „ bona tua, quasi iure illi compe- „ tierint, qualiq; deberentur? quid „ igitur? videlicet: Hinc disci- „ mus, quòd etiamsi, qui sint sce- „ lerosi, ad extremam impro- „ bitatis lineam deuecti; tamen „ frequenter vnum aliquod duo- „ ue, aut tria benè facta sunt ope- „ rati: quod autem hæc non lo- „ quor è coniecturis, hinc perspi- „ cuum est. Quid enim fuit illo „ iniquitatis iudice sceleratiùs? „ quid inhumaniùs? quid magis „ impium? is neque Deum me- „ tuebat, neque homines reuere- „ batur; attamen cùm tàm impro- „ bis esset moribus, fecit boni „ quiddam miseratus viduam, ip- „ si sine fine negotium facessen- „ tem, annuens postulanti offi- „ cium, præstansq; quid patieba- „ tur, cohibitis illis, qui eam effi- „ ciebant iniuriam; Ita frequenter accidit, vt aliquis vitæ sit in- „ temperantis; & tamen idem sit „ misericors; aut quis sit inhu- „ manus, pudicus tamen. Quod „ si intemperans fuerit, & idem „ crudelis, tamen vnum aliquod „ aliud bonum opus fecit in vi- „ ta. Rursus hoc idem arbitran- „ dum est de bonis. Quemadmo- „ modum enim, qui pessimi sunt „ faciunt frequenter boni quid- „ dam, sic & boni, virtuteq; præ- „ diti sæpenumerò peccant. Quis „ enim inquit gloriabitur, se ca- „ stum habere cor? aut quis con- „ fidet, se purum esse à peccato? „ quam igitur verisimile est, diui- „ tem illum, licet ad extremum „ malitiæ prouectum, aliquid fe- „ cisse boni: contra Lazarum ta- „ metsi summam virtutem præ- „ stitisse; aliquid tamen leue deli- „ quisse. Vide quomodo decla- „ mauit vtrumq; Patriarcha, di- „ cens: Recepisti bona tua, & „ Lazarus, &c. tu, inquit, etiamsi „ quid boni fecisti, si qua merces „ tibi debebatur, hæc omnia in il- „ lo mūdo recepisti, delitijs fruēs, „ diuitijs affluēs, rebus prosperis „ vtens, multoque rerum successu „ gaudens. Et hic, si quid mali fe- „ cit; omnia recepit cum fame, „ inopia, extremis malis affige- „ retur. Itaque vterq; vestrum nu- „ dus huc peruenit, ille peccatis, „ tu iustitia: quamobrem, & hic „ ille merùm habet solatium: tu „ inconsumabilem sustinens cru- „ ciatū. Etenim cùm exigua sint, „ leuiaque benefacta nobis, in- „ gens autem, & immensum pec- „ catorum onus: deinde hic pro- „

„ spe-

„ ſperitate fruimur, neque quicquam patimur acerbi, prorſus „ nudi, deſtituitque benefactorũ „ premijs hinc diſcedimus, vt illic reciperemus omnia. Rurſus „ cùm multa, magnaque fuerint „ nobis benefacta, ſed exigua, „ paucaq; delicta,& poſt hæc patimur aliquid acerbi: hic depoſitis leuioribus illis delictis, puram illic, & perfectam bonorũ „ operum remunerationem accipimus. Vbi quẽ,etſi videris improbam agentem vitam, nec „ quicquam acerbi hic patiẽtem, „ ne putes illum beatum, ſed „ defle potius, ac deplora, velut „ illic omnia triſtia perpeſſurum, „ quemadmodum diues ille fecit. „ Rurſus vbi quem videris virtutis ſtudioſum, & eundem innumeris affligi moleſtijs, beatum „ exiſtima, felicem iudica,vt qui, „ & hic omnia peccata ſua diluerit,& illic multam habeat paratam mercedem,quemadmodum „ huic euenit Lazaro. Hucuſque „ S.Chryſoſtomus. Vbi, vt vides rem pulchrè explicante S. Chryſoſtomo; Deum in hoc maximè oſtendere ſuam miſericordiam,& iuſtitiam, quòd reprobos hic non caſtigat, quia ſcil. illos caſtigandos in æternitate ſeruat, prout illorum ſcelera merẽtur; hic autem pro exiguis meritis temporalem illis concedit proſperitatem, è contrà verò parua iuſtorum delicta hic tribulatione plectit, eorũ iuſtitiam æternam gloriam coronaturus. Sed

Contra hanc reſponſionem,poteſt fieri inſtãtia talis: Benè enim curreret hic S.Patris diſcurſus, ſi ſemper hi, qui hic in proſperitate, diuitijſque, voluptatibus &c. vitam ducunt,ſemper damnarentur,& è contra ij, qui hìc ſunt tribulati,pauperes, afflicti, contempti, ordinariè ſaluarentur, nam tunc appareret ad oculum iuſtitia Dei, reddentis vnicuique iuxta opera ſua, illis quidem pro magnis demeritis, & paruis meritis, temporalia bona, & æterna tormenta,his autem pro exiguis imperfectionibus, & heroicis virtutibus,preſentes tribulationes,immortales autem honores,ſed ſępè videmus aliter euenire: nam plures diuites Domini, Reges, Principes, quibus nihil ad apicem terrenæ proſperitatis defuit, ſaluantur; Pauperes autem afflicti, tribulati, qui nihil boni in mundo ſunt experti, nullamque vel primis, vt aiunt, labijs guſtarunt felicitatem, damnantur. Ergo iuſtus non eſt, qui aliquos,& hic,& alibi affligit, alios verò in vtroq; ſæculo facit in bonis ducere dies.

Accedit,& eſt Confirmatio huius obiectionis, quod patet ex pluribus exemplis,multi innocentiſſimam agentes vitam propter vnum peccatum læthale damnantur, alij autem, poſt ſcelaratiſſimam vitam ad vltimum ſaluantur.

Reſp. ad hanc inſtantiam primò cum S. Chryſoſtomo, vbi ſupra etiam ſtante, hoc, quod in ea adducitur; Deum ſummè iuſtum, miſericordemque eſſe, quia ſcil. etſi

Digitized by Google

etsi quandoque nobis videatur, quòd aliquis ex temporali consolatione, ad æternam transeat, tamen fallimur in hoc; nullus enim sine cruce, & afflictione tenuit paradisum. Quod S. Doctor in hunc „ modum deducit. Quid igitur „ non est quisquam, inquies, qui, „ & hic, & illic requie fruatur? „ Istud impossibile est; ò homo, „ atque ex eorum numero, qui „ frustra speras, fieri non potest, „ non potest fieri, inquam, vt qui „ hic in socordia, securitateque „ vixerit, qui in delitijs omnibus, „ assiduè dies consumpserit, qui „ temerè neglectèque transegerit „ ætatem, illic honorem conse„ quatur, Nam etsi paupertas non „ sit molesta, cupiditas tamen „ molesta est, atque huic obno„ xius est, nec hinc mediocris la„ bor: Quod si morbus non infe„ stat, sed inflammat ira, ne is qui„ dem mediocris dolor vincere „ iracundiam; etsi afflictiones nō „ irruperint, tamen cogitationes „ malæ indesinenter insurgunt; „ Non est autem vulgaris negotij refrenare cupiditatem, cohi„ bere iram, inanis gloriæ coer„ cere fastum, à delitijs tempera„ re, in aspera degere disciplina, „ nam qui illa non fecerit, fieri nō „ potest, vt nunquam saluus fiat. „ Hucusque idem. Quilibet ergo S. Chrisostomo teste, post afflictionem consequitur gloriam: quia, vel ab alio affligitur, vel à seipso, cùm motus in se inordinatos comprimit.

Vel secūdò responderi posset, in hoc elucere altitudinem sapientiæ, & scientiæ Dei, qui iuxta testimonium Apostoli Rom. 9. *Cuius uult miseretur, & quem uult, indurat.* In quo iustissimus est, teste Augustino cap. 28. soliloq. vbi cum Deo loquens, hoc dicit: *Mūdas autē de nobis filijs hominū eos, in quibus tibi complacuit habitare, quos ab inaccessibilibus profundis secretis iudiciorum incomprehensibilium sapientiæ tuæ semper iustorum, licet occultorum, sine eorum meritis prædestinasti ante mundum, uocasti de mundo, iustificasti in mūdo, & magnificas eos post mundum: non omnibus autem hoc facis, quòd admirantur tabescentes, omnes sapientes terræ. Et ego Domine, hoc considerans, expauesco, & obstupesco de altitudine diuitiarum sapientiæ, & scientiæ tuæ, ad quam ego non pertingo, & incomprehensibilia iudicia iustitiæ tuæ; quoniam ex eodem luto, alia quidem uasa facis in honorem, alia uero in contumeliam sempiternam. Quos igitur tibi elegisti de multis in templum sanctum tuum, ipsos mundas, effundens super eos aquam mundam, quorum nomina, numerumque tu nosti, qui solus numeras multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina uocas, qui etiam scripti sunt in libro uitę, qui nequaquam perire possunt, quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata: cùm enim cadunt, non colliduntur, quia tu supponis manū tuam, custodiens omnia ossa eorum, ut unum ex eis non conteratur. Attamen mors peccatorum pessima, illorum, inquam, quos, antequam faceres*

ceres


Digitized by Google

ceres Cœlum, & terram, secundùm abyssum multam iudiciorum tuorũ occultorum, semper autem iustorũ, præsciuisti, ad mortem æternam quorum dinumeratio nominum, & meritorum prauorum apud te est, qui numerum arenæ maris dinumerasti, & dimensus es profundum abyssi, quos reliquisti in immunditijs suis, quibus omnia cooperantur in malum, & ipsa etiam oratio vertitur in peccatum, ut si etiam usque ad Cælos ascenderint, & caput eorum nubes tetigerit, & inter sydera Cæli collocauerint nidum suum, quasi sterquilinium in fine perdantur. Magna sunt hæc iudicia tua Domine Deus, iudex iuste, & fortis, qui iudicas æquitatem & inscrutabilia facis, & profundum: quæ cùm considero contremiscunt omnia ossa mea, &c. Huculq; Aug. Quod ergo plures pauperes, & afflicti damnentur, alij autem diuites, bonis sæculi fruentes, saluentur, procedit ex altitudine iudiciorũ Dei semper iustorum, licet occultorum, vt inquit Augustinus. Hæc autem iudicia iusta esse, multis posset deduci, sed quia hoc Theologicum est, pro nunc relinquitur: hoc tantùm innuo, quod cum gratia, & gloria sint beneficia indebita, etsi Deus aliquibus eadet, alijs autem non det, nullo respectu ad eorum merita, vel demerita habito, iniustus non est, quasi qui beneficium indebitum alicui donat, facit illi misericordiam, illi autem, cui illud denegat, nullam facit iniuriam. Sed hoc fusiùs Theologi explicant: de quo potest videri Aluares, de auxilijs Diuinę gratiæ, & nostri Salmatic. in Tract. de Prædestin. & reprob. tom. 1. Eademque solutio potest applicari illi, quod in argumento additur, vt consideranti patebit.

QVAESTIO III.

Vtrùm Ens increatum, formaliter quà tale, non possit esse, nisi vnum.

QVamuis alia sit quæstio de vnitate entis increati, & alia de vnitate Dei, quia, vt ex supra dictis constat, licet Ens increatum sit verè Deus, tamen non idem est cõceptus Dei, & Entis Increati, nihilominus, ne quæstiones sine necessitate multiplicentur, in hac ob connexionem materiæ de vtriusque vnitate, Dei scil. & entis Increati, quid sentiendum sit, dicemus. Excitamus autem hanc quæstionem statim post præcedentem, quia, vt supra diximus, potissimum fundamentum ad ostendendum, Ens Increatum esse Deum, est ipsa vnitas Entis Increati, de qua quidem in præced: quæst. aliquid innuimus, eam verò in hac speciali quæst. propter plures emergentes difficultates fusiùs prosequemur.



Digitized by Google

§. I. *Ostenditur, Ens Increatum, formaliter, quà tale, non posse esse, nisi vnum, & prima Demonstratio ad id probandum adducitur.*

Dicendum est ergo primò, Ens increatum, formaliter, qua tale, non posse esse, nisi vnum. Dixi notanter, Ens Increatum, formaliter quà tale, quia in hoc §. nolo probare vnitatem Entis Increati ex eius infinitate, vel alijs attributis, quæ nonnisi vni competere possunt, hoc enim infra ostendetur, estq; talis prima Demonstratio desumpta ex S.Thom. primò contra Gent. cap. 15. Impossibile est, aliquid conuenire duobus per se, & primò, seu, quod idem est, per modum vniuersalis posterioristici. Sed si darētur plura Entia Increata, omninòque improducta, competeret illis aliquod prædicatum primò, & per se. Ergo &c. Maior patet ex ijs, quæ docent Logici in Lib. Poster. Nam vt explicant nost. Complut. in Logica disput. 18. quæst. 2. Prædicatum vniuersale, seù per se primò competēs, competit subiecto conuertibiliter, & ex consequenti alteri ab ipso competere nequit, aliàs non conuerteretur cum ipso, quia latiùs pateret, quam illud, v. g. si aliquod prædicatum competit vni alicui per se primò, non potest hoc modo alteri conuenire. Minor autem prob. Illud alicui competit per se, & primò, quod non competit illi per aliud, neque per accidens, vt ex istorum terminorum acceptione apud Logicos constat. Sed Enti Increato non competit esse ab alio, seù per aliud, tanquam per causam, quia increatum est. Ergo indepēdens in essendo; immò neque per aliud, tanquam per rationem formalem, quia *esse* est de essentia Entis increati. Neque per accidens, quia esse est de intrinseco conceptu Entis à se. Ergo esse competit Enti increato per se, & primò. Ergo cùm nullum prædicatum possit competere duobus, vel pluribus, per se, & primò plura Entia increata *esse* nullo modo possunt.

Confirmatur, quia prædicatum conueniens alicui per se primò, conuenit illi adæquatè, sicut risibilitas homini, & triangulo habere tres angulos. Sed si conueniret duobus, nulli illorum conueniret adæquatè, quia quodlibet illorum excederet, cùm non solùm ipsi, sed etiam alteri conueniret. Ergo &c.

Hanc rationem vnà cum suis Confirmationibus etsi Franciscus Suarez fateatur esse ex S. Thom. desumptam, tamen improbat, dicitque, illam, vel petere principium, vel non conuincere intentum, nititurque hoc tali discursu ostendere. Nàm quando in argumento dicitur, illud, quod conuenit per se primò, non posse sic competere duobus; & deindè in minori subsumitur, *esse* competere Enti increato per se primò; Vel Ly *primò* accipitur ne-

gatiuè, proùt scil. importat exclusionem alicuius prioris? Vel positiuè negans non tantùm prius, sed etiam æquè primum, & dicit, prædicatum huic, conuenire prius, quàm omni alteri, itaùt nulli æquè primò. Si primo modo ly *primò* sumatur, non est ad propositum, quia etsi concedamus, non dari aliquod ens priùs ente Increato, cui priùs, quam isti, cõpetat esse, adhuc non conuincitur, non esse plura entia increata; ad hanc enim pluralitatem sufficit, dari alia entia, non priora, sed æquè prima. Si autem sumatur posteriori modo, est manifesta petitio principij; hoc enim est in quæst. An detur aliud ens independens ab ente increato, cui æquè primò, ac ipsi, competat esse? Non ergo hæc ratio videtur ex hoc capite posse subsistere.

Secundò ex eiusdem Suarij doctrina posset eneruari efficacia dictæ rationis; quia in ea videtur supponi, idem esse prædicatum *primo, & per se* competens cum vniuersali posterioristico; hoc enim videtur esse falsum: Nam Arist. lib. 4. poster. cap. 4. explicans vniuersale posterioristicũ, dicit: *Vniuersaliter autem id competere dico, quod utique dicitur de omni, per se, & secundum quòd ipsum.* Vbi Philosoph: aliud longè requirit ad rationẽ vniuersalis posterioristici, quàm per illos terminos *primò, & per se* significatur. *Primò* enim, & *per se* saluantur in prædicato, non *per accidens*, nec *per aliud* subiecto competente; in quo ratio vniuersalis posterioristici non saluatur, quia, vltrà hoc, dicit, tùm conuertibilitatem, quia debet competere omni, tùm competentiam secundùm quòd ipsũ, vt ex verbis Philosophi patet, &c. Sed hæc vim rationis nostræ non eneruant.

Resp. enim ad primam instantiam contra nostram, seù potiùs Angel: Doct: rationem, factam à Suario, in illo argumento ly *primò* sumi in prima acceptione, longè tamen aliter, quàm illud Suarez videtur accipere: pro cuius intelligentia.

Sciendum est, duobus modis posse aliquod prædicatum competere alicui priùs: primò modo competit priùs alicui, tanquàm causæ, sicut calor priùs competit igni, quàm cuilibet alteri calido, & *esse* priùs Deo, quàm cuilibet creaturæ. Secundo modo potest aliquid competere priùs alicui, non tanquàm causæ, sed tanquàm rationi formali, cui primò competit, & ratione ipsius omnibus cæteris; sicut v.g. risibile competit Petro, & homini, priùs tamen homini, quàm Petro, non quia homo causet risibilitatem in Petro, sed quia homo, seù natura humana, est ratio formalis, ac formale, & adæquatum subiectum, cui primò prædicatum risibilitatis cõpetit, cæteris verò, ratione illius, Petro, Paulo, & alijs. Hoc etiam modo, habere tres angulos competit primò triangulo, & per ipsum Isoscheli, non tanquam per causam effectiuam, sed tanquàm per rationem formalem participatam, quia enim Isosch: les participat

rationem trianguli, ideò etiam participat hoc, quod est, habere tres angulos. Franciscus ergo Suarez (quantùm ex eius dictis colligi potest), intellexit ly *priùs* secundùm causalitatem, ideoque benè intulit, non esse ad propositum illud argumentum, quo probatur, non dari plura entia increata, quia, scilicet *esse*, quod cõpetit primò, & per se enti increato, non potest competere duobus: benè inquam in hoc sensu intulit, quia si darentur duo, vel plura entia increata, vnum non haberet esse ab alio, quia vterq; esset incausatum, ideòq; *esse* vtrique per se, & primò, idest, nõ ab alio priori, tanquàm à causante, competeret. Cæterùm nos in secundo sensu accipimus, prout reuerà à rectè philosophantibus accipi debet: & dicimus, enti increato ita primò competere *esse*, vt nulli, nõ solùm tanquàm causæ, sed etiam tanquam rationi formali, priùs competat. Sic autem hoc esse accipiendum.

Probatur. Quod ita est suum esse, vt non componatur ex esse, & habente esse, neque ex aliqua ratione superiori, & inferiori, illi ita primò competit *esse*, vt nulli rationi priùs competat. Sed ens increatum, formaliter qua tale, ita est suum esse, vt non componatur ex esse, & habente esse, neque ex aliqua ratione superiore, & inferiore. Ergo &c. Maior patet; quia si illi *esse* competeret per aliam rationem formalem, non autem ex suo proprio, & peculiari conceptu, deberet in illo distingui ratio propria, & communis, & per consequens esse, & habens esse. Minor autem, & primò quidem quantùm ad primam partem, scilicet ens increatum non componi ex esse, & habente esse, probatur; quia vbi essentia est suum esse, ibi non est compositio ex esse, & habente esse, vt patet. Sed in ente increato essentia est suum esse, quia si esse entis increati esset distinctum ab essentia, esset *esse* causatum; nam, vtpotè argumentatur Angel. Doctor, quidquid est aliud ab *esse* debet causari, vel ex principijs essentiæ, quod existentiæ repugnat, quia nihil potest sibi esse causa essendi, vel ab extrinseca causa; vnde *esse* distinctũ ab essentia, causatum est, quod repugnat enti increato, quod, sicut est improductum, ita debet habere esse incausatum.

Quantùm verò ad secundam partem, scilicet. Ens increatum non posse componi ex ratione superiori, & inferiori prob. quia omne compositum habet causam; quæ enim secundùm se diuersa sunt, non conueniunt in aliquod vnum, nisi per aliquam causam adunantem ipsa, vt argumentatur in simili Angel. Doctor 1. p. q. 3. art. 7. c. Sed ens increatum nullam habet causam. Ergo nullam admittit compositionem, vt dici possit compositum ex ratione superiore, & inferiore.

Porrò, ly *primò* in hoc sensu accepto, (prout scilicet excludit prius, non solùm, tanquàm causã *à Qua*, sed etiam tanquam rationem formalem, *propter quam* cõpetat prædicatum subiecto) euidens est, non posse dari duo, vel plu-

plura entia increata: quod sequēti discursu euidenter ostendo, (supposito iam, prout nūnc probatum est, in tali sensu debere enti increato competere primò *esse*, vt scil: excludatur non solùm prius, tanquàm causa, sed etiam, tanquàm ratio formalis.) Nàm, quandò aliqua realiter distincta participant aliquod vnum prædicatum, debent conuenire in aliqua ratione communi, & superiori, quæ sit inconuertibilis cum singulis illorum, vtpotè vtrique æqualiter competens, cuique illud prædicatum primò cōueniat; ideò enim v.g. de homine, & Leone prædicatur sensibile, quia vterq; conuenit in ratione animalis, cui per primò sensus competit: & similiter ideò Angelus, & lapis participant prædicatum essendi per se, quia conueniunt in ratione substantiæ, cuius esse per se est proprium prædicatum. Si ergo duo entia increata participarent *esse*, tanquam vtrique primò competens, necessariò deberent conuenire in aliquo gradu superiori, cui priùs, quàm illis, dictum *esse* competeret. Ergo cùm illa entia increata non possent sic conuenire,) aliàs enim essent cōposita ex gradu inferiori, & superiori, seù ex ratione communi, & propria, quod enti increato, quatenùs tali, repugnat, vt ostensum est) non possunt participare *esse*, tanquàm primò sibi competens: & consequenter, *esse* enti increato debeat competere *primò*, non poterunt esse plura entia increata.

Explicatur magis hoc ipsum. Positis enim duobus entibus increatis realiter inter se diuersis, v.g. A, & B: quæro, an vtrique competat esse primò, an verò vni primò, alteri verò non? Si secundum dixeris; ergo vnum tantùm erit ens increatum, illud scilicet, cui esse primò competit, aliud verò, cui sic non competit, non erit Increatum, quia, vt iam toties dixi, de ratione entis increati est, quòd illi *esse* competat primò. Si autem admittas primum; iterùm quæro an illis esse competat *primò*, vt plura, & diuersa sunt? an autem, vt sunt vnum? in quantùm, scilicet, in aliqua ratione communi conueniunt. Primum dici non potest, quia vnum, idemque prædicatum non potest competere diuersis, quatenùs diuersa, sed quatenùs vnum, seu prout in vna ratione conueniunt, vt in mille exemplis patet, & communiter omnium Philosophorum consensus docet. Ergo secundum dicendum est, scil: illis entibus increatis competere esse *primò*, vt in aliqua ratione conuenientibus. Hoc autem est impossibile, vt entia increata conueniant in ratione communi, quia eo ipso essent composita ex illa ratione communi, proprijsq; suis rationibus: Compositio autem enti increato repugnat; quia, vt ex D. Thoma dixi, qùod compositum est, causatum, & productum de necessitate esse debet. Firma est itaque, quantùm ex hoc capite, ratio S. Thomæ.

Ad secundam instantiam respondendo, quòd etsi in verbis dif-

ferant prædicatum *per se primò* competens, & Prædicatum *uniuersale posterioristicum*; in re tamen sunt omninò idem: quod ex ipsa definitione dicti vniuersalis constare potest: Nam, vt supra dictũ est definitur ab Aristotele sic: *Vniuersaliter autem id competere dico, quod vtique dicitur de omni, per se, & secundùm quòd ipsum*: ex vi cuius definitionis, vt aduertunt nost. Complut: in Logica disp. 18. quæst. 2. §. 2. n. 21. tria requirũtur, & sufficiunt ad constituendũ Prædicatum vniuersale: primò, quod sit *de omni*, vt scil: nihil sit in subiecto, cui non competat prædicatum. Secundò, vt sit *de per se*. Tertiò tandem, quod conueniat subiecto, *secundùm quòd ipsum*, seù, vt tale est. Prædicatum ergo, in quo hæc omnia tria fuerint inuenta, vt, scilicet, sit de omni, de per se, & conueniat subiecto secundum quòd ipsum, erit vniuersale posterioristicum. Sed sic est, quòd prædicatum conueniens subiecto per se, & primò, habet hæc omnia. Ergo &c. Conseq. patet. Minor verò subsumpta prob. supponendo priùs ex Compluten: loco nuper citato, hæc duo, *de omni*, & *de per se*, habere inter se ordinem prioris, & posterioris; nàm *de omni* latiùs patet, quàm *de per se*, quia omne prædicatum *de per se* est *de omni*, non tamen è contra, vt patet de albo respectu niuis; nàm esse album cuilibet niui competit, & sic respectu illius est prædicatum *de omni*, non tamen est illius prædicatum essentiale, vel propria passio, & sic non est *de per se*, quia, vt ex Philosopho, (cuius doctrinam ibidem adducunt Complut.) constat, illud solùm competit per se posterioristicè, quod, vel est de essentia, vel propria passio subiecti. Quo supposito probatur, prædicatum, per se & primò conueniens subiecto habere illa omnia, quæ requiruntur ad rationem vniuersalis posterioristici. Nam in primis illud prædicatum est *de per se*, quia competit per se. Ergo erit etiam *de omni*, quia, vt diximus, omne prædicatum *de per se* est *de omni*. Ex alio autem capite, cùm illud prædicatum conueniat primò, debet conuenire subiecto, secundùm quòd ipsum, idest, secundùm propriam, & adæquatam subiecti rationem, atque adeò cõuertibiliter, quia si competeret illi secundùm aliquam rationem superiorem, & inconuertibilem cum ipso, non competeret primò, quia priùs illi rationi competeret: sicut risibile non primò competit Petro, quia priùs homini competit: Petro autem, non nisi ratione hominis. Quòd adeò verum est, vt Philosophus loco ex 1. Posterior: cit. cap. 5. enumerans errores, qui possunt circà prædicatum vniuersale occurrere, primũ, dixit, decipi circa prædicatum vniuersale, quando scil: aliqua species nõ habet, nisi vnum indiuiduum, deciperetur, qui crederet, passionem conuenientem speciei esse prædicatum vniuersale respectu indiuidui: quæ deceptio non aliundè oritur, nisi, quia indiuiduo illud prędicatum non competit primò,

cùm

Digitized by Google

tùm illi ratione speciei cōueniat; nàm conuenit illi canuertibiliter, & omni, & per se, vt patet, quia non est nisi vnicum: Sed quia non conuenit primò, non conuenit secundum quòd ipsum, & consequenter non est prædicatum vniuersale. Idem est ergo, conuenire aliquod prædicatum subiecto *primò*, & conuenire illi secundùm quòd ipsum, & consequenter idē erit prædicatum per se, & primò conueniens, ac vniuersale posterioristicum.

§.2. *Aliquæ aliæ Demonstrationes ad probandam Vnitatem Entis increati adducuntur.*

Probatur secundo Conclusio nostra ratione, quam innuit Ang. Doct. 1. con. Gent. cap. 42. in hunc modum expēsa. Ens increatum, omninoque improductum, est ens per se necessarium. Sed ens per se necessarium non potest esse, nisi vnum. Ergò &c. Maior, & consequ: patent. Minor verò prob. Ens per se necessarium habet necessitatem essendi, in quantùm est hoc singulare. Ergo impossibile est, Ens per se necessarium non esse vnum. Conseq. patet: quia singularitas rei non est communicabilis alteri; ideoque quod alicui conuenit formalitèr, vt singulari, non est multiplicabile: sicùt si esse hominem conueniret Petro, quatenùs singularis est, seu quatenus est hoc indiuiduum signatum, non posset alijs cōuenire à Petro. Anteced. autem prob. Tùm quia necessitas essendi enti necessariò competit secundùm esse. Ergo secundùm quòd est in actu, seu secundùm quòd existit. Ergo secundùm quòd est hoc singulare, quia nihil à parte rei existit, quod singulare non est. Tùm etiam, quia si Enti necessariò non competit essendi necessitas, secundùm quòd singulare; singularitas non competit illi necessariò. Ergo non ab intrinseco; quę enim ab intrinseco competunt, necessariò insunt. Ergo in ea dependebit ab aliquo extrinseco, quod implicat; quia dependētia enti omninò independenti, quale est ens increatum, omninòque improductum, prorsùs repugnat.

Confirmatur, magisque hęc eadem ratio explicatur. Ad hoc, vt aliqua natura sit multiplicabilis, necesse est, singularitatem non esse de conceptu quidditatiuo illius. Sed singularitas est de conceptu quidditatiuo entis increati, quà talis. Ergo ens increatum non est multiplicabile, ac per consequens non poterit esse, nisi vnū. Vtraque consequ: clara est: Præmissæ verò probantur: & primò Maior; quia Natura, de cuius conceptu est singularitas, est essentialiter singularis, & consequenter immultiplicabilis est, quia (singularitas multiplicationi repugnat, cùm vltimò naturam quamlibet contrahat, & determinet, vt communiter docent Philosophi. Deinde prob. minor. Esse

est

est de conceptu quidditatiuo Entis increati, (quia in hoc saluatur necessitas essendi, quam ex conceptu proprio affert ens increatū, quod ex vi suæ essentiæ habeat *esse*, ita quòd essentialiter sit suum esse.) Ergo etiàm singularitas est de eius essentia: quia *esse* includit singularitatem, cùm nihil existat, nisi singulare; ac proinde, de cuius conceptu quidditatiuo erit *esse*, etiàm ipsa singularitas ad eiusdem quidditatem spectabit.

Probatur tertiò Conclusio. Si darentur plura entia improducta, vel essent eiusdem speciei, vel diuersæ. Neutrum est dicendum. Ergò &c. Maior, & consequ. constant. Minor autem quantùm ad vtramque partem prob. & primò, illa plura entia non posse esse eiusdem speciei, sic ostenditur: quia plura, quæ specie conueniūt, solo numero differunt; res enim eiusdem speciei non plurificantur, nec distinguuntur, nisi penes numerum, sed entia increata non possunt distingui solo numero: tùm, quia natura entis increati est essentialiter singularis, proindeque numericè multiplicari nequit, quia Natura essentialiter singularis est omninò immultiplicabilis: tùm, quia ens increatum est omninò separatum à materia, (aliàs esset compositum ex materia, & forma; quod rationi entis increati repugnat, sicut & quælibet alia compositio, vt supra diximus.) Ergo non potest multiplicari secundùm numerum, quia, vt inquit S.Thom. 1. p. q. 75. ar. 7. *Non potest intelligi, quòd aliqua forma separata sit, nisi vna vnius speciei*; Indeque concludit, Angelos non posse multiplicari secundùm numerum, quia sunt à materia separati: de quo vide nostros Salmatic: in Tract. de Angelis disput. 1. dub. 5. 6. & 7. Tùm denique, quia quæ solo numero multiplicantur, quantùm est de se, possunt multiplicari in infinitum, quia nulla est ratio necessitatis sistendi in aliquo indiuiduo, cùm nullum per se ordinē seruent, sed cuilibet illorum accidat multiplicatio aliorum: quòd autem actu in infinitum non multiplicentur, procedit, vel ex voluntate, vel ex potestate causæ illorum, quia, aut non vult, aut non potest plura producere: Vnde in his, quæ causam non habent, si esset multiplicatio secundùm numerum, posset produci in infinitum, absolutè loquendo. Ergo si possent esse plura entia improducta solo numero distincta, possent esse infinita, ac proinde essent actu infinita; quia in entibus necessarijs, (qualia esse debent entia improducta) idem est, esse actu, & posse esse. Cùm ergo entia increata in infinitum nequeant multiplicari, quia aliàs daretur infinitum in actu, quod implicat, non potuerunt esse plura solo numero diuersa.

Quòd autem illa entia increata non possint esse diuersæ speciei, quæ erat altera pars Minoris, probatur sic: Illa entia increata essent entia absoluta: Tùm quia essent subsistentia in se, sine ordine ad aliud: Tùm etiam: quia

illa

illa entia, vtpotè improducta, essent omninò prima. Ergo absoluta, quia absoluta priora sunt respectiuis. Ergo non possunt esse distinctæ speciei, nisi sint in perfectione inæqualia. Sed sunt æqualis perfectionis: quia vtrumque ens à se, vtrumque independens, vtrumque necessariò existens. Ergo specie distingui non possunt. Omnes propositiones per se patent, vnica illa consequ: subsumpta excepta, (in qua, ex eo quod sint entia increata absoluta, infertur, illa non posse distingui specie, nisi sint in perfectione inæqualia:) quæ sic ostenditur ratione à priori. In absolutis enim (& est reflexio notanda) differentia specifica sumitur per elongationem, & distantiam à nō ente; sicùt enim quælibet res per suam essentiam, à qua rei species sumitur, elongatur primò à non ente, (loquendo de non ente simpliciter absolutè) ità diuersitas essentialis à diuersa elongatione ortum ducit. Quæcunque ergo eandem supra non ens habebunt eleuationem, erunt eiusdem speciei. Cùm ergo illa entia increata eandem suprà non ens eleuationem habeant; vtrumq; enim si esset, increatum esset, ens à se, purusque actus, vtpotè de cuius essentia esset *esse*, ac per consequens vtrumque eodem modo, per modum actus puri, distaret à non ente. Ergo vtrumque esset eiusdem speciei. Notanter autem dixi, in absolutis, quia in relatiuis formaliter, qua talibus, sicut non sumitur diuersitas specifica ex entitate illorum, sed ex respectu, & tendentia ad terminum; ita neq; est necesse, ea, si differunt specie, habere diuersam eleuationem supra non ens; atque adeò inæqualem perfectionem. Et hoc est fundamentum, quarè absoluta, si semel differant specie, sunt inæqualia in perfectione, vt patet in homine, leone, boue, &c. Relatiua autem possunt esse æqualis perfectionis: quòd in Relationibus Diuinis cernere licet: hìc tamen non determino; an Relationes Diuinæ, formaliter secundùm *esse ad*, dicant perfectionem relatiuā? ista enim quæstio propriè Theologica est, ideoque Theologis relinquenda. Sed quando nomine perfectionis in qua dixi, Relationes Diuinas æquales esse, vsus sum, intellexi perfectionem, non formalem, sed virtualem, prout ly *perfectio* tantitatem entitatis significat.

Probatur quartò Conclusio. Si darentur plura v.g. duo entia increata conuenirent vtique in necessitate essendi, quia omne ens increatum, necesse est esse. Ergo haberent, quo differrent, seu distinguerentur, quia quādo aliqua plura conueniunt in vna ratione communi ipsis, debent habere illa, quibus differant. De his ergo, quibus differrent entia increata, si semel essent plura, tale formatur argumentum. Vel illa, quibus differrent, pertinent ad complementum necessitatis essendi illorum, vel non pertinent. Neutrum est dicendum. Ergo &c. Maior, & consequ. constant. Minor autem

quantùm ad vtramque partem prob. à S. Thoma 1. contr. gent. cap. 42. ratione 8. his formalibus verbis. *Si non requiritur* (illud scilicet, quo duo entia increata differunt, ad complementum necessitatis essendi illorum,) infert S. Thom: *Ergo est aliquid accidentale; quia omne, quod aduenit rei, nihil faciens ad esse ipsius, est accidens. Ergo hoc accidens habet causam: aut ergo essentiam eius, quod est necesse esse; aut aliquid aliud? Si essentiam eius: cùm ipsa necessitas essendi sit essentia eius, (vt ex dictis patet) necessitas essendi erit causa illius accidentis. Sed necessitas essendi inuenitur in vtroque. Ergo vtrũque habebit illud accidens; & sic non distinguentur secundùm illud. Si autem causa illius accidentis sit aliquid aliud: nisi illud aliud esset, non esset hoc accidens; & nisi hoc accidens esset, distinctio prædicta non esset. Ergo nisi esset illud aliud, ista duo, quæ ponuntur necesse esse, non essent duo, sed vnum. Ergo esse proprium vtriusque est dependens ab altero, & sic neutrum est necesse esse per seipsum. Si autem illud, in quo distinguuntur, sit necessarium ad necessitatem essendi complendam: aut hoc erit, quia illud includitur in ratione necessitatis essendi, sicut animatum includitur in definitione animalis; aut hoc erit, quia necessitas essendi specificatur per illud, sicut animal completur per rationale. Si primo modo: oportet, quòd vbicumque sit necessitas essendi, sit illud, quod in eius ratione dicitur, sicut cuicunque conuenit animal, conuenit animatum, & sic cùm ambobus prædictis attribuatur necessitas essendi, secundùm illud distingui nõ poterunt. Si autem secundo modo: hoc iterùm esse non potest. Nam differentia, specificans genus, non complet generis rationem, sed per eam acquiritur generi esse in actu; ratio enim animalis completa est ante additionem rationalis, sed non potest esse animal actu, nisi sit rationale, uel irrationale. Sic ergo aliquid complet necessitatem essendi quantùm ad esse in actu, & non quantùm ad intentionem necessitatis essendi: quod est impossibile propter duo. Primò, quia eius, quod est necesse esse sua Quidditas est suum esse, ut supra* (scilicet cap. 22.) *probatum est. Secundò, quia sic ipsi, quod est necesse, acquireretur esse per aliquid aliud, quod est impossibile. Non est ergo possibile ponere plura, quorum quodlibet sit necesse esse per seipsum.* Hucusq; S. Doct.

Confirmatur, & explicatur hæc ratio S. Thom. supponendo, quòd licet genus non compleatur, neq; cõstituatur in sua ratione formali per differentias sibi additas, diuisiuasq; sui; tamen in ordine ad existendum, per easdem completur: non enim potest existere à parte rei sine ipsis; ità quidem, vt, proportione seruata, differentiæ, siue vltimæ, siue non vltimæ, in ordine ad existendum, compleant genus; vltimæ quidem immediatè, non vltimæ verò mediatè, v. g. viuens non completur in conceptu viuentis per sensitiuũ; quia per aliam priorem differentiam est in esse talis constitutum; tamen in ordine ad existendum

Digitized by Google

completur remotè, & mediatè per sensibile v. g. & immediatè per rationale, vel irrationale; nullum enim viuens à parte rei existere potest, nisi sit, aut sensibile, aut insensibile, & iterum viuens sensibile non existet, nisi contractum ad esse rationalis, vel irrationalis, cuius ratio à priori est: quia existentia cùm sit vltimus actus, non competit rebus, nisi in aliqua specie, & determinata essentia constitutis.

Quo supposito, sic ratio S. Tho. confirmatur. Quod habet differentiam constitutiuam sui, habet aliquid, quod est illi causa, vel ratio essendi, vt ex discursu patet. Ergo illud, quod est essentialiter suum esse, non habet differentiam constitutiuam sui; quia sicut essentia, ita & esse, quod in eo ab essentia non distinguitur, causam habere nequit. Cùm ergo ens increatum sit essentialiter suum esse, vt pluries dictum est; non habebit differentiam constitutiuam sui, & ex consequenti, non poterit esse, nisi tantùm modo vnum; quia plura, quæ in ratione aliqua vna conueniunt; (sicut plura entia increata, si darentur in ratione communi essendi à se, necesse esset, conuenire) debent habere differentias, & constitutiuas, & distinctiuas.

Probatur quintò. Vltimus finis omnium non potest esse, nisi vnicus ex eo, quòd debet sibi totaliter subijcere omnes affectus voluntatis, vt non aliò ferantur, nisi in ipsum, vt docent Theologi in prima secundæ de vltimo fine hominis. Sed ens increatum, & omninò improductum est vltimus finis omnium: quia est principiũ effectuum omnium; iam autem omnia naturaliter in suum principium, sicut in vltimum finem inclinantur, eique coniungi naturaliter expetunt. Ergo &c.

§. 3. *Determinatur quid de vnitate Dei sentiendum sit.*

Constat iam ex superiùs dictis, quomodò, licet entis increati, & Dei conceptus, quantùm ad formalitates, quas exprimunt, differunt; tamen quantùm ad realitatem, quam dicunt, conueniunt; vnde etiam supra determinauimus, ipsum ens increatum esse verè, & propriè Deum, & sic ne sine causa multiplicentur quæstiones, post determinationem circa vnitatem entis increati, de vnitate Dei determinandum est. Itaque

Dicendum est, Deum non posse esse, nisi Vnum, loquendo de vnitate essentiæ; nàm Trinitatem Personarum in eadem numero natura subsistentium, nisi infideles esse velimus, admittere debemus. Hæc Conclusio est contra omnes Ethnicos, pluralitatem Deorum admittentes; (eam tamen, quantùm ad secundam partem, in qua pluralitatem Personarum, in eadem natura subsistentium admisimus, hic probare non possumus; quia Trinitas Personarum lumen naturale excedit: nos autem in

tum hic Diuina prosequimur, in quantùm sunt naturali lumine inuestigabilia) & quamuis vnitas Dei ex vnitate entis increati manifestè deduci possit cùm ipsum increatum ens, quod supra esse Deum probauimus, sit vnum; placet hoc tamen nobis, ipsique Deo, qua Deus est, seruientibus rationibus cōfirmare. Pro quo sit.

Prima ratio, quam adduxit ad eandem Dei vnitatem probandā Angel. Doctor p. quæst. 11. a. 3. c. scil: Deus *comprehendit in se totam perfectionem essendi. Si ergo essent plures Dij, oporteret eos differre. Aliquid ergo conueniret vni, quod non alteri, & sic ille, in quo esset priuatio, non esset simpliciter perfectus. Si autem hoc esset, perfectio alteri eorum deesset. Impossibile est ergo, esse plures Deos: Vnde, & Antiqui Philosophi, quasi ab ipsa coacti veritate ponentes Principiū Infinitum, posuerunt unum tantùm principium.* Hæc S. Doctor.

Explicatur, & expenditur hæc ratio ad probandam Vnitatem Dei efficacissimè. Nam, vt supra in hac eadem disput: qu: 2. §. 1. diximus, nomine Dei intelligitur ens nobilissimum, perfectissimumque, quo nobiliùs, vel perfectiùs cogitari non potest. Sed tale debet esse vnum: Si enim plura essent, necessariò haberet vnum aliquid, quod non haberet aliud; quia impossibile esset, illa distingui, si nihil esset in vno, quod nō esset in alio. Ergo cuilibet illorū deesset aliquid, illud scil. quod repertum in altero, facit, illa ad inuicem differre. De illo ergo, quod deesset vni, & in alio esset quæro: vel esset aliqua perfectio, vel non. Si esset. Ergo illi deest aliqua perfectio, & ex consequenti non erit perfectissimū, quo aliquid perfectiùs cogitari non potest; quia possem cogitare, perfectiùs esse illud ens, quod etiam illam perfectionem, quæ huic deest, haberet. Si autem dixeris, illud non esse aliquam perfectionem. Contra est; quia illud est distinctiuum, ac per consequens constitutiuum entis perfectissimi. Ergo, & ipsum debet dicere perfectionem, vel si non dicit etiam ens constitutum, non esset perfectum; quia constitutum sequitur naturam sui constitutiui.

Accedit, & est exclusio tacitæ cuiusdam obiectionis, quòd illi plures Dij deberent differre secūdùm naturas absolutas; si enim penès solas proprietates relatiuas differrent, & in absolutis, essentialibusque omninò conuenirent, non essent plures Dij, sed vnus Deus; sicut de facto contingit, supposito mysterio Trinitatis. Illi ergo plures Dij, si darētur, necessariò penes rationes absolutas distingui deberent. Ergo cùm absoluta, quà talia, non possint præscindere à perfectione; sicut in sententia probabili præscindunt relatiua: quia absoluta sunt in ordine ad se, ex quo ordine eorum desumitur perfectio: non autem ad aliud, qui respectus nec perfectionem, nec imperfectionem formaliter dicit, vt multi volunt, rationes illorum plurium Deorum constitutiuæ, & distinctiuæ deberent

rent

rêt esse, vel determinatè perfectæ, vel determinatè imperfectæ. Ergo si fuerint perfectæ, sicut vnius cõstitutiua deesset alteri, & viciffim constitutiua huius deesset illi; ita vtrumq; non esset ens perfectissimum, vtpotè aliqua perfectione carens: Si autem fuerint imperfectæ. Ergo illi Dij per ipsas constituti, perfectissimi esse non possent, vtpotè aliquid imperfectionis habentes in se.

Secunda Ratio pro Concl. est. Deus est summum bonum. Ergo non possunt esse plures Dij. Conseq; patet; quia, vt dicit S. Thomas 1. Contr: Gent: Cap. 42. *Quod per superabundantiam dicitur, in uno tantùm inuenitur*; si enim in pluribus superabundantia alicuius rationis inueniretur, nullum illorum ratione eius summum diceretur, vt consideranti patebit. Antec: autem probatur primò; quia in tantum aliquid dicitur esse bonum, inquantùm est ens. Sed Deus est summum ens. Ergo etiam erit summum bonum. Secundò, quòd est bonum per suam essentiam, est summum bonum. Sed *Deus* est bonus per suam essentiam; quia non est bonus per participationẽ; hoc enim enti increato repugnat: quia non debet esse, nec dependere ab alio: iam autem penderet, si ab alio bonitatem acciperet; quia acciperet, & entitatem; bonũ enim consequitur ens, semperque in entitate fundatur. Ergo &c. Tertiò, quòd est omnis boni bonum, est summum bonum. Sed Deus est omnis boni bonum; quia res intantùm sunt bonæ, inquantùm, vel sunt ab ipso, vel ordinantur ad ipsũ. Ergo &c. Quartò, quòd nullo modo malo est permiscibile, est summè bonum. Sed Deus nullo modo est malo permiscibilis; nec enim in eum cadit culpa, nec pœna &c. Quintò: ens omnibus modis perfectissimũ est summè bonum; bonum enim conuertitur cùm perfecto. Sed Deus est ens omnibus modis perfectissimum, quo perfectiùs cogitari non potest, vt suprà diximus. Ergo &c.

Tertia ratio pro Concl. est talis. Vltimus finis omnium non potest esse, nisi vnicus. Sed Deus est vltimus finis omnium. Ergo non potest esse, nisi vnicus. Maior patet; nam vltimus finis debet sibi subijcere totaliter appetitum, vt docent Nost. Salmat: Tomo 3. Tract. 8. Disput. 4. dub: 2. §. 1. & ratio id suadet; nam sicut bonum absolutè sumptum mouet appetitum aliquo modo, & maius bonũ mouet magis; ita summum bonum maximè, & summo modo mouet totaliter, scil. sibi subijciendo appetitum. Minor autem prob: dupliciter. Ratione, & Authoritate. Ratio est talis. Idem est finis vltimus omnium, qui est, & primum, vniuersalissimumq; efficiens illorum. Sed Deus est vniuersalissimum, primumque efficiens omnium rerum, vt in quæst: præced: probatum est. Ergo &c. Deindè prob: Authoritate S. Tho: quam habet 1. Secundæ quæst: 1: a. 8. cuius verba, etsi prolixiora, adduco; quia pulcherrimè modũ, quomodo cæteræ omnes creatu-

tæ cùm rationalibus in respiciẽdo *Deo*, vt fine vltimo conueniũt, explicant. *Dicit* ergo S. Thomas in Corp: dicti Articuli. *Respondeo, Dicendum quod sicut Philosophus dicit in 5. Metaph: Finis duplic. dicitur, scilicet: Cuius, & Quo, id est ipsa res in qua ratio boni inuenitur, & vsus, siue adeptio illius rei: Sicut si dicamus, quod motus Corporis grauis finis est, vel locus inferior, vt res: uel hoc, quod est esse in loco inferiori, ut usus, & finis auari est uel pecunia, ut res, uel possessio pecuniæ, ut usus. Si ergo loquamur de ultimo fine hominis, quantùm ad ipsam rem, quę est finis; sic in ultimo fine hominis omnia alia conueniunt; quia Deus est ultimus finis hominis, & omnium aliarum rerũ. Si autem loquamur de ultimo fine hominis, quantùm ad consecutionem finis: sic in hoc fine hominis non communicant creaturę irrationales, nam homo, & aliæ rationales creaturæ consequuntur ultimũ finem cognoscendo, & amando Deum, quod non competit alijs Creaturis, quæ adipiscuntur ultimum finem, inquantùm participant aliquam similitudinem Dei, secundùm quòd sunt, uel uiuunt, uel etiam cognoscunt.*

Quæstionem de vnitate Dei tractant Theologi cum S. Thoma 1. p. quæst. 11. vbi plura argumenta ad probandam eius vnitatem poterunt inueniri. Videatur etiam S. Doct: primò Contr: Gent: Cap. 42. ibi enim plurimas demonstrationes ad hanc eandem vnitatem comprobandam adducit, easque rectè expendit, & defendit Ferrariensis ibidem. Vnde nos ab aliis argumentis referendis supersedemus.

QVAESTIO IV.

Vtrùm Existentia Entis Increati, siue Dei non solùm à posteriori, sed etiam aliquo modo à priori sit demonstrabilis.

HVcusque detinebamur in ostendenda à posteriori, seù ex effectibus existentia entis increati, siue *Dei*; horum enim, etsi sint conceptus diuersi, re tamen ipsa, vt diximus ipsum ens increatum est Deus. Pulsat iam animum alia quæstio: An scilicet existentia Dei sit etiam aliquo modo demonstrabilis à priori: an verò solùm demonstretur à posteriori. Pro quo sunt aliquæ suppositiones præmittendæ.

§. 1. *Præmittuntur aliquæ suppositiones.*

SVpponendum est primò. Nos hic non quærere, sed tãquàm certum supponere, existentiam Dei à posteriori demonstrabilem esse. Tum quia id constat ex pluribus demonstrationibus, quas hucùsque ad dictam existentiam probandam adduximus. Tùm etiam, quia quandocunque effectus habet necessariam cõnexionem cum causa; ex positione ef-

se-

fectus demonstratur existentia Causæ: sicùt v.g. ex fumo existentia ignis. Sed Creatura habet necessariam connexionē cum Deo: (per *Creaturam* enim intelligimus totam collectionem entis creati, & ab alio). Ergo cùm nec in entibus ab alio, sit processus in infinitum, vt supra probatum est, neque Creatura potuerit ex nihilo educi à seipsa, debuit dari ens increatum, alia ex nihilo educens, & à quo omnia educta dependerent, illud verò à nullo: & hoc ens increatum dicimus Deum. Ergo &c. Est ergo demonstrabile à posteriori, Deum esse; vnde Angel: Doctor 1. contr. Gent: Cap. 12. meritò opinionem, negantem demōstrabilitatem *Dei* à posteriori, vocauit erroneam; quæ etiam ab alijs temeraria in fide vocatur. Nec aliquem mouere debet, quòd Articuli fidei sint indemonstrabiles: nam, vt optimè aduertit S. Thom. 1. p. quæst. 3. a. 2. in respons. ad 1. *DEVM esse*, non tam est Articulus fidei, quàm præambulum ad fidem. Adhùc autem pro vberiori intelligentia eorum, quæ in hac prima suppositione diximus.

Supponendum est secundò, quòd licet Creaturæ sint contingentes, ideòq; videantur esse ineptæ, vt ex illis sumatur medium ad demonstrationem, quæ debet esse ex necessarijs, quia tamen contingentia creaturis competit ratione *esse*, non autem ratione dependentiæ à Deo, hæc enim dependentia per se, atque adeò necessariò creaturis competit; vnde hæc illatio est necessaria: (*Est Creatura*. Ergo *dependens* ab ente increato, siue Deo); & ex alia parte creaturæ intrant demonstrationem, vt dependentes: non autem, vt existentes, (nisi fortè præsuppositiuè, inquantùm non dependerent prædictæ creaturæ, si non essent) inde est, quòd contingentia non impedit creaturas, quominùs possint intrare demonstrationem à posteriori ad ostendendam Dei existentiam. Cùm autem dicimus, existentiam *Dei* à posteriori demonstrabilem esse, hoc intelligendum est secundùm glossam, quam habet N. P. Andreas à Cruce 1. p. quæst: 11. art. 2. dub. 2. ita scilicet, vt existentia Dei non demonstretur completè secundùm modum, quo Deus in se est trinus, & vnus, sed incompletè tantùm: Si enim completè cognosceremus existentiam Dei, cognosceremus *Deum* quidditatiuè, ipsa enim existentia *Dei* est Essentia, seù Quidditas Dei. Vnde sicut pro hoc statu, incomplete tātùm, & quantùm ad aliqua prædicata cognoscimus, Quid est, ita & *An est* incomplete de Deo cognoscimus.

Supponendum est tertiò, Demonstrationem à priori in hoc distingui à demonstratione à posteriori; quia illa semper procedit per causas: hæc autem per effectus, quod adeò verum est, vt cōmunior recētiorum Philosophorum sententia, (quam etiam amplectuntur nost. Complut: in Log: disp. 28. qu. 3.) ex hoc solo fundamento neget, conuerti demonstra-

strationem à posteriori cum demonstratione *Quia*, quòd demóstratio *Quia* aliquando procedit per causam saltim remotam, estque aliquando *à priori*; quod demonstrationi *à posteriori* nunquam conuenire potest. Vnde habes, tùnc existentiam Dei posse à priori probari, quandò causa adduci poterit, cur *esse* competat Deo; quæ si nulla datur, neque demonstratio *à priori* existentiæ Dei dari poterit. His suppositis, est.

§.2. *Conclusio responsiua titulo Quæstionis.*

DIcendum est itaque, nullam posse dari Demonstrationē à priori, existentiam Dei ostendentem. Ita S. Thom. 1. p. q. 2. a. 2. in corp. quem sequuntur communiter eius Discipuli. Probatur breuiter hæc Conclusio euidenti ratione. Nàm illud, quòd essentialiter est, cuiusque essentia est ipsum esse, non potest à priori demonstrari, quòd sit. Sed Deus essentialiter est, itaut eius Essentia sit ipsum *esse*. Ergo non potest à priori demonstrari, quòd sit. Maior patet: nàm demonstratio à priori debet procedere per causam, siue formalem, siue virtualem: vbi autem essentia est ipsum *esse*, ibi nulla est causa essendi; quia sicùt essentiæ rerum, (& maximè entis increati, qualis est Deus) non dependent ab aliqua causa, quia sunt primi gradus, qui in qualibet re apprehenduntur, ita neque existentiæ identificatæ cum essentijs dependebunt ab aliqua causa. Minor autem probabitur inferiùs, in Deo nullo modo essentiam distingui ab existentia.

Dices, hanc rationem non conuincere; quia falso nititur fundamento; supponit enim, essentias rerum non posse habere causas sui. Hoc enim, etsi verum sit, loquendo de causis efficientibus, quia ad has nullum dicunt ordinem essentiæ rerum, secundùm se; non tamen in causis formalibus, seu rationibus à priori verum est. Quidquid itaque sit de alijs essentijs, de quibus nùnc sermo non est, in Essentia Diuina hoc est apertè falsum; Intelligere enim Dei est *esse* Dei, vt tenent communiter Thomistæ, & eruditè ostendunt nost. Salmatic. Tract. 3. disp. 4. dub. 2. per totum. Sed intelligere Dei habet rationem à priori, ipsam scilicet immaterialitatem Dei; nam sicut intellectualitas, vt sic, consequitur immaterialitatem, vt sic, ita intellectualitas talis, nempè Dei, eius immaterialitatem consequitur. Ergo &c.

Pro difficultatis resolutione, nostræq; rationis Confirmatione, supponendum est ex nostris Salmat. Tract. citato de scientia Dei, disp. 4. dub. 1. & 2. & Tract. 4. de Voluntate Dei disp. 2. dub. 2. in Diuinis ea omnia, quæ ad eandem lineam spectant, non distingui, etiàm virtualiter: cuius ratio est, quia in Deo nihil potest esse per modum potentiæ; hæc enim

actui purissimo, perfectissimoque Enti repugnat; vnde quælibet potentia est suus actus in Deo, sine distinctione virtuali, v.g. Scientia est ipsum scire, Intellectus est suũ intelligere, Volũtas est suum velle, & sic de alijs. Hinc est, quòd ex rebus ad eandem lineam spectantibus non potest vna alterius esse ratio à priori; ad hoc enim requiritur saltim distinctio virtualis; quia idem omninò respectu sui ipsius non potest esse prius, vel posterius. Quo supposito facilè impugnatur id, quod nostræ rationi oppositum fuit: Nàm immaterialitas spectat ad lineam intellectualitatis, vt docent & probant nost. Salmat. Tom. 1. Tract. 3. disput. 1. dub. 2. n. 38. & 39. Ergo non distinguetur etiam virtualiter immaterialitas ab intellectualitate, quæ est in Deo per modum actus purissimi, ideòque omninò idem cùm intelligere. Ergo, cùm ea, quæ non distinguuntur virtualiter, non possint inter se comparari per modum rationis prioris, & posterioris, intelligere Dei, quod est esse Dei, non poterit à priori probari per immaterialitatem.

Nec refert, si obijcias, S. Doctorem 1. p. q. 14. ar. 1. c. probasse in Deo ex immaterialitate intellectualitatem; vbi etiam dicit: *quòd immaterialitas alicuius rei est ratio, quòd sit cognoscitiua, & secũdùm modum immaterialitatis est modus cognitionis*. Non, inquam, hoc refert; dicimus enim, S. Doctorem ibi locutum fuisse, attendendo ad nostrum modum concipiendi, secundùm quem distinguimus plura munera inadæquata eiusdem simplicissimæ, & eminentissimæ intellectionis, eo proportionali modo, quo solemus distinguere in Deo rationem Intellectus, intellectionis, speciei intelligibilis; quæ tamen in Deo sunt omninò, sine distinctione virtuali, idem. Quia enim ex creaturis ad Creatoris cognitionem assurgimus, inter quæcunque hic distinctionem aduertimus, eandẽ, inter Diuina, quantùmuis identificata, inducere conamur. Sed hoc sicut Diuinæ simplicitati non obest, nec per hoc aliquam, etiàm virtualem distinctionem inter Diuina inducimus, ita neque hinc statui poterit, quòd vna ratiò identificata, sine distinctione virtuali, cùm alia, possit esse ratio à priori ipsius.

Ex quibus, si vera sint, (prout ea vera esse, necesse est) ruit opinio Francisci Suarez, quam defendit in sua Metaph: disput. 29. sect. 3. Dicit enim ibi, quòd licèt, absolutè loquendo, non possit à priori demonstrari, Deum esse; ex suppositione tamen demonstratæ alicuius rationis competẽtis Deo, potest ex illa ratione existentia Dei à priori demonstrari, v.g. (dicit ille) demonstrato à posteriori, Deum esse Ens necessarium, & à se, ex hoc principio poterit à priori ipsa etiàm existentia Dei demonstrari: eo proportionali modo, quo ex demonstrata à posteriori immutabilitate Dei, potest ex ipsa à priori eius æternitas demonstrari.

Hæc,

Hæc, inquam, Suarij opinio ex iam dictis, sed aliqualiter expensis, corruit. Illa enim ratio, ex qua, a posteriori demonstrata, dicis, à priori existentiam Dei demonstrari, vel est eiusdem lineæ cum existentia Dei, vel diuersæ? Si eiusdem ergo indistincta virtualiter. Ergo non potest esse ratio à priori existentiæ, ac per consequens per illam existentia à priori probari non poterit. Si autem erit distinctæ lineæ. Ergo posterior existentia, quia hæc sicut ad primam, & fontalem Diuinæ Essentiæ lineam spectat, ita nullam aliam priorem lineam, vel rationem agnoscit, & consequenter per illam etiam rationem, vtpote posteriorem, non poterit existentia Dei à priori probari. Vnde etsi demonstretur priùs, Deum esse ens necessarium, non poterit ex hoc principio, vt vult Franciscus Suarez, probari à priori, Deum esse: esse enim ens necessarium, sicut ad lineam essendi spectat, ita ratio à priori existentiæ esse nequit. De immutabilitate autem, & æternitate alia est longè ratio; cùm enim immutabilitas in Deo sit aliud attributum alterius lineæ ab æternitate, & insuper sit ratio à priori ipsius, optimè potest ex immutabilitate Dei eius æternitas à priori probari.

Hic iam essent soluenda, & referenda Argumenta Scoti, qui in 1. distinct. 2. quæst. 2. putat, hanc propositionem (Deus est) esse à priori demonstrabilem; adducit enim ille plures ad hoc probandum demonstrationes, vt vocat, à priori. Prima est: Causa prima necessariò existit. Deus est prima causa. Ergo Deus necessariò existit. Secunda: Ens summè necessarium existit. Deus est Ens summè necessarium, ergo Deus existit. Tertia: Ens à se, & independens necessariò existit. Deus est Ens à se, & independens. Ergo necessariò existit. Hic, inquam, hæc, & similia soluenda essent, nisi iàm ex supra dictis manerent soluta, quia nimirùm non possunt à priori demonstrare existentiam *D*ei, cùm non sint eius rationes à priori. Vt tamen hoc euidentiùs pateat, & simul generalis regula statuatur ad cognoscēdas demonstrationes à priori, placuit hìc quandam doctrinam adnotare; estque talis.

Ad hoc, vt aliqua demonstratio sit *à priori*, necesse est, vt medius terminus sit causa, siue formalis, siue virtualis vnius extremi, illius scilicet, in quo ponitur passio in Conclusione attribuenda subiecto. Cùm enim demonstratio *à priori* assignet causam, cùr passio conueniat subiecto, illam ipsam causam passionis assumit pro medio. Vnde medium in demonstratione à priori est causa passionis, quæ locum occupat vnius extremitatis. Res exemplo in sequenti syllogismo patebit. *Omne rationale est admiratiuum. Sed homo est rationalis. Ergo homo est admiratiuus.* Vbi probo à priori admiratiuum de homine, & assumo pro medio causam ipsius, nempè rationale, quod coniungitur cum admiratiuo in Maiori,

Digitized by Google

vnde medium, seù subiectum maioris est causa extremitatis, seù prædicati eiusdem, Et similiter in argumento Tholog: idem patet, quando concludimus per immutabilitatem de Deo æternitatem sic: *Omne immutabile est æternum. Sed Deus est immutabilis. Ergo est æternus.* Vbi immutabilitas coniuncta cum æternitate, quæ locum maioris extremitatis in hoc argumento tenet, est ratio à priori ipsius. Cùm ergo vt consideranti patebit in illis argumētis, quibus Scotus, Deum esse probat, medium nullius extremi sit causa, siue Formalis, siue virtualis, euidenter sequitur, illa non esse à priori: neque vllo modo poterit à priori demonstrari, Deum esse, sed tantùm à posteriori, ascendendo à creaturis ad Creatorem.

Aduertendum tamen est, hanc Regulam non currere in secunda Figura. In qua semper remouetur prædicatum à subiecto, in Conclusione, quia ibi conclusio, sicut & aliqua præmissarum, semper debet esse negatiua, alias medius terminus in nulla præmissarum distribueretur, quod cum arte syllogistica pugnat. Hæc autem Regula attribuentibus in Conclusione Prædicatum subiecto, atq; adeò syllogismis affirmatiue concludentibus seruit, vt consideranti patebit.

Nota autem, & aduerte pro hucùsque dictorum Coronide, id, ex cuius inaduertentia, plurimi in hac materia hallucinantur; quod cùm Diuina essentia, intra propriam lineam, ratione summæ eiusdem lineæ eminentiæ, plures inadæquatas rationes (quæ alias in Creaturis distinguũtur, vnumque est causa alterius) absque vlla distinctione contineat, inde est, quòd plures, assumendo vnam rationem v.g. Entis à se, vel substantiæ intellectualis, vtantur illa, tanquam ratione à priori, respectu alterius rationis inadæquatæ v.g. respectu intellectualitatis, vel existentiæ, cùm tamen illæ rationes, sicut non comparantur inter se per modum alterius, & alterius, quia sunt omninò, sine vlla etiam virtuali distinctione, idem, ita neq; est vna ratio à priori alterius, sed sunt vnius, eiusdemque simplicissimæ, eminentissimæ tamen rationis, conceptus inadæquati. Et per hoc poteris plura, quæ circa hoc fieri solent, argumenta eludere.

QVAESTIO V.

Vtrùm possit dari in hominibus ignorantia inuincibilis, seù excusans à culpa circa Existentiam Dei.

HOc Dubium, etsi magis sit Theologicum, quàm Philosophicum, placuit tamen hic illud, quantùm ratio naturalis patitur expedire, vt nihil remaneat, quod circa existentiam Dei, vt ratione naturali cognoscibilem, seù demonstrabilem dicendum superfit.

Digitized by Google

Supponendum est autem primò, ex S. Tho. 1. secundæ quæst: 76. a. 2. Ignorantiam inuincibilem, illam esse, quæ studio, & diligentia superari non potest. Ad quod (vt bene aduertit noster P. Blasius in sua Metaph: disput: 9. qu. 2. §. 1. & innuit ibidem Angel: Doctor) necesse est, illam ignorantiam inuoluntariam esse, si enim fuerit volita, vel directè, vel indirectè ignorantia culpabilis erit; vnde vt aliquis habeat ignorantiam inuincibilem de aliquo, v. g. de existentia Dei, necesse est, vel quòd, Deum esse, nunquam ei innotuerit, nec aliqua huius rei suspicio venerit, vel si aliquam de hoc habuit suspicionem, non tamen facta, diligentia habuit locum, tempus, & medium huius veritatis inuestigandæ. Vel tandem si hæc omnia ad manum erant, tamen nullatenus potuit concipere hanc veritatem, quòd Deus sit. *D*ixi nullatenus, vt innuerem, non esse necesse, ad vincendam ignorantiam inuincibilē de existentia Dei, vt habeat cognitionem demonstratiuam ipsius, etiam à posteriori, sed sufficit opinatiua cognitio, per rationem probabilem acquisita. Cùm enim nulla possit ratio in contrarium occurrere, quæ vel leuiter persuadeat, *D*eum non esse, ideò sola ratio probabilis, plusquàm sufficiens est ad tollendam ignorantiam inuincibilem existentiæ Dei. Plura autem dicenda essent circa hanc ignorantiam inuincibilem, sed quia Theologica sunt. Theologis relinquuntur, qui hanc materiam cum S. Thoma fusè tractant, tùm loco citato, tùm etiam prima secundæ, quæst: 6. a. 8. vbi explicant, quomodò ignorantia causat inuoluntarium. Nobis ad huius difficultatis decisionem sufficiat scire, quod ille inculpabiliter ignoraret. *D*eum esse, qui huius sciendi nullam haberet possibilitatem, vel commoditatem. Quo supposito, ad propropositam difficultatem.

Dicendum est, quòd Existentia *D*ei, seu *D*eum esse, adeò clarum est, vt circa hoc ignorantia inuincibilis nullatenus dari possit. Hæc Conclusio est certa apud omnes Scholasticos, quos legi, solo Molina excepto, qui dicit, quòd opposita huic nostræ Conclusioni opinio possit probabiliter sustineri. Poterunt tamen pro nostrę Conclusionis declaratione videri. Gonzalez 1. p. quæst: 2. a. 2. disput: 11. Concl. 4. Vbi eam pluribus authoritatibus S. Scripturæ, & Patrum, rationibusque firmat, & Pater Blasius à Conceptione loco nuper citato, vbi eandem egregiè defendit.

Probatur primò, hæc Conclus. authoritatibus scripturæ, & inprimis insignis est ille locus S. Pauli ad Roman: 1. *Inuisibilia Dei à creatura mūdi, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sēpiterna quoque eius virtus, & Diuinitas, itaut sint inexcusabiles, &c.* Ergo ex mente S. Pauli, immò ex mente ipsius Spiritus S. per Paulum loquentis, non datur ignorantia inuincibilis Dei, cùm enim hæc excuset à peccato, vt cum

S. Tho:

S. Thomâ communiter docent Theologi profectò excusabiles essent, aliqui ignorantes Deum, illi scil: qui inuincibiliter illum ignorarent.

Secundus locus Scripturæ S. firmans Conclusionem adduci potest, ex illis verbis Sapiētiæ c. 13. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest Scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, nō poterunt intelligere Deum. Qui est, neque operibus attendentes agnouerunt, quis esset artifex, sed aut ignē, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, & lunam rectores Orbis Deos putauerunt.* Vbi aduerte, quòd Spiritus S. eos vanos, atque adeò reprehensibiles, culpabilesque esse dicit, qui ex operibus Dei, nempè ex creaturis non agnouerunt verū Deū: quantò ergo culpabiliores essent, si nullum Deum agnoscerent. Nō ergo ex mente Scripturæ potest dari inuincibilis ignorantia Dei. Deinde rationibus eadem Conclusio.

Probatur primò ratione fundata in Authoritate hac vltima Scripturæ Sacræ, estque talis. Si posset dari ignorantia inuincibilis circa existentiā Dei, posset aliquis inculpabiliter colere falsos Deos, esseque sine peccato idolatriæ. Sed hoc nullus Catholicorum dicit. Ergo &c. Minor patet; quia tùm in hac vltima authoritate, tùm in alijs plurimis locis expressè, & indiscriminatim Scriptura omnes idolatras reprehendit, quod profectò non faceret, si inculpabiliter idolatriam exercere possent. Vnde cùm nullus Catholicus possit Scripturam, vel eius dicta damnare, nullus poterit eos à culpa vindicare, quos Scriptura, vt culpabiles reprehendit. Anteced. autem prob. Nam ideò idolatra peccat, quia Vero Deo honorem debitum, tribuit falso. Ergo si inculpabiliter ignoraret, esse verum Deum, non peccaret, tribuendo honorem falso Deo, quia nullam illi iniuriam faceret, quem esse, inuincibiliter, ideoq; inculpabiliter nesciret.

Confirmatur. Si esset, vel esse posset ignorātia inuincibilis Dei, essēt excusabiles aliqui homines ignorantes Deum. Sed S. Paulus omnes vocat inexcusabiles. Ergo &c. Minor patet ex authoritate Apostoli primo loco adducta, Maior autem prob. quia ignorantia inuincibilis excusat à peccato, vt communiter docent Theologi, quomodò namque culpabilis esset, qui nullo studio, nulloque labore illam ignorantiam posset superare.

Probatur secundò Conclusio; Veritas, quæ est omnium maximè obuia, & facillimè per discursum acquisibilis, non potest ignorari inuincibiliter, Sed ista veritas, *Deus est* est omnium maximè obuia, & facillima. Ergo de illa non potest dari ignorantia inuincibilis. Maior patet. Minor prob. Id, quod primò obijcitur, & sensui obuiat, est cœlum, & terra, & omnia, quæ in cœlo, & terra obijciuntur sensibilia. Sed posita ista prima cognitione sensibili, im-

possibile est moraliter, vt alicui, vel aliquibus in congregatione hominum, etiam barbarorum, non veniat in mentem cognitio, vel dubitatio, an ista quæ videt, ab aliquo habeant suum principium, sint ne ab aliquo producta, vel nō? gubernantur ne per aliquem? si enim, visis alijs effectibus, longè minoris momenti, statim oritur cogitatio in nobis, quis sit author illorum? immò vniuersaliter loquendo, visis effectibus, inest homini naturale desiderium cognoscendi Causam, & ex hoc admiratio in hominibus consurgit: quantò magis ex consideratione illius vniuersi, tam ordinati, tam artificiosi, tam pulchri, debet oriri dubium de prima illius Causa, & primo principio. Ergo ista veritas de existentia Dei ita est maximè obuia, & facili discursu cognoscibilis, vt impossibile sit moraliter, dari gentem tam barbaram, in qua detur ignorantia inuincibilis Dei, sub ratione etiam explicita primæ Causæ efficientis, & gubernantis. Vnde pulchrè S. Chrysost. homil: 3. in Cap. 1. ad Rom. hanc rationem innuit dicens: *Quid enim dicent gentiles? te ignorauimus. Itane verò? non exaudistis cœlum, vocem ab aspectu emittens? non exaudistis compositam rerum harmoniam, tuba illustri clamantem omnia ordinem seruantia? eademque tum à magnitudine, tum à pulchritudine ipsum, veluti præconio opificem annunciantia?*

Dices, optimè probari, non esse dabilem ignorantiam prædictam, respectu communitatis alicuius, sed non respectu particularis indiuidui, præcipuè si loquamur de ignorantia positiua. Sed

Contra primò; etiam respectu alicuius particularis indiuidui verificatur Conclusio, & ratio est, quia Deus non deficit in necessarijs. Sed necessaria est homini cuilibet adulto, in particulari vtente ratione, cognitio finis, vt possit rectè actiones suas naturales dirigere, sicut enim se habent principia in speculatiuis, ita finis in practicis; ergo sicut ad speculatiuam cognitionem Conclusionum necessaria est prius cognitio principiorum, ita ad actiones bonas naturaliter faciendas, necessaria est cognitio finis. Ergo ista cognitio Dei, tanquam finis naturalis, dabitur à Deo. Ergo &c.

Contra secundò. Vnusquisque adultus tenetur se conuertere in Deum, tanquam vltimum finem, referendo se, & omnes actiones suas in illū, vel in instanti vsus rationis, vt docet S. Tho. 1. 2. q. 39. ar. 6. ad 3. & nost. Salmatic. to. 4. de Peccatis disp. 20. per totum dub. 1. vel ad minus semel in vita tenetur se conuertere ad Deum; obligatur enim, tùm lege naturæ, tùm etiam præcepto illo apud Zachariam c. 1. *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum.* Ergo cū ad amorem finis, & conuersionē Voluntatis in ipsum, sit necessaria cognitio, non potest adultus, habens vsum rationis, inuincibiliter ignorare Deum, saltim sub ratione summi Boni, & vltimi finis; Quomodo enim ad illum conuer-

Digitized by Google

uerteretur, quem nullo modo sciret? cùm conuersio signet actum Voluntatis; nihil autem volitum, quin præcognitum. Ergo &c.

Respondebis adhùc ad rationē principalem, posse quidem ex istis sensibilibus oriri cogitationem, vel admirationem, vel dubitationem, sed non *positiuam* circa rationem Causæ primæ, vel vltimi finis, hæc enim est inuincibilis, consequenter nec culpabilis. Sed

Contra est. Dubitans vtcumq; de existētia *D*ei sub ratione primæ Causæ, vel applicat animum ad veritatem istā inquirendā, vel non applicat? Si non applicat. Ergo iā dubitatio illa hoc ipso erit vincibilis, & culpabilis, quia est contra lumen rationis, cui cùm hæc duo saltim sint euidentia, primum scilicet, quòd Deus sit colendus, si est, & secundum, quòd non possit determinatè coli, nisi determinatè sciatur esse, (actualis enim exhibitio cultus supponit actualitatem eius, cui exhibetur) statim in homine oritur debitum applicandi animum ad inquirendam istam veritatem, estne Deus? debetne coli, an non? Et hoc innuit S. Gregorius lib. 27. Moral. c. 3. *Omnis homo, eo ipso, quòd rationalis creatus est, debet ex ratione intelligere, eum, qui se condidit, Deum esse*. Et ita, si contra hoc debitum non applicetur animus ad vlteriorem inquisitionē, iàm hoc ipso illa dubitatio erit voluntaria, & culpabilis. Et hoc idem intelligendum est, si applicetur cum prauo affectu, & propensione ad negandum, si autem applicat animum ad veritatem inquirendam, facitque diligentiam, adhibet studium, prout debet. Ergo impossibile est moraliter, vt lumen rationis, omni prauo affectu expeditum, non assentiatur statim veritati de existentia *D*ei, per rationes ità faciles, & cuicunque obuias, videndo nimirùm hanc Vniuersi molem, structuram, ordinem, &c. Concludendum ergo cum Venerab: Beda lib. 1. in Iob. *Omnis homo*, inquit ille, *Deum ignorare non potest, nisi, aut contemnat, aut negligat*. Et Cyprian: Tract. de vanit. idol. *Hæc*, inquit, *est summa delicti, nolle cognoscere, quem ignorare non potes*. Ex dictis

Infertur, posse dari naturaliter ignorantiam negatiuam, seu inaduertentiam inuincibilem de existentia *D*ei, per aliquod interuallum temporis, in aliquo adulto habente vsum rationis, si sit homo valdè agrestis, rudis, incapax, vel si nascatur in siluis, ibiq; relictus, adolescat, manens absq; omni conuersatione hominum. Talis tamen ignorantia impossibilis est, si diù vixerit; impossibile enim est, vt non occurrat ei aliquando cognitio de Authore, & Domino, sicut si aliquis diù habitaret in aliquo palatio pulcherrimo, ornatissimo, impossibile est moraliter, quòd ipsi aliquando non veniat in mentem, esse, vel fuisse aliquem Architectum, & Dominum istius palatij. Sed ne nimium in alienam messem immittamus falcem; hæc omnia de ignorantia inuincibili, & inculpabili

bili ad Theologos remittimus, vbi plures rationes, & argumenta in contrarium videre licet.

QVAESTIO VI.

An, & quomodo (DEVM esse) *sit per se notum?*

POstquam in præcedentibus vidimus, *DEVM esse*, non solùm posse à posteriori demonstrari, sed etiam adeò inter homines constare, vt ignorantia existentiæ Dei, quæ inuincibilis sit, excusansque à peccato, nequeat dari, pulsat statim animum alia Quæstio, dubiumque non leue occurrit: an, esse *Deum*, sit per se notum? Et hoc est, quod in præsenti inquirimus. Quia tamen cuncta, quæ in hac Quæstione dicenda sunt, dependent ex notitia propositionis *per se notæ*, ideò priùs explicanda est, tàm quoad quid est, quàm quoad multiplicitatem sui.

§. I. *Suppositiones aliquæ ad Quæstionis determinationem omninò necessaria.*

SVpponendum est ergo primò, propositionem *per se notam* esse illam, cuius veritas, supposita terminorum notitia, sine aliquo medio, ex sola connexione prædicati, & subiecti cognoscitur. Vnde, vt optimè aduertunt nost. Complut: in Log. disp. 18. quæst. 1. n. 6. idem est propositio *per se nota*, & *immediata*: Vtraque enim seipsam, sine aliquo medio, intellectui benè disposito, notificat, eo proportionali modo, quo Sol, quia in se habet connaturalem lucem, est visibilis secundùm se, nec alio lumine indiget ad hoc, vt videtur.

Supponendum est secundò, non benè aliquos recentiores Theologos, è quorum numero vnus est noster Andreas 1. p. q. 1. a. 1. dub. 1 opinatos fuisse, tùnc solùm esse propositionem per se notã, quandò prædicatum clauditur in ratione subiecti. Quamuis enim Angelicus Doctor videatur aliquo modo huic opinioni fauere, 1. p. q. 2. a. 1. c. vbi explicans propositionem per se notam, dicit, quòd *ex hoc aliqua propositio est* per se nota, *quòd prædicatum includitur in ratione subiecti, ut homo est animal, nàm animal est de ratione hominis*. Quamuis, inquam, his verbis S. Doctor huic nominatæ opinioni fauere videatur, re tamen ipsa, non fauet, vt aduertit egregiè Caietanus, cuius verba formalia transcribo, vt dulciùs ex ipso fonte potentur aquæ. Dicit ergo hic egregius, fidelissimusque mẽtis Angelicæ interpres ad hæc S. Doctoris verba. *Hìc notato, quòd in litera non definitur Propositio* per se nota, *dicendo, quòd est, cuius Prædicatum ponitur in ratione subiecti, sed ponitur causalis, scil. quòd ex hoc, quòd Prædicatum ponitur in ratione subiecti, sit Propositio*

Digitized by Google

sitio per se nota, quæ est conuertens respectu illius. Et hoc ideò dico, quia benè uerum est apud S. Thomam, quòd omnis Propositio cuius Prædicatum cadit in ratione subiecti, est per se nota; sed non è conuerso; quoniam cùm unum generalissimum negatur de alio, & cùm prima Passio prædicatur de primo Subiecto, fiunt Propositiones immediatæ secundum se, & consequenter secundùm se per se notæ, Si tamen alicùbi sic definita reperitur, glossetur ly esse in ratione subiecti, formaliter, uel uirtualiter proximè, non tamen extendatur talis locutio, quia minùs propria est. Hæc Caietanus pro explicanda mente S. Thomæ: vbi statim rationem fundamentalem ad impugnandam oppositam sententiam insinuauit, quæ est talis. Quandocumque Propositio nullum habet medium, per quod probetur, est propositio immediata, & consequenter per se nota, quia in omni sententia, etiam apud ipsum Patrem Andream, idem est Propositio immediata, & per se nota. Sed multæ propositiones, quarum prædicatum non includitur in ratione subiecti, carent medio, per quod probetur. Ergo sunt immediatæ, & per se notæ, & consequenter non illa sola propositio erit per se nota, cuius prædicatum includitur in ratione subiecti. Vtraque Consequentia, immò & maior ex ipsis terminis patet. Minor verò prob. Nàm quando prima passio prædicatur de subiecto, vel quando vnum supremum genus negatur de alio, non est aliquod medium, per quod probetur talis propositio, quia & prima passio immediatè coniungitur subiecto, & vnum genus supremum immediatè repugnat alteri. Ergo &c. Potest hoc illustrari quadam authoritate Philosophi, quæ habetur 1. Poster: Cap. 16. vbi dicit, quòd in Propositionibus immediatis, seù per se notis, *Medium semper densatur*. Quid sit autem, Medium densari, explicat Angelicus Doctor ibidem Lect: 26. *Loquitur ad similitudinē hominum, qui videntur esse condensati sedentes in aliqua sede, quoniam inter sedentes nullus potest intercedere medius, ità & media in demonstratione dicuntur densata, quandò inter terminos acceptos nihil cadit medium*. Ergo ex mente Philosophi ad rationem propositionis *immediatæ*, ex qua conficitur demonstratio, quæque est eadem cum propositione per se nota, nihil aliud requiritur, nisi quòd Prædicatum densetur, seù; immediatè coniungatur subiecto: quod idem Philosophus sæpiùs in dicto libro Poster: repetit pluribus in locis. Cùm ergo, & prima passio, & plura alia similia, quæ non sunt de essentia subiecti, immediatè illi coniunguntur, sequitur, propositionem per se notam non solùm tùnc esse, cùm prædicatum clauditur in ratione subiecti, sed tùnc, quandò prædicatum, & subiectum sine medio coniunguntur, siue in affirmatione, siue in negatione. Vnde non benè (quamuis ad sua principia consequenter) intulit

ci-

Digitized by Google

citatus author, omnem propositionem per se notam esse in primo modo dicendi per se, quia *in primo modo dicendi per se* tùnc tantùm est Propositio, quando prædicatum est de essentia subiecti: quod non requiritur indispẽsabiliter ad rationem propositionis per se notæ, quia potest inueniri etiam tùnc, quandò prædicatum est propria passio subiecti, ac proinde *in secundo modo dicendi per se*, vt iam explicatum est. Videantur pro completa notitia horum Nost. Complut: in Log: disput: 18. quæst. 1. circa illa verba: *Ex primis, & immediatis*. Ex quibus omnibus generalem Regulam accipe, illam Propositionẽ esse *per se notam*, quæ secundum se non est nota per aliam, sed seipsam immediatè notificat. Dixi notanter, *per aliam*, (intellige propositionem) non autem *per aliud*, quia Propositio, quantùmuis nota per se, potest per explicationẽ terminorum innotescere, sed hoc non tollit, quominùs sit nota per se, nàm ly, *notum per se*, excludit notitiam per aliam notiorem propositionem, non autem per explicationem terminorum, quia sic nulla esset propositio per se nota, cùm ad quamlibet terminorum notitia requiratur. Vbi adhùc

Aduerte, (quòd etiam aduertit Caietanus 1. Poster: cap. 3.) Propositionem *immediatam*, seù *per se notam*, non excludere quamlibet Propositionem immediatiorem, seù priorem, & notiorem se: nàm illæ Propositiones, quæ vocantur *Dignitates*, (v.g. Impossibile est, idem simul esse, & non esse. De quolibet est affirmatio, vel negatio, & similes) omnes alias, quantùmuis immediatas, & per se notas, præcedunt. Ideò non cuiusvis prioris propositionis exclusionem petit Propositio immediata, seù per se nota, sed eius, per quam secundùm se probari petat. Prima enim *dignitas*, etsi sit alijs immediatis, & per se notis, prior, non tamen ità est prior, vt per ipsam aliæ, secundùm se, probari egeant: loquendo de intellectu benè disposito, quia quòd respectu intellectus male dispositi debeant propositiones per se notæ per prima principia probari, per accidens est.

Supponendum est tertiò, hanc propositionem *per se notam* distinxisse Angel: Doctorem 1. p. qu. 2. art. 1. C. in propositionem per se notam *secundùm se*, & *non quoad nos*, & in propositionem per se notam *secundùm se, & quoad nos*: Quæ distinctio Propositionis per se notæ etsi reijciatur ab Henrico in Summa art. 22. quæst. 2. & à Scoto in 1. distinct. 2. quæst. 2. & à Molina loco ex prima parte citato; tamen necessariò est admittenda, quod probatur breuiter; nam accuratior disquisitio horum ad Logicos pertinet, quò lector remittitur. Probatur ergo, hanc diuisionem esse admittendam sic: nam Propositio per se nota, seù, quod idem est immediata dicitur talis per negationem exigentiæ alterius propositionis, per quam

Digitized by Google

innotescat. Ergo propositio per se nota opponetur propositioni notæ per medium. Ergo tot modis dicetur aliqua propositio per se nota, quot modis, & propositio nota per medium. Sed Propositio nota per medium est duplex. Ergo & immediata, seù per se nota duplex erit. Omnes propositiones ex se, & ex dictis patent. Minor verò subsumpta prob: Medium notificans est tantùm duplex: à priori scilic: & à posteriori. Ergò & propositio nota per medium erit tãtùm duplex: sc. vel à priori, vel à posteriori nota per aliud; quandò ergo fuerit Propositio nota per aliud à priori, erit secundum se nota per aliud; ac proinde propositio opposita ipsi, quæ videlicet non notificatur, nec notificari potest, vel saltim notificari non petit per aliud mediũ à priori, erit propositio per se nota secundùm se; quod medium, si non exigetur, etiam vt innotescat nobis, erit per se nota secundùm se, & quoad nos: Vt v.g. *Quodlibet est, aut non est. Omne totum est maius sua parte*; sicut etiam, si tantùm respectu sapientum non exigitur, erit nota sapientibus. Propositio autem, quæ etsi à priori non probetur, quia immediatè coniungitur prædicatum subiecto; tamen quia hæc cõnexio non est nobis nota, & ideò petit à posteriori declarari, erit nota per aliud à posteriori, seù quoad nos, & opposita ipsi excludens scil: medium, etiam à posteriori, quo probetur, erit per se nota, non solùm secundùm se, sed etiam quoàd nos.

Explicatur magis hoc ipsum. Nam quælibet res bifariam considerari potest, *vel* absolutè, & secundùm se, vel per ordinem ad intellectum nostrum, à quo concipitur, & intelligitur; & quia isti modi sunt diuersi, potest rebus aliquid competere secundùm vnum, quod non competit secundùm alium: v.g. potest aliquid cõpetere homini per ordinem ad intellectum, quod non competit ipsi secundùm se, & absolutè sumpto. Quando ergo natura subiecti immediatè coniungitur naturæ prædicati, propositio de ijs formata semper est immediata, & per se nota, nec mediata, vel nota per aliud esse poterit, quamdiù illa res secundùm se, & sine ordine ad intellectum nostrum concipitur; Vnde, si quis rem illam clarè, & vt in se est, cognosceret, statim videret, prædicatum immediatè inesse subiecto. Cæterùm eadem natura hanc immediatam connexionem prædicati, & subiecti habens, si conferatur ad intellectum nostrũ, qui ob imperfectum suum cognoscendi modum, non semper potest res vt in se sunt, cognoscere, poterit egere medio non in se, sed respectu intellectus nostri, per quod ostendatur, prædicatum illud conuenire subiecto. Itaque quoties ità prędicatum immediatè coniungitur subiecto, vt hanc connexionem intellectus benè dispositus, habensq; notitiam terminorum sine alio medio cognoscet, erit propositio per se nota secundùm se, & quoad nos. Quoties autem,

tem, etsi prædicatum immediatè conueniat subiecto; tamen intellectus noster illam connexionem non videt, sed indiget aliquo medio, hanc connexionem iudicante, & probante: tunc erit propositio per se nota secundùm se, & nō quoad nos; quæ doctrina accipiēda est non tantùm de propositionibus formaliter, sed etiam materialiter sumptis, idest de rebus, de quibus fiunt illæ enūciationes.

Supponendum est quartò prò completa explicatione eorum, quæ in secunda suppositione dicta sunt, dupliciter posse Prædicatum claudi in ratione subiecti, formaliter scil. & virtualiter. Tunc prædicatum formaliter clauditur in ratione subiecti; quando eius rationem, ac proinde & definitionem ingreditur, sicut animal respectu hominis. Tunc autem virtualiter, & quasi consecutiuè, quādo naturam subiecti immediatè consequitur. Sicut v. g. risibile naturam hominis: Calor naturam Ignis, & generaliter quælibet prima passio suum subiectum. Si ergo intelligatur indeterminatè pro vtroq; modo continentiæ, siue formali, siue virtuali; sic benè possunt conuerti inter se propositio per se nota, & propositio, cuius prædicatum clauditur in ratione subiecti, loquendo de propositionibus affirmatiuis, & si hoc tantùm docuisset citatus Author, potuisset eius opinio sustineri, sed quia, vt se explicat loco citato dub. 2. n. 263. apud ipsum omnis propositio per se nota est in primo modo dicendi per se, vnde propositionem, in qua prima passio prædicatur de suo subiecto negat, esse per se notam; quia est in secundo modo dicendi per se; ideò eius doctrina, vtpotè cum antiquorum Thomistarum sensu, & ipsa veritate minùs cohærens, reijcitur. Videantur circa hoc Caiet: & Ferariensis primo Con: Gent: cap. 11. Notanter autem dixi, loquendo de Propositionibus affirmatiuis; nam in negatiuis hæc regula non currit, quas, etsi aliqui negent, posse esse per se nota, immeritò tamen, quia sicut aliquod prædicatum potest subiecto immediatè conuenire, ita aliud eidem immediatè repugnare potest; & per consequens constituere propositionem negatiuam per se notam. Quibus suppositis.

§. 2. *Respondetur difficultati aliquibus Conclusionibus.*

DIcendum est primò. Deum esse, est propositio per se nota, secundùm se. Ita Angel: Doctor 1. p. q. 2. art. 1. quem sequuntur communiter Thomistæ. Prob: breuiter hæc Concl: Quandocunque prædicatum clauditur in ratione subiecti, propositio est per se nota secundum se, (quia, vt ex suppositionibus patet, etsi non omnis propositio per se nota, petat claudi in ratione sui subiecti prædicatum, vt contra P. Andream ostendimus; tamen omnis, in cuius subiecti ratione claudi-

ditur prædicatum, est per se nota saltim secundùm se.) Sed in hac propositione, Deus est; clauditur prædicatum in ratione subiecti, immò est ipsa ratio, seù essentia integra ipsius; quia, vt communiter docent Theologi. Esse Dei est Essentia ipsius. Ergo &c.

Confirmatur primò, & explicatur hæc ratio. Nihil est magis intimum, & immediatum rei, quàm ipsa quidditas ipsius. Ergo quando enunciabitur de aliqua re quidditas eius, erit propositio immediata, seu per se nota; hoc enim idem est, vt ex suppositionibus patet. Sed *esse* Dei est ipsa eius quidditas, vnde ipse Deus, per *esse* suam naturam explicuit, quando Moysi dixit: *Ego sum, qui sum*. Ergo quando *esse* enunciabitur de Deo, illa propositio erit immediata, & per se nota. Sed in hac propositione, *Deus est*, *esse* enunciatur de *Deo*. Ergo &c.

Confirmatur secundò. Non minùs est essentiale *Deo* esse, quàm homini rationalem esse. Ergo si hæc: *Homo est rationalis*, est propositio per se nota, etiam ista, *Deus est*, erit per se nota. Conseq. patet à paritate; immò potioritate rationis. Anteced. autem prob. quia in *Deo* propter ipsius summam perfectionem, actualitatem, & eminentiam in omnibus lineis, & multò magis in linea fontali, qualis est linea essendi, prima potentialitas cuiusuis lineæ pertingit ad vltimam actualitatem eiusdem lineæ sine distinctione virtuali, & ita intellectus Diuinus est suum intelligere, voluntas *Diuina* est suum velle, & sic de alijs sine distinctione virtuali. Ergo cùm *esse* sit vltima actualitas in linea essendi, *esse Dei* erit ipsum suum esse sine distinctione virtuali.

Dicendum est secundò. *Deum* esse, non est per se notum, quoad nos. Ita S.Tho: 1. p. quæst. 2. ar. 1. c. & 1. contr. Gent. cap. 11. quem sequuntur communiter Thomistæ. Caietanus, Ferrariensis, Bannes, noster P. Andreas a Cruce 1. par. disp. 11. dub. 4. noster P. Blasius à Conceptione, in sua Metaphis disp. 9. quæst. 1. & alij omnes cùm pluribus Neotericis.

Probatur hæc Conclus. primò, Supponendo, nos hìc loqui de nobis viatoribus, qui intuitiuam cognitionem *Dei* non habemus; quid enim de Beatis sentiendum sit, infra dicam. Prob. igitur Conclus: primò. Quandocunque aliqua propositio nō coniungit immediatè, seù vt Philosophus dicebat, non densat prædicatum cum subiecto, toties propositio non est per se nota. Sed quidquid sit de *Deo* secundùm se sumpto, de quo supra; tamen quoad nos viatores, & per ordinem ad nostrum debilem imperfectum modum cognoscendi) in hac propositione, *Deus est*, non coniungitur immediatè, seu non densatur prædicatum cum subiecto. Ergo quo ad nos, non erit per se nota. Mai. ex suppositionibus patet. Min. verò prob. Ad hoc, vt respectu intellectus nostri coniūgatur immediatè in aliqua propositione prædicatum subiecto, debet intellectus noster cognognoscere illam im-

Digitized by Google

mediatam coniunctionem; absque alio medio. (hoc enim sonat, vt consideranti patebit, coniungi immediatè respectu ipsius.) Sed intellectus noster pro hoc statu non potest cognoscere sine alio medio hanc immediatam connexionem prædicati cùm subiecto, nempè *Dei*, & *esse*. Ergo &c. Prob. hæc min. Connexio immediata prædicati, & subiecti (loquendo obiectiuè, vt loquimur; non enim hic agimus presse de propositionibus formaliter, sed potiùs materialiter sumptis, vt ex solutionibus argumentorum Scoti patebit) nihil est aliud, quàm ipsa natura prædicati, & subiecti, quatenùs inuicem immediatè vniũtur. Sed non potest ab intellectu viatoris cognosci, sine aliquo medio vnitas illa, seù potiùs identitas, quæ est inter essentiam Dei, & eius existentiam, aliàs cognosceretur *Deus* ab ipso quidditatiuè, & per propriam speciem repræsentantem ipsum immediatè, vt in se est; si enim per alienam speciem cognosceretur, sicut à nobis viatoribus cognoscitur, nō ipsum Deum, sed illam alteram naturā, cuius est species immediatè repræsentantem. Ergo &c.

Confirmatur, & explicatur hæc ratio, cognitio est iuxta modum cognoscentis: quia, & ipsũ cognitum est in cognoscente iuxta modum ipsius, vt communiter docent Philosophi. Ergo intellectus noster non eleuatus lumine gloriæ, (qualiter de illo, pro nũc loquimur) cognoscens *Deum esse*, cognoscit iuxta modum suum. Ergo limitato, & imperfecto modo, quia & ipse limitatus est, imperfectamq, abstractiuam tantum de Deo notitiam habet. Ergo nō potest cognoscere immediatè nexum illum intimum, qui est inter Essentiam Dei, & esse ipsius, quia hìc, sicùt ex illimitatione, & infinitate ortum ducit, itá cùm limitatione, & imperfectione cohærere nequit.

Nec refert, si dicas. Etiam in visione beatifica inueniri hanc limitationem; quia potentia intellectiua creata etiam, vt eleuata per lumen gloriæ, adhùc est limitata; quia, & ipsum lumen est limitatum, vtpotè ex parte potentiæ limitatæ se tenens, propter quam limitationem negant communiter Thomistæ, Essentiam Diuinam posse supplere vices luminis gloriæ, vt eruditè ostendunt nost. Salmat. Tom. 1. Tract. 2. disp. 4. dub. 5. & tamen hæc limitatio in visione beatifica inuenta non obstat, quominùs videatur quidditatiuè, & immediatè intima illa connexio Essentiæ Dei cum existentia ipsius. Ergo neque hìc repugnabit. Non, inquam, hoc refert: concesso enim Antecedenti, neganda est Consequ. Et ratio disparitatis est; quia intellectus eleuatus lumine gloriæ, etsi sit limitatus, & finitus, tamen habet id, quod est participatio formalis Intellectus diuini, prout est in se, vt communiter docent Theologi, atque adeò habet aliquam illimitationem, & infinitatem, & ex consequenti conuenientiam cum infinitate Essentiæ diuinæ, ratione

ne cuius est idem cum suo esse, non in se quidem, quia in se, vt diximus, est finitus, & limitatus, sed in eo, quod participat, nempè, in ipso Intellectu diuino, cum quo etiam dicta Essentia primariam habet commensurationem. Cæterùm intellectui nostro secũdum se sũpto, seu intellectui viatoris non eleuato, hæc non competunt, vt patet, & ideò eius limitatio, & imperfectio impedit ipsum, ne immediatè attingat illam illimitatam, infinitamq; Essentiam, quæ ratione suæ infinitatis, & illimitationis pertingit à prima potentialitate vsque ad vltimam actualitatem suæ lineæ, absque vlla etiam virtuali distinctione. Ergo &c.

Probatur secundò. Nulla cognitio, quam habemus, vel habere possumus in hac vita naturaliter de Deo, quantùm ad *Quid est*, est sufficiens ad determinandum Intellectum, ex ipsa præcognitione terminorum, ad certũ assensũ, quòd Deus sit in rerum natura. Ergo hęc propositio, *Deus est*, non est nobis per se nota in hac vita. Conseq. patet ex ijs, quæ in suppositionibus dicta sunt. Anteced. probatur. Omnis cognitio, quam habemus pro hoc statu de Deo, quantùm ad *Quid est*, vel est per viam remotionis, vel per viam attributionis: quandocunque enim nitimur describere, *Quid sit Deus*, vel vtimur conceptibus negatiuis, remouendo ab ipso imperfectiones, quæ in alijs entibus reperiuntur, vt cùm dicimus, ipsum esse Increatum, Incausatum, Immaterialem, Independentem ab alio, &c. Vel positiuis, affirmando de ipso, ipsique attribuendo aliquas perfectiones, quæ nulli enti, quod Deus non est, conuenire possunt, vt cùm dicimus, illum esse Causam primam, Vltimum finem, Omnipotentem, Ens à se, &c. Sed omnis hæc cognitio non determinat sufficienter Intellectum nostrum, ex ipsa præcognitione terminorum, ad certum, & determinatum assensum, quòd Deus sit. Tùm quia non est nobis notum per se, & immediatè, primam Causam, vel Vltimum finẽ, vel quodlibet aliud ens, quod tã negatiuis, quàm positiuis terminis explicamus, esse Deum: vnde, vt ex supra dictis in hac eadem disput. patet, etiamsi quis concederet, dari ens increatum, omninoque improductum, non ideò statim concederet, illud ens esse Deum, & ideò nos specialem de hoc instituimus quæstionem: Vtrũ sc: hoc Ens increatum, omninòq; improductum, quòd iam probauimus sit Deus? & idem de alijs conceptibus dicendum est: Tùm etiam, quia neque hoc satis constat, an tale ens, quale dicimus esse Deum, detur: quod non est per se notum; An detur prima Causa; quia multi in causis subordinatis admiserunt processum in infinitum, & multum desudandum est, vt talis processus impugnetur: iam autem posito processu in infinitum in causis subordinatis, tollitur ratio Causæ primæ, quia in infinito non est accipere primum, & vltimum, ac per consequens

Digitized by Google

non erit per se notum Ens à se, Ens Independens, Ens Increatum, seu Incausatum, quia, admisso tali processu in causis subordinatis, hæc omnia ruunt: & generaliter omnia alia prædicata, siue affirmatiua, siue negatiua, multo labore per plures demonstrationes stabilienda sunt, vt patet plura Theologorum, & Philosophorum, qui in hoc insudarunt, scripta euoluenti. Ergo non poterunt ex sola præcognitione terminorũ absolutè determinare Intellectum nostrũ ad assentiendum huic propositioni; quòd *Deus sit*. Ergo &c.

Confirmatur. Nulla propositio, de qua possumus dubitare, (quæ dubitatio petat tolli per discursum, & demonstrationes) est per se nota. Sed talis propositio (*Deus est.*) Ergo non est per se nota. Maior patet ex definitione propositionis per se notæ, quæ, sicut est immediata, solamque præcognitionem terminorum requirit, ita discursum, & demonstrationem, quibus propositiones ignotæ, & mediatæ notificantur, excludit. Minor autem probatur. Nàm de hac propositione (*Deus est,*) præciso lumine fidei, (quod lumen ad præsens non attinet) vix aliquis inuenietur, qui non dubitet, nisi ipsi multis, iisque subtilissimis demonstrationibus, à posteriori deducatur, *Deum esse*: vnde *insipiens*, (idest, qui similes sapientum demonstrationes non audiuit, vel etiamsi audiuerit nõ tamen intellexit) *dixit in corde suo: non est Deus*. Ergo &c.

Alias rationes, pluraque alia ad hanc Quæstionem spectantia; vide apud Thomistas, & Neoteric: 1. p. quæst. 2. a. 1. vbi hanc Quæstionem tractant. Nos enim à plurimis, etsi pulcherrimis, discursibus, quia Theologici sunt, dum philosophica prosequimur, abstinemus. Pro Coronide tamen, & aliquarum difficultatum hinc pullulantium decisione.

Dicendum tertiò. Neque Angelis in statu naturæ, neque alicui alteri Creaturæ, quæ Deum clarè non videt, hæc propositio (*Deus est*) potest esse per se nota. Probatur; quia hæc propositio, *Deus est*, attribuit prędicatum subiecto, nempè, *esse* Deo in actu exercito, vt consideranti patebit. Ergo quicunque non cognoscit per se, & immediatè, in actu exercito, existẽtiam competere Deo, hæc propositio *Deus est*, non est illi per se nota. Sed quicunque Deum clarè non videt, non cognoscit per se, & immediatè, in actu exercito existentiam competere Deo, quia ad hoc requiritur quidditatiua, & intuitiua, ac per consequens, clara cognitio, vt ex terminis patet. Ergo &c.

Confirmatur. Nulla Creatura, suis viribus relicta, habet speciem repræsentantem Deum quidditatiuè, quæ sit principium cognitionis, incognitum, vt *Quod*, (quia talis species implicat etiàm in ipsa visione beatifica, vt communiter docent Thomistæ 1. p: q. 12. & eruditè expendunt NN. Salmat. Tom. 1. Tract. 2. disput. 2. de Visione Dei per aliquot dubia) sed omnis species repræsentatiua Dei

in

Intellectui creato, naturalibus viribus relicto, vel concurrit per modum obiecti priùs cogniti tãtùm (vt in nobis contingit, qui ex imperfectioribus effectibus Deũ cognoscimus, qui non habent perfectam similitudinem Dei,) vel certè concurrit per modum Obiecti cogniti, & principij cognitionis simul, vt in Angelis contingit, quorum essentia, (per quam, tanquam per speciem, intelligunt naturaliter Deum, propter maximam, quæ inter Creaturas inuenitur, assimilationem cũ Deo) vtrumque munus habere potest, vt eruditè obseruant nost. Salmatic. Tom.2. Tract.7.disp 6. dub.4. §.2. Ergo nulli Creaturæ, suis viribus relictæ, potest esse hæc propotio *Deus est*, per se nota. Anteced. patet. Consequ. prob. Quod est notum in alio, & per aliud, tanquàm per rationem priùs cognitam, *vt quod*, non est per se notum. Ergo quia Deus quidditatiuè, & quantùm ad esse, (quia *esse* est de quidditatiuo cõceptu Dei) non est notus, nisi in alio, & per aliud, tanquàm per rationem priùs cognitam, *ut quod*, (& hoc respectu cuiuscunque intellectus creati suis viribus relicti) hæc propositio, *Deus est*, respectu eiusdem non erit per se nota. Ex quibus

Infero, quòd neque respectu sapientum, hæc propositio, *Deus est*, est per se nota. Tùm quia etiàm sapientes non cognoscunt exercitium existentiæ Dei, sed ad summum in actu signato tantùm attribuunt *esse* Deo in actu signato, quia nõ habent conceptum quidditatiuum Dei, vt optimè expendit noster P. Andreas à Cruce 1. p. qu.2. ar.2. disp.11. dub.4. Tùm etiam, quia non habent speciem representantem Deum per modum rationis incognitæ: quamuis, vt verum fatear, non videtur mihi sensus formalis quærere, verùm sapientibus sit per se notum, Deum esse? Si enim sapientem dicis, scientem supponis, nàm sapientia est perfectissima scientia. Ergo inuoluis demonstrationem, & discursum, per quem generatur scientia. Ergo in actu exercito sapiens cognoscit scientificè, idest, per demonstrationem, ideòque illud, quod cognoscit non potest esse respectu eius per se notum, vtpotè, quod est per demonstrationem cognitum.

§. 3. *Argumenta in contrarium cum suis solutionibus.*

PRimum argumentum in fauorem opinionis P. Andreæ contra ea, quæ diximus, non illam tantùm propositionem esse per se notam, in qua prædicatum clauditur in ratione subiecti. Nam Angel: Doctor de potentia quæst. 10. Art: 12, ex eo probat, non posse dici, quòd, *aliquam creaturam esse*, sit per se notum secundùm se, quia *esse* in nullius Creaturæ ratione perfectè includitur, cùm sit aliud ab eius quidditate. Ergo includi in ratione subiecti est ratio

tio constitutiua propositionis per se notæ, itaut illæ tantùm propositiones sint per se notæ, quarum prædicatum clauditur in ratione subiecti; aliàs non rectè intulisset S. Thomas (*Creaturam esse*) non esse propositionem per se notam ex eo, quia *esse* in nullius Creaturæ ratione clauditur, si semel posset esse aliqua propositio per se nota, in qua prædicatum non clauderetur in ratione subiecti.

Resp. Anteced: concesso, distin: Conseq. Ergo includi in ratione subiecti est ratio constitutiua propositionis per se notę, includi proximè virtualiter, vel formaliter: conc: sēper formaliter; nego.

Explicatur Solutio. Dupliciter enim potest includi vnum in alio, vt diximus suppositione quarta: vel formaliter, sicut includitur v. g. rationale in homine, & generaliter, quęcunq; pars metaphysica constitutiua speciei in specie, Vel virtualiter, sicut solent claudi effectus in suis Causis efficientibus: in quo continendi modo est sua latitudo, sicut & in ratione Causæ efficientis: sicut enim aliqua Causa efficiens est talis propriè, & rigorosè, alia, autē impropriè, & tantùm quodammodò, ità, cum continere effectum virtualiter sequatur rationem Causæ efficientis, aliquæ continebunt effectum propriè, & rigorose, aliæ aliquo modo tantùm, secundùm quòd minùs, vel magis perfectè participabunt de ratione Causæ efficientis. Quandocunque ergo prædicatum clauditur in ratione subiecti formaliter, vel virtualiter proximè, itaut per se, & immediatè sequatur semper rationē subiecti (sicut essentiam sequi solet prima passio, quam præcontinet essentia virtualiter, quia concurrit in genere causæ efficientis respectu ipsius, vt docent nost: Complut: in Phys:) erit propositio per se nota, & immediata: & omnis propositio per se nota affirmatiua debet habere prædicatum aliquo modo ex his, formaliter, scilicet, vel virtualiter, clausum in ratione subiecti, vt ex citata suppositione constat: ita quidem, vt ex negatione dictæ continentiæ optimè negetur ratio propositionis per se notæ. Et hinc est, quòd Angel: Doctor, attendens qualiter existentia in nullius Creaturæ ratione claudatur, nec formaliter, quia hoc est proprium solius Dei; nec virtualiter proximè; quia essentia creaturæ non concurrit efficienter ad existentiam, ac per consequens nec virtualiter pręcontinet ipsā. (Licet enim essentia creata respectu existentiæ aliquo modo videatur imitari rationem causæ efficientis, quia defert actionem causæ agentis ad ipsam; tamen, quia non defert illam, vt existens, quòd est de ratione causæ efficientis, quæ causat, in quantùm est, ideò ipsi efficientia respectu existentiæ, ac per consequens cōtinentia virtualis existentiæ in eadem essentia creata denegatur, vt ex supradictis de existentia creata patet) Angel: ergo Doctor, hoc attendens meritò negauit hanc propositionem, *Creatura est,*

esse

per se notam; non ex eo præcisè, quia *esse* in nullius creaturæ ratione clauditur formaliter; (hoc enim solum non obesset, vt patet in prima passione,) sed quia neque virtualiter clauditur; per quod soluitur probatio consequentiæ in Obiectione adducta.

Secundum argumentum contrà secundam Conclus. Propositio, quæ cognoscitur statim cognitis terminis, est propositio per se nota, etiam quoad nos. Sed hæc propositio, *Deus est*, statim cognitis terminis, cognoscitur. Ergo est per se nota &c. Maior, & consequ. patent. Minor verò prob. Dei nomine intelligimus id, quo maius in rerum natura cogitari non potest. Ergo qui audit, & intelligit nomen Dei, cognoscit Deum esse; quia si, vt debet, per nomen Dei intelligit id, quo maius cogitari non potest, attribuit illi *esse*, cùm euidenter maius, nobiliúsque sit id, quod *est*, quàm quod non est. Neque sufficit, si dicas, Deum esse in intellectu cognoscentis; nam qui tale solummodo *esse* attribueret Deo, profectò non intelligeret nomine Dei id, quo maius cogitari non potest; cùm maius sit, quod est in re, quàm quod est in intellectu tantùm. Ergo &c.

Ad hanc obiectionem, quam sibi 1. p. quæst. 2. a. 1. & 1. contr. Gent. c. 11. Angel. Doctor proponit. Respondet S. Doctor loco ex 1. par. citato: *Ad secundùm, quòd fortè ille, qui audit, hoc nomen, Deus, non intelligit significari aliquid, quo maius cogitari non potest, cùm quidam crediderint Deum esse Corpus, dato etiam, quòd quilibet hoc nomine, Deus, intelligat significari, quod dicitur, scilicet illud, quo maius cogitari non potest; non tamen sequitur propter hoc, quod intelligat id, quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectus tantùm; nec possit argui, quod sit in re, nisi daretur, quòd sit in re aliquid, quo maius cogitari non potest, quod non est datum à ponentibus, Deum non esse.* Eandem solutionem adducit, licet alijs verbis loco citato ex primo contr. g nt. Ex qua S. Præceptoris doctrina, sic in forma ad propositam obiectionem

Resp. primò, concessa Maiori, neg. Minor, ad cuius probat: negatur Antecedens relatum ad omnium hominum intellectum, quasi omnes homines nomine Dei intelligant id, quo maius cogitari non potest; nam sic debet referri, vt consequentia legitimè inferatur: falsum autem est, omnes homines nomine Dei, intelligere id, quo maius cogitari non potest; quia multi crediderunt, Deum esse Corpus; immò Diuinitatem indignissimis etiam rebus attribuebant Gentiles, quos deridet Sapiens Sapiētiæ 13. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est, neq; operibus attendentes agnouerunt, quis esset artifex sed aut ignem aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum aut nimiam aquam,*

aut Solem, aut Lunam, rectores Orbis Deos putauerunt, &c. Et in fine Capitis loquens de Idolis gẽtilium, quæ postquam descripsit, artificis manu facta, vota illis nũcupata perstringit ibi: *Et in parte ponens illud &c.* Vnde patet, quòd hi homines, qui tales Deos adorabant, non intelligebant nomine Dei id, quo nobilius cogitari non potest; nam euidenter videbantur incorporea, rationalia; imò omnia animalia, his, vita, & sensu orbatis, Dijs nobiliora esse.

Resp. secundò iuxtà secundum modum soluendi, quem porrigit S.Tho: in solutione citata, negando similiter Minorem primi argumenti, ad cuius probationem, admisso Antecedenti: disting: cõseq: & si intelligatur, quod intelligens, Deum esse id, quo maius in rerum natura cogitari non potest, attribuit illi *esse in actu exercito* à parte rei, neganda est Consequ: si verò intendatur, quòd attribuatur illi *esse in actu signato*, conced. Conseq: quia qui nomine Dei, intelligit id, quo maius cogitari non potest; & tamen negat, Deum esse: profectò negabit esse a parte rei, & in exercitio illud esse, quo maius cogitari non potest, sed ad summum illi nobilissimo cogitato attribuet esse in actu signato, nè illi actus perfectissimus desit, eo proportionali modo, (& est exemplum Caietani, 1. p. qu. 2. ar. 1. circa solutionem ad 2.) quo aliquis cogitans perfectissimum Oratorem, non solùm ex illis, qui sunt, sed etiam ex illis, qui esse, vel fingi possunt, non statim attribuit illi cogitato perfectissimo Oratori exercitium existentiæ; quia illum concipit perfectissimum, sed consideratis conditionibus nobilissimi Oratoris; eisq; illi cogitato Oratori attributis, attribuit illi, & esse existentiæ in actu signato, idest concipit illum cùm existentia; non tamen exercita: quia conciperet Oratores nõ possibiles, sed existentes, quibus illum præferret; sed ad summum dicit, quòd ille Orator, si talis, qualem concipit à parte rei, esset; perfectissimus Orator esset; sic in præsenti: Aliquis intelligens nomine Dei Ens, quo perfectius cogitari non potest, & negans Deum esse, (quod possibile esse, probare intendimus) attribuit Deo omnia prædicata, quæ ad nobilitandum aliquod Ens in summo concurrere possunt; ipsam etiam existentiam, sine qua cæteræ perfectiones nihil prodessent, attribuet, sed exercitium negabit ad summum, & dicet, quòd si tale ens esset à parte rei, nobilissimum esset. Nec valet illud, quod in fine obiectionis additur, quòd scilicet nobiliùs est, quod est in re, quàm quod est in intellectu tantum; quia ille non attribuit illi Enti nobilissimo *esse in intellectu tantùm*, alias illi attribueret, imperfectissimum *esse*, nempè esse entium rationis, sed attribuit illi *esse* verum, & reale, non quidem in actu exercito, sed in actu signato, quod ideò posset vocari Esse in intellectu; quia à parte rei non in-

Digitized by Google

inuenitur; quamuis illi nobilissimo Enti cogitato ab intellectu attribuitur.

Instabis. Ex doctrina istius solutionis sequitur, nomine Dei, nō intelligi à negante Deum id, quo maius, aut excellentius cogitari non potest, sed id, quo maius, aut excellentius cogitari non posset, si daretur; nàm tantùm fatetur, quòd perfectiùs omni Ente esset, si existeret à parte rei; quòd quia illi negat, etiam illud ob defectū exercitij existentiæ entibus existentibus postponit. Ergo non habet notitiam completā huius nominis, Deus, quod significat id, quo maius cogitari actu non potest, quam notitiam, si haberet, prorsùs attribueret Deo esse, prout intendebat Obiectio.

Resp. supponendo, dupliciter nos posse de rerum perfectione loqui, vel in actu exercito, vel in actu signato. In actu signato quidem; quandò comparamus rerum essentias, inter se, præciso exercitio existendi, vt v. g. quandò comparo essentiam hominis cum essentia lapidis, & dico, essentiam hominis longè perfectiorem esse essentia lapidis. In actu verò exercito; quando comparo res existentes, vel vtrasque vel vnam existentem cùm alia non existente; & hoc modo aliquid potest esse imperfectius alio, quo fuit secundùm primam comparationem perfectius, v. g. lapis existens est perfectior, quia actualior homine non existente, vtpotè cui maxima perfectio deest, nempè *esse*; quòd tamen non tollit quominùs homo absolute, & sine ulla restrictione, vel reduplicatione loquendo, sit perfectior lapide, & hoc ideò, quia excessus in perfectione, competit rebus, secundùm suas rationes essentiales, & specificas, quamuis cùm ordine ad existentiam, de quo supra, quo respexit Philosophus, cùm dixit: *Species esse, sicut numeros*, idest in perfectione inæquales, quo supposito, ad propositam instantiam.

Resp. negando illatam ex doctrina nostræ solutionis sequelam. Vere enim negans Deum esse, poterit nomine Dei, intelligere ens, quo perfectius cogitari non potest; quia ipsi nobilissimam naturam, & proprietates, naturam consequentes attribuit, quas nullum ens existens assequi potest: quòd autem non attribuat existentiam, tātùm sequitur, quod in actu exercito quodlibet ens existens iudicet perfectius illo ente, quod concipit, & hoc ob defectum solius exercitij existentiæ; non tamen in actu signato, & quantùm ad essentialia, secūdùm quæ attenditur excessus in perfectione specifica, vel generica: Itaquè negans, Deum esse, poterit cogitare ens perfectissimum, quo perfectius cogitari non potest in actu signato, quamuis ob carentiam existentiæ exercitij, etiam ipsius perfectionis illi exercitiū denegabit.

Tertium argumentum contra eādem Conclus: est. Quod à quolibet homine sine vllo discursu, sed simplici intuitu cognoscitur, illud est homini per se notum,

Sed *Deum esse* à quolibet homine simplici intuitu, & sine vllo discursu cognoscitur. Ergo &c. Maior patet,& prob: Minor,nam quod ab homine cognoscitur in primo instanti vsus rationis, cognoscitur sine discursu, & simplici intuitu; quia illud vnicum instans non patitur discursum. Sed Deum esse, cognoscitur in primo Instanti vsus rationis,nam in sententia Angel: Doct: puer in primo instanti vsus rationis tenetur se conuertere ad Deum, & quod si se non conuerteret, peccaret. Ergo pro illo instanti debet scire, Deum esse;quia si nesciret, neque peccaret, licet se ad Deum non conuerteret; neque simpliciter se conuertere posset ad eum, quem esse nesciret,&c.ignoti enim nulla cupido,&c.

Resp. Concedendo maio: & negando min: ad cuius probationem dicimus, Puerum in instanti vsus rationis non teneri conuertere se ad Deum explicite: nam ad hoc prærequireretur pro tùnc cognitio existētiæ Dei, (vt optime probat argumentum) quam tamen multi infantes non habent,sed sufficit, quòd se conuertat ad Deum implicite faciendo scilicet id, quod Deus vult, v.g. fugiendo malum,& inquirēdo bonum, quod lumine naturæ monstrante cognoscit tale; ad quod, (vt patet) non prærequiritur cognitio explicita existentiæ Dei. Hæc solutio est S. Tho: de Verit:quæst: 4. art: 11. ad 1. Potest circa hæc videri Tomus 4. Salmat: de peccatis Disp:20. dub.1.

Quartum argumentum (seù potiùs instantia ex solutione præcedentis Obiectionis accepta)est; quia homo lumine naturæ cognoscit bonum,& malum, malum scilicet culpæ, nempè peccatum. Ergo lumine eiusdem naturæ cognoscit Deum esse, sine aliquo discursu, & tanquàm Obiectum ipsi per se notum. Anteced: patet; nam si in instanti vsus rationis debet amplecti bonum, & fugere malum, vtrumq; debet cognoscere, aliàs quomodo posset hoc fugere, illud verò amplecti? nisi vtrumque cognoscens,discernat inter vtrumque. Conseq;verò prob: quia peccatum est dictum, factum, vel cogitatum contra legem Dei, vt illud Theologi definiunt;Vnde si Deus non esset,& peccatum nullum esset, iuxta cōmunem Theologorum opinioné. Ergo si homo sine discursu cognoscit bonum, & malum in instanti vsus rationis, cognoscit eodem modo & Deum esse, aliàs si ignoraret inuincibiliter, Deum esse,neque peccatum cognosceret. Ergo &c.

Resp.concedendo Anteced: & negando Consequ: ad cuius probat: fatemur, non existente Deo, nullum esse peccatum: tùm quia nulla esset lex Dei, contra quam posset delinqui:tùm etiam,quia nullus esset,qui posset delinquere: sublata enim prima Causa, nihil remanet cæterorum; tamen non sequitur,quòd qui non cognoscit, Deum esse,non potest peccare;est enim magna differentia inter esse, & cognosci: etenim etsi aliquis ho-

Digitized by Google

homo non cognosceret explicitè, Deum esse, habet tamen dictamen rationis ostendens, malum esse fugiendum, & bonum amplectendum, & ipso lumine naturæ discernit, etsi non in omnibus, saltim in aliquibus, inter bonum, & malum, ideoq; etiamsi, Deum esse, ignoret, tamen peccabit dictamini rationis contrauieniendo: iam autem, Deo non existente, dictamen rationis non esset, vnde nec peccatum.

Quintum argumentum. Inter Principia practica, hæc propositio est per se nota, (*Deus est colendus.*) Ergo etiam est per se nota, (*Deus est*). Nam si Deus est colendus, debet esse, quia nec de Deo imaginabili, nec de possibili dicimus, colendum esse. Vnde Aristot: 1. Top: cap. 4. inquit: *Pœna eos, non ratione, indigere, qui dubitant, vtrùm Dij honorandi sint.*

Resp. disting: Anteced: Hæc propositio (*Deus est colendus*) est per se nota, speculatiuè; nego: practicè; concedo. Quod enim practicè est per se notum, debet priùs esse notum speculatiuè, quia Intellectus extensione fit practicus: ac proinde, si sit obiectum super excedens, & improportionatum intellectui (quale est esse Dei) poterit præcognosci speculatiuè per discursum, licet practicè sit per se notum.

Resp. secundò, istam propositionem, (*Deus est colendus*) practicè consideratam, dupliciter posse sumi; vel absolutè, vel ex suppositione. Si absolutè sumatur, non est per se nota nobis: si enim absolutè non est per se notum nobis, Deum esse, neque erit absolute per se notum, Deum esse colendum; cùm enim aliquid coli actu non possit, nisi quod actu habet existentiam, actualis cultus Dei supponet Deum actualem. Si ex suppositione, tùnc est nobis nota ex suppositione; hæc enim propositio (*Deus est colendus*) resoluitur in istam conditionalem, (*Si Deus est, colendus est*), quæ est euidens ex terminis: communiter autem, & absolute solet enunciari, *Deus est colendus*, supponitur enim existentia Dei aliunde cognita. Plura, si placet, in hac materia videri possunt apud P. Andream à Cruce loco cit: supra, & P. Blasium in Metaph: disput: 9. qu. 1.

Sextum argumentum, & vltimum. SS. Patres videntur docere oppositum huic nostræ Conclusioni. S. Damasc: enim lib. 1. suæ Theologiæ Cap. 1. dicit: *Omnes gentes habent prænotionem quandam cordibus insertam, atque cum illis natam, quòd Deus est.* Idem tenet Anselmus in libello contra insipientes, & Hieronymus supra Iob: Cap. 36.

Resp. primò, SS. Patres loqui de præcognitione Dei in communi, in quantùm nobis est per se notum, esse beatitudinem, veritatem, &c. Cæterùm hoc non est simpliciter cognoscere Deum, quamuis Deus sit nostra beatitudo, & veritas prima, sicut cognoscere venientem non est cognoscere Petrum, quamuis Petrus sit veniens. Vnde multi putabant, bea-

Digitized by Google

beatitudinem summam consistere in voluptatibus, vel diuitijs, vel in alijs, quæ vtique Deus non sunt. Et licet sit nobis per se notum, dari Veritatem in communi, non tamen primam Veritatem, quæ est Deus, quia sicut in causis, ita & in veritatibus non est per se notum, non dari processum in infinitum.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Quid est Entis Increati, seu quale non sit.

POst quæstionem, *An est*, Entis Increati, siue Dei, sequitur discutienda quæstio de *Quid est Dei*. Et quamuis non humanum tantùm, sed omnis creati intellectus captum hæc excedant, secũdùm quòd nihilominùs radius Diuinitatis sub creaturarum velaminibus lucere potest, conandum est de ineffabili aliquid effari, & de incomprehensibili aliquid apprehendere, ad illuminationem mentium nostrarum deseruiens, iuxtà illud Prophetæ: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur.*



QVAESTIO I.

Vtrùm Essentia Entis Increati sit Ens simplicissimum, omnis expers compositionis.

SVpponendum primò, Compositionem, aliam esse physicã, aliam metaphysicam, aliam logicam. Physica rursus, alia est essentialis, quæ est ex materia, & forma; alia Accidentalis ex subiecto, & forma accidentali. Metaphysica verò compositio est illa, quæ consurgit ex partibus metaphysificis, seu ex essentia, & existentia, ex Natura, & subsistentia. Logica tandem, ex partibus rationis coalescens, quæ & Compositio rationis vocari solet, est compositio ex genere, & differentia, &c. Sic igitur S. Thomas 1. p. quæst. 3. de simplicitate Dei tractans, per omnes hasce compositiones discurrit, easdem remouendo à Deo, vt ita concludat tandem, Deum esse Ens simplicissimum: ad cognitionem enim Diuinæ Essentiæ perfectiùs peruenimus, per negationes ostendendo, quid non est, quàm per affirmationem, vti docet D. Dionysius de cœlesti Hierarchia cap. 2.

Supponendũ est secundò, quòd sicut in omni alia re, sic etiam in Diuina Essentia, primum *quid*, quod possumus concipere, est ratio entis, non qualiscunque, sed entis à se, seu necessarijssimi, ad quam, vt ad rationem à priori,

qu;

Digitized by Google

omnes aliæ in Deo inuentæ consequuntur. In primis enim consequitur quodãmodò ratio Actus puri. Nàm eo ipso, quòd Deus sit Ens omninò necessarium, hoc est, quod omninò necessariò est, seu existit, & ita ab intrinseco est determinatum ad esse, (hoc enim explicat conceptus necessarij) *esse*, seu existentia debet esse de essentia ipsius, aliàs non essentialiter ipsi, sed accidentaliter competeret, cùm quidquid est extrà essentiam reí, accidentaliter ipsi competat, præsertim, quando sub opposito eius cõcipi potest; quod de ente omninò necessariò, respectu existentiæ, verificari nequit: iam verò hoc ipso, quòd existentia sit de conceptu quidditatiuo entis omnino necessarij, sequitur, quòd illud sit actus purus; actus enim ille purus dicitur, qui caret omni potentialitate, idest, qui ad nihil est in potentia: Ens autem, de cuius conceptu quidditatiuo est ipsum *esse*, ad nihil est in potentia, quia tota latitudo entis, proindè omnis perfectio, clauditur intra terminos essentiæ, & existentiæ, tanquàm intra primũ, & vltimum; & ita, quod essentialiter fuerit existens, sic actu, & essentialiter in se includens terminos totius latitudinis entis, respectu omnium erit in actu, ac per consequens ad nihil in potentia; ergo erit actus purus. Ex quo deinde sequitur summa immaterialitas; hæc quandoquidem fundatur in actualitate: in ente autẽ necessario, vtpotè actu puro, inuenitur summa actualitas; ergo & immaterialitas, quam sequitur infinitas. *Esse* namque, conceptum quidditatiuum intrans, est per se subsistens, & irreceptum; ergo, & illimitatum, seu infinitum, quia actus, sicut & *esse*, non limitatur, nisi à suo receptibili, quod est potentia; irreceptum igitur *esse*, & per se subsistens, non erit limitatum, ac proinde infinitum. Quibus præmissis, quamuis non sit difficultas inter Authores circa exclusionem compositionis realis à Deo, eiusque essentia, aliqui tamen tenent, posse admitti in Deo compositionem logicam, seu rationis, quæ est ex genere, & differentia: quæ sententia tribuitur aliquibus Nominalibus, in eamq; inclinat Vasquez in 1.p. disp. 22. cap. 3. Pro resolutione

Dicendum primò, in Deo non datur Compositio physica ex materia, & forma, nec ex subiecto, & accidentali forma. Ita D. Thom: 1.p.q.3.a.2.& 6. Probatur, in Deo nulla realis potentialitas potest inueniri. Ergo nec compositio physica. Conseq: patet, quia in hac realis potẽtialitas inuenitur, scilicet, materia, vel ratio subiecti respectu formarum accidentalium. Antecedens constat, nàm in actu puro nulla realis potentialitas inuenitur, cùm hæc excludatur à puritate actus. Sed Deus est actus purus, vt ex præsuppositione secunda patet. Ergo &c. Hinc deducitur etiam, quòd in Deo nec compositio metaphysica possit inueniri. Nàm inter componentia debet dari distinctio; compositio enim, ex vi nominis, est

Digitized by Google

plurium in vnum positio; quod sine distinctione inter componentia stare nequit. Sed esse, & essentia in Deo non distinguuntur, cùm sit suum esse subsistens, & actus purus, vt modò dictum est. Ergo nec faciũt compositionem metaphysicam. Circa hæc videri possunt rationes efficacissimæ Diui Thomæ loco cit.

Dicendum secundò. In Deo nec rationis etiam, siue logica compositio admittenda est, ex genere, scilicet, & differentia. Prob: ratione desumpta ex D. Tho: Cõpositum ex genere, & differentia, includit aliquid potentiale. Sed in Deo nil potest inueniri potentiale. Ergo neque compositio ex genere, & differentia. Maior constat; quia genus, cùm sit indifferens quid, & determinabile à differentia, vt ab actu sibi correspõdente, debet esse potentialis quædam ratio. Ergo compositum ex genere &c. Minor etiam patet: quia in actu puro, qualem esse Deum ostensum est, nihil potest inueniri potentiale.

Dices. Ratio potentialis generica, quam in Deo ponunt aliqui, fundatur in nostris conceptibus, & non in Deo, proindè nihil oberit puritati actus in ipso inuentæ. Sed

Contra. Vel illa ratio potentialis generica itá fũdatur in nostris conceptibus, quòd nostri conceptus habeant aliquod fundamentum in re, vel ita, quòd absque vllo fundamento talis ratio concipiatur, & confingatur. Si primum, Ergo illa ratio potentialis non tantùm fundatur in nostris conceptibus, sed etiam in ipso Deo, & sic falsa solutio. Si secundum. Ergo sicut non inuenitur in re concepta illa ratio potentialis generica, sic nec compositio rationis ex illa, & ratione differentiali consurgens, ac per consequens fingitur à nostro tantùm intellectu sine vllo fundamento. Sed

Replicabis fortè, quòd licet ratio generis in creatis debeat concipi, vt quid potentiale, & cum fundamento in re, tamen in Deo, sufficit, vt concipiatur ad modum rationis communis, quamuis non potentialis, sicut dùm concipitur ratio substantiæ in illo comparatiuè ad esse intellectiuum.

Contra est primò. De ratione generis est, quòd sit quid potentiale. Ergo si in Deo concipitur, aliqua ratio etiam communis, & non vt potentialis, non habebit conceptum generis. Cõseq. patet. Anteced: prob: de ratione generis est, quòd non contineat actu differentias sui contractiuas, sed sit in potentia contrahibili ad illas. Ergo de ratione illius erit quid potentiale. Anteced. patet. Si enim genus actu cõtineret differentias, cùm vnaquæque species participet totum, quod actu est in genere, quælibet species, haberet in se omnium specierum differentias, & sic vna ab alia non differret, vtpotè easdem habens differentias, quod est absurdum. Ergo de ratione generis est, &c.

Contra est secundò. Non potest cõcipi ista ratio communis,

Digitized by Google

quæ ingrederetur compositionẽ; quia vel illa ratio esset ens, vel substantia. Non potest esse ens; quia hoc non est quid vniuocum, sed analogum *Deo*, & Creaturis, vt supra dictum est; deinde ens est transcendens, includiturq; in omnibus formalitatibus, & differentijs: iam autem genus, vt modo dictum est, debet esse extra differentias. Nec potest esse substantia, quia Genus prædicamenti substantiæ habet aptitudinaliter tantùm, seù radicaliter esse per se, & deinde substare accidentibus; esseq: subiectum contrariorum habet per modum proprietatis. Sed *Deus* non potest habere hãc perseitatem aptitudinalem, seù radicalem; conuenit enim illi sẽper actualis, & exercita; est enim suum esse per se subsistens; non potest quoque substare accidentibus, aut esse subiectum contrariorum; est namque, & debet esse ab intrinseco immutabilis. Ergo substantia non potest esse genus, seù ratio communis, ex qua Deus componitur. Ex dictis iam concluditur, & generaliter

Infertur, Deum esse ens simplicissimũ omnimodè; cùm enim simplicitas sit negatio compositionis, & Deus non possit dici absolutè compositus; aliàs non esset prima Causa, vt docet S. Thomas; quod enim est compositum, debet supponere causam adunantem extrema diuersa, ex quibus fit compositum, dum conueniunt in vnum; immò Deus non esset ens primum; compositum enim est posteriùs partibus, vel extremis componentibus totũ; iam verò priùs, & posteriùs in Deo inueniri non potest; excludit igitur Deus absolutè compositionem; In particulari quoq; loquendo, excludit compositiones quascunque tales, vt probatum est; nam non est compositus ex materia, & forma; quia est sũmè immaterialis ab omni materia, & potentialitate abstractus; nec ex actu, & potentia; quia est actus purissimus; nec ex subiecto, & accidente; quia est immutabilis; nec ex natura, & supposito; quia est per se subsistens; nec ex essentia, & existentia; quia est suum esse; nec denique ex essentia, & attributis, aut relationibus; quia inter ista non datur distinctio aliqua actualis, formalis, aut modalis, vt infra ostendetur. Cùm igitur non restet alius compositionis modus, præter enumeratos, si his omnibus Deus caret, concludendum est, quòd *Deus* sit entitas simplicissima; immò ipsa eminentissima Simplicitas, quam describit Boetius in prosa de Trinit: sic: *Simplex esse, simplex posse, Simplex velle, simplex nosse. Cuncta sunt simplicia.*

Soluuntur Argumenta contraria.

PRimum argumentum probat, quòd in Deo ad minùs compositio rationis admitti debeat. Compositio per conceptus nostros non obstat puritati actus in Deo inuentæ. Sed compositio

rationis, qualis est ex genere, & differentia, est per conceptus nostros. Ergo non obstabit puritati actus &c. Minor communiter admittitur. Maior probat: sine detrimento purissimæ simplicitatis Dei, ponimus distinctionem inter attributa Diuina, & iterum componimus, & constituimus Deum per nostros conceptus imperfectos: similiter ex essentia, & relatione componimus Personam. Ergo compositio per conceptus nostros imperfectos non obstat &c.

Confirmatur. Non repugnat in Diuinis concipi aliquod prædicatum, vt contrahibile, & aliquod, vt determinans, & contrahens. Ergo neque per modum generis, & differentiæ. Siquidem differentia non habet aliã actualitatem respectu generis, nisi determinare illud. Anteced: prob: tùm in absolutis, tùm in relatiuis. In absolutis; quia concipimus substantiam Dei, vt prædicatum commune, & intellectiuum, vt prædicatum magis determinatũ, & tale intellectiuum, scilicet actus puri, vt vltimò determinatum, &c. In relatiuis autem; quia Persona, & relatio Diuina concipitur, vt communis secundùm rationem, ad hanc, & illam personam, vt docet D. Thom: 1. p. qu. 30. a. 4. Ergo non repugnat, aliquid concipi in Deo, vt contrahibile, & determinabile; aliquid verò, vt contrahens, & determinans. Denique Deus potest concipi, per modum termini communis sine singularitate. Ergo etiam vt contrahibilis per singularem differentiam; sicut etiam Angelus potest concipi, vt contrahibilis per differentias indiuiduales, licet in re non possit illas habere, ideò solùm; quia concipitur ad instar rerum corporearum. Ergo similiter Deus conceptus ad instar corporearum creaturarum poterit concipi, vt communis, & contrahibilis.

Resp. ad primum argum: distingu: mai. Compositio per conceptus nostros non obstat puritati actus, &c. Compositio, quæ fit penès maiorem explicationem, seu expressionem eiusdem actualitatis. Concedo, quæ fit per additionem vnius ad aliud per modum determinationis actus, & potentiæ. Nego. Mai: Eodem modo distingu: Min: & neg: conseq: Itaquè prima compositio nõ repugnat puritati actus; quia verè non est compositio, sed summa identitas, & simplicitas, ex parte rei, consistens in eminentia quadam, ratione cuius, vnico nostro conceptu imperfecto, explicari non potest, & ideò additur vnus conceptus ad alium, tanquam explicans eminentiam illam, non tanquam addens, aut accumulans aliquid non inclusum in priori conceptu, seù contrahens id, quod sit magis potentiale. Secunda autem compositio per rationem omninò repugnat Deo, qui est Actus purus; quia aliquid potentialitatis præsupponit, quæ in actu puro nullo modo inueniri potest. Eodem modo intelligi debet compositio relationis, seù per-

so-

Digitized by Google

sonæ cùm essentia, aùt vnius attributi cum alio, non per additionem, seù alicuius actualis ad potentiale, sed per summam identitatem, & simplicitatem, qua vnum actu est aliud.

Ad Confirmationem resp. neg: anteced. Ad cuius primam prob. dicendum est, substantiam Dei posse concipi prædicatum commune secundùm præcisionem negatiuam, hoc est concipiendo ipsam naturam, & non singularitatem. Concedo: secundùm præcisionem positiuam, ità quòd accipiatur vnum, vt vniuersale, & contrahibile, per modum potentialitatis, & aliud per modum contrahentis determinantis, & actus. Nego anteced: Itaque Natura Diuina potest concipi sine singularitate, proinde, vt quid commune secundùm præcisionem negatiuam; quia adhoc, non requiritur, quòd concipiatur cum aliqua potentialitate, sed sufficit, quod non adæquatè concipiatur à nobis, concepta eius quidditate, & non modo singularitatis; sicut concipitur natura sine personis, & vnum attributum sine alio; non quia concipitur, vt in potentia ad illud, sed vt actu includens; non tamen actu exprimens illud: vt autem eadem natura concipiatur secundùm præcisionem positiuam, vt contrahibilis scilicet, & multiplicabilis ad plura singularia, requiritur, quòd talis natura concipiatur, vt non includens singularitatem ipsam, seu vt existens in potentia ad illam, quòd repugnat conceptui Actus puri.

Ad secundam probat. resp: verbis Angel. Doct: ex loco citato 1.p.quæst.30.art.4. ad tertium: *Licet personæ communitas sit communitas rationis, & non rei, tamen non sequitur, quòd in Diuinis sit vniuersale, vel particulare; genus, vel species. Tùm quia neque in rebus humanis communitas personæ est communitas generis, vel speciei. Tùm quia Personę Diuinæ habent vnum esse in se; genus autem, & species, & quodlibet vniuersale prædicatur de pluribus secundùm esse differentibus.*

Ad vltimum patet ex dictis. Licet enim Deus possit concipi, vt communis quasi negatiuè; non tamen positiuè, tanquam genus, vel species. Nec est simile de Angelo; huic enim conuenit compositio ex actu, & potentia, & sic conuenit etiam ratio generis; & licet species Angelica non distinguatur à principio indiuiduante; tamen si concipiatur inadæquatè sine singularitate, (sicut etiam potest concipi Deus) non solùm illa species redditur subijcibilis, sed etiam ex vi illius inadæquati conceptus redditur prædicabilis de multis non repugnanter; quia sic concipitur, vt in potentia ad plura, non quæ actu illi conueniant, sed non repugnanter, quantùm est ex vi talis conceptus inadæquati, licet aliundè repugnent plura indiuidua, si adæquatè concipitur natura Angelica: at verò natura Diuina, etiam inadæquatè concepta per imperfectos nostros conceptus, non potest reddi prædicabilis, etiam non repugnan-

ter; quia repugnat conceptui actus puri concipi in potentia ad plura (quod requiritur ad prædicabilitatem speciei) cùm ratio actus puri excludit omnem potentialitatem; sine concepta verò actus puri non concipitur natura *Diuina*, ac proinde nullo modo poterit concipi, vt vniuersalis, & prædicabilis.

Secundum argum: In *Deo* datur compositio ex natura, & supposito. Ergo &c. Anteced: est S. Tho: 1.p. quæst. 3. art. 3. vbi docet, naturam, & suppositum in *Deo*, eo modo se habere, sicut se habent in his, quæ non sunt composita ex materia, & forma. Sed in talibus suppositum, & natura faciunt compositionem; cùm distinguantur inter se, vt idem S. *Doctor* docet Quodlib. 2. art. 4. Ergo in *Deo* &c.

Resp. negan. anteced: Ad cuius probat: dicendum est, S. Doctorē comparasse carentiā compositionis physicæ cùm Deo, quantùm ad identitatem naturæ, & suppositi, secundùm ea, quæ importat suppositum in illis, tàm radicaliter, quàm formaliter sumptum; Et quia radicaliter acceptum non distinguitur à natura in immaterialibus; nam suppositum radicaliter sunt principia indiuiduantia radix subsistentiæ, quæ quidem principia in substantijs immaterialibus nō distinguuntur à principijs specificis, & consequenter à natura, ideò concludit S. *Doctor*, quòd sicut in illis, sic in *Deo* suppositum, & natura non differant, nec proinde faciant compositionem; quia tamen substantiæ immateriales eo ipso, quòd creatæ, non habent tantam immaterialitatem, vt omnem prorsùs excludant potentialitatem, etsi suppositum radicaliter in ipsis acceptum, identificetur cum natura; non tamen formaliter sumptum pro vltimo actu, & cōplemento lineæ substantialis; quia ob sui potentialitatem, & defectum puritatis actus, non possunt pertingere à prima potentialitate lineæ substantialis, vsque ad vltimam actualitatem ipsius, quæ est actus subsistentiæ absque distinctione reali; è contra verò, quia Deus est summè immaterialis, & purus actus absque vlla reali distinctione, pertingit ad vltimum actum constitutiuum suppositi; ac proinde in illo suppositum, & radicaliter, & formaliter sumptum, non differt à natura, sicque nec facit compositionem, secus in Angelis.

QVAESTIO II.

Quænam ratio *ex rationibus in Deo inuentis sit constitutiua Naturæ Diuinæ formaliter sumptæ.*

QVamuis ista Quæstio ordinariè tractetur à Theologis, vt videre licet apud nost: Salmat: Tract. de sciētia Dei, disp. 4. dub. 1. & 2. quia tamen Me-

taphysica sortitur aliquo modo etiam nomen Theologiæ, incipiēdo tractare intra suam abstractionem de Ente increato, & natura Dei, vt entitas improducta est, permittendum est ipsi, vt rudi saltim mineruâ rationē Entis increati, & naturam Diuinam sub præciso conceptu naturę per pręcisionem suam Metaphysicam attingat. Pro quo

Supponendum est primò. Non posse nos de illa simplicissima, & eminentissima entitate aliter discurrere, nisi per conceptus nostros imperfectos, & præcisiones Metaphysicas vnum conceptum præscindendo ab alio, & considerando vnum non cōsiderato alio; non tamen absolutè negando, vnū includi in alio, & sic dupliciter fit ista præcisio. Primò per non inclusionem; quando aliquid, ita segregamus mente ab alio, quod non habeat illud, sed sit in potentia ad illud, dicendo hoc non est illud absolutè, hoc excludit illud. Secundò per non expressionem; quando aliquid includit quidem actu aliud, sed non exprimit, nec explicat illud, & sic à nobis concipitur quidem inclusum, sed non sub expresso conceptu, nec explicitè, ad similitudinem in creatis; vbi etiam talis pręcisio potest fieri v.g. dum concipitur homo sub conceptu generis proximi, scilicet animalis, & vltimæ differentiæ, scilicet rationalis, concipitur essentia hominis, quamuis non explicet gradus superiores, scil. corpus, substantiam; qui tamen gradus sunt homini essentiales, & sic essentia hominis ab istis gradibus non præscindit præcisione exclusiua, quasi illas rationes essentiales, & gradus non includat, vel sit in potentia ad eos, sed præcisione non expressiua, seù per nō expressionem, seu per non explicationem; quia licet ibi includantur, nihilominus ibi non exprimuntur. Sic ergo Essentia v.g. Diuina, dicitur præscindere ab attributis, & rationibus, quas includit; nunquam enim ab illis sic præscindit, quod maneat in potentia ad illa, sed potest explicare sic vnum, quod non aliud, licet omnia essentialiter includat, quia non plenè, & totaliter explicatur totum, quod pertinet ad essentiam.

Supponendū est secundò. Naturam Diuinam, ex vi prædictæ præcisionis, duplicem posse habere conceptum. Vnum communem cum alijs, quando concipitur sub conceptu entitatis increatæ, entitatis à se, vel substantiæ per essentiam. Alterum propriū, & expressum; quando concipitur, vt est radix operationum, & eorum, quæ concipiuntur per modum proprietatum, & quasi passionum dimanantium in *Deo*. Consequenter, vt est ratio à priori attributorum; Natura enim sub conceptu expresso naturæ, concipitur tanquam id, quod est principium motus, & quietis in se. In præsenti non quærimus de natura primo modo sūpta; sic enim non intelligitur constitui, sed transcendi cum omnibus *Diuinis* à ratione entis à se: & ista quasi con-

Digitized by Google

constitutio, in ratione entitatis increatæ, per ens à se, seù aseitatem, vt aliqui nominant abusiuè; nam hoc modo potiùs dicitur transcendentia, quam constitutio, de qua transcendentia vide supra Tractatu 1. disput. 2. quæst. 2. & disput. 4. quæst. 4. Quæstio igitur currit de natura, vt est radix attributorum. Quid est illud, quod naturam constituit in ratione radicis attributorum, & operationum? per quid talis expressus conceptus vltimatè consurgit in essentia Diuina? Loquimur autem hic de constitutiuo per simplicitatem, qualis est, dum *D*eitas constituit *D*eum, & Paternitas Patrem, secundùm illa, quæ in recto dicit; constitutiuum enim per compositionem, quæcunque illa sit, iam est exclusum ab entitate simplicissima in præced. quæst: in constitutione autem per simplicitatem constituens tantum ponit seipsum, nec inducit distinctionem.

Supponendum est tertiò. Nomine rationis, aut rationum in titulo quæst: non intelligimus, rationes transcendentales, vel communissimas, quales sunt ratio entis increati, entis Diuini, entis à se, substantiæ increatæ per essentiam, &c. nam absolutè rationes transcendentales, (etiam in creatis, vt v.g. ratio entis, vnius, Boni) non sunt constitutiuæ rerum in certo, & determinato gradu naturæ, nec intrant conceptũ, aut definitionem rei; vt colligitur ex Caietano de ente, & essentia, cap. 4. dicente: *Non oportet omnia prædicata essentialia poni in definitione, sed ea tantùm, quæ explicant alium gradum essentialem definiti, qualia non sunt transcendentalia, de quibus dictum est quod eundem gradum prædicant, quem genus, & differentia important*. Vide in illo puncto. Neque etiam sumitur ly ratio, in titulo pro aliqua ratione ex particularibus v.g. ratio iustitiæ, ratio misericordiæ, ratio præmiandi, puniendi, &c. quia ex his nulla potest constituere, nec intrare conceptum naturæ, sed omnes supponunt naturam constitutam. Intelligitur ergo ly ratio, pro formali, & essentiali ratione ex illlis, quæ propriè concipiuntur, vt gradus quidam essentiales, ad constituendam naturam aliquam in creatis requisiti, & istæ rationes essentiales possunt concipi tres, *Esse*, scilicet *Viuere*, & *Intelligere*, (quatuor enim gradus entis ad constituendam aliquam naturam, vt docent cum Aristot: nost: Complut: in lib: de Anima, scilicet essendi, viuendi, sentiendi, & intelligendi, excluso igitur à Deo gradu sentiendi ob imperfectionem, quam inuoluit, erunt solùm tres enumerati, qui ad Deũ translati debent concipi, vt habiti à se, ne dicantur communes Deo cum creaturis, vel adstruatur in Deo conuenientia in esse, viuere, & intelligere creato. De his ergo rationibus currit difficultas præcipuè. Vtrum istæ rationes (intellige, vt à se habitæ) concurrant simul ad constituendum, nostro modo imperfecto intelligendi, conceptum naturæ Diuinæ

sumpta

Digitized by Google

sumptæ sub conceptu formali naturæ, & si concurrunt, quænam ratio ex istis habeat se ad instar quasi rationis differentialis, & constituentis essentiam Diuinam in ratione radicis attributorum. Quod vt clariùs percipiatur.

Supponendũ est quartò. Sicut essentia completa (ad cuius similitudinem concipimus Essentiam Diuinam) in creatis petit gradum communem contrahibilem, vel etiam plures communes, & gradum differentialem, tanquam contrahentem, ad hoc, vt proprietates, & attributa ab illa dimanent, sitque radix operationũ (prædicti enim gradus prius in re concipiuntur) ita Essentia diuina, adhoc, vt in ratione radicis attributorum concipiatur, videtur petere, ex tribus prædictis rationibus scilicet, ex *esse, viuere,* & *intelligere* (non enim aliàs rationes cõcipere possumus, cùm iam excluserimus à constitutiuo rationes transcendẽtales, & communissimas) rationem essendi, & viuendi, tãquam gradus quosdam contrahibiles, rationem autem intelligendi, tanquam rationem, quasi contrahentem ad constituendam vnam rationem naturæ Diuinæ, & sic adhuc extenditur difficultas: Vtrum essentia Dei (supposita priùs inclusa in se ratione essendi, & viuendi) hoc ipso, quod concipiatur ipsa, vt includens intelligere actuale, statim concipiatur habere rationem, quasi differentialem constitutiuam sui in ratione radicis attributorum: An statim dicat in recto intelligere, ita vt ante intelligere actuale nulla præsupponatur ratio concepta à nostro intellectu per modum, quasi differentiæ, aut constituens in ratione recti, & ita quod essentia, & intelligere quoad rectum, nullo modo distinguãtur etiam virtualiter inter se, sic igitur sensu quæstionis explicato, coincidunt facilè sententiæ, ex quibus vna adstruit sufficienter constitui naturam Diuinam in ratione naturæ per rationem substantiæ spiritualis à se, vel entitatis increatæ (præcisa intellectualitate, & intelligere.) Alia dicit requiri quidem intelligere, sed radicale tantùm, seù in actu primo, non in actu secundo sumptum. His tamen non obstantibus.

Dicendum est primò. Rationem Substantiæ spiritualis à se, vel per essentiam, rationem entis increati, vel infiniti, &c. non esse rationem constitutiuam naturæ Diuinæ formaliter sumptæ. Probatur Conclus. fusè à Salmat. vbi & instantiæ contra rationes soluuntur loco citato, vltra quas rationes adducitur alia. Si Substantia spiritualis per essentiam, vel alia ratio ante conceptum intellectionis, esset constitutiua naturæ, sequeretur, scientiam Dei, & alias virtutes intellectuales non esse attributa ordinis istius. Sed hoc est contra Theologos, qui præter cognitionem illam in essentia Dei, vt in causa respectu creaturarum, concipiunt in intellectu Diuino terminationem cognitionis ad essentiam Diuinam, vt habet emi-

nen-

nenter esse rationem agibilium, & sic ponunt Prudentiam, vt habet rationem per se notæ, & sic ponunt intelligentiam, vt habet rationem factibilium, & sic Artem, vt habet rationem altissimæ Causæ; & sic sapientiam, quæ ipsam scientiam dicit. Ergo &c. Sequela prob. De ratione attributi est, quod sit perfectio necessaria formaliter, existens in Deo, consequens naturam illius. Sed scientia Dei, & aliæ virtutes intellectuales, non essent perfectiones consequentes naturam Dei. Ergo &c. Maior patet ex communi cõsensu, & infra sequenti disput. patebit. Minor prob. Perfectiones istæ sunt intellectuales. Ergo non consequuntur essentiam per substantiam spiritualem à se constitutam. Anteced. patet; non sunt enim ex parte voluntatis se tenentes, quales sunt in Deo affectiuæ, v.g. Misericordia, Iustitia, &c. Conseq. prob. Perfectiones, quæ consequuntur aliquam naturam, vel essentiam, debent ab illa participare immediatè illud, in quo conueniunt; ratione enim istius consequuntur naturam; aliàs non esset ratio, quare consequerentur hanc essentiam, & non aliam. Sed istæ perfectiones; non participarent immediatè ab essentia, per spiritualitatem a se constituta illud, in quo conuenirent, scilicet esse intellectuale; non concipitur enim iuxta Aduersarios intellectualitas, nec esse intellectiuum, ante rationem spiritualitatis per essentiam.

Probatur secundò

bet constitui, per illum conceptum qui facit naturam differre à conceptu illo, qui est attributum, vel relatio, vel alia ratio; debet enim esse distincta in ratione radicis attributorum, ab attributis, & alijs, quæ ipsam consequi concipiuntur. Sed conceptus substantiæ spiritualis à se, vel ratio entitatis increatæ, infinitæ, & similes, non faciunt differre naturam ab alijs; quia sunt communes attributis, relationibus, & imbibuntur in omnibus Diuinis rationibus. Ergo &c.

Confirmatur. Per rationem entis à se, vel substantia spiritualis per essentiam intelligitur, non esse ab alio, vel non habere *esse* ab alio, siue vt à causa, siue vt à principio. Sed non esse ab alio, tam vt à Causa, quàm vt à principio, non potest esse constitutiuum, vel distinctiuum naturæ ab alijs, nec potest esse conceptus naturæ formaliter sumptæ. Ergo &c. Maior patet ex æquipollentia. Minor prob: quia non esse ab alio, vt à causa, est commune Attributis, & Relationibus: Non esse ab alio, vt à principio, nõ potest esse conceptus proprius naturæ; quia in Filio Natura Diuina est formaliter, & tamen est ab alio, vt à principio, scil. à Patre. Ergo &c.

Dicendum secundò. Ratio cõstitutiua Naturæ Diuinæ, sub conceptu naturæ, est sola [illegible] actualis, & in a[illegible] [illegible]

dicens: *Sentire, & intelligere quandoque accipiuntur pro quibusdam operationibus: quandoque autem pro ipso esse sic operantium.*

Probatur Conclus. Ratio constitutiua naturæ *Diuinæ* debet esse quid supremum, & actualissimũ in gradu, & linea intelligendi; ad hunc enim gradum entis, qui est supremus inter alios requisitos ad naturam aliquam constituendam, debet pertinere natura supremi, & actualissimi entis; & ex isto gradu pro ratione constitutiua, & quasi differentiali, debet desumi id, quod est supremum, & vltimum in illo gradu. Sed nihil actualius, & superiùs, potest esse in gradu intelligendi, nisi ipsa actualis intellectio, seù intelligere in actu secundo. Ergo ista ratio intellectionis erit constitutiua naturæ *Diuinæ*. Maior patet. Minor ostenditur; Quamuis enim aliæ rationes sint actuales in linea intelligendi, habent tamen admixtum, vel de conceptu potentialitatis, vel de ordine aliquo ad aliquid, vt patet de intellectione radicali, intellectu, specie, obiecto, &c: & sic nulla formalitas ita est absoluta in sua actualitate, sicut intellectio, cùm sit vltimus conceptus, exprimens vltimam actualitatem lineæ intelligendi: ratio autem constitutiua naturæ debet esse omnimodè absoluta, cùm sit constitutiua alicuius omnimod[...] [ab]soluti, qualis est natura [...] ei; q[...]

specificatiui virtualis. Ergo &c.

Confirmatur; quia, facta comparatione conceptuum in linea intelligendi, nullus ipsorum exprimit maiorem actualitatem, vel vltimam in hac linea, sicut ipsa intellectio. Ergo nullus est actualior ipsa. Anteced: patet ab enumeratione. In linea enim intelligendi isti possunt esse conceptus; Intellectus, Species, Obiectũ, Ratio radicalis principij, Operatio, Esse intellectiuum subsistens. Sed ex his, nullus ita exprimit conceptum vltimæ actualitatis ordinis intelligibilis: Non intellectus, aut Ratio radicalis; quia hæc cõcipiuntur per modum actus primi, sicut & species concipitur, vt in actu primo fæcundans Intellectum, & sic cum potentialitate quadam. Essentia quoque Diuina, vt exprimit rationem obiecti, non exprimit vltimam actualitatem; quia adhùc restat ipsa intellectio. Neque *esse* ordinis entitatiui; quia potest adhùc concipi, vt actuabile per *esse* ordinis intelligibilis, quamuis absque distinctione virtuali. Neque existere absolutè, proùt dicit vtrumque esse entitatiuum, & esse intelligibile; quia meliùs exprimitur per intelligere; nàm hoc significat vtrumque munus; est enim intelligere subsistens. Neque *esse* subsistens; non enim explicat peculiare munus vitalitatis, aut operationis vitalis, immò viuere, vtpotè abstractius, prædicatur non solùm de operatione, sed etiam de *esse* in viuentibus, vt dicit Philos. 3. de An: tex: 137. In viuentibus viuere

est esse. Neque intellectio sub cõceptu operationis; quia, sic sumpta, supponit in linea intelligendi quid priùs seipsa, scilicet principium, à quo concipitur egredi, cùm enim ex conceptu suo sit quædam emanatio, supponit principium intelligens vitale; vnde operatio, ex conceptu suo, includit semper *esse ab*, sicut relatio semper dicit ex conceptu suo *esse ad*. Et confirmat dicta ipse S.Tho. quæst:1. de Poten.art.1.ad.1.dicendo: *Esse autem de ratione operationis, habere principium, non de ratione essentiæ*. Igitur à sufficienti enumeratione non restat in gradu intelligibili, quod sit magis expressiuum vltimæ actualitatis, præter ipsam intellectionẽ actualem, seù in actu secũdo sumptam.

*D*ices. *Esse* est cõceptus actualior, & magis expressiuus; est enim quid abstractius, quàm ipsum intelligere, siquidem abstrahit ab ipso intelligere, & à contentis sub intelligere: iam verò forma, quæ abstrahit à forma, cum qua comparatur, & ab illis, quæ subduntur illi formæ, consequenter quæ abstrahit à pluribus, est abstractior, atque actualior.

Resp. Supponendo, locutionem fieri de *esse* abstracto abstractione formali, aliàs falsum esset, si de abstractione totali sumeretur. Et cùm dicitur: *Esse* est abstractius, resp. disting. est abstractius secundùm rationem, inquantum dicit formam vniuersaliorem, & ampliorem. Concedo; est abstractius secundùm rem. Nego; quia sic sunt vna formalissima entitas, ex parte nostri modi concipiendi distincta.

Ad probat. resp. Illa forma est abstractior, &c. quæ abstrahit à pluribus disting. si inter illa plure non inueniatur æquiualens ipsi in perfectione. Concedo; si inueniatur. Nego: & sic est in præsenti; nàm inter illa intelligere, à quibus dicitur *Esse* abstrahere, inuenitur Intelligere *D*iuinum, quod cõtinet quidquid est actualitatis, & perfectionis in *Esse*; sicut quàuis Ens abstrahit a Deo, & Creaturis, non tamen dicitur abstractior ratio entis, vel actualior, quàm Deitas; quia *D*eitas dicit totam perfectionem, & plenitudinem entis.

Soluuntur Argumenta.

PRimum Argumentum. Ratio constitutiua Naturæ Diuinæ non potest esse quid distinctum virtualiter à Natura, debet enim esse eiusdem lineæ. Sed intelligere distinguitur virtualiter à Natura, & *esse* Dei, vt dicit S.Thom: 1.p.q.26.ar.2. *In Deo non est aliud esse, & intelligere secundùm rem, sed tantùm secundùm intelligentiæ rationem*. Ergo &c. Nec potest explicari S. Doctor de distinctione rationis ratiocinantis, & ex parte nostri modi concipiendi; quia idem in 1. ad Anibald: distinct.35. qu.1. art.2.ad 3. explicat se, dicens: *Sicut intelligere est idem in re cum essentia, sed differens ratione, ita & velle*. Sed velle, vtpotè alterius lineæ, distinguitur ratione ratiocinata, & virtualiter. Ergo

Digitized by Google

Ergo, & intelligere.

Resp. valere solutionem datã; loquitur enim de intelligere sciẽtifico, non de essentiali: iam verò intellectio, sub conceptu scientiæ, est attributum, & distinguitur virtualiter ab intelligere constitutiuo Essentiæ, sicut & velle, vt deducunt nost. Salmatic. Tract. de Scient. Dei, disp. 1. dub. 4. Vel etiam potest explicari, quòd ibi sumat Essentiam Dei sub conceptu transcendentali substantiæ increatæ, entis increati: hoc modo autem, sicut intelligere, sic & velle, distinguitur virtualiter.

Secundum Argumẽtum. Ratio constitutiua alicuius non debet aliquid supponere in re; est enim ipsa quid primum in re. Sed intelligere supponit nostro modo cõcipiẽdi quid prius, supponit enim rationem principij; est enim operatio; hæc autem ex suo cõceptu dicit emanationem quandam à principio. Ergo &c.

Resp. negando minorem. Ad probat. Operatio supponit rationem principij; disting: Operatio finita, & limitata, quæ formaliter tantùm est operatio. Concedo. Operatio infinita, quæ eminenter formaliter habet rationem operationis. Nego: talis enim operatio est formalissimè ipsum operans, & tale est intelligere Dei, quod eminenter habet rationem operationis, & identificatur cum specie intelligibili, cum principio radicali, & proximo, & alijs, non secùs, ac Anima rationalis continet eminenter formaliter vegetatiuum, & sensitiuum, estque in homine principium viuendi, & sentiendi.

Tertium Argumentum. Intelligere Dei supponit obiectum, in quod tendat. Sed hoc non potest esse aliud, nisi Essentia Dei, seu Natura. Ergo supponit illam. Ergo non constituit. Minor patet. Maior suadetur; quia si non supponeret obiectum, haberet seipsũ pro obiecto. Ergo, cùm esset intellectio sui ipsius, esset actus reflexus, qui in Deo esse non potest.

Resp. Supponit suppositione nostro modo intelligendi, sed identificatum omnibus modis cũ intelligere, sine vlla distinctione virtuali, vt loquitur S. Thom. 1. p. q. 14. ar. 2. *In Deo intellectus, & intellectum sũt omnibus modis idẽ.* Ad probat. resp. Intelligere posse esse actum reflexum, & directum simul eminenter: reflexum quidem; est enim intelligere sui directum; quia non habet aliud obiectum, ad quod per se primò tendat.

Instabis. Intellectio non potest esse primum intelligibile. Ergo debet supponere intelligibile, seu obiectum distinctum ratione. Conseq. patet. Anteced. prob. Volitio non potest esse primum volibile, vt docet S. Thom: 1. 2. q. 1. a. 1. Ergo nec intellectio &c.

Resp. disting. Antec. in creatis. Concedo; in Diuinis. Nego. Ad probat: dicendum, S. Doctorem loqui de volitione, & volibili in creatis, non in Diuinis. Et ratio est; intellectio enim in creatis causatur ab obiecto, & intell. actu, &

sic, ne sit idem causa sui ipsius, debet supponere obiectũ distinctum: intellectio autem Diuina non est quid causatum. Rursus assignari potest ratio disparitatis; volitio enim, cum sit inclinatio consequens ad naturam, supponit aliquid prius, scilicet bonum naturæ, quod debet primò velle: intelligere autem non, cùm sit prima operatio Naturæ intellectualis, & id; à quo originantur aliæ.

Quartum Argumentum. Terminus Naturæ non potest esse constitutiuum Naturæ; terminus enim est quid posterius. Sed intellectio actualis est terminus Naturæ; est enim existentia ordinis intelligibilis. Ergo &c.

Resp. verum esse de termino, qui est talis formaliter, non qui est eminenter formaliter terminus, qualis est intellectio illa Diuina, eminentèr continens propria, & Naturæ, & termini Naturæ; cumque Natura, & terminus Naturæ sint eiusdem lineæ, æquiualentia illa, vtpotè pluribus ad eandem lineam pertinentibus, nõ inducet distinctionem virtualem, & sic potest intellectio illa obire munera, scilicet, munus cõstitutiui, & munus termini Naturæ, seu existentiæ; sicut ob istã rationem eminentiæ, & æquiualentiæ in Verbo, potuit Verbum vniri Humanitati Christi in ratione termini, non in ratione Naturæ, in ratione existentiæ, & subsistentiæ ordinis entitatiui, non existentiæ ordinis intelligibilis.

Alia argumenta solidiora possunt videri in nostris Salmaticens; loco citato.

DISPVTATIO TERTIA.

De Attributis Dei in communi.

Postquam determinatum est, dari existentiam Dei, & eius Essentiam, seu Naturam, esse radicem omnium Diuinarum perfectionum, ordo rectus postulat, vt de ipsismet perfectionibus Diuinis, quæ nomine Attributorum veniunt, agamus. Sit igitur.

QVAESTIO I.

An, & quid sit Attributum Dei.

Supponendũ primò, quòd Attributum, ex vi nominis, idem sonat, ac prædicatum quoddam, quod alicui, tanquam subiecto, per prædicationem attribuitur. Illæ ergo perfectiones Diuinæ, respectu quarùm Essentiam Diuinam concipimus, habere se per modum subiecti, eique illas, vt tali, per prædicationem attribuimus, habebunt nomen, & rationẽ attributorum, vt ex definitione, aut quasi definitione attributi infrà patebit. Circà primum punctum quæstionis, scil: quoad *An*

est

ipsi attributi, non est tanta difficultas; soli enim Nominales sunt, qui dicunt, rationem attributi nō esse aliquid intrà Deum, sed tantùm intra intellectum nostrum.

Dicendum primò. Dantur in Deo perfectiones attributales. Probatur. Dantur in Deo perfectiones conceptibiles extrà essentiam ipsius per modum proprietatis fluentis ab essentia, & in essentia. Ergo dantur perfectiones attributales. Conseq; patet; quia hæc est ratio attributi, vt ex sequenti Conclus: constabit. Anteced: verò prob: Esse bonum, iustū, misericordem, est dicere aliquas perfectiones in Deo; non enim ipsi debent negari, cùm nulla ipsi desit perfectio. Sed huiusmodi perfectiones sunt conceptibiles extra Essentiam Dei, quia Essentia Dei consistit in intelligere, vt supra ostensum est: Misericordia autem, Iustitia, &c. conceptibiliter sunt extra intelligere, quia sunt perfectiones affectiuæ Voluntatis, potiùsq; important velle, quod est distinctæ lineæ ab intelligere. Deinde per modum proprietatis; nam perfectio necessariò consequens essentiam concipitur per modum proprietatis; vt patet etiàm in nobis: recensitæ autem perfectiones necessariò Essentiam Diuinam consequuntur, & non contingenter, vt examinanti patet. Ergo &c.

Dicendum secundò, quòd Attributum Dei sit ratio quædam absoluta, necessariò, & formaliter in Deo existens, conceptibiliter subsecuta, seù nostro modo intelligendi ad Essentiam per modum cuiusdam proprietatis totalis, & in certa quadam, quasi specie cōstituta. Couclusio hæc est descriptio Attributi ex S. Damasceno, à Salmatic: Tom: 1. Tract: 3. disp: 1. dub: 4. §. 3. adducta. Et quia definitiones, vtpotè prima principia non probantur, sed supponūtur tota; & præcipua probatio huius Conclusionis consistit in explicatione allatæ descriptionis. Ponitur ergo in primis *Ratio* loco generis; quia est communis ad rationem Naturæ absolutam, & relatiuam. Deinde *absoluta* ad excludendas Relationes *Diuinas*, quæ licet formaliter, & necessariò sint in Deo, & consequantur cōceptibiliter, hoc est ex nostro modo intelligendi, Essentiam Diuinam, ex quo tamen nō sunt rationes absolutæ, sed relatiuæ, non possunt esse proprietates attributales Diuinæ Essentiæ, sed personales. Dicitur *necessariò, & formaliter in Deo existens*. Tum, vt ostēdatur, Attributum Diuinum non esse quid confictum ab intellectu, aut ipsi contingenter competens, contra Nominales. Tum, vt à ratione Attributi excludantur illa, quæ solùm virtualiter continentur in Deo, vti sunt Creaturæ possibiles, sicut & ea, quæ liberè, prout est volitio libera *Dei*, quatenùs talis, formaliter in eo existens. Dicitur *subsecuta ad essentiam*, hoc est, virtualiter, vel secundùm nostrum modum intelligendi fundatum in re, ad excludendas omnes rationes essentiales à ratione Attributi, quamuis

sint,

siue, quasi genericæ, vt est ens, substantia, viuens, intellectiuum, aut quasi specificæ, vti est ratio essendi à se, intelligere per essentiam; Rationes enim essentiales non subsequuntur, sed sunt quid primum inter omnia. Dicitur *per modum proprietatis totalis*, ad excludendas omnes rationes partiales in Attributo inclusas, vti est v.g. Idea talis, vel talis Creaturæ, quæ non est attributum, sed aliquid in illo inclusum. Vltimò ponitur *in certa quasi specie &c.* vt per hoc distinguatur, tùm à rationibus cõmunibus, siue transcẽdentalibus, quæ in eisdem attributis, aut alijs Diuinis rationibus includuntur; tùm etiam à rationibus quasi differentialibus ipsorũ attributorum; nam etsi istæ duæ rationes, scil: communis, & quasi differentialis concurrant ad constituendum Attributum; neutra tamen ex illis, cum præcisione sumpta, rationem Attributi habet, vtpotè inadæquata ratio illius.

Soluuntur Argumenta.

PRrimum argumentum. Attributum debet esse perfectio consequens essentiam. Sed in Deo non potest dari talis perfectio. Ergo neque ratio Attributi. Maior patet ex descriptione Attributi. Minor prob. Consequi aliud, importat posterioritatem, & posterioritas imperfectionem. Sed in Deo perfectio immixta imperfectioni dari non potest. Ergo &c.

Resp. negando minorem. Ad cuius probat: dist: posterioritas dependentiæ importat imperfectionem. Concedo; posterioritas intelligentiæ. Nego. Et hoc patet præcipuè in originibus; nam Filius concipitur, quasi posterior Patre posterioritate intelligẽtiæ, & originis; quia ille ab hoc, & nõ hic ab illo procedit; in quo tamen nulla est imperfectio, quia nulla dependentia inuoluitur, vbi est omnimoda æqualitas, & Naturæ identitas.

Secundum Argumentum est Nominalium. Omnis ratio attributi dicit distinctionem ab essentia. Sed nulla ratio intrinseca inuenta in Deo distinguitur ab essentia. Ergo nullum Attributum est intrinsecum. Maior patet ex supra dictis. Minor prob: Non enim distinguitur realiter; quia talis distinctio repugnat Dei simplicitati: nec ratione; quia ratio non potest distinguere extrinsece, quod in re est intrinsece, & essentialiter. Ergo &c.

Confirmatur. Data distinctione, etiam per rationem, inter essentiam, & attributa, vel illa distincta fierent vnum per compositionem rationis; & hoc non; quia tolleretur omnimoda simplicitas, vt ex supra dictis patet; vel per aggregationem, & hoc etiam non; quia obstat summæ vnitati Diuinæ, cum vnum per aggregationem, etiam rationis, faciat vnum per accidens, saltim rationis, inuoluens imperfectionem. Ergo nulla poterit inueniri distinctio inter Essentiam, & At-

tributa Diuina, & consequenter nullum Attributum.

Resp. negando minorem. Ad probat. dicendum, rationem illam, in Deo inuentam, distingui per intellectum, cum fundamento tamen in re. Nec obest probatio in contrarium; nam licet aliqua essentialiter competant rei, si tamen habeant conceptus obiectiuos distinctos, possunt per rationem cum fundamento in re distingui, vt patet in animali, & rationali, quæ includuntur in essentia hominis. Ad Confirmat. respond. Essentiam, & Attributa esse vnum in Deo, non per compositionem, neque per aggregationem, sed per simplicitatem. Non primum; quia nulla, etiam rationis, potentialitas potest inueniri componens cum actualitate, vt dictum est supra. Non secundum; quia plura, facta vnum per aggregationem, afferunt plures existentias; vnum siquidem per aggregationem consurgit ex pluribus in actu existentibus: in Deo autem vnica, & simplicissima est existentia absque vlla, etiam virtuali, multiplicitate; igitur rationes illæ plures, in ipso inuentæ, nec erunt vnum per aggregationem, etiam rationis, sed per simplicitatem consistentem in summa actus puritate.

Tertium Argumentum contra secundam Conclus. Actus Dei liber est aliquod Attributum Dei. Sed hic, secundùm quòd talis, nō est perfectio necessariò, sed liberè in Deo existens. Ergo non erit de ratione Attributi, quòd sit perfectio in Deo necessariò existens. Maior prob. quia actus liber in Deo est aliqua perfectio, cùm libertas actus in suo conceptu nō includat imperfectionem. Sed non est perfectio essentialis, nàm libertas consequitur Voluntatem, quæ non est in Deo perfectio essentialis, vtpotè extra lineam intellectualem. Ergo attributalis, & sic attributum. Minor verò primi syllogismi patet: potuit enim non esse, potuit non terminari. Ergo actus liber in Deo non est perfectio necessariò; sed liberè in Deo existens.

Resp. dist. mai: Actus Dei liber est aliquod Attributū, entitatiuè. Cōcedo; terminatiuè. Nego. Min: similiter distinguenda: non est perfectio necessaria in Deo existens, sumpta entitatiuè. Nego; terminatiuè. Concedo. Nam, entitatiuè, est ipsamet formalitas necessaria Diuinæ voluntatis: cōstat autem, quòd formalitas necessaria Diuinę Voluntatis necessariò inueniatur in Deo; at verò quia fundare relationem rationis, hanc, vel illam ad Creaturas, ad quas talis volitio secundariò terminatur, non necessariò, sed liberè competit Diuinæ volitioni, hinc est, quòd prædicta perfectio actus Diuini liberi (terminatiuè) non necessariò in Deo, inueniatur. Sed circa hæc explicanda immorari non est huius loci. Videantur, cui placet nostri Salmatic. Tract. de Voluntate Dei, disput. 7. de actu libero dubijs decem.

QVÆ-

Digitized by Google

QVAESTIO II.

Quonam modo distinguantur Attributa Diuina, tùm inter se, tùm ab Essentia Dei.

CIrca præsentem quæstionem (omissis alijs sententijs) duæ sũt præcipuæ. Prima est Scoti asserentis, Attributa Diuina ab Essentia nõ distingui realiter, neque per rationem solam, vt alij sentiunt, sed distinctione quadam media, quam vocat *ex natura rei*; quam distinctionem tradit in 1. dist. 2. quæst. 7. & alibi. Ad quam sententiam reduci possunt, qui agnoscunt, actu dari distinctionẽ ante intellectum. Secunda verò est S. Thomæ, & Thomistarum, qui inter Attributa, & Essentiam, ponit distinctionem rationis ratiocinatæ, idest habentis fundamentum in re; quæ etiam solet vocari eminentialis, virtualis, fundamentalis: non autem actualis, nisi per intellectum. Pro decisione

Supponendum primò, in Schola subtilis Doctoris, in genere distinctionis à parte rei quatuor poni species. Primò, distinctionem realem simpliciter, & positiuè talem, qualis inuenitur inter rem, & rem, vel inter rem, & modum. Secundò, ex natura rei, quæ consistit in hoc, quod à parte rei verificetur contradictio inter aliqua, sicut v. g. quod à parte rei Pater sit incommunicabilis, & Essentia communicabilis. Tertiò, formalem, quæ est, quando datur ista contradictio inter duas formalitates. Quartò, essentialem, quam tùnc inueniri dicunt, quando contradictio verificatur inter duas naturas, seu quidditates, siue tales naturæ, & quidditates identificentur cum alijs in aliqua entitate, siue non. An verò distinctio ex natura rei, & formalis sint diuersæ, an reducantur ad vnam, etiam inter ipsos Scotistas dissensio est; quia tamen in hac doctrina de distinctione ex natura rei non modica æquiuocatio latet.

Supponendũ est secundò. Aliud esse, aliqua non identificari inter se ex vi principiorum formalium; aliud verò, quòd sint absolutè formaliter distincta. Primum negat solùm vnam causam identitatis; admittit verò identificationẽ à parte rei, ex alijs principijs. Secundùm verò negat omnem identitatem, ideoque affert omnimodam diuisionem, & distinctionem. Sicut v. g. quando quæritur in Logica: Vtrùm natura creata habeat vnitatem formalem positiuè communem? aliud est dicere, naturam non esse diuisam ex vi principiorum formalium, & aliud habere vnitatem formalem vnam absolutè. Primum concedũt nost. Complut: nam certum est, Petrũ, & Paulum non distingui ex vi principiorum formalium, sed tantùm materialium. Cæterùm secundum meritò negant; quia, vt absolutè idem essent in natura, deberent ex nullo alio capite realiter distingui; hinc apparet subtilitatem Scoti esse potiùs locutionem

Digitized by Google

tionem reduplicatiuam, quàm specificatiuam, ita vt sicut admitti potest, Petrum, & Paulum non distingui formaliter reduplicatiuè, licet habeant formas distinctas specificatiuè: sic vult Scotus, Sapientiam, v. g. & Iustitiam in Deo non esse idem formaliter ex vi principiorum formalium; quia hæc etiam saluantur in creatis; nō tamen specificatiuè; cum aliundè, ex modo scilicet illimitato conueniant in eandem formam; & hæc videtur esse mens Scoti in 1. dist. 2. quæst. 7. vbi docet, non tàm dicendam esse distinctionem formalem, quam negationem identitatis formalis, & secundùm hunc modum dicendi, non adeò discedit à communi sensu Thomistarum; verùm quia discipuli Scoti in sensu specificatiuo doctrinam eius defendunt, dissentiūt à Thomistis.

Supponendum est tertiò. Scholam Thomisticam solùm agnoscere duplicem distinctionem, realē, & rationis; sub reali continetur etiam modalis, quæ realis modalis vocatur, mediam inter istas duas non agnoscit. Ad præsens seruit distinctio rationis, quæ duplex est: Alia est rationis ratiocinantis, alia rationis ratiocinatæ. Prior est, quæ fit per solum intellectum, pro suo libitu multiplicantis, & distinguentis rem, quæ nec actu, nec virtute est multiplex & nullum ex parte rei conceptæ, seù obiecti habet fundamentum; quam distinctionem D. Tho. 1. p. q. 41. art. 4. ad 3. vocat distinctionem solùm ex modo significandi, v. g. Petrus est Petrus, vbi Petrus, vt prædicatum à Petro, vt subiecto distinguitur ex solo modo significandi, & ita sine fundamento in re. Posterior autem distinctio, scilicet rationis ratiocinatæ est quidem distinctio per intellectum, sed cùm fundamento in re concepta: Fundamentum autem istud est virtualis quædam distinctio, siue quædam eminentia rei, quæ vnica existens, plures rationes, seù perfectiones continet in aliquo esse, sicut eadem anima rationalis plures perfectiones animæ, scilicet vegetatiuæ, & sensitiuæ continet; sicut etiam lumen Solis, licèt sit vnum actu, nihilominus ratione caloris, siccitatis contentæ, concipitur distinctum, & multiplex. Iam vero fundamētum prædictæ distinctionis ex parte nostri intellectus est imperfectio ipsius, non concipientis adæquatè omnes illas rationes obiecti, sed diuersis conceptibus eas attingentis.

Supponendum est quartò, & aduertendum circa istam distinctionem rationis, dupliciter illam fieri. Primò per actum iudicatiuū affirmando vnum non esse aliud, sed inter se distingui. Secundò per simplicem apprehensionem, apprehendendo vnum sine alio, non tamen iudicando, vel affirmando, vnum non esse aliud. Ad primam, vt sit vera, & cùm fundamento requiritur distinctio in re; veritas enim est per adæquationem ad id, quod est in re. Ad secundam sufficit multiplicitas virtualis, vel eminentia rei, seù

Rrrrr æqui-

æquiualentia pluribus distinctis, præcipuè ad diuersas lineas spectantibus. Generaliter igitur loquendo, adhoc, vt illam formet intellectus, non semper opus esse, iudicare ita esse in re, sicut ipse apprehendit, sed quod res det fundamentum aliter apprehendēdi, quàm sit in se, & ideò dici solet, quòd *abstrahentium non est mendacium*; quia iudicium regulatur penes rem, vt est: apprehensio autem penès conceptibilitatem, quæ importat rem, vt habet modum essendi in intellectu, qui potest esse alius à modo essendi in re. Et hinc notat D.Thom.1.p. q. 84. ar. 1. Platonicos deceptos fuisse, dùm à modo essendi rerum in intellectu, arguebant, dari idæas separatas in re, sicut concipiebant in intellectu.

Supponendum est quintò: Intellectum nostrum istam distinctionem rationis per apprehensionem dupliciter facere. Primò, per abstractionem totalem vnius conceptus ab alio. Secundò per non expressionem vnius conceptus in alio. Primum affert secum exclusionem conceptum, ita vt vnus præcisus ab alio per modum superioris remaneat in potentia respectu illius; sicut genus excludit differentiam, & è contra. Secundum solùm affert, non explicationem alicuius implicitè importati; sicut in conceptu speciei importatur genus, & in conceptu entis importatur proprietas, & è contra.

Tandem aduertēdum est, quòd prædicta distinctio rationis ratiocinatæ ab alijs soleat vocari Virtualis, Fundamentalis; Virtualis quidem; quia ob eminentiam rei, plurificatus in inferioribus perfectiones, in se vnitas continentis, virtute æquiualent pluribus, & distinctis. Fundamentalis autem, quia licet intellectui præbeat fundamentum illas vnitas perfectiones distinguendi; non tamen inueniret actu ante intellectum distinguentem. His suppositis.

Dicendum est primò. Attributa Diuina non distinguuntur ab essentia Dei, aut ab inuicem realiter, nec ex natura rei, siue actu ante intellectum Sensus Conclus. est: Attributa Diuina, & essentia non tantùm communicant in eadem entitate à parte rei, sed etiam in ead ē formalitate, itaùt antè operationem intellectus non se habeant, vt actu alia, & alia formalitas absoluta in Deo. Sic S.Tho: Opusc:9. expresè ait. Prima pars Conclus. probata remanet ex probatione secundæ partis; nam si Attributa non possunt distingui ex natura rei; à fortiori neque realiter. Secunda autem pars sic.

Probatur primò. Attributa Diuina non distinguuntur realiter entitatiuè. Ergo neque realiter formaliter, seù secundùm suas formalitates à parte rei. Antèced: patet ex eo, quia in Diuinis omnia sunt idem, saltim entitatiuè, vbi non adest oppositio relatina. Consequ: prob: Radix quare perfectiones, & attributa Diuina non distinguantur entitatiuè, sed potiùs sunt idem, est quia sunt per-

fe-

fectiones simpliciter simplices illimitato modo habitæ, & ob hoc sunt compatibiles, nec se excludentes. Sed hæc radix inuenitur in illis, secundùm suas formalitates formalissimè sumptis; quia etiam secundùm illas sunt perfectiones simpliciter simplices, atque illimitato modo in Deo inuentæ; sunt enim meliores ipsæ, quàm non ipsæ, idest habentes compatibilitatem, vt explicat Caietan: ad inuicem, nec afferunt differentias se excludentes, propter quod etiam dicuntur ex cõceptu suo super prædicamentales: quia non definiuntur ad determinatum genus. Ergo &c.

Confirm: primò. Distinctio formalis à parte rei oritur ex oppositione differentiarum formalium, ratione cuius se excludunt. Sed hæc repugnat in Diuinis: quia sola oppositio relatiua potest admitti in Deo, vt optimè probat D. Thom: quęst: 10. de Potentia a. 5. Cæteræ namq; omnes oppositiones, dicunt imperfectionem, vt cum Caietano docent nost. Salmatic: in Tract: de Trinit. Ergo non datur in Deo aliqua distinctio formalis inter Attributa à parte rei.

Confirmatur secundò. Duæ rationes, (vt benè aduertunt nost: Salmatic: Tract: 2. disp: 1. n. 20.) possunt identificari in tertia, vel per modum contrahibilis, & contrahentis, sicut genus, & differentia; vel per modum transcendentis, vt in Diuinis, in quibus admittunt Scotistæ, non dari cõceptum ex genere, & differentia; hinc arguo sic: Vbi datur identitas transcendentiæ, non datur exclusio vnius formalitatis transcendectis ab alia; quia datur pertingentia vsque ad vltimam differentiam. Ergo neque distinctio formalis; quia hæc oritur à differentijs se excludentibus. Sed Attributa Diuina identificantur inter se, per modum transcendentis; quia sunt in Diuinis, vt dictũ est. Ergo non distinguuntur etiam formaliter.

Probatur secundò Conclusio ex infinitate, & simplicitate Dei. Quodlibet Attributum Diuinum est infinitum in genere entis, & actus purus, etiam secundùm suam formalissimam rationem. Ergo non debet distingui ab essentia, aut ab alio Attributo à parte rei formaliter. Anteced: patet; quia in Deo quæuis ratio est ens à se, & actus purus realiter loquendo. Conseq; vero prob: nam si distingueretur à parte rei, sicq; excluderet illud, esset in potentia ad perfectionem illius; quia ipsi debetur, vtpotè in ratione entis perfectissimo, & non actu includeret rationem formalem perfectionis ipsius. Ergo non esset actus purus, & infinitus in ratione Entis; actus siquidem purus in ratione entis excludit omnem potentialitatem: Similiter non esset summa simplicitas in Deo, si vnũ Attributum ex natura rei distingueretur ab alio; sic enim esset aliqua compositio, vel aggregatio saltim plurium à parte rei in Deo, quæ omnia excludunt omnimodam simplicitatem. Ergo &c.

Digitized by Google

Dicendum est secundò. Inter Attributa Diuina, & essentiam datur distinctio rationis ratiocinatæ, & cum fundamento in re; & non solùm rationis ratiocinantis. Probatur in primis authorit. D. Thom. in 1. d. 2. q. 1. a. 3. vbi hæc habet: *Quòd pluralitas istarum rationum non tantùm est ex parte intellectus nostri, sed etiam ex parte ipsiusmet Dei, in quantum sua perfectio superat vnamquamque conceptionem nostri intellectus, & ideò pluralitati istarum rationum correspondet aliquid in re, quæ Deus est, non quidem pluralitas rei, sed plena perfectiò, ex qua contingit, quòd omnes istæ conceptiones ei adaptentur.*

Probatur ratione. Distinctio rationis ratiocinatæ est distinctio per intellectum, habens fundamẽtum in re concepta, vt patet. Sed talis est distinctio inter Attributa Diuina, & essentiam Dei. Ergo est rationis ratiocinatæ. Maior ex suppositis patet. Minor prob: Fundamentum distinctionis ratiocinatæ ex parte rei conceptæ, est eminentia ex parte ipsius, ob quam, vnica existens, plures perfectiones continet in vnico esse; ex parte verò intellectus concipientis est imperfectio eiusdem, propter quam vnico conceptu nõ potest attingere adæquatè omnes illas rationes in obiecto, & ideò multiplicat conceptus. Sed totum hoc inuenitur respectu Essentiæ, & Attributorum Diuinorum. Ergo &c. Maior ex supra dictis patet. Minor etiam ex præcedenti Conclus. est manifesta; quia omnes perfectiones Attributorum in Deo realiter formaliter sunt vnum, vt ostensum est, & sic est eminentia quædam rei conceptæ, plures rationes vnitas possidens, quas noster intellectus vnico conceptu adæquatè attingere non valet, vt examinanti patet. Ergo &c.

Soluuntur argumenta in contrarium.

PRimum argumentum. Potest dari distinctio formalitatum, licet identificentur in vna tertia entitate. Ergo malè inferimus ex identitate formalitatum in vna tertia entitate Diuina communicationem formalem earundem in ipsa. Consequ: patet. Antec: prob: Tres relationes Diuinæ identificantur cum essentia, & non distinguuntur realiter inter se propter oppositionem relatiuam. Ergo ob rationes formales oppositas possunt sic comparari formalitates absolutæ inter se, & cum essentia. Rursus actio, & Passio iuxta sententiam plurium Thomistarum identificantur cùm motu, & inter se realiter distinguuntur. Ergo &c.

Resp. disting. anteced: Potest dari distinctio formalitatum fundata in oppositione relatiua. Concedo: in alio genere oppositionis, loquendo de Diuinis. Nego. Per quod patet ad primam probat: Ad secundam. Quidquid sit de exemplo allato, de quo est lis inter Thomistas, dicendum, nos non

negare exclusionem formalem conceptuum in Diuinis ex quacunque identificatione, sed ex Identificatione orta à tali radice, quæ arguit non minùs negationem exclusionis formalis, quàm exclusionis entitatiuæ, vt in prima Conclus. probatum est.

Secundum argumentum. Perfectio simpliciter simplex non petit identificationem destruentem suum conceptum formalem. Ergo non petit formalem identificationem. Anted. patet. Conseq. prob: identificatio destruit conceptum, nam sapientia v.g. ex suo conceptu formali non includit Iustitiam; aliàs in creatis etiam illam includeret, in quibus non amittit suum conceptum. Ergo cùm in illis non includat; etiam in Diuinis non includet; essentiæ siquidem sunt sicut numeri, quibus si aliquid addideris, quod in suo conceptu non includunt, variabis illas, & sic de cæteris attributis. Ergo &c.

Resp. negando Conseq. Ad cuius probat: disting: Sapientia non includit iustitiam permissiuè Nego: exigitiue, Cōcedo. Sapientia namq; licet in creatis non exigat inclusionem iustitiæ; tamen quia est perfectio simpliciter simplex non repugnat ei, eandem includere, ex se quandoquidem ad hoc permissiuè se habet. Sed

Instabis. Ex se non exigit. Ergo, quantum est ex vi principiorum formalium, formalitates Diuinæ non identificantur.

Resp. disting: Conseq: Formalitates Diuinæ non identificantur reduplicatiuè, sumendo adæquatam rationem identificationis. Concedo specificatiuè. Nego. Ratio enim cùr identificentur formaliter, non est solùm conceptus formalis; quia hic saluatur etiam in creatis, sed insuper modus illimitatus, qui in Deo tribuit illis, totum id perfectionis, ad quod ex se permissiuè se habent.

Tertium argumentum, & Confirmatio præcedentis. Sapientia vt sic non est formaliter iustitia vt sic. Ergo neque sapientia Diuina erit formaliter iustitia Diuina. Consequ: constat; quia modus ille illimitatus, quo sunt in Deo, non destruit conceptum formalem ipsarum. Anteced: patet; quia si sapientia vt sic, esset formaliter iustitia vt sic, omnis sapientia creata esset formaliter iustitia, quod enim competit alicui rationi vt sic competit omni, quod sub illa continetur. Ergo &c.

Resp. distingu. Anteced. Si sensus illius sit: Sapientia vt sic non exigit realiter distingui à iustitia, Concedo. Si sensus est: Sapientiæ vt sic repugnat identificari realiter cum iustitia. Nego, quia sapientia, vt sic non petit identitatem, aut distinctionem realem cum iustitia, & alijs attributis, sed ab vtraque præscindit præcisione purè præcisiua: non autem exclusiua: ratio enim sapientiæ, vt sic est quid analogum ad sapientiam creatam, & increatam, & sic vtramq; implicitè includit, consequenter importabit implicitè, vel identitatem, vel diuersitatem formalem ab alijs attribu-

tis iuxta exigentiam, & naturam analogatorum. Et sic prout implicitè inuoluit sapientiam creatam; implicitè etiam includet distinctionem realem à iustitia: prout autem includit sapientiam increatam, implicitè quoque dicet identitatem cum iustitia. Hinc patet, modum illum illimitatum non destruere conceptum formalem sapientiæ, vt sic in Deo (ipsa enim, secundùm se, non petit distingui realiter à iustitia, & alijs attributis) sed potiùs prædictus modus eleuat, & perficit, tollendo ab ipsa limitationem, quæ ipsam impediebat, nè iustitiam, & alias perfectiones simpliciter simplices creaturarum sibi identificaret.

Quartum argumentum. De essentia Diuina, & attributis ante omne opus intellectus verificantur contradictoria. Ergo distinguuntur à parte rei. Conseq: patet; implicat enim de eodem secundùm idem contradictoria verificari. Maximè cùm contradictio, sit summa oppositionum; & ita si oppositio relatiua arguit in Diuinis distinctionem realem, à fortiori hoc præstabit oppositio contradictoria. Anteced. autem prob. quia, nullo intellectu cogitante, Pater intellectu generat Filium, & non voluntate; essentiam communicat Filio, & non relationem. Sed generare, & non generare; communicare, & non communicare sunt contradictoria. Ergo si intellectus, & voluntas; essentia, & relatio sint à parte rei idem, omninò de eodem; verificabuntur contradictoria.

Nec valet, si resp. Esse quidem hæc prædicata contradictoria; ex illis tamen non consurgere propositiones contradictorias; quia ad has impediendas sufficit distinctio virtualis, quæ dicit æquiualentiam, & facit id, quod distinctio realis in creatis. Non inquam valet. Quia sumendo formam eminentissimam Dei, secundùm omnes virtualitates, adhuc verificaretur contradictio, & Probatur; quia de illa forma potest dici, quòd esset communicabilis, & incommunicabilis. Ergo quod esset communicabilis, & non esset cōmunicabilis. Sed in tali casu esset affirmatio, & negatio de eodem secundùm idem; quia ly non, cùm sit malignantis naturæ, distribuit totum. Ergo esset quoque contradictio. Minor patet. Maior autem cum sua illatione prob. Ab affirmatiua de prædicato infinito ad negatiuam valet consequentia, v.g. Iustus est non peccator. Ergo non est peccator. Ergo cùm omne incommunicabile æquiualeat termino huic infinito non communicabile, valebit dicere, illa forma eminentissima est incommunicabilis, seu non communicabilis. Ergo non est communicabilis.

Confirmatur. Diuersis definitionibus definit intellectus diuersa attributa Diuina. Ergo à parte rei sunt distincta. Anteced. patet; quia aliter definit sapientiam, aliter iustitiam &c. Conseq. etiā, quia diuersæ definitiones arguūt diuersas essentias. Sed diuersæ es-

sentiæ

ſentiæ a parte rei distinguuntur. Ergo &c.

Resp. hoc idem fuisse argumẽtum Guilberti, necnon aliorum ponentium distinctionem realem in attributis Diuinis, quoad absoluta inter se, & cum relatiuis: quare responsio optima data est inter arguendum. Ad cuius impugnationem neganda est Sequela Maioris. Ad probationem autem eius, quando dicitur: Ab affirmatiua de prædicato infinito ad negatiuam valet Consequentia: resp: hanc regulam non valere; quando arguitur à non distributo ad distributum, vt v. g. In flumine sunt non pisces. Ergo non sunt pisces. Quia ad primum sufficit, quòd sit aliquid, quòd non sit pisces, siue sint lapides, siue ligna, non excludendo ipsosmet pisces, &c. Ad secundum cum ly non, antecedat copulam, distribuit pro toto, & ita requirit, quòd nullo modo sint pisces. Idem ergo dicendum in præsenti, quod scil: dùm dicitur: Essentia est communicabilis, sumitur tantùm secundùm vnam virtualitatem: dùm autem dicitur est incommunicabilis, sumitur secundùm illam, qua æquiualet relationibus, & identitati cum ipsis; aliàs esset hæretica propositio. Iàm verò cũ dicitur non est cõmunicabilis, hoc in nullo sensu potest esse verum; quia cùm illa particula non, afficiens copulam prædicati, & subiecti, sit malignantis naturæ, negat communicabilitatem secundùm quamcumque virtualitatem eius, quòd est hæreticum.

Ad Confirmat. resp. negando Conseq. Ad probat. eius dicendũ, tunc diuersas definitiones arguere diuersas essentias; quando explicant illas adæquatè, sicut sunt in se: non autem quando explicant inadæquatè, & prout sunt imperfectè in conceptibus nostris, vti contingit in attributis Diuinis, respectu definitionum, quas nos de illis formamus.

Quintum argumentum in fauorem Nominalium, qui putant attributa distingui per rationem sine fundamento in re. Quia quidquid est in re, est vnum. Ergo non datur fundamẽtum distinctionis. Conseq: ostenditur; quia hoc ipso, quod omnia in re sint vnum, dum fit distinctio in illa re, fit aliquid fictum, & non verum. Sed illud, quod est fictum, non habet fundamentum in re. Ergo &c. Maior prob: Illud est fictum, quod si affirmetur in re, non est verum, nec subsistens. Sed si omnia in Deo sunt vnum, & intellectus affirmet, dari distinctionem, affirmatio erit falsa, cùm talis distinctio non detur in re. Ergo illa distinctio erit ficta.

Resp. disting. Hoc ipso, quod omnia in re sint vnum &c. fit aliquid fictum, & non verum, si fiat per actum intellectus iudicatiuum ita esse in re ipsa. Concedo: si fiat per actum intellectus purè apprehensiuum, & præcisiuum, in quo neque veritas, neque falsitas inuenitur. Nego. Et ita quamuis falsa esset affirmatio, si aliquis affirmaret, dari in ipsa re (quæ in se vna est) distinctionem, quæ ap-

pre-

Digitized by Google

prehenditur; non tamen esset falsa, si affirmaret imperfectè concipiendo, & inadæquatè per analogiam ad distinctam rem, apprehendendo in tali re distinctionē; nec ideò, non haberet in re fundamentum talis distinctionis; inueniret enim eminentiam ex parte obiecti, & inadæquationem conceptuum ex parte intellectus imperfectè concipientis.

QVAESTIO III.

Vtrùm Deus sit summè perfectus, ita quòd omnes perfectiones rerum omnium in ipso contineantur, & quomodò?

QVia summa Dei perfectio ex natura Diuina, & omnibus attributis consurgit, postquam actum est de ipsa essentia Dei, & rationibus attributalibus eius in communi, determinandum est de ipsa perfectione. Pro quo

Supponendum primò, quòd perfectum ex vi nominis idem sonat, ac perfectè actum, seu plenè factum. Vnde 3. Physic: dicitur: Perfectum esse illud, cui nihil deest, idest, vti explicant nost. Salmatic. Tom. 1. Tract. 6. disp. 4. dub. 1. Cum realiter actualiter nihil deest eorum, quæ ipsi debentur, sicut nihil deest illi actualiter realiter, quod plenè, & completè factum est. Et deducitur hæc explicatio ex doctrina D. Thomæ, qui 1. p. qu. 4. ar. 1. ad 1. sic inquit: *Quòd factum non est, perf ctum propriè dici non potest, sed quia in his quæ fiunt tunc dicitur aliquid esse perfectum, cùm de potentia educitur ad actum, transsumitur hoc nomen, Perfectum, ad significandum omne illud, cui non deest esse in actu.* Quare Caietan: supra locum modò citatum, ex prima parte docet, quòd ly *perfectio*, licet à totali factione, sit nomen primò deriuatum, apud Philosophos propriè modum essendi significat, non quemcunque sed optimum, non alicuius rei certæ, sed cuiuscunque, cui apponitur, & vt addit Nazarius, secundùm quamcunque rationem formalem.

Supponēdum est secundò. Perfectiones esse duplices. Aliæ sunt, quæ dicuntur simpliciter simplices, vt intellectio, vita, sapientia &c. quæ, ex suo conceptu nullam dicunt imperfectionem, sapientia enim secundùm suum conceptum vt sic, qui est analogus ad Increatam, & creatam sapientiam, tantùm dicit cognitionem rei per altissimas causas, in quo nulla includitur imperfectio, præscindit enim sic à ratione qualitatis, & habitus: Aliæ sunt Perfectiones secundùm quid, quæ in suo conceptu ita inuoluunt imperfectionem, vt ab illo separari non possint, tales sunt v.g. rationale, hinnibile, moueri, habere situm, & omnes differentiæ specificæ, & numericæ creaturarum, à quibus ratio entis creati, & limitati præscindi non potest, & ideò priores

sunt

ſolent dici perfectiones denudabiles ab imperfectionibus, ſecus poſteriores, & iuxta hanc explicationem rectè intelligitur diſtinctio D. Anſelmi in Monol. cap. 4. inter perfectiones ſimpliciter, & ſecundùm quid tales, quod primæ ſint in quouis indiuiduo entis meliores ipſæ, quàm non ipſæ, ideſt (vt benè explicat Caietanus cap. 2. de ente, & eſſentia, & noſt. Salmatic. Tomo 2. Tract. 6. diſp. 6. dub. 1.) ſunt compatibiles cum quauis alia perfectione ſimpliciter ſimplici, non autem ſecundæ, cum iſtæ in quouis ente non ſint meliores ipſę, quam non ipſæ.

Supponendum eſt tertiò, dupliciter poſſe perfectionem aliquam contineri in alio, vel ſecundum naturam ſuam, vel ſecundùm modum eſſendi, quo eſt in aliquo, & ita alio modo eſt in virtute Cauſæ, alio modo in intellectu, alio modo res eſt in fieri, aut in facto eſſe, alio in æternitate; nunquam enim vna res poteſt eſſe in alia ſecundùm eundem modum, quo eſt in ſe; quia ille modus, & determinatio; qua eſt in ſe, eſt limitatio, ſecundùm quã non poteſt tranſire extra ſe.

Supponendum eſt quartò, continentiam alicuius in alio adhuc eſſe triplicem, Formalem, Eminentialem, & Virtualem: Formaliter aliquid continetur in alio, quando continetur ſecundùm ſuum conceptum formalem, ſeu quando continetur ſub illa forma, ſub qua natum eſt exiſtere in ſe, & ſic Sol continet lucem: Eminenter continere eſt, continere aliquid ſub ratione ſuperiori excedente eam, vt eſt in ſe, & ſic Sol continet calorem ſub excellentiori forma, quàm ſit in igne, ſcilicet ſub forma cœleſti; ſimiliter effectus cauſarum æquiuocarum continentur in ſuis cauſis æquiuocis, non tamen in vniuocis continẽtur ſic effectus; non enim ſecũdùm omnem rationem procedunt à cauſis vniuocis, quia ſaltim quoad rationem materiæ, & indiuiduationem non cauſantur, cùm nulla cauſa creata cauſet materiam, ſed ſupponit illam, aliàs crearet ex nihilo: Virtualiter tantùm contineri, & non eminenter dicitur aliquid, quando continetur in virtute cauſæ ſibi æqualis, aut inferioris v. g. in inſtrumentali, in diſpoſitione ad formam, in ſemine, in quibus continetur aliquid, vt in virtute, aut principio, non tamen eminenti modo: Quæ autem continentur eminenter, dupliciter adhuc poſſunt intelligi, vel eminenter formaliter, vel eminenter virtualiter: Eminenter formaliter continetur aliquid, quando inuenitur, quantùm ad formam, & ſubſtantiam ſuam in alio, non cum imperfectionibus, cum quibus eſt in inferiori, ſed modo alio altiori, & excellentiori, ſic in anima rationali eſſe vegetatiuum, & ſenſitiuum continetur modo ſpirituali, vt in forma ſpirituali: Eminenter virtualiter continetur, quando non ſecundùm eandem formam, & ſubſtantiam continetur, ſed ſub alia forma, quæ in virtute æquiualet iſti, & modo eleuatiori, ſic

Digitized by Google

v.g. Sol continet herbam eminenter, nō tamen habet in se herbam formaliter, sed virtualiter. His ergo suppositis.

Dicendum est primò. Deus est summè perfectus, omnium rerum in se claudens perfectionem, ita D. Thomas 1. p. qu.4. ar.1. probat. In tantùm aliquid est perfectum, in quantùm est in actu, cùm igitur Deus sit totaliter in actu, nullo modo in potentia, sitque actus purissimus, erit quoque perfectissimus omnimodè.

Probatur ratione, ex ipso desumpta. *Esse* irreceptum, & per se subsistens, est summè perfectum, claudens omnem perfectionem. Sed Deus est esse irreceptum, & per se subsistens. Ergo summè perfectus. Minor patet, quia excluditur omnis receptio, potentialitas, & compositio à *Deo*, Essentiaque Dei non est receptiua existentiæ, sed omnimodè inter se identificantur. Maior prob. Forma alicuius generis irrecepta habet omnem perfectionem talis generis. Sed *esse* est forma in genere entis. Ergo si sit irrecepta, claudet omnem perfectionem totius lineæ, & generis entis, quod est claudere omnem omninò perfectionem; genus enim entis totam latitudinem perfectionum complectitur. Minor patet, existētia enim est vltima omniū actualitas, & perfectissima in tota latitudine entis. Maior prob. Forma sub conceptu formæ, solùm dicit actualitatem, per modum principij *Quo*; actualitas autem est ipsa ratio perfectionis, inferens proinde, & afferens perfectionem. Ergo hoc ipso, quod aliqua forma alicuius generis nullum habeat sui limitatiuum, sicut omnem suam actualitatem illius generis explicabit, sic & omnem illam consequentem perfectionem. Sed eo ipso, quod forma sit irrecepta, idest abstracta à suo receptibili perfectè abstractione formali, sicque subsistat, nullum sui habet limitatiuum; nam limitatiuum formæ, est potentialitas receptiua eiusdem, forma autem abstracta abstractione formali perfectè excludit potentialitatem, & est solùm actualitas præcisè. Ergo forma irrecepta, seu abstracta abstractione formali, & sic subsistens, omnem sui generis continet perfectionem.

Confirmatur. Esse Dei, per se subsistens irreceptum, est simpliciter *esse* infinitum in genere entis, caret enim omni limitatiuo, tàm materiali, quàm formali. Sed quod est infinitum in aliquo genere continet omnes perfectiones illius generis. Ergo &c. Minor patet: Si v. g. albedo esset abstracta per se subsistens, irrecepta, nec diceret vllum ordinem ad subiectum, esset infinita in ratione albedinis, eo ipso haberet omnem perfectionem albedinis, ex defectu enim recipiētis colligitur, deesse perfectionē albedinis: Calor quoq; si daretur infinitus, omnem perfectionem caloris contineret: Linea, si daretur infinita, omnem longitudinem occuparet; si daretur sphæra immensa, & infinita, omnes figuras intra suum ambitum

tum comprehenderet, & sic de alijs. Ergo cùm Deus, secundùm suum esse sit infinitus in ratione entis, cōtinebit omnes perfectiones entium.

Dices ex doctrina P. Suarez suæ Metaph: Tom:2.dist:30.sect: 2. Rationem hanc non satis efficacem esse, nititur enim principio incerto, quod scilicet *Esse irreceptum* hoc ipso, quia tale, debeat esse illimitatum; nam forma, etsi non sit recepta in alio, vt in potentia passiua, si sit recepta ab alio, remanet limitata, quia potest communicari ab alio in tanta, vel tanta mensura perfectionis. Sed.

Contra; Forma si non limitetur à suo receptiuo, quod est potentia, non potest accipere limitationem ab alio, tanquam efficiente. Ergo ratio persistit in suo robore, & principium cui innititur. Anteced. prob: Efficiens non efficit aliquid limitatum, nisi ponendo intrinsecè aliquod limitatiuum in re effecta, quod sit ratio limitationis formaliter, & in facto esse, si enim nihil ponatur in ipsa limitatiuum ipsius; cùm ex se non petat huiusmodi limitationem, manebit intrinsecè eodē modo se habens, & ita sicut prius non habuit in se limitationem, sic nec postea. Sed si non limitetur forma à suo receptiuo, id est si non ponatur potentialitas, in qua recipiatur, nihil habet forma intrinsecè positum sui limitatiuum, vel quod sit formaliter ratio limitationis ipsius. Ergo forma, si non limitetur &c. Maior patet. Minor prob. Nam illud, quod ponit agens in forma, formaliter illam limitans, vel est actualitas, & forma, vel potentialitas, & materia; Non actualitas, & forma, quia actualitas perficit formam, cùm sit ratio perfectionis. Ergo non erit ratio limitationis, & imperfectionis. Si dicas, quòd sit potentialitas, & materia. Ergo admittis receptiuum formæ, ac per consequens, si ab illo non limitetur forma, nihil poterit habere limitatiuum sui intrinsecè.

Similis impugnatio contra Suarez est supra hic Tract:2.disp. 6.quæst:2.

Dicendum est secundò. Perfectiones simpliciter simplices continentur in Deo formaliter eminenter; Perfectiones verò secundùm quid, & ex suo genere, creatæ, tantùm virtualiter. Quoad primam partem, probatur primò authoritate S. Thomæ 1. p.q.13. a. 2. ad 3. *Id quod bonitatem importat in creaturis, praeexistit in Deo.*

Probatur deinde ratione: Illud cōtinetur in alio formaliter eminenter, quod secūdum suum conceptum formalem inuenitur in illo, eleuatiori tamen modo, quā inueniatur in inferioribus. Sed perfectiones simpliciter simplices taliter inueniuntur in Deo. Ergo &c. Maior patet ex prænotatis. Minor verò prob: quia ex suo conceptu formali dicunt perfectionem absque vlla imperfectione, quamuis ex modo essendi in inferioribus illā aliquando in-

soluant. Ergo perfectiones simpliciter simplices taliter inueniũtur in Deo.

Quoad secũdã partem Concl: prob: facilè; quia perfectiones secundùm quid, & creatæ non inueniuntur in Deo secundùm suũ conceptum formalem, sed secundùm rationem formæ, virtute æquiualentis illi, & præstãtis hoc eleuatiori modo, quod præstaret sua ratio formalis, in inferioribus inuenta, quod est contineri virtualiter eminenter; quod autem non inueniantur secundùm conceptum suum, est ideò, quia perfectiones purè creatæ non possunt secundùm suum conceptum denudari ab imperfectionibus, ex quo enim sunt creatæ debent habere suam essentiam constitutam ex genere, & differentia; species enim creata constituitur ex genere, & differentia; cùm ergo genus dicat potentialitatem, non poterit inueniri in Deo. Nec potest denudari ab ista imperfectione, scil. generis, quia aliàs amitteret suum conceptum specificũ, & essentialem; denudaretur enim ab illo, quod est ipsi essentiale.

Dices. Perfectioni creatæ competit quidem constare ex genere, & differentia, quatenùs est in creaturis, non vt cõtentæ in Deo, seù ratione modi essendi proprij, non vt intelligitur in Deo.

Contra est, quia competit ipsi secundùm se, quatenus est ponibilis in prædicamento, quia ratione istius est ponibilis, ratione cuius est definibilis, iam verò ratione quidditatis est definibilis, & sic ut species est, & vt constans ex genere, & differentia, cõsequenter ratione modi proprij. Ergo &c. Si autem præscindatur ab eo, quod est poni in prædicamento, hoc ipso iam mutatur ipsius ratio formalis creatæ illius perfectionis.

Dicendum est tertiò: Perfectiones secundùm quid, & ex suo genere creatæ, etiam secundùm esse intelligibile, non sunt in Deo formaliter, sed virtualiter eminenter. Probatur. Vnumquodque habet formaliter esse intelligibile in alio mediante specie repræsentante se. Sed in Deo non potest dari species immediatè repræsentans perfectiones creatas, tantùm enim essentia Dei respectu sui gerit rationem speciei immediatè repræsentantis, sola enim essentia Dei est obiectum primarium, & motiuum intellectus Diuini; perfectiones verò creatæ sunt obiectum secundarium materiale, & terminatiuum suo modo, vnde non cognoscuntur, nisi in essentia, vt cognita prius in ratione causæ, consequẽter non habebit formaliter eminenter, sed virtualiter in illa suum esse cognoscibile perfectio creata.

Soluuntur Argumenta.

PRimum Argumentum contra rationẽ primæ Conclus. quãdo dicitur: *Esse irreceptum* summè perfectum esse, vel est sermo de *esse* essentiæ, vel existentiæ, vel de vtroque; Si secundùm, ratio adducta ad summum probat, Deum sum-

summè perfectum esse in ordine existentiæ, non autem in toto genere entis, in quo non solùm esse existentiæ, sed & essentiæ inuenitur; Si autẽ sermo sit *de esse essentiæ*, tale esse abstractum est gradus analogicus entis, qui est sicut communissimus, sic imperfectissimus; Si tandem de vtroque simul sermo sit, erit conflatum ex abstracto, & imperfectissimo, seu ex esse essentiæ analogico, & esse existentiæ, quod est perfectissimũ tantùm in genere existentiæ. Sed ex huiusmodi conflato non colligitur omnimoda perfectio in tota latitudine entis, vt patet. Ergo neque ex eo, quod Deus habeat esse irreceptum, colligetur summa eius perfectio in toto genere entis.

Confirm. quia multæ dantur formæ separatæ irreceptæ, & sic subsistentes, quæ tamen non continent omnem perfectionem sui generis. Ergo falsò dicitur, formam irreceptam continere omnem perfectionem sui generis. Anteced. prob. Calor remissus, & calor intensus separati à subiecto, sunt formæ irreceptæ, & subsistentes, sicut & Quantitas Eucharistica, & tamen non continẽt omnem perfectionem caloris &c: vt patet; Similiter anima rationalis separata, & subsistens; Tandem Angelus est forma irrecepta in materia, & subsistens, cum tamen non contineat omnem perfectionem naturæ. Ergo &c.

Resp. ad hoc argumentum dicendo: quòd quando dicitur, *esse irreceptum* est summè perfectum, sermo est de esse existentiæ, quod est idem cum esse essentiæ, ex eo, quod sit abstractum abstractione formali. Pro cuius intelligentia.

Nota, duplicem esse abstractionem, Totalem, & Formalem; Totalis abstractio est, per quam vniuersale abstrahitur à particulari, vel inferiori; Formalis verò est illa, qua abstrahitur forma à materia, vel actus à potentia; dicitur autem Totalis, quia tam id, quod abstrahitur, quàm id, à quo abstrahitur, significatur vt totum, & vnum prædicatur de alio, sicut animal de homine, & in huiusmodi abstractione, semper id, quod est abstractius, & ita vniuersalius, est potentialius, & imperfectius, quia magis determinabile, & indifferens, ac in potentia ad plura, at verò in abstractione formali, quantò aliquid est abstractius, tanto actualius, & perfectius, quia in tali abstractione id, quod actualitatis, & formæ est, separatur ab eo, quod potentiale, & materiale est, seù à conditionibus potentialitatis. (De his abstractis vide supra, & Salmatic: Tract: de scientia Dei disp. 4. dub. 2. n. 61.) *esse* igitur abstractum abstractione formali in genere entis, non potest esse *esse essentiæ*, vt distinctum ab esse existentiæ, quia tale *esse* non potest abstrahere perfectè a conditionibus potentialitatis, cum remaneat in potentia ad vltimam actualitatem in linea entis, quæ est esse existentię. Neque etiam esse potest ipsum *esse existentiæ*, vt distinctum similiter ab

esse

esse essentiæ, nam existentia, vt distincta ab essentia, sumitur, vt determinata, & limitata ad ipsam potentialitatem essentiæ, ratione cuius distinguitur ab illa, sicut potentia à sibi correspondente actu, ac proinde nõ abstrahit perfectè, & simpliciter à conditionibus potentialitatis, sic neque abstractione formali simpliciter tali; debet igitur esse omninò identificatum esse existentiæ cum esse essentiæ, abstrahens perfectè abstractione formali in genere entis; in tali namque solùm hypothesi in linea entis nil remanebit ex conditionibus potentialitatis, (nil siquidem manebit in potentia ad aliud, vtpotè identificata) sed solùm id, quod est actualitatis, & perfectionis; & ita, si esse existentiæ, in sensu explicato, sit irreceptum, hoc est abstrahens abstractione formali, & consequenter subsistens in genere entis, sicut nihil habebit potentialitatis, & consecutæ ad eam perfectionis, ita omnem totius generis entis continebit perfectionem, ac proinde omnem simpliciter, & absolutè. Hæc doctrina est Caiet. 1. p. quæst. 5. art. 1.

Ad Confirm. resp. negando Anteced: in sensu à nobis explicato: ad cuius primam probationem dicendum est, calorem separatum, sicut & Quantitatem Eucharisticam non esse formas irreceptas, & abstractas perfectè in suo genere abstractione formali, quia non abstrahunt saltim ab ordine ad potentialitatem materiæ, vel subiecti, ad quod essentialem dicunt habitudinem, & hoc idem currit, de anima rationali separata à corpore. Ad illud de Angelo dicendum est, quod etsi sit forma irrecepta in materia physicá, non tamen abstrahẽs perfectè abstractione formali, nam inuoluit conditiones potentiales sui generis, cum in genere substantiæ immaterialis sit eius essentia in potentia ad *esse*, & substantia habeat rationem subiecti respectu accidentium.

Secundum argumentum contra secundam Conclus: Perfectiones simpliciter simplices non cõtinentur secundum suum formalem conceptum in Deo. Ergo nõ continentur formaliter eminenter. Conseq: patet ex definitione continentiæ formalis, Anteced: prob. Secundum suum conceptũ formalem reperiuntur in creaturis, quia conceptus formalis, v. g. sapientiæ, competit creaturæ rationali. Ergo secundùm illum in Deo inueniri nõ possunt. Conseq: etiam prob: Nam si idem conceptus formalis competeret Deo, & creaturis, siue eadem ratio formalis, iam in aliquo conceptu Deus, & creaturæ possent conuenire vniuocè. Sed hoc est contra doctrinam S. Thomæ. Ergo &c. Sequela Maioris patet, quia conceptus pluribus conueniens, secundum eandem rationem formalem, est conceptus vniuocus.

Resp. neg: Anteced: ad probat. disting: Conceptus pluribus conueniens secundum eandem simpliciter formalem rationem est vniuocus, Concedo: Secundum

eandem proportionabiliter tantum. Nego. Hoc enim modo conceptus communis est conceptus analogus analogia proportionalitatis, qui secūdum eandem proportionalem rationem formalem in omnibus suis inferioribus intrinsecè inuenitur, quamuis non secundum eandē simpliciter præcisam ab illis (cum hoc sit proprium cōceptus vniuoci) quod patet in ente respectu Dei, & creaturarum. De quo videri possunt dicta supra Tract: 1. disp. 1. q. 4.

Tertium argumentum contra tertiam Concl: Deus intelligit naturam creatam, secundum omnem perfectionem in illa inuentam. Ergo omnem perfectionem creatam continet intelligibiliter. Anteced: patet. Consequ: prob: quia ideò intelligit, quia continet illa, quantum ad omnia, sicut actus imperfectus continetur in perfecto, & ternarius in senario, vt docet D. Thom: 1. par: qu. 14. art: 6. Sed ternarius in senario formaliter continetur. Ergo & creatæ perfectiones in Deo.

Confirm: Nam in Deo formaliter intelligibiliter continetur, quod ab illo immediatè cognoscibiliter attingitur, vt patet ex tertia Conclus: Sed perfectiones creatæ immediatè attinguntur, aliàs non esset differentia inter perfectiones creatas, & priuationes, aut mala, quæ Deus non immediatè cognoscit, sed mediante bono, quo priuant. Ergo perfectiones creatæ in Deo formaliter intelligibiliter continentur.

Resp. negando Consequ: ad probat. dicendum est, S. Doctorem loco citato velle, ita contineri perfectionem creatam in Deo, sicut ternarius continetur in senario, quoad rationem continentiæ, non autem quoad modum, vt sit sensus, quòd sicut ternarius inuenitur in senario, sic perfectio creaturæ in perfectione Dei, non tamen eo modo) nam numerus inferior in superiori continetur continentia formali per modum inclusionis, perfectio autem creata in increata continetur continentia virtuali, quia non intelligitur, sicut ternarius componens senarium, sed sicut ternarius participatus, & deriuatus à senario, per modum scilicet effectus, cum omnis perfectio creata, qua talis, comparetur ad Deum, vt perfectio participata, & vt effectus.

Ad Confirm: Resp. negando Minorem ad cuius probat: ostenditur disparitas inter perfectiones creatas, & priuationes, quoad cognosci à *Deo*, nam quamuis perfectiones creatæ non cognoscantur immediatè à *Deo*, sed tātùm mediatè, & per modum obiecti secundarij, cognoscuntur tamen, vt quid contentum in Deo, non quidem formaliter, sed virtualiter, iam verò mala, & priuationes nullo modo continentur in *Deo*, cum non sint participationes *Dei*, sicut nec entia; & ita nec cognoscuntur, vt quid contentū, & habens cōnexionem, cū per se primo cognito, nempe cum essentia *Diuina*, tanquam participatio quædam eiusdem; sic igitur ad cognoscendas priuationes nō suf-

sufficit, quod Deus seipsum solum intueatur; vt per hoc immediatè videat illas (quandoquidē nullam cum eo habēt connexionem) sicut contingit in cognitione perfectionum creatarum, sed oportet, quòd præter se ipsum, videat formas, quarum illæ sunt priuationes, & subiecta in quibus illæ fundātur, quod vtiq; quid creatum est, Deo siquidem nihil opponitur priuatiuè, cum nullus defectus supponatur in ipso per aliquid auferibilis.

Quartum argumentum. Non repugnat formæ superiori in se vnire perfectiones inferiores, non solum virtualiter eminenter, sed etiam formaliter. Sed Deus est forma suprema, immò actus purus. Ergo non repugnabit, quod contineat formaliter eminenter perfectiones creatas. Maior patet, nam anima rationalis non solum eminenter virtualiter, sed etiam formaliter continet esse vegetatiuum, & esse sēsitiuū, quæ inueniuntur inferiori modo in planta, & equo. Ergo &c. Accedit, quòd essentia Diuina nullam habeat limitationem, quin potius infinitatem. Ergo poterit plures in se vnire essentias, quæ sunt limitatæ, & oppositionē in creatis habent; Sicut esse practicum, & speculatiuum in scientia Dei formaliter eminenter continetur, quamuis istæ rationes in inferioribus sint specie inter se oppositæ, & distinctæ.

Resp. disting: Maiorem. Si perfectiones inferiores non afferant in suo conceptu limitationem repugnantem formæ superiori; Concedo; si illam afferant. Nego. Ad cuius probat: dicendum, Animam rationalem formaliter eminenter includere esse vegetatiuū, cum exclusione tamen limitationis, quam habet in inferioribus speciebus, & ita continet secundum se rationem determinatam, aut rationem essentiæ determinatæ ad esse vegetatiuum v. g. præcisè: de quo videantur nost. Complut. in lib. de Anima. Cum ergo perfectiones creatæ, quà tales, in suo conceptu claudant limitationem repugnantem actui puro in Deo inuento, rationem scilicet generis, & differētiæ, hinc est, quòd in illo nequeant formaliter eminenter reperiri, & sic vniri. Illud autem, quòd additur de infinitate Dei, ad summum conuincit, quòd omnes perfectiones creatæ, in creaturis repertæ, in Deo etiam debeant inueniri, non tamē formaliter eminēter, sed virtualiter eminenter. Ad vltimū de practico, & speculatiuo dicendum est, rationes istas esse perfectiones simpliciter simplices, vtpotè pertinentes ad ipsum intelligere, & ideò mirum non est, quòd vniantur, & formaliter eminenter in scientia Dei inueniantur.

Quintum argumentum. Deus cognoscit omnes creaturas quidditatiuè, & supercomprehensiuè in sua Essentia. Ergo in illa debent contineri secundùm omnes suas rationes, & specificas, & indiuiduales, alias illas non cognosceret intuitiuè, & distinctè, sed tantùm confusè, & vt contentas in virtute causæ.

Resp.

Digitized by Google

Resp. negando conseq: Ad cognoscendum enim perfectissimè, & intuitiuè aliquem effectum, sufficit cognoscere illum in aliqua virtute, vel principio, à quo participetur, secundùm omnem rationem, & modum imaginabilem in illo inuentum, quia sic in ipso effectu non inuenitur aliquid cognoscendum, quod non sit præcontentum, aùt cognoscibile in principio eius; vnde cognitum in tali principio, perfectissimè cognoscitur: & hoc modo se habet virtus Dei ad Creaturas. Vt autem creatura videatur intuitiuè, non requiritur, quòd videatur per creaturam ipsam, tanquam per obiectum motiuum videndi, sed tale obiectum sufficiens est ipsa virtus Diuina, à qua participatur tota creatura, dummodò tamen terminetur cognitio ex parte obiecti terminatiui ad rem creatam, vt coexistentem sibi, sic enim erit rei existentis, & præsentis, cognitio; quod est de ratione visionis. Circa dicta

Collige, & aduerte, Deo non accrescere aliquid de perfectione intensiua (neque de extensiua quoque propriè) ratione istius continentiæ perfectionum creatarum; nec potest dici, Deum cum Creaturis esse aliquid maius, quã Deum solum. Sic Angel. Doct. 3. Sent. dist. 6. quæst. 2. art. 3. ad 2. dicens: Bonum creatum habet se ad Increatum, sicut punctum ad lineam. Ergo sicut punctum, vtpotè indiuisibile, additum lineæ, non facit maius, ita nec perfectiones creatæ, additæ Deo, facient Deum quid perfectius, aut maius. Ampliatur hoc.

Plus distat perfectio creata, in ratione perfectionis, à Diuina, quam punctum, in ratione quantitatis, à linea. (Deus enim, & creaturæ ita se totis sunt diuersa, vt nec in genere conueniant; punctum autem, saltim reductiuè, cum linea in eodem prædicamento quantitatis collocatur.) Sed puncta addita lineæ non faciunt maius, aut perfectius. Ergo nec perfectiones creatæ sumptæ simul cum Deo faciunt maius aliquid, quàm ipse sit in se.

Additum est etiam *extensiuè propriè*, quia impropriè potest aliquo modo dici, Deum cum istis omnibus, cum toto vniuerso, esse quid maius extensiuè, ratione plurium modorum habendi eandem perfectionem; sicut quia puncta sunt plura numero, dicuntur, addita lineæ, facere maius quid extensiuè, sed impropriè, quamuis ipsa per hoc nõ accipiat perfectionem intensiuam.

DISPVTATIO
QVARTA, & VLTIMA.
De Attributis Diuinis in particulari.

INgredi hoc vastissimum Diuinorum Attributorum in particulari pelagus non est munus præternaturalis (sicut vocatur Metaphysica) Theologiæ, sed sa-

Digitized by Google

cræ; quia tamen Metaphysicam, metas naturæ per suam abstractionem transgressa, metam in Deo figere, & discursibus suis circa ens increatum finem imponere per hanc vltimam disputationem intendit, ideò aliqua breuiter de Attributis in particulari attingentur, remittendo Lectorem ad Doctorem Angelicum, qui fusè, eruditè, & clarè, iuxtà suum Angelicum ingenium, hanc materiã, præcipuè 1.p. summæ Theologiæ tractat.

QVAESTIO I.

Vtrùm Attributa Diuina in particulari sint in certo numero, an autem infinita.

SVpponendum primò, ad cognoscenda in Deo Attributa in particulari, aliquos vti sæpiùs nomine linearum, sumpta Metaphora à linea formali. Linea autem formaliter talis, si sit finita, nihil aliud est, quàm extensio inter punctum initians, & terminãs, medijs continuata punctis. Hinc accepta similiter metaphora, series, & coordinatio prædicamenti v.g. substantiæ dicitur nonnumquam linea substantiæ, quia à prima potentialitate, supremo scil: genere quasi à puncto constitutiuo ipsius, series incipit, continuatur gradibus intermedijs, & terminatur vltima actualitate, constituto (quod est species athoma, vel indiuiduum illam includens) quasi puncto talis lineæ, aut seriei terminatiuo. Igitur linea nihil aliud erit, quàm coordinatio aliquorum sibi recto tramite in aliqua ratione formali succedentium inter duo extrema, quæ sunt prima potentialitas, & vltima actualitas, per ordinem ad idem specificatiuum, vel quasi specificatiuum. Quod vt intelligitur clariùs

Supponendum secundò. Aliqua in Deo esse, quæ respiciunt aliquid extrinsecum tanquam suum specificatiuum, vt voluntas, Intellectus scientia &c. Alia verò quæ in seipsis suum habent specificatiuum, absque vllo respectu alicuius extrinseci, vti est ratio substantiæ, durationis, æternitatis, &c. Non eodem modo de his, ac de illis philosophandum est. Rationes ergo respicientes aliquid extrinsecum, tanqnam specificatiuum, constituent diuersas lineas, quæ diuersa habuerint obiecta formalia ipsarum specificatiua adæquatè. Illæ verò, quæ in seipsis præcisè, retinent suum specificatiuum, per hoc diuersarum erunt linearum, quòd cuiuslibet ipsarum primum, & vltimum extremum, (prima scil: potentialitas (nostro modo concepta) inchoans coordinationem, & vltima actualitas eandem terminans) distinctam rationem formalem, & principium, ab alia ratione eiusque principijs formalibus habeant. Pro quo percipiendo.

Supponendum tertiò. Quod sicut à puncto centrali lineæ forma-

maliter talis, quæ est species quantitatis, possunt diuersæ lineæ trahi, & claudi intra sphæram & circumferentiam, quâ clauditur illa linea principalis, à cuius puncto centrali cæteræ sunt deductæ; sic à linea metaphorica vnius rationis formalis, possunt aliæ diuersæ lineæ oriri, & claudi, intra sphærā vniuersalem illius lineæ, à qua originantur v.g. à prima linea intellectus seù intellectionis, quæ habet pro ratione formali specificatiua, ipsam essentiam Diuinam absolutè sumptam, originatur linea scientiæ, linea intelligentiæ, prudentiæ, artis, quæ omnes, per rationes formales secūdarias *sub qua* essētiā Dei, velut pūctū quoddam respiciunt. Similiter à linea principali voluntatis, quæ tendit in bonitatem sub ratione bonitatis vt sic, seù potius bonitatis Diuinæ absolutè & secundùm se sumptæ, originatur linea iustitiæ, linea misericordiæ, liberalitatis &c. quæ omnia (sicut & illa intra sphæram intellectus) clauduntur intra ambitum ipsius voluntatis, quia non exeunt extra rationem primariam boni, quamuis illud non respiciant sub ratione boni absolutè & secundùm se, sed secundùm magis restrictam rationem; ideòq; habent aliud obiectum formale ipsorum specificatiuum, ac proinde distinctam lineam à principali linea volūtatis.

Supponendum quartò. Lineam istam Diuinorum sic paulò fusius descriptam posse breuius describi, quòd scilicet *linea* in Diuinis nihil sit aliud nisi ratio obiectiua *sub qua* in essentia Diuina, siue ab intellectu siue à voluntate inspectā; seù conceptus ille & actualitas eminentialis essentiæ Dei, vt dicit expresse talem rationem formalem ab intellectu, vel voluntate attingibilem, & sic iuxta talitatem, & diuersitatem rationum *sub qua* particularium intra sphæram intellectus, seù voluntatis tales vel tales orientur lineæ, ad principalem intellectus vel voluntatis pertinentes. Ex istis autem rationibus *sub quibus*, dum quò ad conceptum expressum vna ratio *sub qua* consideratur, reliquæ induunt implicitè rationem *Quæ*, nisi accedat terminatio particularis proportionata. Pro multiplicitate igitur rationum *sub qua* non implicitarum, sed expressarum multiplicantur lineæ in Diuinis, tam intra sphæram intellectus vbi est prima linea naturæ, in qua cæteræ radicantur quam intra sphæram voluntatis, vbi est principalis linea bonitatis secundùm se, quæ alias fundat scilicet lineam misericordiæ, iustitiæ.

Supponendum quintò, quòd spectantia ad eandem lineam ex eodem motiuo non distinguuntur virtualiter, quæ autem spectāt ad diuersas lineas, inter illa est distinctio virtualis. Quæ distinctio virtualis quantum ad præsens, non debet sumi pro qualicunq; æquiualentia pluribus. Voluntas enim Dei æquiualet pluribus nostris voluntatibus creatis, & tamen non ponuntur in Deo volūtates virtualiter distin-

ctæ. *Distinctio itaque virtualis* in Deo importat æquiualentiam ad plura, quæ ex vi principiorum formalium dicunt negationem identitatis, non verò ad plura, quæ ex vi principiorum materialium, illam afferunt. Cùm enim perfectiones Diuinæ debeant abstrahere, abstractione formali, debent remouere, omne fundamentum distinctionis petitæ ex principijs materialibus. Declaratur hoc quòd enim intellectus & voluntas habeant negationem identitatis formalis, prouenit ex ipsis principijs formalibus, scilicet ab obiectis & rationibus *sub quibus* quæ formaliter & specificatiuè se habent ad potentias. Iam verò quòd voluntas in nobis distinguatur à volitione, non prouenit à principijs formalibus, cùm respiciant idem formalissimè obiectum, sed à materialibus, scilicet à subiecto, non participante in sua puritate, lineam volitiuam, & sic diuidente illam. His suppositis.

Dicendum. Attributa Diuina, non esse secundùm multitudinē infinita sed determinata. *Probatur primò*. Perfectiones simpliciter simplices, non possunt esse numero infinitæ. Sed attributa Diuina sunt perfectiones simpliciter simplices. Ergo &c. *Minor* patet. Sunt enim formaliter in *Deo*, quod nō cōuenit nisi perfectionibus simpliciter simplicibus. *Maior prob:* Si perfectiones simpliciter simplices, deberent esse infinitæ numero, vel hoc peterent ex suis principijs formalibus, vel materialibus? non enim datur aliquid tertiū, vnde posset sumi ista multiplicitas. Sed neutrum dici potest. Ergo &c. Maior à sufficienti enumeratione constat. Minor quoad vtrāque partē ostenditur: Non ex principiis formalibus, quia, ex his, à parte rei potiùs confluunt in identitatem, & vnitatem, quàm quòd faciant numerum infinitū, siquidem nō afferunt differentias incompatibiles, & excludentes se ex conceptibus suis, vt suprà insinuauimus. Non ex materialibus, seù ex parte subiecti, in quo inueniri possunt. Hoc enim, vel est Deus, vel sunt Creaturę. Sed in Deo à parte rei nō afferunt multitudinem, sed potiùs sunt vna, eademque eminentissima formalitas, vt probatum fuit de distinctione attributorum ab essentia. In Craturis quoque non faciunt à parte rei numerum infinitum, hic enim deberet esse formalis (quia hic non est sermo de vnitate numerica, sed specifica simul, atque formali): cùm ergo Creaturæ non possint tribuere perfectionibus illis numerum, aut multiplicitatem formalem, si semèl ex ipsis principijs formalibus nō exigitur, consequenter si à subiecto creato, respectu perfectionum simpliciter simplicium, nec vnitas, nec multiplicitas formalis, sed tantùm numerica desumi potest, sequitur, perfectiones simpliciter simplices non posse habere suam multiplicitatem formalem, & sic vltimatè, si nec ex materialibus, nec ex formalibus principijs possunt habere numerum, non erunt infinitæ numero.

Probatur secundò. In *Deo* non sũt lineæ infinitæ, sed determinatæ. Ergo neq; infinita Attributa. Cóseq: tenet, quia attributa præcipuè ad ordinẽ operatiuũ spectantia, communiter constituũtur per lineas. Anteced: prob: quia lineę, vt in suppositis dictum fuit, important in recto rationes illas *sub quibus* cum terminatione. Intellectus, aut Voluntatis sumptas. Sed rationes istæ sunt determinatæ, non infinitæ numero, non enim exeunt extra sphæram principalis rationis formalis, sed intra eandem sphæram illa principalis ratio per particulares rationes *sub quibus* determinatur ad originandas alias lineas determinatas, & sic intra sphæram intellectus Essentia Diuina, vt habet eminenter esse rationem Causæ, originat lineam scientiæ, vt habet esse rationem notæ per se, vel attingendi princincipia secundùm se, originat lineam intelligentiæ; vt est ratio agibilium, lineam prudentiæ; vt ratio factibilium, lineam artis, & sic proportionatè de lineis intra sphæram Voluntatis discurrendo, deueniemus ad determinatas rationes *sub quibus* particulares, fundatas in eminentia principalis rationis determinatæ respectu principalis lineæ. Vnde non incongruè noster P. Andreas à Cruce discurrit 1. p. q. 4. a. 2. dist: 23. num. 603. deducendo esse determinata numero attributa in Deo, tàm ad ordinem essendi quàm ad ordinem operandi spectantia. Videatur, si placet.

Soluuntur Argumenta.

PRimum Argumentum. Essentia infinita præbet fundamẽtum distinguendi in illa perfectiones infinitas. Ergo & attributa infinita. Anteced: patet, quia quæuis essentia est radix aliquarum perfectionum. Ergo infinita erit fundamentum, & radix infinitarum. Conseq: prior prob: quia Attributa sunt perfectiones quædam *Diuinæ*. Ergo si infinita Essentia Dei præbet fundamentum distinguendi infinitas perfectiones, etiã Attributa.

Resp. disting: Anteced: Essentia infinita præbet fundamentum distinguendi perfectiones infinitas, si accipiantur secundùm rationes specificas, & determinatè rationũ superiorum contractiuas; Concedo; si sumantur secundùm rationes communes, & analogas; nego, & deinde neganda est Conseq: ad cuius probat: dicendum, Attributa esse perfectiones, sed perfectiones simpliciter simplices, quæ, *secundùm* quòd tales, non important aliquam rationem specificã, aut genericam, sed analogam: perfectiones autem, secundùm rationem analogam consideratæ, non sunt infinitæ secundùm multitudinem, cùm ratio analoga rationem communissimam importet, quæ potiùs ad vnitatem multa colligere ex conceptu suo, petit, licet confusè, quàm vnitatem soluere in multitudinem: sed de hoc redibit sermo.

Secundum Argumentum. Tot debent esse Attributa, quot sunt

de-

Digitized by Google

defectus, & imperfectiones creatæ, quæ remouentur à Deo. Sed hæ sunt infinitæ. Ergo & Attributa. Maior patet, quia Attributum, præcipuè negatiuum, consistit in remotione positionis alicuius imperfectionis. Minor prob: quia creaturæ possibiles sunt infinitæ, quarum omnium imperfectiones remouentur à *Deo*. Ergo &c.

Resp. negando maiorem. Ad probat. eius dicendum cum distinct: attributum consistit in remotione alicuius imperfectionis specialiter sumptæ; nego; secundùm communem, immò latissimam, rationem communitatis ipsius acceptæ; concedo. Nàm sicut non quælibet perfectio positiua constituit Attributum positiuum, sed simpliciter simplex, secundùm communissimam rationem suæ analogiæ sumpta, sic nec quælibet negatio imperfectionis creaturarum in *Deo* constituet Attributum negatiuum, sed solùm secundùm rationem totalitatis, & latissimam rationem communitatis.

QVAESTIO II.

Quænam sint Attributa Diuina in particulari.

NOn possumus meliùs statuere, quænam sint attributa in particulari, nec illa ordinare meliori modo, ac ordinauit Angelicus *Doctor* in 1. parte suæ Summæ: ideò eius vestigia sequêdo, respondimus breuiter, &

Dicimus. Attributa Diuina in particulari, consequentia *Esse*, (de his enim loquimur) sunt ista principalia: SIMPLICITAS, PERFECTIO, BONITAS, INFINITAS, IMMENSITAS, IMMVTABILITAS, & ÆTERNITAS. Deduci autê, & probari meliùs non possunt, etiam quoad ordinem suum, nisi ex ratione actus puri, per viam remotionis, remouendo, scilicet, ab ente increato defectus, & conditiones entis creati, & potentialis, contrarios actui puro, v. g. compositionem, imperfectionem, limitationem, mutabilitatem &c: isti enim defectus ordinariè inuoluuntur in ente creato, & potentiali. Cùm ergo ens increatum debeat esse actus purus, debet quoque carere istis defectibus, & sic ex remotione, & carentia ipsorum ponuntur proportionata Attributa remouêtia istos defectus.

Primò igitur. Quia ens increatum debet esse actus purus sine omni potentialitate, nihilque debet habere, per quod minoretur, limitetur, nec in illo debet esse aliquid maius, vel minus, consequenter neque totum, & partes qualescunque, cum omne totum sit maius sua parte, carebit omni compositione physica, logica, metaphysica, & sic erit Attributum *Simplicitatis*, remouens compositionem.

Secundò. Et quia actui puro nulla debet deesse perfectio, aliàs esset in potentia ad illam, eoque ipso amitteret iam rationê actus puri, carebit omni imperfectione, & sic erit Attributum *Perfectionis*

om-

Digitized by Google

omnimodæ diuinæ. Tertiò. Quia verò ad perfectionem sequitur Bonitas, nam vnumquodque intantum est bonum, & appetibile, in quantùm est perfectum, vt expreisè docet S. Thom. in Prolog. 1.p. q.4. ex perfectione autem in se sequitur, quòd sit communicatiuum sui, & perfectiuum alterius per modum finis, ideò post perfectionem *Dei* sequetur, & dabitur Attributum *Bonitatis* Diuinæ.

Quartò. Quia verò tanta est Ipsius Bonitas, vt nulla careat perfectione, nec ad vllam bonitatem, aut perfectionem limitetur, (limitatio enim oritur ex aliqua potentialitate, non permittente omnem actualitatem, & perfectionem) carebit limitatione, & sic erit Attributum *Infinitatis*. Ad infinitatem autem sequitur *Immensitas*; non solùm enim in ipso debet esse infinitas entitatis, sed etiam infinitas operationis, ratione cuius tangit, quasi contactu virtuali, res, producendo in illis primum *esse*, & sic debet intimè esse in omnibus præsens: quod est esse immensum.

Quintò tandem. Quia ens increatum, vtpotè actus purus, ad nihil est in potentia, ad nihil quoque mutari potest, carebit mutabilitate, & sic erit Attributum *Immutabilitatis*. Ad immutabilitatem sequitur Æternitas: quod enim est immutabile, non potest eius duratio mensurari motu, & tempore, vel mensura aliqua mutabili, sed requirit mensuram inuariabilem, & sic erit *Æternitas*. Ita ergo sunt, & tali ordine disposita, ad ordinem essendi pertinentia, Attributa Diuina in particulari, de quibus agendum compendiatim, non prolixiores quæstiones excitando (istud enim ad primam partem Theologię remittimus) sed succinctè, sufficienter tamen, doctrinam circa prædicta Attributa tradendo. Et quia de prioribus duobus Attributis, scil: de Simplicitate, & perfectione Dei superiùs dictum est, restat de alijs, scil: de Bonitate, Infinitate, Immensitate, Immutabilitate, & Æternitate, succinctè dicendum. Primò igitur deducitur iuxtà ordinem

Bonitas Dei.

SVpponendo priùs, Bonum tripliciter sumi posse. Primò pro bono absolutè, quando nihil alicui deest ex illis, quæ ipsi debentur. Secundò relatiuè pro conuenientia ad voluntatem, & appetitum. Tertiò pro bono morali. Igitur

Deus est summè, absolutè, imò per essentiam bonus. Primò, quia habet bonitatem, & perfectionem per seipsum, & ex vi suæ essentiæ totam plenitudinem perfectionis sine vllo limitatiuo physico, aut morali. Secundò, quia non solùm ipse est quoad omnia perfectissimus, sed etiam perfectiuus aliorum, effundendo perfectionem istam, non solùm in genere causæ efficientis, dando *esse*, & omnia, sed etiam in genere causæ finalis, cùm sit finis vltimus, in quo omnia quiescunt, quo

om-

Digitized by Google

omnis appetitus satiatur, vt probat S. Thomas 1. p. quæst. 6. art. 2. & 4.

Deinde est bonus bonitate respectiua, idest, conuenientiæ ad appetitum. Primò, quia habet perfectionem sibi maximè conuenientem, & necessariò amabilem à se. Secundò, quia est conueniens creaturis, vt finis, & causa illarũ. Tertiò est specialiter conueniens aliquibus v. g. iustis, vt amicus, beatis, vt fruibilis.

Tandem est bonus bonitate morali: quia cùm bonitas moralis consistat in conformitate cum regula perfectionis, & rectitudinis, quæ est lex æterna, & Deus sit sibi maximè vnitus, & quasi conformis, non solùm per naturam, sed etiam per affectum amoris, immò sit sua lex, à qua deuiare non potest, erit, ratione istius coniunctionis, & quasi conformitatis, vel potiùs identitatis Voluntatis suę cum lege æterna, summè bonus moraliter. Maximè, quia est principium, & finis omnis bonitatis moralis, perfectionis, & sanctitatis, quæ reperitur in creaturis. Deducitur aliud Attributum, scilicet

Infinitas Dei.

SVpposito, dupliciter posse aliquid dici infinitum, vel in certo, & determinato genere, vel absolutè infinitum in genere Entis: Primum est quod caret terminis limitatiuis illius generis: Secundum est, quod caret terminis limitantibus, & finientibus esse: Hoc autem posterius debet intelligi de limitatiuo non solùm formali, (qualis est actus, existentia enim est vltimus actus, quæ non potest actuari per vlteriorem) sed etiam de limitatiuo materiali, quale est subiectum in quo recipiatur, ideoque existentia debet esse irrecepta, & independens ab omni subiecto, vnde infertur, quod

Deus est simpliciter infinitus in genere entis. Sic S. Thomas 1. par. & 1. contr. Gent. cap. 43. Primò, quia cùm *Esse* eius sit per se subsistens, & irreceptum, non distinguitur enim ab Essentia, nec in illa potest recipi, & consequenter careat omni limitatiuo, erit simpliciter infinitum, idest in genere entis. Secundò, quia caret terminis essentialibus, quibus essentia limitatur, scilicet genere, & differentia, & alijs ad compositionem Metaphysicam pertinentibus: Vnde sicut infinitum in genere quantitatis dicitur, quod caret terminis quantitatis, sic Ens increatum carens terminis essentialibus in genere entis, erit infinitum. Hinc

Infertur istud attributum infinitatis, ita esse proprium Dei, vt repugnet, creaturam vel secundùm essentiam, vel secundum accidentia esse infinitam; quoad primum patet, quia quęlibet creatura debet habere esse receptum ab alio, & in alio, & sic finitur, & limitatur, vel per causam à qua recipit, vel per subiectum in quo recipitur; Quoad secundum quoque scil: quod non possit esse crea-

tura

tura infinita secundum accidētia, patet, quia respectu accidentis infiniti, deberet esse substantia cum capacitate infinita, debet enim esse proportio semper inter actū, & potentiam receptiuam, inter perfectiuum, & perfectibile; repugnat autem, substantiam creatam esse infinitæ capacitatis, consequenter & accidens infinitum: Potestque hoc deduci ex inconuenienti, quia si daretur aliqua qualitas, v. g. virtus motiua infinitæ intensionis, posset fieri motus in instanti (quod naturæ motus successiui repugnat) cū enim, quantò maior, & intensior est virtus motiua, velociùs, & in minori duratione moueat, illa virtus, quæ esset infinita, non posset in minori duratione mouere, quam sit instans, & ita motus localis esset in instanti, quod est inconueniens. Deducitur sequens attributum, scilicet

Immensitas Dei.

SVpposito, quod immensitas sit quædam virtus infinita repletiua loci, & veluti esse Diuini illimitatio, seù incumscribilitas à loco, rectè sequitur post infinitatem immensitas, sicut enim Deus ratione infinitatis est supra omne ens creatum, & creabile, ita ratione immensitatis supra omnem locum, quamuis per illam sit intimè, & substantialiter præsens in omnibus locis, & spatijs. Igitur

Deus est immensus, seu pręsens in omnibus rebus, locis, & spatijs, & consequenter vbique existens. Prob. primò, quia sicut essentia Dei secundùm se, est infinita, simpliciter, sic & vis illa ad existendum in omni re, loco, spatio, est infinita simpliciter. Ergo ratione illius Deus est præsens intimè, & existens in omnibus rebus, nec vllo loco, spatio terminari, aut circumscribi potest, consequenter est vbique. Secundò. Si Deus non esset vbique, sed esset, iuxta imaginationem antiquorū Philosophorum, in suprema sphæra cœlesti, quæro, vel esset ibi naturaliter, & necessariò, vel liberè? Si liberè. Ergo potest moueri localiter, & consequenter mutari, quod est absurdum; Si necessariò ergo determinabitur ad vnum locum, quod est contra rationem naturæ intellectualis, & substantiæ spiritualis (qualis est Deus) hoc enim ipso, quia est cognoscitiua plurium, non potest determinari ad vnum locum, aliàs esset deterioris conditionis, quàm bruta, quæ ratione apprehensionis, & imaginationis migrant de vno loco in alium, v. g. in campos, vel vbi meliora pascua apprehendunt.

Inquires primò. Vnde potest probari præsentia ista, & existentia Dei intima in rebus?

Resp. ex operatione ipsius; quia cum Deus causet, & operetur *esse* in omnibus rebus (non potest enim iste effectus vniuersalissimus, vt sic attribui, nisi virtuti ipsius productiuæ, aut creatiuæ,) & non operetur per virtutem à se diffusam (talis enim virtus, ex se esset finita, vtpotè causatæ

 à Deo,

à Deo,& recepta in subiecto) sed per virtutem intraneam, & sibi identificatam, debet esse immediate, & per suam substantiam, præsens in omnibus rebus: Agens enim, quod agit per virtutem intraneam non diffusam à se, debet esse immediatè, & secundum suã substantiam præsens rei, vt ipse Philosophus 7. Physic: innuit dicens: *Mouens,& motum debent esse simul*. Intellige tamen dicta sic: quod scilicet agens per virtutem intraneam, debet necessariò immediatè immediatione suppositi, seu secundum suam substantiam esse præsẽs subiecto in quod agit, vt patet in igne, qui per calorem intraneum non agit, nisi in subiectum, quòd tangit, seu approximatum, si autem fuerit distans, aut elongatum ab ipso, per calorem à se diffusum, Agens verò per virtutem à se diffusam, non debet esse præsens immediatè subiecto, in quod agit, immediatione suppositi, sed sufficit esse immediatione virtutis, idest mediante virtute, quam transmittit medio aliquo supposito v.g. sol dum influit virtute sua in metalla,& causat illa in venis, & visceribus terræ.

Inquires secundò, quæ tandem est ratio formalis existendi Deo in rebus, seu vt sit præsens rebus?

Resp. Rationem formalem istius præsentiæ intimæ in rebus, non esse ipsam immensitatem nudè sumptam, vt præcisam ab operatione, sed operationem ipsius, vt virtualiter transeuntem, per quam producit, vel conseruat Esse in rebus, aut res ipsas mouet, & applicat ad operandum. Ita sentit D. Thom: 1.p.q.18.art.3. dicens: *Deus est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus, vt causa essendi*; vbi ly *in quantum* innuit rationem formalem, seu à priori præsentiæ Dei in rebus, & hoc ex mente eius deducitur, quia Deus habet *esse* præsens in rebus, ratione alicuius contactus realis. Cum igitur non tangat illas contactu quantitatiuo, neque vt forma, nec vt accidens aliquod, nec vt suppositum sustentans, nec ratione essentiæ suæ, vt præscindentis ab operatione, tanget illas contactu virtuali, applicando virtutem. Ergo per operationem virtualem,& sic operatio ipsius virtualiter trãsiens, erit ratio à priori præsentiæ in rebus. Circa dicta.

Aduerte primò quando dicitur, Deum esse in rebus per essẽtiam, non est sensus, Deum esse in rebus ratione essentiæ, sed est sensus, quod essentia Dei, vel substantia vbique est, non tamen essentia est ipsi ratio essẽdi vbiq;

Aduerte secundo. Formaliorem locutionem esse cum dicitur, Deũ esse in rebus per applicationem rerum ad seipsum, quàm per applicationem sui ad res, operando enim in rebus sine vlla mutatione sui, incipit existere in rebus per solam mutationem rerum ipsarũ.

Aduerte tertiò quod quamuis Deus in omnibus rebus, locis spatijs dicatur esse præsẽs, nõ licèt tamẽ inferre esse ipsum præsentẽ actu, vel fuisse in spatijs imaginarijs (idest vacuis,& inanibus, quæ concipiebantur, & concipiuntur

extra

extra Cælum.) Primo quia Deus nihil operatur in spatijs imaginarijs, alias ponerentur aliqui effectus, cum actus voluntatis ipsius, per quos operaretur, esset effectionis, non affectionis quia Dei voluntas non supponit bonitatem creatam sed facit. Secundo, quia præsentia, & existentia in ordine ad illa, quæ sunt extra se, est præsentia continentis; iam autem illa spatia imaginaria non possunt contineri in Deo, sunt enim nihil, totum enim ipsorum esse, est in imaginatione, quod autem est nihil, contineri non potest; Vnde si imaginemur chymæram, optimè diceremus nō esse Deum in chymæra, cum igitur illa spatia sint chymærica, Deus non est præsens in illis actu, nisi fortè dicatur, esse negatiuè, in quantum substantia Diuina non limitatur, nec coarctatur intra ambitum vniuersi, sed est potens (& hic est modus dicendi Deum esse in spatijs imaginarijs) ad nouos mundos producendos, in illis spatijs; quæ imaginamur extra Cælos.

Aduerte quartò cum dicitur Deum esse præsentem, tribus modis in rebus, per essentiam, præsentiam, & potentiam, debent intelligi termini cum grano salis. Primo ly *per essentiam*, id est per suam virtutē intraneam, & actionem virtualiter transeuntem (est enim ibi & essentia, seù substantia). Secundo ly *per præsentiam*, id est intuendo omnia, & practicè sciendo simul. Tertio ly *per potentiam*, quia potest Deus operari quidquid vult, & hoc modo potest dici esse extra Cælos, id est quia potēs est in spatijs imaginarijs nouos producere mūdos, Orbes, &c. Præter hos modos præsētiæ Dei in rebus per essentiā, præsentiam, & potentiam, est alius modus specialis, scilicet existendi in creatura rationali, per gratiam; & charitatem, & sic anima iusti, non solum dando sua dona, sed etiam inhabitando personaliter est præsens. Sed de his Theologiæ incumbit tractare insuper deducitur.

Immutabilitas Dei.

DEus est immutabilis. Primò quia extra se non quærit aliquod sui perfectiuum, aut beatitudinem, per quam perficiatur, est enim centrum perfectionum, est sua beatitudo, in qua quiescere debet, & sic non est in potentia ad aliquid, nec potest moueri ad illud. Secundò quia cum sit summè immaterialis, & abstractus ab omni potentialitate, ipsaq; actualitas pura non debet in illo vllum vestigium mutabilitatis apparere, quo enim aliquæ naturæ cognoscitiuæ sunt abstractiores, eo immutabiliores, & minus subiectæ conditionibus mutabilitatis: Tertiò, quia non potest in Deo concipi aliquid, vnde oriatur mutatio; ex tribus enim solet oriri, & tria ordinariè requiruntur ad mutationem; Primò, potentialitas, vel carentia formæ alicuius, vt termini *à quo*, Secundò requiritur subiectum mutabile receptiuum formarum. Tertiò requiritur ter-

Digitized by Google

Deus sit ens independens, & primum, non potuit incipere, sed erit ab æterno. Patet igitur, æternum esse à parte *ante*, seù non incæpisse vnquam: A parte quoque *post* æternum esse, est euidens; quia non potest vnquam desinere; quia desitio fit per subtractionem conseruationis *esse*: Ergo cùm Deus sit independens quoad *esse*; etiam quoad conseruari erit independens. Ergo non poterit vnquam desinere &c. Secundò: quia Deus est infinitus quoad *esse*. Ergo erit infinitus quoad durationem, & consequenter æternus; existentiæ enim infinitæ debet correspondere duratio infinita, sicut eidem correspondet vbiquitas infinita. Tertiò; quia cùm Deus persistat in suo *esse* immutabiliter; est enim immutabilis quoad *esse*, debet dari in illo ratio istius persistentiæ: ratio autem ista non potest esse alia, nisi duratio immutabilis, (duratio enim absolutè, vt sic, est persistentia in esse iuxta Philosoph: & nost: Complut: in Physic. dispu: 21. quæst: 3. ipsum enim *esse* non est ipsa duratio, sed aliquid distinctum ab esse) & sic erit æternitas, quę est duratio, & mensuratio inuariabilis. Hinc est quòd æternitas sit essentialiter duratio iuxtà S. Tho. in 1. dist: 9. quæst: 2. Artic. 2. vbi docet, æternitatem esse ipsam naturam Diuinam, quatenùs habet vim coexistendi infinito tempori imaginario, sicùt immensitas est quædam vis, quâ potest attingere omne spatium imaginabile, & Ratio est. Cùm enim duratio sit genus quoddam, sub quo, quasi species, continentur Æternitas, Æuum, & Tempus, si Æuum, & Tempus sunt durationes; etiam Æternitas erit duratio; vnde duratio ingreditur rationem omnium, & sicut Tempus est duratio rerum successiuarum, & mutabilium. Æuum est duratio rerum incorruptibilium, quantùm ad esse; ita Æternitas erit essentialiter duratio entis immutabilis, & omninò necessarij, scilicet Dei. Ex dictis

Collige. Æternitatem, respectu *esse* Dei, habere rationem mensuræ; non tamen formaliter, sed virtualiter quoad primum patet; quia æternitas est ratio, per quam Deus cognoscitur, quantùm Deus sit extensus virtualiter in sua duratione, iam verò, per quod cognoscitur, siue virtualis, siue formalis extensio alicuius rei, est mensura illius rei, iuxtà Philos. 10. Metaph: Cap: 2. & 3. *Mensura est id, quo, quanta res sit, dignoscimus, & quantæ illius partes.* Quoad secundum, scilicet quòd æternitas sit virtualis, non formalis mensura, etiam patet; quia mēsura formalis dicit relationem, & consequenter dependētiam mensurati à mensura, & sic distinctionem realem inter ista, quòd in Diuinis esse non potest; & ideò dicitur virtualis, vt sit sensus: Si *esse* Dei posset habere realem mensuram, nullam aliam haberet, aut habere posset, nisi æternitatem, sicut cum dicimus: Essentia Diuina est Causa virtualis attributorum, est sensus: *Attributa*, si deberēt habere aliquam causam; quòd

Digitized by Google

quòd repugnat, nullam aliam haberent, nisi eis ntiam. Hæc de æternitate, & alijs Attributis Diuinis, consequentibus *esse* Dei, dicta sufficiant; restaret agendum de Attributis pertinentibus ad operari ipsius. Cæterum hæc, (vtpotè Theologica) Theologiæ relinquimus; de Deo tamen, vt Creatore, propter analogiam, quam in ratione entis increati, operantis ad extra, ad ens creatū intrà abstractionem, metaphysicam dicit; quasi de aliquo particulari Attributo ob connexionem aliquid innuendum est. Circa quod fusè Authores in quæst. 44. 1. partis Summ. D.Tho: scribentes, posſunt videri, & nost.P.Blasius disput. 17. Metaphys. Igitur sit.

QVAESTIO III.

Quid dicit pro formali ratio Creatoris, & creatio in Deo.

NVllum est dubium de An est Creatoris, & Creationis; constat enim, dari ista à parte rei. Hoc testantur omnia creata. Hoc fides docet, cùm dicit: *In principio creauit Deus cœlum, & terram, &c.* Gen. 1. & alibi pluries; tamen circa rationem ipsius formalem explicandam oritur aliqua difficultas. Pro cuius decisione

Supponendum est primò, dupliciter posse sumi Creationem, actiuè scil: & passiuè. Actiuè, prout se tenet ex parte Dei, & concipitur, vt primò incipiens, & tanquàm causalitas ab agente, nostro modo concipiendi, egrediens, absolutè enim sumpta, non habet egredi ab aliqua virtute, aut potentia, nec supponit illam, nec aliquid reducens se de actu primo ad secundum; quia seipsa est in actu secundo, tùm essendi, tùm operandi, vtpotè ipsa entitas Dei, & taliter creatio mēsuratur æternitate, diciturque entitatiuè æterna. Passiue sumitur, prout se tenet ex parte creaturæ, tangitque terminum, tribuendo *esse*, & ponit illum executiuè in *esse* in propria duratione, & secundùm hāc considerationem, creatio est in tempore, & denominat Creatorem in tempore, diciturque denominatiue temporalis.

Supponendum est secundò, productionem, vel processionem alicuius ab alio, dupliciter posse considerari. Primò, quando aliquid producitur ab alio quoad entitatem actualem præcise, supposita priùs entitate potentiali, seu quando ex vi processionis ab alio, habet pręcisè tantummodò esse simpliciter. Secundò, quando producitur ab alio quoad totam rationem entis, in ipso inuentam, & sic ex vi productionis habet totum id, quod est de entitate actuali, & potentiali, nec quidquā supponit ex gradu essendi, quòd non sit ab illo causatum, ex quo manifestè patet, distincta esse ista: Produci ab alio in ratione entis simpliciter, & Produci in

Digitized by Google

ratione totius entis; quia hoc totaliter dicit productionem ex nihilo; nam *Nihil* dicit negationē totius entitatis, non supponendo aliquid absolutè de aliqua entitate actuali, aut potentiali; illud priùs tantùm exprimit productionem alicuius *esse* præcisè. His suppositis, vt respondeatur principali quæsito.

Dico primò, loquendo absolutè de Creatione. Creatio pro pro formali dicit productionem totius entis ex nihilo, seu emanationem, aut processionem totius entis, inquantum ens, ex non præsupposito subiecto. Hæc Conclus: seù descriptio creationis admittitur cōmuniter ab omnibus, nec indiget probatione. Declaratur tamen, hoc enim ipso, quia ly *totius esse* additur, Creatio erit productio *Esse*, prout esse comprehendit omnia prædicata essendi, & non secundùm particularem gradum entis, sed secundùm omnes gradus, & sic erit productio ex nihilo; quia nihil de entitate supponit, vel minimum productū ab alia causa, aliàs non esset Creatio; aliæ enim causæ, dum causant esse tale, causant in virtute creantis, & hoc quod est causare, habent à Deo. Ex quo iàm benè.

Infertur, creationem non esse mutationem realem. Ratio est; quia in qualibet mutatione reali manet aliquid commune vtrique extremo, vt patet, dùm mutatur subiectum ad formam, v.g. in generationibus, &c. aut dùm mutatur subiectum in subiectum, v.g. in trāsubstantiatione; in priori enim manet subiectum receptiuum, scilicet materia prima, in posteriori manet corpus: iam autem in creatione non potest manere aliquid commune extremis; quia enti, & nihilo, quæ sunt extrema Creationis (quia rationem termini *à quo* habet *Nihil*: Ens autem habet rationem termini *ad quem*) non potest dari aliquod commune prædicatum; cùm ens, & non ens contradictoriè opponantur, vt supra Tract. 1. disput. 1. qu. 3. dictum est.

Dico secundò, loquendo de Creatione, secundùm conceptus inadæquatos ex parte nostri modi concipiendi distinctos. Creatio actiuè sumpta, seu ex parte Dei se tenens, dicit pro formali ipsam actualitatem, & entitatem Diuinam independentem à termino, habentem ex sua eminentia quidquid requiritur ad hoc, vt est productio actualis termini, & tendentia in illum; non tamen sub hoc conceptu intelligitur ibi terminus, vt transmutatus, sed purè inspectus ab illa actualitate, exprimitque tantùm hoc, quòd sit actualitas, & actus ipse secundus agentis, non per aliquid antecedens reductus de actu primo ad actum secundum, sed seipso petēs terminari, vel non terminari (non tamen egredi, vt supra dictum est) sine expressa actuali terminatione: Creatio autem passiuè, seu prout se tenet ex parte creaturæ, vel vt alij dicunt, prout concipitur in fieri, est ipsa creatura, ipseque terminus productus, vt per

se immediatè dependens à *Deo*. quòd nihil aliud dicit, nisi relationem, quæ est dependentia rei in facto esse: ista autem dependentia non mediat inter Deum, & Creaturam, sed subsequitur post terminationem; nam in creatione non datur *fieri* distinctum *à facto esse*; quia non datur motus, aut mutatio. Ergo nec entitas media, scilicet fieri: maximè quia entitas illa media, vel esset accidens, vel modus, & sic deberet inhærere: iam autem ibi non supponitur, cui inhæreat, aut quid modificet; nondum enim est terminus existens. Concludendo igitur de Creatione passiuè sumpta, nihil aliud est, nisi ipsemet terminus productus, & immutatus, nihilque aliud vltrà hoc addit, nisi relationem ad principium sui esse, sicut de passione dicimus, quòd præter rationem motus, cum quo identificatur, nihil aliud importat, nisi relationem ad principium sui motus: hæc autem relatio dependentiæ subsecuta non est trãscendentalis, sed prędicamentalis, nec est separabilis, quousque non destruatur subiectum; fundamentum autem relationis istius est quid accidentale, res nimirum, vt existens; nam existentia, vtpotè contingenter rei conueniens, est accidens prædicabile. Hinc iam intelligitur, quomodò Creatio dicatur inhærere termino: non enim ipsi inhæret, vtpotè inspecto præcisè, sed vt habenti existentiam in facto esse, & quasi transmutato, seu attacto.

Aduerte hic primò, quòd quãuis creatio passiue sumpta, sit vera productio, & vt alij dicunt, inceptio, & nouitas essendi in creatura; non tamen est de prædicamento actionis; quia illæ tantùm actiones, vel productiones pertinent ad Prædicamentum actionis, quæ agunt in subiectam materiam, & ex illa educunt formas, quòd creationi non competit; non est ergo actio, quæ pertineat ad *fieri*, sed identificatur cũ facto esse.

Aduerte secundò. Ad saluandum, quomodò ista productio, & tendentia, licet sit actualis, & in actu secundo; nihilominus tamen potest manere separata à termino, debemus discurrere eo modo, quo de actu libero *Dei* solemus discurrere; in vtroque enim casu eadem est ratio; sicut enim vnus formalissime actus Diuinus est simul necessarius, & liber eminenter, potestque à termino separatus manere, & dum est in actu secundo necessarium habet libertatem ad terminari, nec indiget noua determinatione ad hoc, vt exeat effectus in tempore, sed seipso est eminenter determinatio ad volendum, vel nolendum has creaturas; ità similiter hic in Creatione omnia ad proportionem sunt concipienda.

Dico tertiò. Esse Creatorem nihil aliud pro formali dicit, nisi quòd Deus sit causa producens totum *esse* cuiuslibet rei creatæ, ita vt nihil de eo, quod est *esse*, vel subintrat quomodocunque esse, supponat in effectu, sed causet totum quidquid est entitatis,

siue

siue actualis, siue potentialis, & sic respectu ipsius, vt Creantis, effectus primò, & per se inspectus est *Esse secundùm omnes gradus essendi*, comprehendens omnia prædicata quoquomodo pertinentia ad *esse*. Nullam igitur Causam admittit ad causandum *esse*, sic descriptum, & quando admittit causas ad causandum *tale esse in particulari*, dat ipsis hoc ipsum, quòd est causare *esse* tale, v.g. hominis, leonis, lapidis; non tamen attingunt illud *esse* per se primò, nisi ratione formæ determinatæ, cui adiungitur *esse*: ipsa autem Causa prima attingit *esse* absolutè per se primò, non ratione alicuius adiuncti, & ex hoc dicitur habere rationem Creantis; quia nihil supponit de entitate, sed producit ex nihilo. Hinc

Colligitur, rationem Creatoris dicere denominationem ex tempore ortam à Creatione, secundùm illam vtramque formalitatem supra nominatam; est enim ista denominatio, non solùm in genere causæ formalis; sed etiam in genere causę efficientis, non solùm enim intelligitur productio illa actuare, & quasi per modum alicuius formæ in subiecto, nostro modo concipiendi, esse in *Deo* quoad denominationem formalem ab aliqua, quasi forma, sed etiam concipitur, Deum constituere in ratione efficientis, (creare enim est efficere) seu constituere non solùm formalizando: sed etiam efficiendo; debet igitur vtroque modo, & vt est actualitas præcisè, & vt est tangens terminum passiuè concurrere ad denominandum; nec concipitur adæquatè, sub ratione Creatoris expressa, si non iungantur vtræque illæ formalitates Creationis: Cur autem Creatio, quamuis sit in ratione productionis, aut actionis æterna, non id nominat ab æterno Creatorem; procedit hoc ex eminentia illius actualitatis, quæ cùm voluerit, ponit in executione terminum in facto esse, quòd per modum conditionis requiritur, vt consurgat denominatio temporalis. Applicanda hic est doctrina nost. Salmaticēs Tract. de Scientia Dei disput. 8. dub. 3. & fusiùs Tract: de Voluntate Dei, disp. 7. de actu libero, per aliquod dubia. Sed

QVÆRES

Poteſtnè naturali ratione demonſtrari, dabilem eſſe Creationem?

RESP. posse. Et probatur sic: Creatio est productio ex nihilo. Sed datur aliqua productio ex nihilo. Ergo datur Creatio. Mai. patet ex supra dictis. Min. prob: Si non daretur aliqua productio ex nihilo, daretur processus in infinitum; omnis enim productio esset ex præsupposito subiecto, quod est in infinitum procedere; quæro enim de illo præsupposito subiecto: Estne à se? an ex alio? an ex nihilo? non da-

Digitized by Google

tur enim medium. Si est à se. Ergo non est aliquid productum. Ergo debet esse, vel Deus, vel nihil, omne enim ens, vel est productũ, vel improductum. Si ex nihilo. Ergo dabitur aliqua productio ex nihilo, consequenter dabitur creatio. Si ex alio: quæro iterum de illo alio: In illud sit productum ex alio, vel ex nihilo, vel debet esse à se: & sic, vel procedetur in infinitum, vel debet sisti in aliqua productione ex non præsupposito subiecto, seù ex nihilo. Ergo dabitur talis productio ex nihilo. Et

Vrgetur: quia si diceretur vnũ esse ex alio, & illud aliud ex isto, esset contradictio eiusdem de eodem; præsupponeretur enim idem esse, & non esse, respectu eiusdem; quia præsupponeretur esse, vt ex illo fiat hoc, & non esse, vt illud fiat ex hoc; neque potest dici, vt aliqui volebant, productionem istam rerum fieri ex substantia Dei, tanquam, ex præsupposito subiecto; quia implicat, Deum habere rationem subiecti, aut receptiui formarum, vt supra dictum est. Sed iterum.

QVÆRES.

Vtrum munus Creationis possit communicari alicui Creaturæ, saltim respectu alicuius entis, aut aliquorum entium in particulari.

RESp. non posse vllo modo communicari, etiam in ordine ad aliquod ens particularē producendum. Prob: implicat cōmunicari alicui Creaturæ virtutem, quæ se extendat ad producendum totam collectionem entis creabilis, seù ratione cuius, possit producere ex nihilo omne ens; talis enim virtus arguit infinitatem in agendo, quæ repugnat creaturæ. Ergo etiam implicabit, communicari virtutem productiuam ex nihilo, respectu vnius entis creabilis. Antecedens patet: Conseq; prob: Nō minor virtus in agente requiritur, ad producendum vnum ens ex nihilo, ac ad omnia entia producenda; cùm enim tantitas virtutis, & potentiæ agentis colligatur ex maiori, vel minori victoria difficultatum occurrentium in producendo, tantò maior virtus, aut potentia requiretur in agente, quantò maior erit distantia; & improportio inter subiectum, & formam, seù terminum *à quo*, vnde educitur forma, circa quam agenti occurrit difficultas vincenda: & si sit æqualis distantia, inter terminum *à quo* & terminum *ad quem*, nec aliqua noua difficultas occurrat; eadem virtus, quæ potest vincere distantiam ad vnum terminum; potest etiam vincere ad alium; sicut qui potest vincere distantiam vnius milliarij, vbicunque fuerit illud milliare vincendum, si non occurrat aliqua noua difficultas; cùm tali, aùt simili difficultate itineris conficiet illud milliare. Cùm igitur inter terminos Creationis sit æqualis distantia, nec minùs distet à nihilo vnum ens par-

particulare, quàm centum, aùt mille, aùt omnia entia; æqualem enim dicit carentiam, & negationem. *Nihil* respectu vnius factibilis, ac respectu omnium; nec est maior ista carẽtia respectu vnius, quàm respectu alterius; quia est carentia totalis entitatis, & *esse*, & consequenter nulla proportio inter terminos, & sic cùm virtus creandi ex nulla proportione, sed ex puro nihilo, atque ex termino æquè distãte, producat, erit æqualis. Ergo si potest producere vnũ ens ex nihilo, potest consequenter, & omnia entia producere. Hinc est, quòd ad producendum ex nihilo granum papaueris, non maior virtus requiratur, quàm ad producendum cœlum similiter ex nihilo; tantùm enim à nihilo distat papauer, quantùm, & ipsum Cœlum, nec Cœlum quoad prædicata communia superat granũ papaueris, nec Cœlum est maiùs quoad entitatem, nisi ratione quantitatis. Cùm igitur Creatio sit productio alicuius ex nihilo quoad omnia prædicata, quæ quomodocunq; participant *esse*; quia nihil prædicatorum supponitur, sed totum fit, nón coarctabitur virtus creatiua ad paruum, vel magnum. Ex hoc

Collige, absolutè non posse assumi creaturam ad creandum, nec principaliter, nec per modum instrumenti. Sic S. Tho: 1. p. q. 45. a. 5. & q. 3. de Potentia Dei a. 4. quamuis antea aliter in Sententialibus senserit. Prima pars patet; quia ad creandum requiritur virtus nullo modo subordinata Causæ superiori; quia debet attingere effectum vniuersalissimũ, scilicet *Esse*, non vt tale v. g. hominis, equi, lapidis, sed secundùm omnem gradum entis; non prout in hac, vel illa specie, sed prout dicit generalitatem graduum, respectu cuius *Esse* sic generaliter sumpti, non admittit consortium alicuius causæ, multò minùs subordinationem; iam verò Creatura subordinatur Deo, & accipit hoc ipsum, quòd est causare, & sic in virtute Dei non principaliter producere deberet *esse* illud.

Deinde ad creationem requiritur, quòd existentia sit ratio agendi. Sed nulli creaturæ existentia potest esse ratio agendi, illa enim forma est ratio agendi, quæ est constitutiua naturæ; natura enim est principium motus; iam autem existentia creata, quamuis requiratur ad agendum, vt conditio: non tamen est constitutiua naturæ, sed supponit quidditatem, & naturam constitutam, tantumq; illam ponit extra causas, quòd in creatis est prædicatũ accidentale. Ergo &c.

Secunda pars illationis, scilicet quòd nec per modum instrumenti possit creatura assumi ad creandũ, patet; quia causa instrumẽtalis debet operari dispositiuè ad effectũ principalis agentis, & habere actionem præuiam ad actionem principalis agentis: iam autem in creatione nihil est, quòd dispo natur ad causandum; non enim aliquid, vel potentiale, vel actuale supponitur, sed pro effectu principalis agentis, scilicet *Dei* crean-

Digitized by Google

etis, est *esse*, quod præsupponitur omnibus alijs, anteceditque omnia, quæ in effectu esse possunt, & solùm nihil supponit.

*D*einde; quia virtus illa, & actio instrumenti esset actio creata, orietur enim ab instrumento creato, & sic debebit esse accidens; non enim potest esse substantia operantis, aut operati, vt patet, cùm sit causalitas procedens ab agente in effectum tendens. Si igitur erit accidens, influet ista actio in effectum, vt subiectata. Ergo supponet subiectum, non producet; si itaque hæc actio influit, vt subiectata, influit, vt accidens. Ergo non erit productio ex nihilo, nec creatio vlla.

In fine Tractatus istius ob connexionem terminorum in Deo, Creatoris, & *D*omini mouetur quæstiuncula.

An, & quomodò in proprietate sermonis, Deus dicatur Dominus *Creaturarum.*

SVpponimus, vt certum, Deum esse realiter fundamentaliter *D*ominum; habet enim realiter fundamentum istius denominationis, nempè potestatem coercendi subditos. Sic S. Thom: de Potent: quæst.7.artic.10. vt notauit Caietan. 1.p.q.13.ar.7.in resp. ad vlt. Certum quoque esse, Deū non dici realiter formaliter *D*ominum à relatione reali existente in ipso; quia ex hoc, quòd dicatur Dominus, non mutatur in se, solaque est mutatio ex parte creaturæ, vt S. Tho: 1.p.q.3.ar.7. in c. docet: relatio autem realis non potest alicui aduenire sine ipsius mutatione, saltim relatiua. Dicitur igitur realiter Dominus à relatione, realiter existente in creaturis, non enim restat aliquid aliud, à quo realiter, sic denominetur, vt patet. Quæstiuncula itaque currit in sensu formali rigorosè: A quo formaliter dicitur Dominus? Igitur

Resp. & Dico. Deus dicitur formaliter Dominus à relatione rationis existente in ipso. Nota, quod non dixi realiter, sed formaliter; Deus enim (vt subtiliter aduertit Caiet. 1.p.q.13.a.7. Resp. ad 4.) denominatur formaliter Dominus à relatione rationis in ipso existente; realiter autem à relatione reali in ipsis creaturis existente; vnde iuxta hanc ipsius doctrinam duplex *esse* in relatione dominij potest inueniri. Primò esse simpliciter, seù esse reale. Secundò esse secundùm quid, seù esse rationis.

Primum esse habet relatio dominij, sicut & alia correlatiua tertij generis, per positionem in esse reali correlatiuorum, in quibus est relatio; vnde Deus est Dominus de nouo, nullo intellectu considerante, sola seruitute Creaturæ posita; quia esse realiter Dominum, nullum *esse* ponit, nisi *esse* sui oppositi, nempè Serui; si enim Seruus est, & Dominus erit, vt dixit alibi Philosophus. Sic

igitur

Igitur esse Dominum realiter nihil ponit in Deo, nisi terminare relationem seruitutis creaturarū: terminare autē relationem creaturarum, nihil est, nisi terminari ipsum, ex quo sequitur, quòd Deus est realiter Dominus per hoc, quod terminetur relatio Creaturarum ad ipsum.

Secundum esse in relatione dominij est *esse* rationis, per quod *D*eus formaliter denominatur Dominus, & secundùm hoc verè dicitur, quòd Deus dicitur Dominus à relatione rationis dominij, in ipso existente, non quòd hinc consurgant duæ relationes distinctæ, vt notat Caietan. loco cit: sed quia eadem relatio ob suam debilem entitatem, aliquando sumitur, secundùm esse proprium, & sic est ens rationis; (& in hac acceptione verificantur dicta Doctorum, quòd esse Dominum in Deo nihil sit extra animam, & quod, nullo intellectu considerante, Deus non est Dominus, nisi fundamentaliter.) Aliquando verò sumitur secundū esse alienū, sic est quid reale, de qua tamē dicūt DD. quòd nihil ponat in denominato, v. g. in *Deo*, aut scibili, sed in alio correlatiuo, in quo est realiter, v.g. in Creatura, & Scientia: de hoc etiam *Esse* dicunt DD. quòd ista correlatiua sunt; quia sua opposita sunt, & similiter, quòd nullo intellectu considerante, *Deus* est formaliter Dominus; vnde accipe subtilem Caietani sententiam, quòd denominatio, qua Deus denominatur Dominus, est formaliter ab intrinseco, & realiter ab extrinseco. Sic explicata Conclusio, & responsio est contra Scotum.

Probatur facilè primò; quia Deus non potest denominari formaliter Dominus à relatione seruitutis existente in creatura, vt vult Scotus. Ergo denominabitur formaliter Dominus à relatione dominij, in ipso existente. Conseq. patet. Anteced. prob. quia denominatio proueniens à relatione seruitutis, est denominatio Serui, & non Domini: sicut denominatio formalis proueniens ab albedine, est denominatio albi, à calore calidi, à paternitate Patris. Ergo &c.

Secundò. Implicat dari denominationem formalem sine forma. Ergo & denominationem formalem Domini sine forma dominij.


Argumenta in contrarium solues, si cùm Caietano scias distinguere penès esse proprium, & intrinsecum, & penès esse extrinsecum, & alienum relationis. Possunt videri soluta à Bannez in 1.p. cit.

Plura hìc occasione istius materiæ de Deo, non solùm, vt Creatore, sed etiam, vt Gubernatore, Prouisore, Conseruatore, dicenda essent; cæterùm quia tangunt res ipsas Theologicas, in alienam messem non licet immittere falcem, & sic non tantùm præsentis disputationis, & Tractatus, sed etiam totius operis Metaphysici abrumpimus filum, atque in Deo

Crea-

Creatore, & *Domino*, tanquam meta, & fine nostro vltimo non solum Metaphysicæ, sed etiam nostram figimus metam, Concludentes nomine Authoris, verbis S. August. lib. 22. de Ciuit: *Dei*: *Videor mihi huius Operis debitum, adiuuante Domino, reddidisse, quibus parum, vel nimium est, mihi ignoscant: quibus autem satis est, non mihi, sed Domino gratias congratulantes agant*. Cedat igitur totum pro gloria *Dei*, honore B. V. Mariæ immaculatæ Conceptæ, totius Vniuersitatis Cœlestis, præcipuè Principum, & Magistrorum nostrorum *D.* Augustini, & *D.* Thomæ Aquinatis. Amen.

FINIS.





Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google